

THEOLOGIA
UNIVERSALIS

AD

Mentem & methodum celeberrimorum noſtræ ætatis Theologorum ac S. Scripturæ Interpretum concinnata, & in quatuor Tomos diſtributa

A

Religioſis Monaſterii D. ETTONIS, vulgò ETTENHEIM-MÜNSTER dicti, Ord. S. Benedicti, in Brisgoja

Curante & Dirigente


P. GALLO CARTIER,

Bruntrutano Rauraco, ejusdem Monaſterii Profeſſo Capitulari & Subpriore, nec non SS. Theologiæ Profeſſore, ac S. Congregationis INDICIS Conſultore.

TOMUS I.
DE LOCIS THEOLOGICIS.

TRACTATUS I. De Scriptura ſacra & ejusdem auctoritate.
TRACTATUS II. De Traditione ſacra & ejusdem auctoritate.
TRACTATUS III. De Eccleſia Catholica & ejusdem auctoritate; ubi etiam de Conciliis & Romano Pontifice, nec non de eorum auctoritate.
TRACTATUS IV. De SS. Eccleſiæ Patribus, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & profanæ Scriptoribus, Theologis ſcholaſticis, Juris Pontificii Peritis, Ratione naturali, Philoſophis & Juris Cæſarei Conſultis, eorundémque omnium auctoritate; una cum Appendice de Propoſitionum Cenſuris.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH, Bibliopolarum.
ANNO MDCCLVII.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.







APPROBATIO CENSORIS.

Theologia hæc universalis in quatuor tomos distincta, doctissimè, solidissimè, eruditissiméque elaborata est, atque sacrarum Scientiarum Cultoribus summè proficua; omni proin titulo publica luce digna, ad celeberrimi Monasterii Ettoniani immortale ornamentum. *Augustæ Vindelicorum* 21. Octobris 1756.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL,
SS. Theol. Licent. Rev.mi & Ser.mi Principis & Episcopi Augustani Consiliar. Eccles. Major Pœnitentiarius, & Librorum Censor, nec non Insign. Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Mauritium Canonicus & Parochus *mppria.*

IMPRIMATUR.

Ex Vicariatu Augustano
die 23. Octobris 1756.

NICOLAUS ANTONIUS SEIZ,
J. U. D. Protonotarius Apostolicus supernum. & SS.mi D. N. Prælatus Domesticus, Ecclesiæ Cathedral. Augustanæ Canonicus Capitular. Archipresbyter & summus Scholasticus, Rev.mi & Ser.mi Principis & Episcopi Augustani Vicarius in Spiritualibus Generalis *mppria.*



IN UNIVERSAM THEOLOGIAM
PRÆFATIO.

EMensô bonis avibus Philoſophiæ curriculô Sacræ Theologiæ palæſtram ingredimur, in ea per aliquot annorum ſpatium nos exercitaturi: felices, imò terque quaterque felices, ſi ſacrum ac ſublime ſtudium iſtud, quod jucundè auſpicamur, cum ea, quâ par eſt, utilitate finiamus.

Theologiæ ſtudium ſacrum & ſublime vocamus; illud enim in eo duntaxat verſatur, ut videlicet de Deo Ter Optimo Maximo, quo utique nihil ſacratius, nihilque ſublimius & auguſtius cogitari poteſt, rebusque eum ſpectantibus ſermonem faciat; quod vel illius complexum è Græco idiomate tranſumptum nomen prodit, cujus etymon ſi interpretari velimus, non quidquam aliud eſt Theologia, quàm *Sermo de Deo*, ſeu *Divinus Sermo.* ΘΕΟΣ quippe græcum nomen *Deum* & λόγος itidem vox græca *Sermonem* apud Latinos ſignificant.

Non eſt proinde, quòd in hujus Diſciplinæ dignitate extollenda immoremur, cùm ipſum nomen divinum aliquid ſpiret, atque ad illius amorem alliciat. Nam ut egregriè tradit S. Thomas (*a*), *Inter omnes hominum curas ſtudium divinæ ſapientiæ eſt perfectius, jucundius & utilius.* Perfectius quidem, quia per divinorum contemplationem homo magis ad Dei ſimilitudinem accedit; utilius, quia per veritatis notitiam ad veram beatitudinem omnium humanarum creaturarum ſcopum pervenitur; jucundius denique, quia nihil ſuavius veritate, quam omnes naturaliter concupiſcimus, & quà adeptà felicitatem invenimus, dicente S. Auguſtino (*b*) *Beata vita eſt gaudium de veritate.* Et quemadmodum Deus Optimus Maximus cætera omnia infinito præ-

(*a*) Lib. 1. cont. Gent. c. 2. (*b*) Lib. 10. Confeſſ.

præcellit intervallo, sic etiam Theologia, utpote cujus materia Deus ipse est, & quidquid ad ipsum spectat vel dirigitur, cæteras quasque Disciplinas dignitate in immensum antecedit, atque per se ipsam spectabilior est, & commendabilior, quàm ut aliquam laudis adjectionem postulet, aut mutuari egeat; quippe quæ nativa se nobilitate commendet. Siquidem nullibi ita ac in Sacra Theologia quidquam invenitur, quod vel ad veritatis discussionem aptius, vel ad Catholicam fidem defendendam solidius, vel ad illustrandum animum splendidius, vel ad veram contemplationem fovendam firmius, vel ad ciendos pietatis affectus suavius, vel ad mores formandos securius, vel ad omne virtutis officium salubrius, vel ad prægustandam in hac lacrymarum valle Sanctorum felicitatem auspicatius sit; prout ex ipsius tractatione liquet.

Vel ex his, quæ modò elocuti sumus, facilè dignosci potest, quanta sit etiam hujus Sacræ Disciplinæ necessitas; quandoquidem enimverò homo, cùm ad finem supernaturalem Deumque ipsum ordinatus sit, procul dubio indiget aliqua facultate, quæ illum ad finem istum, qui naturales ingenii vires longè superat, dirigere valeat: id verò aliæ quæcunque scientiæ humanæ, aut ulla Philosophica Disciplina neutiquam præstare possunt, quippe quarum objectum intra naturæ limites coarctatur. Sola videlicet Theologia, suprema illa omnium facultas, ad hunc finem omninò est necessaria.

Et verò demus etiamnum, hominem ad finem supernaturalem haud esse ordinatum, nec indigere edoceri mysteria, quæ sola fide innotescunt: quis tamen non videat, eidem nihilominus necessariam adhuc fore Theologiam, quâ videlicet illas veritates edoceatur, quæ de Deo etiamnum lumine naturali cognosci possunt? Enimverò nullus, qui ratione & judicio utitur, inficias, ut arbitramur, ire poterit, veritates illas, quæ de Deo naturaliter, & sola rationis investigatione attingi possunt, paucos duntaxat, & nonnisi

post multa annorum spatia, necnon cum multorum errorum admixtione assequi; paucos quidem, tum propter temperamenti indispositionem, qua multi naturaliter ad scientias sunt inepti; tum propter humani laborem abhorrentis ingenii pigritiam; post longum etiam tempus duntaxat, tum quia scientia de Deo omnium naturalium Scientiarum apparatum supponit, tum quia status juventutis, variis passionum motibus fluctuans, non parùm impeditur; *nam animus quiescendò fit sciens,* ut ait Philosophus; tum propter multiplicia vitæ civilis negotia, quæ animum à studiis avertunt. Denique cum admixtione multorum errorum pauci illi, si tamen qui sint, post incredibiles exantlatos labores ad divinorum notitiam perveniunt, tum propter humani intellectûs in judicando debilitatem, tum propter diversas Sapientum opiniones, tum propter Sophistarum argutias: unde factum, ut ipsi Scientiarum humanarum Patres & Coryphæi in tot & tantos errores lapsi sint; quæ omnia & alia plura, quæ temporis angustiæ gratiâ prætermittimus, si seria mente revolvere velimus, facilè dignoscemus, non modò utilem, sed & apprimè necessariam esse facultatem aliquam, divinæ revelationi innixam, Theologiam nempe, qua veritates divinæ etiam naturâ duce cognoscibiles, & à multis, & per breve tempus, necnon absque ulla erroris permixtione comparentur.

Quòd si igitur in Ecclesia adeò necessaria est Theologia, prout sat abundè à nobis fuisse demonstratum arbitramur; proh, quàm damnanda venit illorum incuria, qui sacris dicati, vel in Ecclesiastica dignitate constituti, vel saluti animarum instituti sui, quod amplexi sunt, vocatione addicti, sacrum & sublime hoc Theologiæ studium negligunt! Quomodò, prout tamen tenentur, poterunt esse *Sal terræ, Lux mundi?* quomodò *requiretur Lex ex ore eorum,* & parvulis doctrinæ panem petentibus, quomodò frangent?

Non satis equidem deploranda videtur miserorum hujusmodi hominum sors, quippe qui proprium institutum & ministerium, cui se ultrò manciparunt, obliti, execrandâ desidiâ adeò salubre & neces-

necessarium Sacræ Theologiæ studium tam turpiter negligunt. At etiam, nostrô judiciô, non minùs lugenda venit ascriptitiorum, quo nomine eos Melchior Canus nuncupat (*c*), Theologorum illorum indoles, qui, nescio, quo infelici fato à recto tramite abducti, neglectô verô & necessariô Sacræ hujus Disciplinæ studiô, innumeris penè futilibus simul & obscuris quæstionibus, quas si enumerare in animum induceremus, dies nos deficeret, eam replent.

Apud ipsos Bibliorum sacrorum testimonia rarissima, Conciliorum mentio nulla, nihil redolet ex antiquis Patribus. Nauci floccique scilicet hæc ab ipsis pendi videntur; contrà, præstantium, si Superis placet, Theologorum munus implevisse se arbitrantur, modò argutè de inutilibus juxtà ac incertis abstrusisque quæstionibus verba facere, necnon Sophismatum fæces in scholas invehere valeant: Ad discordiam nempe nati, tunc optimè disseruisse se autumant, cùm contra doctiores dixerint, nec tam verum invenire velle videntur, quàm inanibus concertationibus & rixis chartas implere; sicque egregii opinatores & Sophistæ potiùs audire merentur, quàm Theologi.

Quis enim, amabo, eos Theologos nuncupare velit, qui quid super qualibet Theologica quæstione doceat Scriptura, quid Patres, quid Concilia definierint, ignorant, sed, quod ipsis laudatus Canus meritò exprobrat (*d*), *Universas quæstiones frivolis argumentis absolvunt, & pondus rebus gravissimis detrahunt?*

Utinam ergo tandem ad frugem se recipiant, aliamque suorum studiorum rationem ineant; necnon abjectis, quibus passim Scholæ abundant, inutilibus & vanis quæstionibus, ea duntaxat expendenda suscipiant, quæ viros Ecclesiæ ministerio addictos deceant, & è quibus tùm ipsi, tùm illorum proximi utilitatem non modicam sperare possint.

Quod nos spectat, haud opus esse arbitramur, ut pluribus exponamus, ad quam normam nostrum, quod modò auspicamur, Theo-

(*c*) Lib. 8. de Loc. Theol. (*d*) Loco citato.

Theologicum ſtudium dirigere animus ſit; id enim vel ea, quæ primùm contra ſanæ Theologiæ corruptores diſſeruimus, ſatis ſuperque manifeſtant. Procul nempe abjectis omnibus vanis & futilibus quæſtionibus, quibus hanc Sacram Diſciplinam aſcriptitii Theologi illi obſcurârunt potiùs quàm illuſtrârunt, ea duntaxat ſectabimur, atque expendenda ſuſcipiemus, quæ ſana & jucunda, necnon ad finem, in quem omnes tendimus, obtinendum nobis ſimul & proximis noſtris proficua, imò neceſſaria fore perſpexerimus. Hacque ratione veram Theologiam divinamque Scientiam nos adepturos ſperamus.

Verùm enim verò, ut quod ſentimus, candidè fateamur, hæc nobis haud multùm proderit, quin potiùs nocitura eſt, niſi vera pietate fuerit condita. Sanè ſicut recta hominis conſtitutio duobus oculis, ambabus manibus, binis auribus, utroque pede conſurgit; ſic vir omnis, ſed præcipuè Eccleſiæ Miniſter ſcientiâ & pietate conſtare debet: Hæ ſunt duæ alæ Seraphim, juxta expoſitionem S.Bernardi (e): *Opinor*, inquit, *non incongruè per pennas iſtas agnitionem & devotionem intelligi poſſe, quibus in eum, qui ſupra cælos eſt, Seraphim rapiuntur*. Citò ruet, qui una tantùm ala volare contendit, ubi verò intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecurè, quiſquis hujuſmodi eſt, volet ſine fine, quia volat in æternitatem. Illuc & nos volabimus, ſi id ipſum à nobis præſtitum fuerit, necnon ea, quæ didicerimus, pietatis operibus illuſtrare ſtuduerimus. Theologia quippe eſt filia Fidei, quæ ſine operibus mortua eſt; & Præceptoris illius Diſcipula, *qui cæpit facere & docere.*

Illis, qui diſcunt, & non faciunt, adaptat S. Gregorius illud *Ezech.* 34. *Cùm ipſi limpidiſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis, & oves meæ, quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant.* Quæ ſic exponit (*f*): *Aquam limpidiſſimam Paſtores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedi-*

(*e*) Serm. 4. de verb. Iſai. (*f*) 1. part. Paſt. c. 2.

pedibus conturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam eorum pedibus turbatam oves bibunt, cùm subjecti quique non sectantur verba, quæ audiunt, sed sola, quæ inspiciunt, opera pravitatis imitantur.

Succinit egregiè S. Bernardus (*g*): *Dabis*, inquit, *voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, illud priùs tibi noveris persuasisse.* Item (*h*), *Cibus*, ait, *indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit: ita multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet, atque actus transfusa, nonne illa scientia reputabitur in peccatum? An non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens?*

Absit autem à nobis hæc morum prolapsio; quin è contra Theologicum studium nostrum ea ratione instituere animus est, ut, quæ improbo labore didicerimus, hæc pietatis operibus comprobemus.

Verùm hæc de Studii nostri Theologici ratione & modo dicta sufficiant. Nunc priusquam ipsa Theologiæ viscera perscrutemur; quid ipsa sit, & quænam præcipuæ illius dotes, exponendum est.

Jam suprà diximus, Theologiam secundùm Etymon suum nihil aliud sonare, quàm *Sermonem de Deo* seu divinum sermonem. Triplici autem ratione generatim ipsa accipitur. Etenim quicunque sermo de Deo, vel in solo lumine naturali, vel in simplici & nuda revelatione in se proximè spectata, vel in discursu ratiocinationis ex revelatione divina deductæ nititur. Hinc Theologia naturalis, qua Deus lumine naturæ utcumque cognoscitur: deinde Fides, qua mens veritati cuidam assentitur propter auctoritatem Dei revelantis: postremùm Theologiæ nostræ Disciplina, quæ simpliciter & absolutè Theo-

)( )(logia

(*g*) Serm. 67. in Cant. (*h*) Serm. 36.

logia nuncupatur; necnon accuratè definiri poteſt: *Diſciplina, quæ de rebus divinis ac ſupernaturalibus diſputat, & diſſerit, ut ex veritatibus à Deo revelatis, Fideique Catholicæ principiis cùm de ipſo Deo, tùm de creaturis concluſiones, ſeu conſecutiones eliciat, quibus fidei myſteria explanet, ſuadeat, confirmet, ac tueatur.*

Unde patet 1.mo, quodnam ſit Theologiæ noſtræ objectum & finis, ſeu propoſitum. Res divinæ ſcilicet ac ſupernaturales ab ipſo Deo revelatæ, ſunt objectum ejus velut *materiale*, ut ajunt; quod quidem cum Fide & Beatorum ſcientia commune habet Theologia. At quasdam conſecutiones ex rebus à Deo revelatis deducendi virtus eſt propria differentia, qua commune objectum illud ad ſolam Theologiam contrahitur; atque adeò conſtituit objectum ejus *formale.* Quidquid autem ex revelatis per rectas ratiocinationes elici poteſt, vulgò dicitur objectum Theologiæ *adæquatum*, ſeu *totum*, quia ſcilicet de omnibus, quæ in Theologia tractantur, prædicari poteſt *in recto caſu*, ſeu, ut ajunt, *Nominativo.*

Quòd ſi objectum *primarium* ac præcipuum Theologiæ ſeorſim ſpectetur, profectò illud eſt ipſe Deus; *Secundarium* verò, & minùs principale eſt quidvis aliud, quod à Theologis conſideratur. Deus etiam à Scholaſticis dicitur objectum *Attributionis*, eoquòd quæcunque in Theologia expenduntur, ad Deum aliqua ratione ſemper revocari poſſint.

Præthereà ex eadem Theologiæ definitione à nobis allata perſpicuum eſt, quanam ratione tum à Theologia naturali & Metaphyſica Diſciplina, quæ etiam Deum contemplatur; tum à Divina Fide diſtet ac diverſa ſit Theologia ſimpliciter dicta. Siquidem Theologia naturalis aut Metaphyſica ſolo naturæ lumine Deum conſiderat; Theologia verò à Divina revelatione ſuam de Deo notitiam mutuatur; à Fide tamen in hoc differt, quòd Fides revelatione Divina proximè & im̃ediatè in ſe ſpectata nitatur; at Theologia evidenti diſcurſu ſeu ratiocinio nititur,

quo

quo ex veritatibus à Deo revelatis quædam eliciuntur consecta-ria & conclusiones non proximè ac immediatè, sed remotè duntaxat, seu mediatè.

Quapropter *virtualis* & *mediata* revelatio dici solet *Objectum formale quo* Theologia suum attingit objectum.

Hæc sequenti exemplô elucidantur: Quòd detur aliquod Ens supremum, quod omnia, quæcunque in rerum natura existunt, regat, & à quo ipsa pendeant, nempe Deus; id lumine naturali nobis est perspicuum. Quòd verò Deus factus fuerit homo, atque sic humanam naturam divinæ conjunxerit; id Fides nos docet, utpote quod à Deo immediatè nobis revelatum fuerit. . At quòd in Deo homine Christo sit una duntaxat persona, duæ verò voluntates & operationes, una divina, humana altera; id per discursum seu ratiocinationem ex primo necessariò fluit; adeoque *virtualiter* & mediatè duntaxat nobi revelatum fuit; Deus enim revelando prius, revelavit etiam virtualiter posterius.

Denique ex nostra Theologiæ definitione, quisnam sit Theologiæ finis ac propositum, satis liquet: nempe Mysteria fidei per rectas consecutiones ex veritatibus à Deo revelatis deductas explanare, suadere, confirmare ac tueri. Hoc est quatruplex Theologiæ propositum, propriumque Theologorum munus & officium.

Quærunt hîc Theologi, num Theologia sit Scientia, & an speculativa tantùm, vel simul etiam practica? An Beatorum Scientiæ subalternata, seu sub ipsa contenta? Denique, ut alias minoris momenti quæstiones omittamus, an sit Scientia supernaturalis?

Ad quæ breviter respondemus: & quidem Ad 1.mum Fatemur Theologiam non esse Scientiam ejusdem prorsùs generis seu speciei ac sunt Scientiæ naturales. Constat enim ex iis, quæ in præloquio in Universam Philosophiam nuper annotavimus, duplicem evidentiam cuilibet Scientiæ naturali competere, scilicet evidentiam principiorum, quæ vulgò dicitur, *evidentia conse-*

quentis, & evidentiam consecutionum ex principiis evidenter cognitis elicitarum; quam vulgò vocant *evidentiam consequentiæ;* Quia verò Theologia iisdem, ac Fides, nititur principiis, quæ in se ipsis nonnisi obscurè cognoscuntur, utpote quæ non evidentia quadam, sed solâ divina revelatione clarescunt: hinc patet, eam esse longè diversam à scientiis naturalibus: Nihil tamen obstat, quominùs dicatur Scientia propriè dicta, quod sequenti argumentò evincimus.

Quælibet cognitio certa per evidentem discursum ex principiis certis & firmis deductum parta generatim dici potest Scientia propriè dicta. Atqui Theologia per evidentem discursum ex principiis firmis & certis deductum certam multarum veritatum cognitionem assequitur. Ergo &c.

Nec valet, si dicas, ad Scientiam propriè dictam non modò requiri evidentiam consecutionum seu *consequentiæ;* sed etiam ac præcipuè principiorum seu *consequentis*, ex quibus hujusmodi consecutiones deducuntur.

Nam respondemus: Equidem veteres Philosophi perspicuitatem seu evidentiam principiorum requiri dixerunt, at non alia de causa, quàm ut certæ & stabiles essent: videbant enim ac sentiebant, animum tamdiu fluctuare, quamdiu evidentia abesset, & ipsa obscuritate incertas opiniones gigni: Scientiam igitur ut ab opinione segregarent, illam esse oportere evidentem sanciverunt. At cùm Theologia aliunde, quàm ab evidentia principiorum suorum firmitatem & certitudinem repetat, à fide scilicet, quæ auctoritate Dei revelantis nititur; sicque sine ulla principiorum suorum perspicuitate, nihilominus certa sit & firmissima cognitio; non est, cur scientia propriè dicta nominari non debeat: ut enim ait S. Augustinus, *id scire dicimur, quod certò novimus.*

Adde, quòd nec sua Theologiæ perspicuitas desit. Ut enim omittamus evidentem conclusionum suarum cum iis, quibus nititur, principiis connexionem; hæc ipsa principia certis quibusdam argu-

argumentis extrinsecis dilucidè demonstrat esse revelata. Adeò ut, etsi Theologiæ principia non sint intrinsecè evidentia, habita ratione cognitionis principiorum, attamen extrinsecùs sunt evidentia, prout accuratiùs exponetur, ubi de Fide erit sermo.

Quoad secundùm, Respondemus: quòd, cùm, prout in Philosophia nostra docuimus, Scientiæ à modo, quo suum attingunt objectum, suam differentiam & speciem desumant, Theologia verò non tantùm consideret objecta speculabilia & speculativò modò, v. g. Deum esse unum & trinum; sed etiam practicò, ubi enim de virtutibus agit, docet amandum esse Deum, injurias proximo condonandas: secundùm diversum respectum, & pro variis suis partibus speculativa sit, & practica eminentiori quodam modo. Deum quippe præsertim attingit, qui simul est prima veritas & ultimus rerum omnium finis, in quem tendimus; illumque adeò non modò cognoscendum sed & possidendum nobis exhibet.

Non officit, quòd objiciatur, nullam esse in Theologia veritatem, quæ ad praxim non dirigat; siquidem mysteriorum etiam speculativorum cognitione, qualia sunt Trinitatis & Incarnationis, utitur Theologus, ut suas operationes rectè instituat. Ergo Theologia est Scientia merè practica.

Distinguimus enim antecedens: Nulla est veritas, quæ ad praxim non dirigat, vel *per se*, vel *per accidens*, sive ex primario sive ex secundario fine, conced. *Per se* seu ex primario fine, neg. ant. & conseq. Mysteriorum v. g. Trinitatis & Incarnationis cognitio per se & primariò in mera mentis speculatione & contemplatione consistit, eatenùs tamen ad praxim dirigit, quatenùs eà Theologus utitur, ut suas actiones benè instituat; adeoque per accidens duntaxat & secundariò ad praxim tendit.

Contrariò argumentò objiciunt aliqui: Illa Scientia non est practica, cujus objectum non est operabile: Sed Deus, qui est objectum Theologiæ, non est operabilis: Ergo Theologia nulla sui parte est practica.

Resp. quòd, quia non gressibus corporeis ad Deum accedimus, sed mentis affectibus, ita etiam Deus non sit operabilis physicè, sed moraliter duntaxat; quatenùs scilicet eum bonis & Christianis actibus assequimur, visione tandem & fruitione possidendum.

Ad tertium, Respondemus: quòd, si, ut quædam Scientia alteri subalternata, necnon sub ea contineri dicatur, sufficiat, quòd idem sit utriusque finis, seu finis unius subordinetur fini alterius; quòd subalternata mutuetur à subalternante principium aliquod, licèt sua propria habeat; quòd objectum unius contineatur sub objecto alterius, vel potiùs sit ipsummet objectum Scientiæ superioris addens aliquam differentiam accidentalem; & denique, quòd una simul cum altera consistere possit: nihil obest, quin dicamus, Theologiam esse Scientiæ Beatorum subalternatam: nam primò habet eundem finem, qui est cognitio summæ veritatis, ut est in se: desumit omnia sua principia, veritates nempe divinas, ab illa, quæ per Fidem nobis communicantur: habet etiam idem objectum cum aliqua differentia accidentali, nempe Deum sub lumine revelationis virtualis cognitum; accidentale enim est Deo, sive per lumen gloriæ, sive fidei cognoscatur. Denique Theologia nostra cum scientia Beatorum simul consistere potest, imò potiùs post hanc vitam erit eadem cum illa, nam quòd hìc ex principiis obscuris consecutiones suas deducat, id ei per accidens est, ratione statûs videlicet, quem habet in intellectu nostro, qui quamdiu peregrinatur à Deo, divina cernit in ænigmate; quas obscuritatis tenebras omnes expellet clara Dei visio; adeoque quod ipsi hìc certum quidem est, sed nonnisi lumine fidei videt, id ipsum ibi lumine gloriæ cernet.

Ad quartum denique Respondemus, Theologiam *extrinsecè*, & quasi *præsuppositivè* esse Scientiam supernaturalem, id est, tùm ratione objecti sui primarii, qui est Deus; tùm ratione principiorum, quæ à divina revelatione mutuatur. At *per se*, & ex natura sua videtur esse Scientia *intrinsecè* naturalis, quia naturali

mo-

modò, hoc eſt, rationis uſu objectum ſuum attingit, & labore atque induſtria comparatur; necnon principia fidei, ſeu à divina revelatione provenientia, quibus Theologia nititur, ſunt ipſi præſuppoſita & aliquatenùs extrinſeca, nec illis proximè & im̃ediatè, ſed evidenti connexione concluſionum ex veritatibus à Deo revelatis deductarum proximè nititur.

Supereſt, ut hîc adhuc recenſeamus, quotupliciter Theologia dividatur; licèt enim unus & idem formaliter ſit habitus, varias tamen diviſiones ſortitur, tum ratione ſubjecti; tum ratione objecti; tum ratione terminorum, quibus utitur; tum denique ratione methodi, quâ traditur.

Primò quidem ratione *ſubjecti* in quo recipitur, Theologia vulgò diſtribuitur in Theologiam *Viatoris*, quæ eſt ſcientia diſcurſiva ex principiis à Deo revelatis; & in Theologiam *Comprehenſoris* ſeu Beatorum, quæ conſiſtit in viſione beatifica, qua divinam eſſentiam omniaque Fidei myſteria in ipſa clarè intuentur.

Deinde Theologia, ſi ratione objecti ſpectetur, à cujusque arbitrio pendet in plures vel pauciores Tractatus ſeu libros, pro variis argumentis ad res divinas & ad religionem pertinentibus, eam partiri. Nos noſtram in quatuor Tomos ita diſtribuemus, ut quilibet Tomus plures libros ſeu tractatus contineat, quos infrà recenſebimus.

Tertiò, Theologia ratione terminorum ſeu verborum, quæ uſurpat, dividitur in *Symbolicam* & *Demonſtrantem*. Symbolica dicitur, quatenùs figuratis ac myſticis locutionibus ex arcano quodam & ſubtili ſenſu intelligendis utitur; quod Theologiæ genus myſticam & arcanam Theologiam complectitur. *Myſtica* autem Theologia eſt cognitio infuſa de Deo rebusque divinis, quæ animum ſuavi, devotò, & affectivò modô commovet, eumque Deo intimè conjungit, mentem illuſtrando & voluntatem inflammando modô affectivô & extraordinariô. Breviùs, Myſtica Theologia ſeu affectiva eſt ea, quæ affectus in Deum dirigit, & movet, ſeu ad movendos in Deum affectus tendit. De-

Demonstrans autem dicitur, quatenùs res divinas explicat verbis usitatis & in propria significatione usurpatis.

Ratione modi seu methodi, alia est Theologia *positiva*, alia *Scholastica*. *Positiva* dicitur ea, quæ conclusiones suas probat per principia positiva, hoc est, per principia, quæ non probantur, sed supponuntur & creduntur, qualia sunt ea, quæ desumuntur ex verbo Dei scripto vel tradito, nobisque per Ecclesiam proposito. *Scholastica* autem sic dicta, quòd in Scholis tradatur atque discatur, est re ipsa eadem, idemque præstat ac *Positiva*; diversô tamen modô, à Scholæ Magistris duodecimô circiter Ecclesiæ sæculô in Scholis introductô, & usque ad nostra tempora continuatô, majori videlicet cum methodo, hoc est, accuratiùs, subtiliùs, & ad artis syllogisticæ regulas accomodatiùs, suasque conclusiones interdum,& per accidens extraneis confirmans,& illustrans argumentis; ut sic faciliùs iis, qui deforis sunt, Catholicam persuadeat fidem, & omni poscenti de ea, quæ in nobis est, fide, rationem reddat.

Utraque tam *Positiva*,quàm *Scholastica*,*Moralis* dicitur, si morum informationem attingat, hoc est,si ad informandos hominum mores tendat. *Polemica* verò,sive *Controversa* vocatur, si de rebus controversis, sive contra infideles & hæreticos, sive contra fideles agat. Nos Theologiam nostram ita instituemus, ut Scholasticam, Positivam, Moralem, & Polemicam simul complectatur, adeò ut Universalis Theologiæ nomen meritò sibi vindicare videatur.

Proinde quatuor Tomis eam comprehendemus, in quorum *Primo* de Locis Theologicis tractabimus. In *Secundo* de Deo; Angelis; Incarnatione; & Gratia. In *Tertio* de Actibus humanis; de Legibus; de Virtutibus Theologicis; Religionis; & Moralibus; necnon de Vitiis & Peccatis. In *Quarto* denique de Sacramentis, tum in genere, tum in specie. Hæc Theologiæ nostræ Oeconomia. Utinam ergo studio nostro Deus largam benedictionem suam impertiri dignetur.

THEO-

THEOLOGIÆ
UNIVERSALIS
TOMUS PRIMUS
DE
LOCIS THEOLOGICIS.



INDEX

Titulorum Tractatus primi Tomi primi Theologiæ Univerſalis, de Sacra Scriptura & ejusdem Auctoritate.

De



TOMI

TOMI PRIMI

TRACTATUS


PRIMUS

DE

SACRA SCRIPTURA

ET


EJUSDEM AUCTORITATE.



THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TOMUS I.
DE LOCIS THEOLOGICIS.
PROOEMIUM.



Mne argumentum vel à ratione vel ab auctoritate ducitur: hæ enim ſunt loci ſeu fontes, ex quibus quælibet Diſciplina ſua argumenta depromit, & ad quos concluſiones ſuas efformat. His ergo duobus modis rem quamcunque, quæ in controverſiam venit, definimus. Cùm autem in reliquis omnibus Diſciplinis primum locum ratio teneat, poſtremum auctoritas, tamen Theologia una eſt, in qua non tam rationis in diſputando, quàm auctoritatis momenta quæruntur. Etenim locum ab auctoritate ita ſibi vindicavit, ut rationes vel tanquam hoſpites & peregrinas excipiat, vel in ſuum etiam obſequium aſciſcat, quaſi longè repetitas. Quippe fide potiſſimùm innititur, quæ, niſi ab auctoritate proficiſcatur, non modò fides eſſe, ſed ne intelligi quidem poteſt. Eſt namque fides, ut Apoſtolus tradit, ***argumentum rerum non apparentium***, quas ſi certas certa velis ratione facere, cum ratione profectò inſanies. Principem itaque locum, ſicut apud fideles, ita apud Theologos auctoritas habet; Ratio deinde velut pediſſequa ſequitur. Id Apoſtolus videtur ſignificare, cùm ait: *Oportere Eccleſiæ Doctorem amplecti eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem Sermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Primùm enim ſtringat fidei ſermonem, neceſſe eſt, quicumque Chriſtianæ Scholæ Magiſter eſſe volet: Sed niſi mox doctrinæ rationem adhibeat, fidelis quidem eſſe poterit, ſed fidelium Doctor eſſe non valebit. Nam & homines, quamlibet experti, diſputare cum adverſariis non queunt, niſi experimento ratio acceſſerit. Utraque igitur Theologo neceſſaria eſt, & auctoritas, & ratio, ſed ita tamen, ut auctoritas primas in Theologia partes obtineat; ratio verò habeat poſtremas. Duplicis igitur generis ſunt loci ſeu fontes, unde Theologia argu-



TOMI PRIMI THEOLOGIÆ UNIVERSALIS

TRACTATUS PRIMUS.

De Sacra Scriptura ejusque auctoritate.

DE Sacra Scriptura primò agimus; meritò enim sibi præ cæterisLocis Theologicis primam Sedem vindicat, ut quæ dignitate eosdem longè antecellit; & à qua penè omnia ex reliquis petita argumenta tanquam à fonte primario profluunt, necnon ad quam omnino referuntur.

Duabus singillatim partibus de ipsa hîc agere nobis est animus, ne multa simul permiscentes Scriptioni nostræ confusionem aliquam afferamus.

In prima igitur parte tractabimus de Sacra Scriptura generatim: In secunda verò de singulis Sacræ Scripturæ libris.

PARS PRIMA.

De Sacra Scriptura generatim.

OCto Capitibus hanc Tractatus nostri de Sacra Scriptura partem primam definimus. In primo, Quid sit Sacra Scriptura, & quinam ipsius libri exponemus. In secundo, de ipsius veritate & integritate agemus. In tertio Divinam ipsius auctoritatem tuebimur. In quarto, de modo Divinæ inspirationis Sacrorum Librorum horum differemus. In quinto, varios variorum ejusdem Sacræ Scripturæ Canones referemus, & Catholicorum Canonem tuebimur. Sextum erit de obscuritate & multiplici Sacræ Scripturæ sensu. Septimum, varias illius editiones & versiones exhibebit. In octavo denique, nonnulla de ponderibus, monetis, mensuris, & vasis, quæ Sacra Scriptura passim commemorat. Item de anno & mensibus Hebræorum, necnon de Massora & Massorethis differemus.

CAPUT PRIMUM.

1 *Quid sit S. Scriptura, & quinam ipsius libri.*

SAcræ Scripturæ nomine intelligimus librum Spiritu Sancto inspirante & velut dictante conscriptum, quo continetur Doctrina Verbumque Dei hominibus propositum. Scriptura Sacra igitur est *Verbum Dei scriptum*, quod, ut ait S. Petrus (*a*), *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.*

Dicitur *scriptum*, ut distinguatur a Traditione divina, quæ, prout suô locô fusius dicetur, est *Verbum Dei non scriptum.*

Aliis nominibus Sacra Scriptura nuncupatur modò *Verbum Dei* simpliciter, intellige tamen *scriptum*; quia prodit a Deo; *Olim*, ait Apostolus (*b*) *Patribus in Prophetis, & novissimè diebus istis in filio loquente nobis.* Modò *Testamentum Dei*; quia singularem suam erga homines voluntatem & mentem per eam testatur & exponit. Modò *Lex Divina*; quia Dei Legem tam veterem, quàm novam, illam Judæis, istam Christianis propositam recenset. Modò *Scriptura Sancta*; quia nihil nisi sanctum, & ad hominum sanctificationem & Dei gloriam ordinatum continet. Modò *Biblia*, id est, Libri a voce Græca *Biblion* antiquitùs & Latinè sonante *Papyrum*, plantam Ægyptiacam, ex qua olim carthæ conficiebantur, ideoque hodie *Libram* significante. Ideo autem *Biblia* seu *Libri* simpliciter & sine addito nuncupatur, quia cæteros cujuscumque argumenti libros dignitate longè antecellit. His & aliis nominibus, inquam, Sacra Scriptura insignitur: vulgò tamen simpliciter, & velut per antonomasiam *Scriptura* nuncupatur.

Generatim duplex est, *Vetus* scilicet & *Nova*: illa *Vetus*, hæc *Novum Testamentum* vocari solet. *Vetus Testamentum* est illa Scriptura, qua libri Spiritu Sancto inspirante à viris sanctis ante adventum Christi exarati continentur: *Novum* autem est ea Scripturæ pars, quæ post Christum vulgata fuit. 2

Universim scriptum istud Dei Verbum (juxta Canonem Ecclesiæ Catholicæ, de quo agemus suo loco) septuaginta duos comprehendit Libros, quadraginta quinque veteris; & viginti septem novi Testamenti. Eos hoc ordine enumerat Concilium Tridentinum. (*c*) Veteris Testamenti quidem: *Pentateuchus, seu quinque libri Moysis, ut Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium: Josue: Judicum: Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ Primus, & Secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias: Judith: Esther: Job: Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum: Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus: Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; Duodecim Prophetæ Minores scilicet, Osée, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, Primus, & Secundus. Novi Testamenti sunt, Quatuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apostolorum a S. Luca conscripti: Quatuordecim Epistolæ S. Pauli Apostoli, quarum una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, & ad Hebræos una: S. Petri Apostoli duæ: S. Joan. Apost. tres: S. Jacobi Apost. una: S. Judæ Apost. una: & Apocalypsis S. Joan. Apost.* 3

Horum omnium sacrorum librorum alii dicuntur *Legales*, in quibus videlicet divinæ leges promulgantur; ut sunt in veteri 4

(*a*) 2 Pet. c. 1. (*b*) Heb. c. 1. v. 2. (*c*) Sess. 4.

veteri Teſtamento primi quinque libri Moyſis, *Geneſis* ſcilicet, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, & *Deuteronomium*. In Novo, *quatuor Evangeliorum Libri*, *Matthæi*, nempe, *Marci*, *Lucæ*, & *Joannis*; qui Legem a Chriſto latam continent.

Alii ſunt *Hiſtorici*, in quibus videlicet rerum geſtarum hiſtoria narratur, ſuntque in veteri Teſtamento hi ſeptemdecim: *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Eſdræ*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, & *duo Machabæorum*. In novo Teſtamento autem, eſt unicus *Actuum Apoſtolorum* liber, in quo Apoſtolorum geſta narrantur.

Alii vocantur *Sapientiales*, in quibus nempe vera Sapientia exponitur: ſuntque in veteri Teſtamento iſti quinque, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica Canticorum*, *Sapientia*, & *Eccleſiaſticus*. In novo autem 21. numerantur: *Quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli*: *Duæ S. Petri*: *Tres S. Joannis*, *una Jacobi*, & *Judæ una*. In quibus novæ legis Sapientia per exempla, atque præcepta ſecundùm Chriſtum beatè vivendi pleniſſimè traditur.

Alii denique *Prophetici* nuncupantur, in quibus futura prænuntiantur; ſuntque in veteri Teſtamento hi octodecim: *Liber Pſalmorum Davidis*, *Iſaias*, *Jeremias cum Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*; & *alii duodecim Prophetæ Minores*. In novo autem *Apocalypſis*, in qua ſtatus Eccleſiæ Chriſti futurus prædicitur.

Caput II.

De veritate, & integritate Sacræ Scripturæ.

Duo præſenti Capite examinanda & diſcutienda ſuſcipimus: 1. Num libri, qui Sacrâ Scripturâ univerſim continentur, veri ſint, & non ſuppoſititii. Ubi notandum, quòd *veritatis* nomine hîc non intelligatur ſententiarum, quæ in Scripturis continentur, conformitas cum veritate, ſed realitas, ut loquuntur; ſeu quæritur, utrum Scripturæ, quæ dicuntur Sacræ, ſint veri libri, prout verum opponitur ſuppoſito, ut jam dictum.

2. Num ſi ſacri libri integri, id eſt, incorrupti ad nos fuerint perlati. His ita præmiſſis, quantùm ad primum ponitur

Conclusio I.

Libri, qui univerſim Sacrâ Scripturâ continentur, non ſunt libri ſuppoſititii, ſed omnino veri.

Prob. Illi libri non ſunt ſuppoſititii, ſed omnino veri, qui communi exiſtimatione exarati fuerunt ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur, & iis circiter temporibus, quibus ſcripti feruntur. Atqui libri omnes, qui Sacrâ Scripturâ continentur, communi exiſtimatione exarati fuerunt ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur, & iis circiter temporibus, quibus ſcripti feruntur. Ergo non ſunt libri ſuppoſititii, ſed omnino veri.

Major conſtat. Enimvero non minor utique ratio habenda eſt ſacrorum Scripturæ librorum, quàm aliorum antiquorum tam Eccleſiaſticorum, quàm Profanorum librorum, ut putà Commentariorum Cæſaris, Operum Ciceronis, S. Auguſtini, &c. Atqui alio argumento probari non poteſt, hos Auctorum iſtorum, ut & plurimorum aliorum veterum Scriptorum libros & Opera, non eſſe libros ſuppoſititios ſed veros, quàm quòd quovis Sæculo adſcripti fuerint Auctoribus, quorum nomina præ ſe ferunt; exiſtimatumque ſit, eoſ fuiſſe ſcriptos iis circiter temporibus, quibus ſcripti feruntur. Ergo à fortiori ratione libri Sacrâ Scripturâ contenti ſuſcipiendi ſunt tanquam omnino veri nec ſuppoſititii, ſi communi exiſtimatione exarati fuerunt ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur, & iis circiter temporibus, quibus ſcripti & exarati feruntur.

Prob. Min. Judæi, qui Moyſis ætate vixerunt, Pentateuchum ſuis poſteris

tradiderunt, tanquam germanum illius fœtum, etsi non modò eorum scelera, sed & legem ipsis summè molestam ac terribilem contineret. Idem dicendum de aliis Sacræ Scripturæ libris in Canone Hebræorum contentis; quippe quos Judæi horum librorum Scriptoribus coætanei filiis suis ac popularibus tanquam ab iis, quorum nomina præ se ferunt, scriptos commendarunt; atque sic, nunquam interrupta serie temporum, ad posteros delati fuerunt.

Eodem prorsus argumento contendimus, novi Testamenti libros esse genuinos seu veros, scriptosque ab iis auctoribus, à quibus scripti dicuntur, & iis temporibus, quibus scripti feruntur. Qui enim audierunt Apostolos Christiani, filiis & posteris suis eosdem libros velut genuinos Apostolorum & Evangelistarum partus tradidere, sicque ad nostram usque ætatem de manu ad manum, ut ita dicam, pervenere.

Hinc factum est, ut Judæorum Synagoga ad nos usque detulerit veteris Testamenti libros. Hinc etiam Ecclesia Christiana à suis incunabulis usque ad hæc nostra tempora pro veris ac genuinis habuit omnes libros, qui Bibliis continentur; prout ubi de singulis his sacris libris nobis erit sermo clarè demonstraturi sumus.

Concludendum igitur, vel omnes totius mundi historias pro fabulis esse habendas, neque ullius hominis testimonium valere ad faciendam fidem de facto aliquo; quod asserere profectò extremæ esset dementiæ; vel quòd libri S. Scripturâ contenti sint veri libri, ipsorumque auctores verè extiterint. Non enim magis verum est, Alexandrum, e. g. & Cyrum olim extitisse, quàm Moysem, aliosque, qui Sacra Biblia conscripserunt.

Conclusio II.

6 Libri, qui Sacrâ Scripturâ continentur, sive veteris sive novi Testamenti, omnes integri ad nos perlati fuerunt, saltem quoad partes ipsorum substantiales, quæ fidem nempe, moresque respiciunt.

Prob. Conclusio, quantùm ad veteris Testamenti Codices, 1. ex Scriptura. Christus Matth. 23. auditores suos hortatur, ut, quæcumque ipsis dixerint Scribæ & Pharisæi, hæc ipsi servent: *Super Cathedram Moysi*, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque ergo dixerint vobis, servate.* Item Joan. 5. idem Servator noster Judæos ad scrutandas Scripturas invitat: *Scrutamini Scripturas*, inquit, *illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Atqui non ita absolutè, & sine ulla præmonitione auditores suos hortatus fuisset, ut Verbi Divini corruptores audirent, & eorum ex Scriptura allegata sequerentur; neque ipsos Judæos scrutari jussisset eas Scripturas, quas ipse omnino & præsertim in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, corruptas scivisset. Ergo integræ & incorruptæ erant, & ut tales ad nos usque perlatæ fuerunt.

Adde, quòd testimonia, quæ à Christo & Apostolis ex veteri Testamento adducta sunt, omnia nunc etiam inveniantur in Moyse & Prophetis iisdem planè verbis, quibus ab illis adducta fuere. Manet ergo, libros, qui Sacrâ Scripturâ continentur, nunquam fuisse depravatos, saltem quoad substantiam, & ea, quæ fidem, moresque spectant.

Prob. 2. ipsorum Judæorum testimonio: Tanta fuit ipsorum erga sacros Codices religio, ut potiùs mortem eligerent, quàm ut paterentur, eos, vel in minimo, quod fidem moresve spectaret, immutari. Ergo nec immutati, aut depravati fuere. Ant. prob. ex Philone: (*d*) Scribit

(*d*) Lib. de egressu filiorum Israel ab Ægypto apud Euseb. lib. 3. præparat. Evang. c. 2.

Scribit ipse, quòd usque ad tempora sua, per spatium ampliùs quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in Lege, id est, in sacris veteris Testamenti libris, mutatum, & quemlibet Judæum centies potiùs mortem subiturum, quàm ut patiatur Legem in aliquo mutari.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Pro omnibus sufficiant Hieronymus & Augustinus: Prior tuetur, Scripturas veteris Testamenti ab Hebræis nunquam fuisse vitiatas, quia aliàs Christus & Apostoli crimen istud illis exprobrassent: *Nunquam*, inquit (*e*), *Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Pharisæis, & Scribis, de hoc crimine, quod erat maximum reticuissent.* S. Augustinus verò asserit (*f*), Judæos nec potuisse nec voluisse sacros depravare Codices: *Anne credibile est*, inquit, *ipsos Codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare nullo contradicente.*

Cùm enim in singulis familiis, saltem tribus Levi, utpotè Altaris ministerio consecratæ, asservarentur sacri Codices, & ubique terrarum eos Judæi penes se haberent; impossibile fuisset, ut substantialis corruptio in aliquibus Capitibus fieret, quin eam aliqui observassent, eidemque pro viribus obstitissent; præsertim cùm Judæi incredibili zelo ac reverentia sacros prosequerentur Codices; prout jam tum ex Josepho, tum ex Philone ostendimus.

Prob. 4. Ratione Theologica. Si Judæi fortè in Christianorum odium depravare voluissent Sacras Scripturas, tum vel maximè id egissent quoad vaticinia de Christo, nec non loca illa, quibus præcipua Religionis Christianæ Capita contineri perhibentur. Atqui eas quantùm ad hujusmodi loca & vaticinia non depravarunt; siquidem in iis ipsorum Codices optimè cum nostris concordant, & solummodo quoad nullius ferè momenti res, & quæ nec fidem nec mores spectant, ab his recedunt, &c. Ergo Judæi Sacras Scripturas nullatenus depravarunt, &c.

Adde, quòd, si aliqua substantialis depravatio facta fuisset à Judæis in libris Legalibus; eam utique ipsorum adversarii Samaritani, apud quos etiam erant libri isti, illis objecissent; & vicissim, si à Samaritanis hæc depravatio facta fuisset, hanc utique ipsis etiam exprobrassent Judæi. Atqui neutri hoc fecerunt, prout constat. Ergo & hi sacri libri ab ipsis neutiquam fuere depravati, &c.

Confirmatur. Ex sacris veteris Testamenti Codicibus, prout patet, petuntur invicta pro Christianæ Religionis veritate argumenta. Ergo Dei in suam Ecclesiam providentiæ repugnare videtur, si passus fuisset, ut substantialis depravatio in illis à Judæis fieret; sic enim non invicta duntaxat, sed imbecillia, imo falsa essent pleraque ea argumenta, quæ in Christianæ Religionis confirmationem ex iis adducuntur. Unde observat S. Augustinus (*g*), ideo Dei providentiâ permissum esse, ut Judæi per totum orbem dispergerentur, quò ubique proferrent monumenta fidei nostræ. *Ut Judæi*, inquit, *tanquam Capsarii nostri libros nostros circumferrent, ut cùm Pagani non credunt, quæ nos de Christo prædicata fuisse dicimus, quasi essent à nobis conficta, mittamus ipsos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.*

Quantùm ad sacros novi Testamenti Codices eadem profectò argumenta, quæ veteris Testamenti librorum integritatem probant, etiam pro illis faciunt.

(*e*) Ad c. 6. Isaiæ. (*f*) Lib. 15. de Civ. c. 13. (*g*) Lib. 15. de Civ. c. 46.

1. enim, libri novi Testamenti iidem sunt, & eodem modo, quantùm ad res, quæ fidem & mores spectant, repe- riuntur apud Sectas alioqui sibi invicem infensissimas. Ergo depravari non potuerunt in rebus ad fidem & mores pertinentibus.

Ant. apertum est, & solâ variarum Sectarum Bibliorum lectione comprobatur.

Prob. Cons. Vel hæc depravatio à Catholicis tentata fuisset, vel ab Acatholicis. Neutrum dici potest. Ergo, &c.

Prob. min. Non primum: id enim ipsis exprobrassent Acatholici. Nec secundum; nam crimen istud arguissent Catholici. Ergo nec a Catholicis, nec ab Acatholicis, adeoque neutiquam depravatio hæc facta fuit.

Argumentum hoc illustratur exemplis penè innumeris, quorum hæc duo duntaxat referimus: Marcion, ut testatur Tertullianus, (*b*) plurima ex novo Testamento abstulit, sed illa notavit Epiphanius; (*i*) atque in nostris Græcis Codicibus rectè habentur. Ariani quoque abstulerant ex Evangelio Joannis c. 4. hæc verba: *Spiritus est Deus;* at id indicavit S. Ambrosius; (*k*) & nostri Græci Codices omnes testimonium istud referunt.

Prob. 2. Nec tempus, nec modus, nec auctores hujusmodi depravationis afferri possunt. Ergo fictitia videtur.

Prob. 3. Episcopi tum in Conciliis, tum in suis Diœcesibus graves illas Scripturarum Sacrarum corruptiones, si quæ alicubi tentatæ fuissent, utique detexissent; imo & singuli ferè Sacerdotes, cùm in horis Canonicis nonnihil ex S. Scriptura legere teneantur. Atqui nec Episcopi, nec alii Sacerdotes hujusmodi depravationes usquam detexerunt. Ergo nec factæ fuerunt. Adeoque necessariò sequitur, sacros tum veteris, tum novi Testamenti Codices nusquam quoad substantiam fuisse corruptos, sed integros ad nos usque perlatos fuisse.

Dixi *quoad substantiam;* enimvero controvertitur, an non saltem in levioris momenti rebus, & quæ nec fidem nec mores spectant, vitiati fuerint sacri Codices isti?

Qui ultimis hisce temporibus ab Ecclesia Romana discesserunt, tuentur Hebræum veteris Testamenti textum purissimum ad nos fuisse perlatum, atque ideo omnia, quæ aliis editionibus continentur, ad eum examinari & emendari debere. Ita Calvinus *in Antidoto Concilii Tridentini;* Kemnitius *in examine ejusdem Concilii;* & Georgius Major *præfatione in Psalmos.*

At contrà solidè contendunt Catholici, hodiernum veteris Testamenti Hebraicum textum non ita purum esse, ut nulla saltem levis momenti errata, & menda in quibusdam illius dictionibus reperiantur, quæ quidem sensum ipsum aut parùm, aut nihil immutent; atque etiam in novi Testamenti libris hujusmodi menda quædam irrepsisse; cum quibus ponitur

CONCLUSIO III.

Sacris libris tum veteris tum novi Testamenti errata quædam & menda inveniuntur aspersa. 7

Prob. Conclusio 1. quoad veteris Testamenti Codices. Quia interdum integræ sententiæ desunt in Hebraico textu, quæ tamen leguntur in versione septuaginta Interpretum, ut & in latina S. Hieronymi ex Hebræo versione. Sic in Hebraico deest tota hæc sententia *Exodi* 2. *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliezer, dicens, Deus Patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me de manu Pharaonis.* Eam tamen referunt Septuaginta, & Hieronymus.

2. *Psalm.* 18. Hebraici Codices legunt, *in omnem terram exivit linea seu perpendiculum eorum.* Septuaginta autem verterunt: *Sonus eorum.*

3. *Psalm.*

(*b*) Lib. 5. advers. Marcion. (*i*) Hæresi 42. (*k*) Lib. 3. de Spiritu S. c. 11.

3. *Pſalm.* 21. legunt omnes Chriſtiani, *foderunt manus meas & pedes meos.* At textus Hebraicus locô *foderunt*, legit, *ſicut leo*, quod apertè mendoſum eſt.

Denique, ut plura alia omittamus, *Iſaiæ* 9. textus hebraicus legit, *vocabit admirabilis*, &c. cùm tamen verſiones omnes, Patres omnes, & ipſe Sacræ Scripturæ contextus demonſtrent, legendum eſſe, *vocabitur admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri Sæculi*; hincque inferri debeat, hæc epitheta tribui filio, non autem Patri æterno.

Calvinus ipſe, qui textum hebræum fontem puriſſimum non ſemel appellat, ad hunc Iſaiæ textum, ſui parum memor, hæc adversùs Judæos eloquitur: *Neque eſt, quòd oblatrent Judæi, & ſic lectionem invertant; hoc eſt nomen, quod vocabit eum Deus, fortis, Pater futuri Sæculi; ac demum hoc unum filio reliquum faciant, ut ſit Princeps pacis: quorſum enim epitheta in Deum hoc loco congeſta forent?*

Concludendum ergo, Hebraicum fontem, quem nunc præ manibus habemus, non ita ſemper limpidum, & purum eſſe, ut non interdum turbidus fluat.

Profectò Ludovicus Capellus celebris præteriti Sæculi Calviniſta plusquam mille locis vitiatum eſſe textum hebraicum oſtendit *in ſua Critica Sacra.*

Habent igitur Scripturæ hebraicæ ſuos errores, qui in textum irrepſerunt partim oſcitantiâ & inſcitiâ librariorum, præſertim, cùm in hebræo facile ſit errare ob litterarum quarumdam ſimilitudinem; partim negligentiâ, aut ignorantiâ, vel etiam malignitate Rabbinorum, qui puncta litteris hebraicis addiderunt. Cùm enim dictiones hebraicæ variis modis legi poſſint, ſi punctis careant; mirum non eſt, ſi aliquando ipſi quoque in punctorum notatione à vero aberraverint.

Poteſt etiam eſſe, ut ex pravo in Chriſtum affectu, & odio ea lectio interdum ipſis magis probata fuerit, quæ minùs Chriſtianis favebat.

Cæterùm, ut diximus, tanti momenti non ſunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, Scripturæ Sacræ integritas deſideretur; plerumque enim tota variarum lectionum diſcrepantia in dictionibus quibusdam poſita eſt, quæ ſenſum vel parùm, vel nihil immutant. Errores autem, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omninò veritati officiunt: puncta enim hæc exteriùs ſunt addita, nec textum ipſum variant. Itaque poſſumus, ſi velimus, ea detrahere, & aliter legere.

Quòd verò Græcos novi Teſtamenti Codices attinet, nemo dubitat, quin editio Apoſtolica ſummæ ſit auctoritatis: attamen in eam etiam aliquos errores ſaltem negligentiâ librariorum, aut eorum ignorantiâ interdum irrepſiſſe varia exempla demonſtrant, quorum aliqua duntaxat referre placet.

1. *I. Corinth.* c. 15. v. 47. noſtra verſio latina legit: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis*, quam lectionem ipſe Calvinus probat. At græci Codices conſtanter habent: *ſecundus homo Dominus de cælo.* Quam depravationem ex corruptionibus Marcionis librariorum vitiô manſiſſe teſtatur Tertullianus. (*l*)

2. *I. Corinth.* 7. v. 33. & 34. nos legimus: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt: & mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, &c.* At græci Codices longè aliter habent; nam illud *diviſus eſt* conjungunt cum ſequentibus hoc modo: *diviſa eſt uxor & virgo*; quam lectionem S. Hieronymus affirmat (*m*) *non eſſe Apoſtolicæ veritatis.*

3. *Rom.* 12. v. 11. noſtra verſio ſic habet: *Domino ſervientes*, eamque eſſe veriſſimam teſtatur S. Hieronymus, (*n*) aſſeritque, in emendatis græcis Codicibus

(*l*) Lib. 5. cont. Marcion. (*m*) Lib. 1. cont. Jovinian. (*n*) Epiſt. ad Marcell. quæ incipit: *Poſt priorem.*

bus haberi *Domino*, non verò *tempori*, quod habent plerique Græci Codices. Ita etiam, prout nos legimus, explicarunt in suis Commentariis Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & alii Patres Græci.

4. denique, ut plura alia omittamus, constat, in plurimis Græcis Codicibus deesse multas veræ Scripturæ partes, ut historiam adulteræ Joan. 8. Ultimum Caput Marci. Testimonium de SS. Trinitate Joan. 1. & alia, de quibus suis locis agemus.

Constat etiam, quædam in omnibus græcis Codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ; ut Matth. 6. Orationi Dominicæ additur: *Quia tuum est regnum & potentia, & gloria in Sæcula.* Quæ verba non esse de textu, sed à Græcis deinceps addita, vel ex eo intelligi potest, tum quòd Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus Orarionem Dominicam exponentes nec vel minimam horum verborum faciant mentionem, cùm tamen Græcæ linguæ ignari non fuerint; tum quòd Græci in sua Liturgia recitent quidem hæc verba, sed non continuent cum Oratione Dominica.

Solvuntur Objectiones.

8 Ob. 1. contra 1mam Conclusionem: communis & vera est paroemia, quòd tempus omnia consumat. Atqui plurima, ab eo tempore, quo plerique veteris Testamenti libri, si qui unquam veri fuerunt, scripti dicuntur, effluxere annorum millia. Ergo & eos tam longum tempus consumpsisse dicendum est; adeoque ii, quos nunc habemus, sunt suppostitii.

Resp. 1. Neg. maj. Adducta enim paroemia non est vera universaliter, ut patet ex quampluribus monumentis, quæ jam à pluribus anno[illegible] perstant; necnon [illegible] etiam ante aliquot [illegible] suis auctoribus conscripti adhuc hac nostra ætate supersunt; atque de sæculo in sæculum continuâ Majorum nostrorum diligentiâ ad nos perlati fuerunt, quod negare nemo, qui ratione & judicio utitur, audebit.

Resp. 2. Dei, cujus existentiam nec ipsi Athei negare possunt, ut ostendimus in Metaphysica, & suô locô fusius adhuc ostendemus, providentiæ magnam inferri injuriam, si allata paroemia ad eos libros adaptetur, qui divinam continent revelationem hominum saluti omnino necessariam, & in qua Religionis summa consistit, quasi verò ei curæ non fuisset hos libros tueri.

Ob. 2. Pentateuchus, & libri Prophetarum nominibus insigniti in captivitate Babylonica unà cum Templo & Urbe Jerosolymitana incendiô periere, prout libri illi, quos tanquam divina revelatione conscriptos penes nos retinemus, ipsimet faciunt fidem. Ergo hi ipsi nequeunt esse libri illi, quos à Moyse & Prophetis scriptos tuemur; adeoque sunt recentioris ævi & supposititiæ Scripturæ. 9

Resp. Dist. Ant. Pentateuchi & librorum à Prophetis scriptorum exemplaria, quæ tunc in Templo asservabantur, igne consumpta fuerunt, conc. Alia eorumdem librorum exemplaria penes alios Prophetas, & legis Doctores asservata, neg. ant.

Certè Jeremias, Ezechiel, Daniel, tres Pueri, post Templi incendium & eversionem, ac ipso Babylonicæ captivitatis tempore Sacros Codices adhuc legebant. Nec postea etiam Zorobabel, qui captivos reduxit, & Altare juxta legem Moysis erexit, legis ipsius Codice caruit. Esdras quoque finita hac captivitate, librum Deuteronomii coram populo legit. Ergo non omnia Sacrorum librorum horum exemplaria in memorato Templi excidio [illegible]

[illegible] Patres, ut Cle[illegible] [illegible]tullia[illegible]

nus, Theodoretus, omnium verò apertiſſimè Baſilius (*o*) docent, Scripturam Sacram univerſam periiſſe tempore captivitatis Babylonicæ, quando ſcilicet civitas everſa, & Templum incenſum fuit, ac deinde ab Esdra rurſum fuiſſe compoſitam ac reparatam. Ergo &c.

Confirmatur ex libro 2. Esdræ c. 2. ubi ſimile quid refertur.

Reſp. 1mo. Etſi concedatur, id memoratos Patres docuiſſe, tamen verum manet, Sacros illos Codices eſſe genuinos & integros; ajunt enim Patres illi, qui Sacram Scripturam in illo Templi incendio periiſſe autumant, eandem ab Esdra Spiritu Sancto dictante fuiſſe reſtauratam.

Reſp. 2do. Neg. conſ. Hæc opinio, non alio nititur fundamento, quàm teſtimonio libri 4. Esdræ c. 14. At liber iſte non modò apocryphus eſt, & ab Eccleſia Catholica nunquam receptus, ſed etiam multis in locis redolet fabulas Judaicas, & hoc ipſo Capite 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis, & perfectioribus, quàm omnes Thalmudiſtæ faciunt de ſua Cabala.(*p*) Unde nullum eſt argumentum, quod ex eo deducunt S. Baſilius, & fortè alii, utpote ab eodem libro decepti.

Ad confirm. neg. quòd ſimile quid memoretur lib. 2. Eſd. c. 8. Quin potiùs contrarium ex eo colligitur. Sic enim legimus v. 1. *Dixerunt Esdræ Scribæ, ut adferret librum legis Moyſi .... Attulit ergo Esdra, &c.* Non dixerunt, ut iterum componeret librum legis, ſed ut afferret; quia ſciebant illum adhuc inveniri. Unde, prout jam adnotavimus, etſi Scriptura, quæ publicè ſervabatur in Templo, fuerit igne conſumpta, & perierit; tamen incredibile eſt, non fuiſſe etiam aliqua exemplaria, vel certè partes eorum apud privatos homines, & præcipuè apud Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum, & ipſum Esdram, qui tunc in vivis erant, & quibus ſine dubio curæ fuit lex Domini.

Ob. 3tio. cont. 2dam Concluſionem. 10
Ideo aſſeritur, Judæos non depravaſſe libros veteris Teſtamenti quoad partes ſubſtantiales, quia id fuit impoſſibile. Atqui revera fuit poſſibile. Ergo, &c. Prob. min. Judæi ubique terrarum diſperſi aſtricti erant decretis Rabbinorum, qui primùm in Palæſtina, poſtea Babylone judicabant de rebus ad Religionem pertinentibus. Atqui hi Rabbini in odium Eccleſiæ Chriſtianæ facilè conſentire potuerunt in Sacrorum Codicum depravationem. Ergo in omnes Judæorum Synagogas irrepere potuit aliqua etiam ſubſtantialis Sacrorum librorum depravatio.

Reſp. Neg. min. Ratio eſt 1mo. Quia moraliter eſt impoſſibile, ut Rabbini, qui ex toto orbe confluebant in Palæſtinam & Babylonem, ut Synedrim agerent, conſenſerint nullo prorſus excepto, in corruptionem iſtam. 2do. Non in Judæorum tantùm, ſed & Chriſtianorum manibus erant Codices veteris Teſtamenti; ac proinde Chriſtiani corruptionem illam Judæis exprobraſſent, ſi eam vel tentare auſi fuiſ-

(*o*) Epiſt ad Chilon. (*p*) Thalmudiſtæ dicuntur ii, qui Thalmudii ſectatores ſunt & expoſitores. Thalmud autem eſt liber explicationem ſeu expoſitionem Legis Judaicæ in ſe complectens, ſeu eſt Corpus totius Juris Sacri Judæorum. In duas partes diſtribuitur, quarum una *Miſna*, altera *Gemarra* nuncupatur. *Miſna* ſecundam legem ſonat, continetque traditiones Doctorum Judæorum. *Gemarra* autem idem eſt ac *complementum*, quâ ſcilicet ultima manus *Miſnæ* eſt impoſita. Utraque abſurdis fabulis abundat. *Cabala* à voce hebræa *Kabbalah* quæ propriè *Traditionem* ſignificat, ſpecialiter apud Judæos ſumitur pro occulta ſummorum divinorum myſteriorum ſcientia ac interpretatione S. Scripturæ, quæ fit per ſignificationes abſtruſas & ſingulares, quæ vel verbo alicui vel cuilibet earum litterarum, quibus componitur, tribuuntur, unde, variis earumdem combinationibus, ex S. Scriptura eruuntur explicationes longè diverſæ ab iis, quas re vera & propriè ſignificare videtur.

fuissent. 3tio. Detur adversariis, Rabbinos absolutè loquendo, potuisse depravare Sacros Codices, certum tamen est, eos ab ipsis actu depravatos non fuisse; nam quamvis ineptas & nugatorias expositiones tradiderint, nihilominus Legis & Prophetarum verborum corticem, usque ad superstitionem servarunt.

11 Ob. 4to. Multa errata irrepserunt in Sacros tum veteris, tum novi Testamenti Codices, prout ipsimet advertimus. Ergo re ipsa fuere depravati.

Resp. Dist. ant. Irrepserunt errata, quæ non sunt contra fidem & mores, conc. Quæ sunt contra fidem & mores, neg. ant. Ea levioris momenti errata à Judæis malitiosè facta non fuerunt, cùm non sint ex iis capitibus, in quibus à Christianis dissentiunt, sed aut Scribarum incuriâ, aut casu aliquo fortuito contigêre. Sed quidquid sit hac de re, & quacunque demum ratione hæc errata Sacris libris irrepserint, sufficit, quòd fidem aut mores non tangant, ut S. Scripturæ integritas sua illibata servetur. Vide ea, quæ supra disseruimus.

12 Ob. 5to. Ipsimet Judæi fatentur, loca quædam aliter olim lecta fuisse, ac habent hodierni Codices, quibus in Synagogis suis utuntur. Ergo depravati fuerunt Judæorum Codices. Prob. ant. Consentiunt Rabbini, nonnulla mutata fuisse à sapientibus, & inserta Codicibus hodiernis; quas mutationes vocant Scribarum correctiones. Ergo, &c.

Resp. 1mo. cum Bellarmino, fictitiam esse illam Sacrorum Codicum correctionem, quam Judæi prædicant.

Resp. 2do. Correctionem illam, si quæ facta est, præstitam fuisse ab Esdra, ac posterioribus Prophetis, qui Sacros libros post captivitatem Babylonicam recognovere, quique, collatis inter se antiquis Codicibus, germanam restituerunt lectionem, quæ in hodiernis Codicibus reperitur; unde si aliter, ac nunc, in aliquibus Codicibus olim lectum fuit, erratum est, quod Esdras Propheta, & Judæorum Synagoga correxerunt.

Confirmatur Responsio. Omnia, quæ nunc extant, exemplaria hebraica legunt secundùm illas correctiones. Præterea omnes antiquæ versiones, etiam illæ, quæ ante Christi adventum, exaratæ fuerunt, continent eas mutationes, in iisque cum Hebræis Codicibus conveniunt, prout videre est in versione Septuaginta Interpretum, & vulgatâ Latinâ.

Ob. 6to. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Irenæus lib. 3. c. 24. nonnullique alii Judæos accusarunt, quòd Sacros libros depravarunt. Ergo non sunt integri veteris Testamenti Codices, etiam quoad substantiam. 13

Resp. 1mo. Intelligi posse laudatos Patres de depravatione quoad aliquas lectiones: probabile nimirum est, Judæos, ubi duplex erat lectio, quarum una magis favebat Christianis, eorum odiô alteram suis Codicibus inseruisse; quæ quidem, cùm ab ea, quam in sua græca versione Septuaginta secuti sunt, discreparet; mirum non est, quòd Ecclesia Christiana, quæ eâ versione utebatur, Judæos arguerit, quòd Scripturas depravassent.

Resp. 2do. Patres, de quibus in argumento est sermo, non loqui de ipsa Synagoga Iudæorum; eodem enim modo quoad substantialia se habent ejus Biblia, quo nostra; sed loqui de Theodotione, & Symmacho, qui, ubi à Christianismo ad Judaismum defecissent, versionibus suis Sacros Codices depravarunt.

Ob. 7. Juxta dicta, & concessa Sacræ Scripturæ potuerunt depravari, & revera depravatæ fuerunt in rebus levioris notæ, & nec fidem, nec mores attinentibus. Ergo etiam rebus fidem ipsam & mores spectantibus. Non est enim major ratio habenda librariorum incuriæ & ignorantiæ in his rebus, quàm in illis, sed utrobique stat paritas. 13

Resp. Neg. conf. & paritatem: Disparitas est 1mo. Quòd providentiæ divinæ repugnet, ut permiserit in libris, quos voluit esse firmam fidei & morum regulam, ali-

aliquos substantiales, seu circa fidem & mores obrepere errores; sic enim seipsum hujusmodi errorum, ipsiusque infidelitatis auctorem quodammodo constitueret. 2do. Hujusmodi errores, si qui Sacris libris aspersi fuissent, detexissent tum Judæi, tum Christiani, neque eos passi fuissent, &c. Vide ea quæ hac de re supra disseruimus.

CAPUT III.

14 *De auctoritate S. Scripturæ.*

SAt amplè, ni fallor, Capite præcedenti vidimus, libros S. Scripturâ contentos, non esse suppofititios, sed suum quemque designatum habere Auctorem, necnon ad nostra usque tempora integros, & incorruptos fuisse conservatos. Modò, quænam sit eorumdem auctoritas, nobis demonstrandum venit. Sit ergo

CONCLUSIO.

Scriptura Sacra sive vetus sive nova est auctoritatis divinæ.

Prob. Concl. 1mo. Per Sacram Scripturam intelligimus verbum Dei scriptum, & ab ipso Sacris illius Scriptoribus inspiratum, & dictatum. Atqui hujusmodi verbum scriptum est divinæ auctoritatis. Ergo Sacra Scriptura sive vetus sive nova est divinæ auctoritatis. Minor est aperta. Major verò est ipsa Sacræ Scripturæ definitio Cap. 1. hujus Tractatus allata; sicque

Probatur: Necesse est existere veram Religionem, quæ debitum Deo cultum exhibeat. Atqui talis Religio nonnisi ab ipso Deo tanquam auctore proficisci potest, qui Sanctis, & ad id à se delectis hominibus voluntatem suam, & modum, quo coli ab hominibus vellet, revelavit; quam divinam voluntatem & modum ipsum colendi iidem in commentaria retulerunt, atque populis tradiderunt, ad quæ conversi intelligerent, qua ratione mores suos ad verum Dei cultum componerent; quæ commentaria Sacram Scripturam vocamus. Ergo Sacra Scriptura est verbum Dei scriptum, & ab ipso Sacris Scriptoribus inspiratum & dictatum.

Major est omnium Nationum, etiam summè barbararum: nulla enim est, quæ supremum Numen aliquod, à quo omnia pendent, non agnoscat, eique cultum aliquem non exhibeat, arbitreturque, se veram habere Religionem: ex quo illius necessitas comprobatur.

Prob. min. 1mo. Vera Religio proficisci debet à principio certo & immutabili. Atqui tale principium est solus Deus. Ergo vera Religio nonnisi ab ipso proficisci potest.

Min. est aperta: omnia enim sunt mutationi, & vicissitudini obnoxia præter Deum, qui semper idem est, unde & de se ipso ait: *Ego Deus, & non mutor*; nullumque datur certum principium, quod ab ipso firmitatem suam non mutuetur.

Maj. prob. Vera Religio debet esse certa, & immutabilis. Ergo debet proficisci à principio certo & immutabili. Ant. prob. Nisi certitudine, & immutabilitate firmata sit Religio, tunc ipsamet destruetur, & in chaos abibit, dum quilibet pro suo arbitrio sibi cultum, quo Deum prosequatur, effingent; quin & ipsa humana societas, quæ potissimùm Religionis & cultûs unitate continetur, pessum ibit. Ergo debet esse certa & immutabilis, adeoque à principio certo & immutabili, nempe à Deo proficisci. Consequenter & ipsa S. Scriptura, qua verus Deum colendi modus continetur.

Confirmatur ex eo, quòd omnes Nationes, solo rationis suæ dictamine, semper agnoverint Religionem Deum habere auctorem, atque ab ipso hominibus fuisse inspiratam & traditam. Hinc factum, ut, qui novam colendi Deum formam & rationem variis populis variis temporibus obtruserunt, omnino caverint, ne commenta sua à se ipsis conficta dicerent, quin potiùs

tiùs à supremo quodam Numine inspirati, & afflati se sua fundere oracula palam edixerunt.

15 Prob. Concl. 2do. Illi libri meritò censentur habere divinam auctoritatem, nec hominum commenta dici possunt, qui non modò cum summa puritate scripta sunt, sed etiam incomparabilem doctrinæ sublimitatem, & sanctitatem continent, & in quibus energia planè divina in hominum animis ad amorem Dei, & virtutum omnium praxim convertendis elucet, necnon Prophetiarum, quas continent, veritas eventu ipso comprobata. Atqui hujusmodi sunt libri illi, quos Sacram Scripturam vocamus; prout sola horum librorum inspectio, & lectio demonstrat. Ergo habent divinam auctoritatem, solumque Deum auctorem, nec hominum commenta dici possunt.

16 Confirmatur. Si libri, quos Sacram Scripturam vocamus, à suis Scriptoribus sunt conficti, tum demonstrari debet, cujusnam emolumenti spe hæc sua figmenta ipsi protulerint: Enimvero nemo utique ea conditione impostor esse volet, ut inde non modò nullum emolumentum capiat, sed præterea detrimentum aliquod patiatur. Atqui demonstrari non potest, cujusnam emolumenti spe hi Sacri Scriptores libros hos à se conscriptos protulerint, quin potiùs contrarium manifestè ex his Sacris ipsorum libris eruitur. Ergo non sunt conficti, &c.

Min. prob. ab inductione. 1mo. Quidnam emolumenti sperare potuit Moyses, quando populo Israelitico rudi admodum, & rustico legem consignavit adeo severam, ut vel levium quarumdam cæremoniarum omissioni mortis pœnam constitueret? An non potiùs, si è suo legem populo Israëlitico tradere in animum induxisset, eam effinxisset, quæ & mollior, & sensibus magis accommodata esset? quàm verò hebes populus ille, quód legi tam dura præcipienti, tam severè levia quæque punienti, & quæ tamen nonnisi privati cujusdam viri commentum esset, ultrò colla submiserit! Neque etiam ausus fuisset Moyses prodigia & miracula Pentateuchô contenta, si falsa fuissent, palàm prædicare, atque in publica commentaria referre; hæc enim impostura ipsi, sive apud Gentiles suos, sive exteras Nationes procul dubio malè cessisset.

2do. Eadem est Prophetarum ratio, quorum prophetiarum veritatem eventus comprobarunt; & qui sine ullius emolumenti, aut temporalis commodi spe, imò cùm propriarum rerum, tum vitæ ipsius dispendio eas fuderunt: certè hæc tam accuratè non prænuntiassent, nisi inspirante Deo, qui summè verax est, omniaque sive præterita, sive præsentia, sive futura complectitur, & ab æterno novit, libros suos exarassent.

3tio. Idem quoque dicendum de novi Testamenti Codicibus, quos ab Apostolis sibi consignatos Ecclesia ad nos detulit, & quibus nonnisi purissima & præstantissima morum vitæque rectè instituendæ doctrina continetur, quæ nihil terreni admixtum habet, sed animum ab omnibus creaturis abstractum ad sola cœlestia dirigit.

Cujus temporalis emolumenti, aut commodi spe Christus ipse, & Apostoli ea, quæ ab ipsis conscripta tenemus, mundo annuntiarunt? profectò nullo: quin potiùs, cùm rudes essent, ignari, & pauperes, necnon omnium penè rerum inopiâ laborarent, non armis, non humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, sed verè stupendô, & humanæ menti prorsus imperviô modô non solùm innumeros de plebe homines, sed & Principes, Reges, & Imperatores omnes, imò totum terrarum orbem Evangelio subjecerunt, quamvis nihil contineret, quod vel in minimo sensus demulceret, idque cum propriarum rerum summo detrimento, vitæque non modò discrimine, sed etiam jactura. Prout hæc omnia, ut & frequentia prodigia, & miracula ab ipsis patrata in eorum libris legi possunt, &c.

Solvuntur Objectiones.

17 Ob. 1. Deus nullâ indiget Scripturâ, quâ suis loquatur creaturis, cùm sit semper, & ubique præsens. Ergo superflua penitus est omnis Scriptura, ac proinde nulla à Deo provenit, cùm Deus nihil frustra faciat, aut superfluum operetur, vel scribat nihil.

Resp. neg. conf. Etsi Deus nullâ indigeat Scripturâ &c. eâ tamen indigent homines, si non simpliciter & absolutè saltem secundùm quid, ad vitandum erroris periculum, fideique servandam unitatem; nam si unicuique Deus sua manifestaret placita sine Scriptura, posset quilibet pro arbitrio, quodcunque vellet, credendum vel agendum proponere, sub ficto prætextu manifestationis sibi à Deo factæ, dum alter negaret, nec tamen haberet, unde adversarium suum redargueret, corrigeret, vel erudiret. Habet autem, quo id præstare possit, cùm divinam habet Scripturam, quæ juxta Apostolum (q), *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

18 Ob. 2do. Illud Apostoli dicentis (r): *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litterâ sed Spiritu; littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Ergo nulla datur Scriptura, sed solùm illud pro verbo Dei habendum, quod Spiritus Sanctus unicuique privatim in corde loquitur.

Resp. neg. conf. Juxtà SS. Patres Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, & Anselmum, nihil aliud per *litteram* quàm *legem*, & per *Spiritum* quàm gratiam intelligit Apostolus; ita ut adducti ex ipso textûs sensus sit, quòd Deus inter alia bona hoc etiam nobis tribuat, ut simus idonei novi Testamenti Ministri, ad prædicandum scilicet Evangelium, fundandas Ecclesias, administranda Sacramenta; Ministri, inquam, non litteram vobis solam communicando, sed & spiritum impertiendo; id est, non eo modo Ministri sumus, quo in lege Mosaica, ut scilicet nudam litteram legis vobis proponamus, sed insuper etiam & spiritum, videlicet gratiam, quæ spiritualis est, conferamus; siquidem Deus ad verba nostra copiosam vobis infundit gratiam; *littera* enim sola, si divinæ gratiæ præsidiô destituatur, ut in veteri Testamento, nocet potiùs, quàm prosit; occidit enim animam occasionaliter, difficilia continens præcepta plurima, nec gratiam ad ea debitè servanda necessariam tribuens: *Spiritus* autem solus, id est, *gratia*, quæ spiritualis est, vivificat eam, ei supernaturalem vitam conferens, quâ redditur potens ad præstanda quæque necessaria ad salutem consequendam opera.

Ob. 3tio. In libris tum veteris tum 19
novi Testamenti multa continentur falsa, mendacia, & contradictiones. Ergo Deus non potest esse illorum auctor, quippe, qui æterna veritas est; consequenter non sunt divinæ auctoritatis.

Resp. neg. ant. Contrarium ostendemus parte 2. ubi de singulis sacræ Scripturæ libris agemus, eosque ab omni errore vindicabimus.

CAPUT IV.

De modo inspirationis divinæ Sacrarum Scripturarum. 20

POstquam Capite præcedenti divinam S. Scripturæ auctoritatem sufficienter, ut arbitramur, stabilivimus, atque à Deo Scriptoribus sacris fuisse dictatam, & inspiratam probavimus, modò nobis disquirendum venit, qua ratione & quo modo fuerit ab ipso inspirata.

(q) 2. Timoth. c. 3. v. 16. (r) 2. Cor. c. 3. v. 16.

Hac de re quinque circumferuntur opiniones: quas priusquam ordine referamus, notandum volumus 1mo. In Sacris Litteris tria accuratè esse discernenda, *Res* scilicet, *Verba*, & *Vocabulorum compositionem*, seu *Phrasim* & *Stylum*.

Res verbis expressæ, vel sunt dogmata quædam, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel leges, quibus homines in officio continentur, vel præcepta, quibus ad virtutem informantur &c.

Verba nihil aliud sunt, quàm ipsæ voces, quæ sacros sensus exprimunt.

Vocabulorum denique compositio, seu Phrasis ac Stylus, est ordo verborum.

21 Notandum 2do. Eruditos quosdam Theologos, ut periculum evitetur de verbis, & nominibus concertandi magis, quàm de re ipsa, triplicem circa Sacrorum Scripturæ librorum Scriptores Dei actionem & operationem distinguere: *Revelationem* nempe, *Inspirationem*, & *specialem assistentis Dei præsentiam*.

Revelatio juxta ipsos, est ignotæ antea veritatis facta divinitùs manifestatio. v. g. Isaiæ Prophetæ (*s*) revelavit Deus, Principem nomine Cyrum fore aliquando populi sui liberatorem.

Inspiratio verò ab ipsis dicitur motus quidam insolitus, & interior incitatio, quâ quis fertur & impellitur ad loquendum vel agendum sine detrimento rationis, & libertatis. Nempe movet Deus, inquiunt, voluntatem, ut quæ dictat, Scriptor verè ac fideliter scribat; & hæc motio dicitur *incitatio* & *inspiratio*.

Denique *specialis Dei assistentia* nihil aliud est, quàm auxilium peculiare, quo Spiritus Dei præsens Scriptorem, ne alicubi erret, sic adjuvat, ut non quidem suggerat, quæ dicat, sed invigilet, ne falsum quid dicat, non impellat ad singula scribendum, sed inter scribendum dirigat, ne quâ parte irrepat error. Ergo juxta hos Theologos tria apud Sacros Scriptores plerumque solent intervenire, 1. revelatio, 2. inspiratio, seu incitatio, 3. specialis Dei assistentia.

Verùm licèt quidem ab inspiratione divina, generatim & absolutè loquendo, separari possit revelatio divina, in Sacris tamen Scriptoribus cum inspiratione divina semper conjuncta fuit aliqua Dei revelatio, quâ nempe Deus non solùm illorum voluntatem afficiebat, ut ipsos ad scribendum determinaret, sed eorum etiam intellectum divinô quodam lumine ita illustrabat, ut quæcunque scribenda forent, ipsis suggereret, sive dictando res eis antea incognitas, sive in eorum mentem ex plurimis factis, aliisque rebus, quas aprimè noverant, illas præcipuè revocando, quas litteris mandari volebat divinus Spiritus, cùm id ipsis aliàs incognitum & incertum mansisset, atque in hujusmodi rebus seligendis facilè errare potuissent. Unde veritati consentaneum non videtur, nec Ecclesiastico loquendi modo, distribuere Verbum Dei in Verbum Dei revelantis, & Verbum Dei inspirantis.

Specialem verò Dei assistentiam, seu auxilium peculiare, quo Spiritus Dei præsens Scriptorem, ne alicubi erret, adjuvat &c. alio nomine quidam vocant *Inspirationem mediatam*, ad distinctionem *Inspirationis illius*, quâ Deus Scriptori res antea ipsi ignotas revelat, quæque apud ipsos eadem est cum *revelatione*, & quam *inspirationem immediatam* nuncupant. At & hæc distinctio nobis superflua videtur. Etsi enim *inspiratio immediata*, seu *revelatio* Scriptoribus Sacris minimè necessaria fuerit, ut multarum rerum ad historiam e. g. spectantium, quæ aliunde sibi notissimæ erant, cognitionem acciperent, tamen necessaria fuit, tum ut ex plurimis factis, quæ sibi æquè notissima erant, ea potissimùm scribenda selige-

(*s*) C. 45. v. 1.

ſeligerent, quorum fieri mentionem, aliis prætermiſſis, divinus Spiritus volebat, tum ut ſingula eorumdē factorum adjuncta in memoriam ſuam ita revocarent, ut ne in minima quidem circumſtantia aliter deſcribenda, quàm res geſta fuerat, errarent. Ergo utrobique invenitur *inſpiratio immediata*, ſeu *revelatio;* nec ab ea differre videtur *ſpecialis aſſiſtentia*, ſeu *auxilium Dei &c.* Unde & nos promiſcuè, & velut unam eamdemque rem eas eſſe ſumendas arbitramur. His prænotatis modò ad ipſas opiniones tranſimus.

22 Prima eſt eorum, qui omnia & ſingula, vel minimas etiam voces & ſyllabas, ipſos etiam litterarum apices inſpiranti ac moventi Deo tribuunt.

Secunda priori omnino repugnans eſt eorum, qui ſentiunt, nec verba, nec ipſas etiamnum ſententias eſſe inſpirationi divinæ adſcribendas.

Tertia eſt eorum, qui res ipſas ſacris litteris expreſſas partim afflanti Deo, ut ſunt prophetiæ, & ea, quæ ſunt doctrinalia, vel proximum aliquem, aut neceſſarium habent ad doctrinalia reſpectum: partim Scriptorum ingenio duntaxat, & diligentiæ tribuendas cenſent, ut ſunt hiſtoriæ & facta, quorum teſtes ipſi fuerunt Sacri Scriptores, vel aliunde certò ſcire potuerunt.

Quarta eſt eorum, qui exiſtimant, teſtimonium Spiritus Sancti ſcriptionem aliquam ſubſequens, ſeu potiùs ipſi ſuperveniens, ſufficere, ut liber aliquis humanâ induſtriâ ſcriptus ſine ope Spiritus Sancti non modò minimè afflantis, ſed ne dirigentis quidem, inter libros divinos & Canonicos nihilominus reputetur; Spiritu Sancto ſcilicet poſtea atteſtante, nihil, quod verum non ſit, in eo libro contineri.

Quinta denique res omnes atque ſententias inſpirationi divinæ ita religiosè adſcribit, ut verba tamen ipſa, verborumque compoſitionem relinquat ſtylo, meditationi, diligentiæ, & ingenio Sacri Scriptoris, qui quidem quoad res ipſas inſpiratus, & ſine detrimento libertatis à Deo actus & impulſus in ſenſu nuſquam aberret, quoad verba verò verborumque ordinem & compoſitionem ſibi permiſſus, plus minuſve dignitatis, & elegantiæ habeat in elocutione. Quam ſententiam velut veriorem & firmiorem amplectimur; & pro qua ſit

CONCLUSIO.

Quamvis Deus ſententias & res, illarumque ſenſum in Sacris Libris expreſſum Sacris Scriptoribus inſpiraverit, tamen verba ipſa, quibus res illæ, earumque ſenſus expreſſi fuerunt, verborumque compoſitionem, & ſtylum, meditationi, diligentiæ & ingenio eorumdem Sacrorum Scriptorum reliquit. 23

Prob. Concluſio quoad primam partem, 1mo. Ex Sacra Scriptura.

Matth. 22. v. 43. *Quomodo ergo David*, ait Chriſtus, *in ſpiritu vocat eum Dominum?*

Lucæ 1. v. 70. *Sicut locutus eſt*, inquit Zacharias, *per os Sanctorum qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.*

Act. 1. v. 16. *Oportet*, inquit S. Petrus, *impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Et c. 3. v. 18. *Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.* v. 21. *Quæ locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum.*

2. Timoth. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura*, inquit Apoſtolus, *divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* Et Heb. 1. v. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.*

1. Petri c. 1. v. 10. *De qua ſalute*, inquit, *exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt,*

sunt, passiones, & posteriores glorias. Et 2. Pet. c. 1. v. 20. *Omnis Prophetia Scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Nota hîc S. Petrum non de iis solummodo Sacris Scriptoribus loqui, qui futura prædixerunt, sed & illos intellexisse, qui præterita juxta & præsentia enarrarunt: ad Judæos enim scribebat, apud quos, teste Josepho (*t*), Prophetarum nomine veniebant omnes illi, qui à Deo afflati sive futura prænuntiabant, sive præterita recensebant, sive præsentia enarrabant. *Sciendum est igitur*, inquit Theodoretus (*u*), *Prophetæ proprium esse, non solùm futura prædicere, verùm etiam & præsentia, & præterita enarrare.*

Ex his Sacræ Scripturæ textibus manifestè concludimus, quòd universa veteris Testamenti Scriptura, non modò Prophetica, sed etiam Historica, Moralis, & Legalis sit divinitùs inspirata.

Quod etiam & à potiori jure volumus intelligi de novi Testamenti libris. Enimvero Apostolis & Evangelistis non minùs gratiæ, & auxilii præstitum est à Deo in exarandis his novi Testamenti libris, quàm in veteri lege Prophetis, aliisque Sacris Scriptoribus concessum fuit; siquidem Christus Discipulis suis dixerat (*x*): *Nolite præcogitare, quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini; non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus.*

Et apud Joannem (*y*), *Spiritus Paraclytus*, inquit, *quem mittam vobis à Patre, ille docebit vos omnem veritatem.* Atqui non utique solummodo Spiritus Paraclytus illos, quoad ea, quæ locuturi essent, edocturus erat, sed etiam quoad ea, quæ scripturi essent; nam multò minùs potuit deesse illis ea scribentibus, quæ futura erant fundamentum Christianæ Religionis, necnon actionum, & doctrinæ Christi perenne monumentum.

Prob. 2do. Ex traditione tum Judæorum, 24
tum Catholicorum Ecclesiæ. Judæi siquidem Moysen ut Prophetam, &, prout ait Philo (*z*), sicut Dei intùs oracula dictantis Interpretem semper venerati sunt. Cæteros quoque post Moysen Sacros Scriptores à Deo fuisse afflatos ita apud ipsos certum erat, ut in Canonem Scripturarum Sacrarum nullos libros referrent, nisi quos constanti traditione novissent à Prophetis esse scriptos, ut auctor est Josephus. (*a*)

Ecclesia verò Catholica semper Sacras Scripturas ut divinas, & afflante Spiritu Sancto exaratas summa religione coluit, cujus rei perfectò inter sese consensu testes sunt SS. Patres.

Sæculô I.

Clemens Romanus, *Diligenter*, inquit (*b*), *inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula.*

Sæculô II.

S. Ignatius Martyr ait (*c*), *Divinissimos Prophetas juxta Christum vixisse, & gratiâ ipsius fuisse inspiratos.*

S. Justinus Martyr, *cùm Prophetarum verba*, inquit (*d*), *tanquam à persona aliqua dicta esse auditis, ne ab ipsis, quos Spiritus afflavit, dici existimetis, sed à Verbo, quod illos incitat, divino.*

Sæculô III.

S. Irenæus, *Scripturæ perfectæ sunt*, inquit (*e*), *quippe à Verbo Dei, & Spiritu ejus dictatæ.*

Tertul-

(*t*) Lib. 1. cont. Appion. n. 29. (*u*) Præfat. in Psalm. (*x*) Marc. 13. v. 11. (*y*) c. 15. v. 26. & c. 16. v. 13. (*z*) Lib. de præmi. & pœnit. (*a*) Lib. 1 cont. Appion. (*b*) Ep. 1. ad Corinth. (*c*) Epist. ad Magnes. (*d*) Apolog. 2. (*e*) Lib. 2. adv. hæres. c. 47.

Tertullianus, *Legimus*, inquit (*f*), *omnem Scripturam ædificationi habilem divinitùs inspirari.*

Origenes, *In Ecclesiastica prædicatione id esse definitum*, asserit (*g*), *quòd per Spiritum Dei Scripturæ conscripta sint, & quòd iste Spiritus sanctus unumquemque Sanctorum, vel Prophetarum, vel Apostolorum inspiraverit, & non alius Spiritus in Veteribus, alius verò in his, qui in adventu Christi inspirati sunt fuerit.*

S. Gregorius Neocæsariensis Episcopus, *Thesaurum*, inquit (*h*), *nobis à Deo inspiratæ Scripturæ Paracletus explicat &c.*

Sæculô IV.

Eusebius Cæsariensis, *Moyses*, inquit (*i*), *& reliqui Prophetæ . . . omnes uno ore divino afflati Spiritu, tunc hominibus lumen veræ pietatis aperiebant.*

S. Athanasius, *Libri*, inquit (*k*), *Deô afflante scripti hæc passim variis in locis docent.* Et Epist. ad Marcellin. (*l*) *Omnis nostra fili Scriptura cùm vetus tum nova, divinitùs inspirata utilisque ad doctrinam est.*

S. Basilius, *Scriptura omnis*, ait (*m*), *divinitùs inspirata & utilis hac una ratione à Spiritu sancto conscripta adstruitur &c.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus disertè asserit (*n*), *Spiritum sanctum divinas Scripturas profatum esse.*

S. Gregorius Nazianzenus ait (*o*), *Non licere eis, quæ ab hominibus divino Numine afflatis dicta sunt, fidem abrogare.*

S. Macarius Ægyptius, *Rex Deus*, inquit (*p*), *misit hominibus Scripturas divinas velut Epistolas &c.*

S. Gregorius Nyssenus, *Quæcumque*, inquit (*q*), *sacra Scriptura dixit, Spiritûs sancti sunt voces, sive effata . . . . Ergo Numine afflati sancti Vates virtute Spiritûs sancti inspirantur, & ideò omnis Scriptura divinitùs inspirata dicitur.*

S. Ambrosius, *Scripserunt*, inquit de Sacris Scriptoribus, (*r*) *quæ Spiritus sanctus iis loqui dabat.*

Sæculô V.

S. Joannes Chrysostomus, *Nihil hîc*, inquit, *scriptum est, quòd non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt; ideò uti à Spiritu sancto scripta ingentem in se continent thesaurum.*

S. Hieronymus Proëmio in Epistolam S. Pauli ad Philemonem tuetur *hanc, ut cæteros Divinæ Scripturæ libros à Deo esse inspiratam, quamvis levioris momenti res contineat.* Et Epist. ad Marcellam testatur, *se non adeò hebetis fuisse cordis, & tam crassæ rusticitatis, ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverit, aut non divinitùs inspiratum.*

S. Augustinus, *Mediator*, inquit (*s*), *Dei & hominum homo JEsus Christus . . . priùs per Prophetas, deinde per se ipsum, posteà per Apostolos, quantùm satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur &c.*

S. Basilius Seleuciensis asserit (*t*), *Quòd Scriptura sacra à Deo inspirata divinarum rerum cognitionis pandat officinas, &c.*

S. Cyrillus Alexandrinus, *Obsignata est*, inquit (*u*), *quodammodò à Deo, quasi liber unus, divinitùs afflata Scriptura, & ab uno Spiritu sancto prodita.*

(*f*) Lib. de hab. mul. c. 3. (*g*) Proëm. lib. de princip. & lib. 1. c. 3. Item lib. 4. c. 1. & 2. (*h*) Serm. 2. in Annunt. B. V. M. (*i*) Lib 5. Demonst. Evang. in proëm. (*k*) Orat. de Incarn. Verb. Div. c. 33. (*l*) In Interpret. Psal. &c. (*m*) Proëm. in Psalm. (*n*) Catechef. 4. de S. Script. (*o*) Orat. 3. adv. Julian. (*p*) Hom. 39. (*q*) Orat. 6. contra Eunom. (*r*) Ep. 8. ad Just. (*s*) Lib. 11. de Civ. c. 2. & 3. (*t*) Orat. 14. (*u*) Lib. 3. in Isaiam.

Sæculô VI.

Caſſiodorus aſſerit (*x*), *Divinas Scripturas nonniſi à viris divino Spiritu repletis tradi potuiſſe.*

Sæculô VII.

S. Gregorius Magnus hæc eloquitur (*y*): *Sed quis hæc ſcripſerit, valdè ſupervacuè quæritur, cùm tamen auctor libri Spiritus ſanctus fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit: ipſe ſcripſit, qui & illius Operis inſpirator extitit.* Et iterum (*z*) diſertis verbis aſſerit, *Scripturam ſacram eſſe Epiſtolam quamdam omnipotentis Dei ad creaturam ſuam.*

S. Maximus Abbas ait (*a*), *Nihil in Scriptura importunè fruſtrave à Spiritu ſancto ſcriptum eſſe, etſi nos non poſſimus capere.*

Sæculô VIII.

Venerabilis Beda ait (*b*), *Scripturam ſacram eſſe Dei chyrographum.*

S. Joannes Damaſcenus (*c*), *Per Spiritum ſanctum Lex, & Prophetæ, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli, & Paſtores, & Doctores, verba fecerunt; ex quo fit, ut tota divinitùs inſpirata Scriptura procul dubio utilis ſit.*

Sæculô IX.

Alcuinus (*d*), *divinos appellat omnes libros Propheticos, Evangelicos, & Apoſtolicos.* Item (*e*), *Deum, cùm Scripturas legimus, loqui nobiſcum, & divinis eloquiis interiorem hominem paſci, & nutriri.*

Sæculô X.

Leo Sophus Imperator Conſtantinopolitanus: *Omnis Propheta*, inquit (*f*), *locutus eſt per revelationem Dei.*

Sæculô XI.

Theophilactus fusè probat (*g*), *quomodo Apoſtolus rectè dixerit, quòd omnis Scriptura ſit divinitùs inſpirata.*

Sæculô XII.

S. Anſelmus, *Nihil*, inquit (*h*), *utiliter ad ſalutem ſpiritualem prædicamus, quod ſacra Scriptura Spiritus ſancti miraculô fœcundata non protulerit, aut intra ſe non contineat.*

Sæculô XIII.

S. Thomas Aquinas aſſerit (*i*), *Auctorem ſacræ Scripturæ eſſe Spiritum ſanctum, qui in uno verbo intellexit multò plura, quàm per Expoſitores ſacræ Scripturæ exponantur, vel diſcernantur.*

Ex his ſexcentiſque aliis teſtimoniis ergo patet, conſtantem, & perpetuam tum Synagogæ, tum Eccleſiæ traditionem fuiſſe, & adhuc etiamnum eſſe, ſacram Scripturam ſaltem ſecundùm ſententias & res, illarúmque ſenſum in illa expreſſum ſacris Scriptoribus à Deo fuiſſe inſpiratam.

Prob. 3tio. Ratione Theologica. Niſi 25.
ſpeciali Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ & inſpiratione ſingula in ſacris Scripturæ libris fuiſſe conſcripta dicantur, tunc certa & indubitata non videbitur illorum auctoritas. Atqui certa, & indubitata eſt illorum auctoritas, utpote divina, prout

Cap.

(*x*) Præfat. in Pſalter. c. 15. (*y*) Præfat. in Expoſit. lib. Job. (*z*) Epiſt. lib. 4. Ep. 40. (*a*) In Script. q. 55. (*b*) In c. 10. Epiſt. ad Heb. (*c*) Lib. 4. de fide orthod c. 18. (*d*) Lib de Pſal. uſu. (*e*) Lib. de virt. & vitiis. (*f*) Epiſt. ad Omar. Reg. Saracen. quæ habetur Tom. 17. Biblioth. SS. Patrum. (*g*) In Epiſt 2. ad Timoth. c. 3. v. 16. (*h*) Tract. de concord. grat. & lib. arbit. (*i*) Quodlib. 7. art. 14. ad 5.

Cap. præcedenti fuſè demonſtravimus. Ergo ſpeciali Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, & inſpiratione ſingula in ſacris Scripturæ libris fuiſſe conſcripta dici debent.

Prob. Maj. Niſi ſpeciali Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, & inſpiratione ſingula in ſacris Scripturæ libris fuiſſe conſcripta dicantur, tunc in illis quædam continebuntur, de quorum auctoritate meritò dubitari poſſit; utpote non divinô, & infallibili, ſed humanô dumtaxat cogitata, & dictata Spiritu, qui utique errori obnoxius eſt. Ergo certa, & indubitata non videbitur iſtorum auctoritas.

Subſum. Si iſtorum, tunc etiam & aliorum, quæ totâ ſacrâ Scripturâ continentur, non videbitur indubitata auctoritas.

Prob. Subſ. Non eſt major ratio, cur de unius ſententiæ vel Capitis ſacrâ Scripturâ contenti auctoritate dubitetur, quàm de cæteris omnibus; adeò ut ſi quid minimum ſit in Scriptura ſacra, de quo dubitari poſſit, num à Spiritu ſancto dictatum, & inſpiratum fuerit, nullum etiam profectò Caput in ea ſit, de quo idem dubium eſſe non poſſit; *iſtoque abſurdô ſemel admiſſô, tota Scripturarum vacillabit auctoritas, ideoque, & fides noſtra.* Inquit S. Auguſtinus. (*k*) Ergo &c.

26 Prob. 2da. pars Concluſionis 1mo. ex S. Scriptura. Scriptores ſacri res eaſdem interdum ingenti verborum ac ſtyli diſcrepantiâ enuntiant. Sic Moyſes Decalogum deſcribit Exod. 20. & Deuter. 5. at diverſis verbis, & ordine aliquatenùs inversô. Eventura annuntiaverunt Prophetæ, e. g. Iſaias, Amos, & Jeremias; at diſertiùs Iſaias, utpote vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ; rudis verò & inconcinnus Amos; ſimplex & ruſticus, ut ait S. Hieronymus, Jeremias. Cap. ult. auctor libri 2. Machab. v. 39. veniam etiam rogat, ſi minùs exactè ac *dignè* ſcripſerit. *Sicut enim*, inquit, *vinum bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt, alternis autem uti delectabile, ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* Et c. 2. v. 27. declarat, *quantùm difficultatis habuerit, in colligendo & ordinando ſermone, necnon ſectandâ brevitatis dictione.* Sic quoque Lucas, & Joannes e. g. idem ſcripſère Evangelium, at elegantiùs & nitidiùs Lucas.

Teſtibus etiam Origene, Dionyſiô Alexandrinô, Arnobiô, Baſiliô, Gregoriô Nazianzenô, Hieronymô, aliiſque quampluriмis Patribus, in ſacris Scripturis humilis plerumque phraſis, ſermo inconcinnus, imò interdum barbariſmi, & ſolecismi occurrunt, qui Apoſtolis ſermonis imperitis exciderunt. Atqui nec verborum in eadem re ſcribenda, nec ſtyli elegantia, aut ruditas; nec rerum geſtarum minùs exacta, aut digna narratio; nec difficultas in colligendo, & ordinando ſermone, ſectandaque brevitatis dictione; nec denique barbariſmi, ſermoniſque vitia, &c. divinæ inſpirationi adſcribi poſſunt. Ergo concludendum, ſacros Scriptores, etſi quoad ſententias, reſque, & ipſarum ſenſum, ſeu verba ipſa formaliter ſumpta, prout Schola loquitur, à Deo inſpirati fuerint; interdum tamen, quoad ipſa verba materialiter ſumpta, verborumque compoſitionem ipſam, & ſtylum ſibi ipſis fuiſſe relictos.

Prob. 2do. ex SS. Patribus. 1mo. Origenes de auctoritate Epiſtolæ ad Hebræos diſputans (*l*), ſententias ipſas S. Paulo quidem tribuit, at verba, ſtylumque alterius cenſet eſſe Auctoris, qui elegantiùs ſcripſerit, quàm Paulus. 27

2do. Sanctus Gregorius Nazianzenus, & S. Baſilius proferunt Evangelii ſolecismos. (*m*)

(*k*) Lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 27. (*l*) Apud Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 25. (*m*) Philocal. cap. 4.

3tio. S. Dionysius Alexandrinus hæc de Apocalypsi loquitur: (*n*) *Dictionem ejus non admodùm græcam adverto, sed Barbarismis, & interdum solecismis inquinatam.*

4to. Arnobius (*o*), trivialem ac sordidum esse Apostolorum sermonem fatetur.

5to. S. Hieronymus asserit (*p*), S. Paulum Græcæ linguæ imperitum vix potuisse, quid ipse sentiret, clarè eloqui. *Profundos enim*, inquit, *& reconditos sensus linguâ non explicat, & cùm ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures purò non potest transferre sermone . . . . se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Et alibi (*q*), velut indubitatum ponit, solecismos in Apostoli Epistolis reperiri. Epistolâ quoque ad Pamachium (*r*), *Alii*, inquit *syllabas aucupentur, tu quære sententias.* Deinde ait, Matthæo curæ fuisse, non verba & syllabas aucupari, sed dogmatum ponere sententias. *Ex quibus universis*, inquit, *perspicuum est, Apostolos, & Evangelistas interpretatione veterum Scripturarum sensum quæsiisse, non verba, nec magnopere de ordine, sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret.* Demum hisce Epistolam suam finit, *Obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus.*

6to. S. Augustinus asserit (*s*), *Ad doctrinam fidelem maximè pertinere, non tam verborum, quàm rerum quærendam, & amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eâdem locutione utuntur, cùm rebus, sententiisque non discrepant, in eâdem veritate constitisse approbamus . . . .* (*t*) *Ita enim salubriter discimus, nibil aliud esse quærendum, quàm quid velit ipse, qui loquitur.* Et c. 28. &c. (*u*) *Væ*, inquit, *miseri aucupes vocum, qui apicibus quodammodò litterarum putent ligandam esse veritatem, cùm utique non in verbis tantùm, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus inquirendus.*

7mo. Agobardus Lugdunensis Episcopus, *Apparet etiam*, inquit (*x*), *in bis verbis vestris, quòd ita sentiatis de Prophetis, & Apostolis, ut non solùm sensum prædicationis, & modos, vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecùs in ora illorum ipse formaverit. Quòd si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit?* Multis deinde argumentis, & præcipuè styli diversitate probat, Scriptores sacros à Spiritu sancto dictante non accepisse singula Scripturæ verba.

Prob. 3tio. Ratione Theologicâ. Ut 28
sacræ Scripturæ sint Verbum Dei, duo duntaxat requiruntur: 1mo. Ut sint infallibiliter veræ; 2do. Ut sint Divinæ. Atqui ad utrumque sola rerum ac sententiarum divina inspiratio sufficit. Ergo verba ipsa, quibus res illæ, earumque sensus in illis expressi fuerunt, necnon verborum compositio & stylus ad hoc minimè requiruntur, sed ea omnia Deus meditationi, diligentiæ, & ingenio sacrorum Scriptorum reliquit.

Maj. patet. Min. prob. quoad 1mum. Veritas rei maximè pendet à conformitate sensûs expressi cum ideis rerum exprimendarum; veritas quippe rei non est alligata materialibus syllabis, aut sonis, seu litterarum apicibus, ut ait S. Augustinus supra laudatus; parumque interest ad ipsam rei veritatem, quibus vocibus, aut sonis exprimatur, dummodo sensus sit omnino conformis objecto. Ergo ad hoc, ut sacræ Scripturæ sint infallibiliter veræ,

(*n*) Apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 25. (*o*) Lib. 1. adv. gent. (*p*) Epist. ad Algasiam q. 10. (*q*) In Epist. ad Ephes. c. 3. (*r*) De opt. gen. interp. (*s*) Lib. 2. de consid. Evang. c. 12. n. 28. (*t*) N. 29. (*u*) N. 67. & c. 46. n. 97. item c. 66. n. 128. (*x*) Lib. contra Fregedis, tom. 14. Biblioth. Patrum.

veræ, sola rerum ac sententiarum, quæ variis verborum sonis pro cujusque ingenio & diligentia à sacris Scriptoribus exprimi possint, divina sufficit inspiratio.

Prob. etiam quoad 2dum. Ut Scriptura sacra sit divina, adeoque divinam auctoritatem obtineat, non requiri videtur singularum vocum, & syllabarum inspiratio, nam eadem est Evangelii auctoritas, sive e. g. Matthæus hebraicè; sive græcè Marc. sive elegantiùs Luc. sive pauló duriùs Joan. sacros sensus expresserint. Præterea, eadem est semper Scripturarum auctoritas, in quamcunque demum linguam transferantur, modò, vocabulis in aliud idioma conversis, idem sensus fideliter, & accuratè retineatur. Denique, quæ leguntur in Ecclesia versiones, præsertim vulgata, divinam utique habent auctoritatem; at sanè non propter voces ipsas, quæ procul dubio piis Interpretibus non fuerunt inspiratæ, sed propter res ipsas, seu sensus, qui ab iisdem Interpretibus accuratè redditi fuerunt. Ergo ut Scripturæ sacræ sint divinæ, auctoritatemque sortiantur divinam, sufficit sola rerum ac sententiarum inspiratio.

Solvuntur Objectiones

Contra primam partem Conclusionis.

30 Ob. 1mo. Apostoli non tanquam Prophetæ, sed tanquam Doctores scripserunt. Ergo ipsis necessaria non fuit inspiratio.

Resp. neg. cons. Licèt enim daremus, Apostolos non tanquam Prophetas, sed tanquam Doctores duntaxat scripsisse, hæc tamen Prophetarum, & Apostolorum distinctio non obest inspirationi divinæ, quam Apostolis necessariam fuisse tuemur. Equidem non indiguerunt immediata revelatione ad ea scribenda, quæ aliundè certò noverant; indigebant tamen tali revelatione & Spiritûs sancti assistentiâ, ut excitarentur, atque inducerentur ad seligenda ea, quæ ipsis scribenda erant, & ne in iis adnotandis errarent.

Ob. 2do. Scriptores sacri historici ad ea, quæ scripserunt, non indiguerunt divina inspiratione. Ad quid enim inspiratio pro iis rebus chartæ consignandis, quas ipsimet viderant, vel certò ex aliis omni fide dignis audierant? Ergo, &c. 31

Resp. neg. ant. & ejus causalem, ex ratione in priori responsione adducta. Enimverò indiguerunt speciali Spiritûs Sancti assistentiâ & directione, 1mo. Ut manum scriptioni admoverent. 2do. Quantùm ad delectum eorum, quæ jam sciebant: non enim ab ipsis omnia, quæ memoriæ occurrerunt, scripto mandata fuerunt, sed solummodò ea, quæ ad finem sibi propositum faciebant. 3tio. Ne circa ea, quæ scribebant, vel quoad minimam circumstantiam aliquam memoriâ laberentur, proditum quippe memoriâ est, Historicos Scriptores quoscunque, etiamnum diligentissimos, nec ulli parcentes labori, etiam, cùm res sua ætate gestas scripserunt, à vero nonnunquam deflexisse.

Ob. 3tio. Evangelistæ à sibi contemporaneis fidelibus duntaxat fuerunt excitati ad scribenda Evangelia. Ergo non à Spiritu sancto. Prob. ant. De S. Marco hæc scribit Hieronymus: (y) *Marcus juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breve scripsit Evangelium.* Idipsum de eo asserit Eusebius. (z) De S. Joanne verò ait laudatus Hieronymus, (a) *Quòd novissimus omnium scripserit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis.* De cæteris porro Scriptoribus sacris similem conscribendi causam, vel occasionem conjicere nihil vetat. 32

Resp. transf. ant. neg. cons. Causæ enim illæ seu occasiones, quibus Evangelistæ ad Evangelia sua conscribenda inducti fuisse dicun-

(y) In catalog. Script. Eccl. (z) Lib. 2. hist. Eccl. c. 14. (a) Cit. loc. in Joanne.

dicuntur, minimè excludunt specialem Spiritûs sancti impulsum, qui in cordibus Christianorum excitabat, & formabat pia illa desideria, quorum occasione & ipse quoque interiùs afflabat Evangelistas, ut, victi tot sanctorum fidelium precibus, Evangelia sua ipso inspirante texerent. *Joannes omnium postremus*, inquit S. Clemens Alexandrinus, (*b*) *cùm videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse, divino Spiritu afflatus, spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.* Ubi patet, familiarium preces non obfuisse divino afflatui. Idemque de cæteris Scriptoribus, qui petentium desideriis morem gesturi suos libros scripsisse memorantur, dicendum.

33 Ob. 4to. Christus Apostolis non præcepit scribere, prout præcepit Prophetis. Ergo & illis ea, quæ scripserunt, non inspiravit.

Resp. neg. cons. Christus enim mandavit Apostolis prædicare Evangelium universæ terræ. Atqui Evangelia non sunt nisi compendia suarum prædicationum, quæ proinde, ex rationibus passim jam memoratis, æquè Spiritus sanctus Apostolis inspiravit, ac ea, quæ prædicaverunt.

34 Ob. 5to. Prophetæ non tantùm in suis Prophetiis, sed etiam in suis, quas scripserunt, Epistolis palam edicunt, Deum per illorum os loqui, ut cæteris pluribus omissis, patet ex Epistola Eliæ Prophetæ ad Regem Joram his verbis incipientem: (*c*) *hæc dicit Dominus Deus David Patris tui.* At in Epistolis Apostolorum nihil simile legitur, sed è contrà plerumque ex propria sententia loqui videntur, ut cùm Paulus dicit (*d*): *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium.* Ergo saltem Apostoli in conscribendis suis libris non videntur à Deo fuisse inspirati.

Resp. neg. cons. Sanctis Apostolis necesse haud fuit, ubique edicere, quòd Deus per os eorum loquatur; satis enim eis erat, palam facere, se à Deo missos esse ad prædicandum Evangelium; atque Christum ipsum eis dixisse, (*e*) *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Imò idipsum testantur ipsi Apostoli in Epistola, de qua fit mentio in illorum Actis, quam hisce ordiuntur: (*f*) *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Cæterùm adductô S. Pauli locô ipsemet palàm edisserit, se non sine inspiratione loqui, ait enim, *Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam.*

Ob. 6to. Si S. Lucas divino Spiritu afflatus sua scripsisset, ab illo potiùs, more 35
Prophetarum, sibi sumpsisset auctoritatem, quàm à testibus, quorum fidem secutus est, &c. Atqui S. Lucas primum omisit, alterum verò sectatus est. Ergo &c.

Resp. neg. seq. Maj. Ratio patet ex jam dictis. Quamvis enim ad ea, quæ ex viris omnino fide dignis acceperant, utcunque conscribenda divina non eguerint inspiratione, tamen eadem ipsis necessaria fuit, ut ea, quæ ab ipsis scribenda forent, seligerent, & ne in scribendo errarent, falsumque pro vero, prout passim aliis Scriptoribus accidit, exararent; sicque scriptiones ipsorum divinâ pollerent auctoritate.

Ob. 7mo. Ad hoc ut Scripturæ sint 36
divinæ, sufficit, eas piô animô scriptas esse, & optima fide, necnon de rebus summis, & ad salutem pertinentibus. Ergo superflua videtur divina inspiratio.

Resp. neg. ant. Sic enim essent Scripturæ de Deo quidem, rebusque summis & divinis exaratæ; non tamen essent ipsummet verbum Dei loquentis, & Spiritûs sancti oracula; quod tamen de essentia sacrarum Scripturarum est, prout sup. c. 1. ostendimus.

Ob. 8vo. Diligentia, probitas, & 37
aliæ dotes Scriptorum sufficiunt ad convincen-

(*b*) Apud Euseb. Hist. lib. 6. c. 14. (*c*) Lib. 2. Paralip. c. 21. v. 12. (*d*) 1. Cor. 7. v. 40. (*e*) Matth. 10. v. 20. (*f*) Act. 15. v. 28.

cendos infideles, & ad id inutilis est inspiratio divina, utpote perobscura, & incredibilis. Ergo est superflua.

Resp. 1mo. transf. ant. neg. conf. Datô, non concessô, quòd inspiratio divina Scriptorum sacrorum sit inutilis ad convincendos infideles, non tamen ideo superflua dici debet: est enim adhuc utilis, & necessaria ad fideles confirmandos: fideles quippe nequeunt summam de iis, quæ sacrâ Scripturâ continentur, habere certitudinem, nisi ipsa auctoritate divina polleat; at verò hanc ipsa non habet, nisi fuerit à Deo inspirata, atque hac ratione sit *Verbum Dei*, quod solum summam habet auctoritatem.

Resp. 2do. Neg. ant. Licèt enim inspiratio divina sit obscura, non tamen est inutilis ad convincendos infideles, quia ipsis sufficienter probari poterit, & sic probata sufficiet ad illos convincendos fortiùs utique, quàm pietas & diligentia Scriptorum; convicti namque infideles de divina inspiratione, hoc ipso convincentur de veritate Scripturæ, cùm Deus nec falli nec fallere possit, &c.

38 Ob. 9no. Quod cum inspiratione repugnat, id nequaquam cum ea conciliari potest. Atqui meditatio, & conquisitio rerum ex ordine & diligenter conscribendarum cum inspiratione repugnat. Ergo cum ea nequaquam conciliari potest. Prob. min. Meditatio postulat animum pacatum, tranquillum, ab omni commotione prorsùs immunem. Atqui nihil est magis alienum ab ea pace & tranquillitate mentis, quàm inspiratio Dei. Ergo & ipsa cum meditatione, &c. repugnat. Prob. min. Inspiratio Dei nihil est aliud, quàm illapsus Spiritûs divini vehemens, & repentinus, quo quis subitò extra se abripitur, nec jam sui compos sermones Dei eloquitur. Ergo aliena est à meditatione, &c.

Resp. Neg. min. Hæc enim inspirationis definitio non est universalis. Varii enim sunt inspirationis divinæ gradus: idem quidem divinus Spiritus in Scriptoribus sacris operabatur, at multiformiter, prout nempe varia rerum scribendarum argumenta postulabant. Aliter enim Historicos, aliter Prophetas videtur afflasse. Historias & morales sententias decet oratio simplex & tranquilla; quapropter earundem Scriptores lenis ac placidus afflabat Spiritus Dei. Prophetarum munus erat, increpare populum, futura prædicere, denuntiare vindictam Dei, languentem ac tepidam plebem, idolorum abominationibus plerumque contaminatam ad cultum Dei revocare. Itaque opus erat ardentiori stylô, gravioribus figuris, oratione magis concitatâ, ut vehementiores affectus excitarentur. Verùm zelus ille ardentior, quo se correptos sentiebant, afflante Spiritu Dei, nequaquam in eis extinguebat imaginandi, concipiendi, discernendique facultatem: imò tunc objecta vividiùs percipiebant, & acriùs discernebant. Unde si minùs erat in excogitando laboris, & meditationis, non minùs erat rationis & intelligentiæ. Historici autem leniùs ac remissiùs inspirati, res usitatas non ita vividè imaginabantur, ac proinde aliquantò plus egebant industriâ, curâ, & meditatione. Ubique ergo Scriptoribus sacris aspirat Deus, sive in Prophetas repentinus irruat, sive in alios placidus illabatur; nec sacer Prophetarum furor rationem excludit, nec pia Historicorum diligentia divinos afflatus cohibet.

Ob. 10mo. Historici sacri, & Evangelistæ ubique ratiocinantur, disputant, & inquirunt. Atqui inspirationis seu Prophetiæ auctoritas id non patitur. Ergo nec inspirati, seu tanquam Prophetæ scripserunt. Prob. min. Quisquis sua dogmata ratiociniô, disputatione, & inquisitione confirmat, simul ea uniuscujusque judicio arbitrali subjicere videtur. Atqui id repugnat inspirationi, seu Prophetiæ. Ergo neque illud ipsa patitur. 39

Resp. ad arg. neg. min. ad illius prob. dist. Maj. Quisquis purè & ex solis suæ naturæ viribus sine assistentia Spiritûs sancti

cti

cti sua dogmata ratiociniô, disputatione, &c. confirmat, is ea uniuscujusque judicio subjicere videtur, conc. maj. Quisquis speciali directione Spiritûs sancti adjutus id facit, is ea uniuscujusque judicio submittere videtur, neg. maj. & pariter neg. min. & conf. Responsio patet ex sæpe jam dictis. Certè, ut nostram responsionem exemplô confirmemus. Quamvis inter Apostolos *Act.* 15. simul congregatos de circumcisione, & legalibus cæremoniis magna fuerit disputatio, & conquisitio, tandem denique se à Deo inspiratos pronuntiare declarant: *Visum est Spiritui sancto*, *&c.* Non ergo sua dogmata arbitrali uniuscujusque judicio subjiciunt.

40 Ob. 11mo. Auctoribus sacris id concedendum non est, quod solius Christi proprium est. Atqui ubique esse afflatum & inspiratum à Deo, nec usquam in ulla re, nequidem levissima, aberrasse à veritate solius Christi proprium est; solus enim ille dictus est veritas, solus caruit omni errore. Ergo id sacris Auctoribus non est concedendum, sed dandum, eos aliquando de suo locutos aberrare potuisse, neque in singulis minimisque circumstantiis fuisse afflatos.

Resp. Dist. min. Ubique esse inspiratum à Deo solius Christi proprium est, id est, esse inspiratum toto vitæ decursu, & quasi proprio jure. conc. min. Per certa quædam intervalla, nec proprio jure. Neg. min. Revera Christus, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat, solus est per se veritas, solus omni errore caruit toto vitæ suæ decursu: non item Scriptores sacri, qui, ut cæteri homines, de suo peccatum habebant & mendacium, atque ideo labi, & errare poterant, nisi cùm eis Spiritus gratiæ & veritatis præsens adesset, & ad exarandos sacros libros excitaret. Nihil ergo derogatur dignitati Christi, si dicamus, Auctores sacros certis temporibus participes factos fuisse ejusdem Spiritus, qui semper habitabat in Christo, & eodem Spiritu afflante composuisse eos libros, quos ut sacros & divinos semper coluit Ecclesia.

Ob. 12mo. Multa continentur in sacra Scriptura, quæ magis juxta præconceptas vulgares hominum de rebus opiniones, quàm juxta rei veritatem scripta sunt: ut quando sol & luna præ cæteris astris dicuntur luminaria magna, (g) quamvis revera longè minora sint stellis fixis, quæ in firmamento lucent, prout demonstrant Astronomi. Atqui hoc Dei inspirationi repugnat. Ergo & ipsa in hujusmodi rebus locum non habet. 41

Resp. Dist. maj. Multa sunt in Scripturis secundùm opiniones præconceptas magis, quàm secundùm rei veritatem, si sermo sit de veritate Astronomica & Mathematica, conc. Si sermo sit de veritate morali, prout ex usitata, & consueta loquendi ratione apud homines res exprimi solent. Neg. maj. Neque enim sacris Scripturis voluit Deus aut Mathematicos, aut Astronomos informari, sed Christianos, &c.

Ob. 13tio. Multa in sacra Scriptura leguntur Deo indigna, adeo, ut sine aliqua impietate afflanti Spiritui divino adscribi non posse videantur. Talia sunt maledicta, imprecationes, atrocia convicia, quæ à spiritu furoris & vindictæ potiùs proficiscuntur, quàm à Spiritu Dei, qui benignus est, & patiens, nec non clementiâ plenus, &c. Ergo ea non sunt à Deo inspirata. 42

Resp. 1mo. Neg. ant. Hujusmodi maledicta, &c. narrant Scriptores sacri velut facta, non verò dicunt, ea Spiritu sancto inspirante ab iis, qui ea protulerunt, dicta fuisse, &c. prout parte 2da ubi de singulis sacræ Scripturæ libris agemus, passim ostendemus.

R. 2do. Hæc maledicta &c. propheticum habere sensum, nec esse hominis malum optantis, sed prænuntiantis, adeoque sine ulla

(g) Genes. 1.

ulla impietate inspirationi divinæ attribui possunt, &c.

43 Ob. 14to. In Scripturis extant plures circumstantiæ inutiles, incertæ, ac contradictoriæ. Atqui hujusmodi circumstantiæ inspirationi divinæ repugnant. Ergo, &c.

Resp. neg.Maj. Nam 1mo. Circumstantiæ illæ, quæ dicuntur inutiles, conferunt aliquo modo vel ad nostram institutionem, vel ad providentiæ Dei, seu alterius attributi divini commendationem, vel ad ornamentum, aut integritatem orationis; vel denique ad narrationis ingenuitatem, qua excellunt Sacræ litteræ, & qua earumdem veritas mirum in modum elucet. 2do. Circumstantiæ illæ, quæ dicuntur incertæ, propriè loquendo non sunt incertæ, sed minus præcisæ, & determinatæ: At demus, quasdam circumstantias incertas reperiri in sacris Scripturis; quid aliud inde colligi potest, nisi Spiritum sanctum ad usitatam inter homines loquendi rationem sæpiùs se accommodasse, nec eum semper Scriptoribus sacris revelasse quædam minùs necessaria, quæ ad amussim exprimi nolebat? 3tio. Denique, circumstantiæ illæ, quæ dicuntur contradictoriæ, nonnisi specietenùs tales sunt, licèt fortè eas conciliandi rationem ignoremus: facilè enim fieri potuit, ut non desit commoda conciliatio, sed ea nos lateat ob res similes diversis temporibus gestas, sive ob nominum ambiguitatem, aut hominis alicujus, aut loci plura nomina, & si quid his simile est. *Si quid in Scripturis*, inquit S. Augustinus, (*b*) *absurdum videatur, non idcirco licet dicere; Auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut Interpres erravit, aut tu non intelligis.* Verùm de his fusiùs ubi singulos sacræ Scripturæ libros expendemus.

44 Ob. 15to. Ad hoc, ut liber aliquis sit divinus, atque cum sacra & Canonica Scriptura æquali & divina auctoritate donetur, sufficere videtur auxilium Dei consequens, seu superveniens sancti Spiritûs testimonium, quo ipse testetur, nihil falsum eo contineri. Ergo non requiritur divina inspiratio.

Resp. Neg. ant. Enimvero hujusmodi liber divinus quidem evaderet, at per adoptionem tantùm, atque in alio rerum statu Scripturis Canonicis utcunque adnumerari posset, non verò esset divinus Deo auctore & inspirante conscriptus, quemadmodum de sacra Scriptura semper credidit Ecclesia; ac per consequens sacris Scripturis nunquam posset adnumerari.

Solvuntur Objectiones

Contra secundam partem conclusionis.

Ob. 1mo. Antiquissima Judæorum traditio, qua constat, illos semper tenuisse, 45
omnia, & singula sacræ Scripturæ verba, & apices fuisse divinitùs sacris Scriptoribus inspiratos. 2do. Habetur hoc ipsum etiam Matth. 5. v. 18. ubi dicitur, *Jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.* 3tio. *Apud Psalmistam, lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Ergo Spiritus sanctus sacris Scriptoribus nedum res, & sententias, illarumque sensum, sed & verba singula, & apices, illorumque compositionem inspirasse, & dictasse dicendus est, adeò, ut ipsi nonnisi illius instrumenta, & amanuenses fuerint.

Resp. Neg. cons. Hæc quidem fuit Judæorum traditio, ut videlicet censerent, verba singula formaliter sumpta sacris quidem Scriptoribus fuisse inspirata, id est, secundùm sensum; non verò sumpta materialiter, & prout ab ipsis prolata, & scripta fuerunt. Res enim eadem à Deo inspirata tùm variis vocabulis, tùm diversò verborum circuitu sæpiùs exprimi potest.

Ad 2dum cum S. Basilio aliisque Patribus libenter concedimus, quòd nec jota, aut unus

(*b*) Lib. 11. cont. Faust. Manich. c. 5.

unus apex, nec minimum Scripturæ verbum præteriturum sit ratione rerum significatarum; at negamus, singulas idcirco Scripturæ voces materialiter sumptas à Deo fuisse dictatas; adeoque quamvis non inficiemur Spiritum sanctum confusè quidem, indirectè, ac remotè duntaxat Scriptoribus sacris vocabulorum ubertatem unà cum rebus, & sententiis fortè subministrasse, non tamen concedimus, eum ipsis singula verba inspirasse singillatim, directè, & proximè.

Ad 3tium dicimus, sacros Scriptores fuisse quidem calamum, & instrumentum, seu Amanuenses Spiritûs sancti, at non merè passivum, seu meros Amanuenses, qui verba & syllabas serviliter duntaxat exceperint; sed activum & rationale, seu Amanuenses, qui dictantis sententias liberè exceperint, & propriò ingeniò expresserint.

46 Ob. 2do. Auctoritas SS. Patrum. 1mo. S. Basilius, *Nullam*, inquit (*i*) *vocem sacræ Scripturæ oportet relinquere indiscussam, quia in quaque dictione syllaba aliquid reconditi sensûs habet.* 2do. S. Joannes Chrysostomus, *Nihil temerè*, inquit (*k*) *vel fortuitò loquitur divina Scriptura, sed & syllaba, & apiculus unus reconditum habet thesaurum.* 3tio. S. Augustinus ad hæc Evangelii verba, *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit: Vigilanti*, inquit, (*l*) *verbô Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarunt, &c.* 4to. S. Gregorius Magnus, *Ipse*, inquit, (*m*) *Spiritus sanctus hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit, ipse scripsit, qui & illius inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.* 5to. S. Bernardus, *Ego enim*, inquit, (*n*) *jam olim mihi persuasi, in sacri, pretiosique eloquii textu nec modicam vacare particulam.*

Resp. His & similibus SS. Patrum textibus probari quidem, omnia sacræ Scripturæ verba formaliter sumpta seu secundùm sensum fuisse à Deo inspirata, non autem materialiter sumpta, & prout ab ipsis sacris Scriptoribus prolata fuerunt.

Unde ad singulos textus Resp. & quidem ad 1mum S. Basilius hîc loquitur non de omnibus Scripturæ vocibus, sed de iis tantùm, quibus aliquid de Deo prædicatur, nam sic ibidem pergit: *Proinde syllabas excutere non est aberrare à scopo... quòd si hæc ita se habent, quid esse possit in his verbis, quæ de Deo differuntur adeò pusillum, ut sive rectè dictum sit, sive secus, non magnum habeat momentum in utramque partem.* Has ergo voces & syllabas, quibus aliquid de Deo prædicatur, diligenter ac maturè ponderandas esse asserit S. Basilius. Eas etiam à Deo fuisse inspiratas ultrò concedere possumus, quin tamen inde sequatur, omnes & singulas, quæ sacrâ Scripturâ continentur, fuisse inspiratas.

Ad 2dum. Ad hoc, ut nihil temerè & fortuitò in Scriptura positum sit, necesse non est, ut omnia & singula verba à Deo inspirata dicantur, sed satis est, si sacri Scriptores dicantur inspirati quoad omnes sententias conscribendas, & quòd Spiritus sanctus specialiter illis adstiterit, ne quid aliud conscriberent, atque ut eas res & sententias, earumque sensum accuratè verbis suis exprimerent. Quando addit S. Chrysostomus, *unam Syllabam, & apiculum unum habere reconditum thesaurum*, id verum est propter res scilicet, seu sententias, quæ illis exprimuntur; imò restrictè loquitur, & sensus illius est, quòd syllaba una aut apiculus habere possit, & quandoque habeat sensum reconditum, adeoque omnia Scripturæ verba diligenter sint expendenda; quod potiùs sensum quàm ipsa verba respicit.

Ad

(*i*) Lib. de Spirit. S. c. 1. (*k*) Hom. 18. in c. 4. Genes. (*l*) Tract. 120. in Joan. (*m*) In exposit. lib. Job. c. 2. (*n*) Serm. 72. in Cant.

Ad 3tium Reſp. Hìc S. Auguſtinus Evangeliſtæ induſtriam commendat, non divinam inſpirationem, quod pro nobis facit. Sed eſto, quòd hæc vox *Aperuit*, inſpirata fuerit à Deo, non tamen ſequitur, cæteras omnes ab ipſo fuiſſe inſpiratas; imò contrarium ſenſit ipſe S. Auguſtinus ſuprà à nobis laudatus.

Ad 4tum Reſp. quòd ad hoc, ut Spiritus ſanctus dicatur, & re ipſa ſit Auctor ſacræ Scripturæ, ſufficiat, ſi omnes ſenſus ſacris Scriptoribus inſpiraverit, & ad conſcribendum ipſos ſpecialiter moverit, invigilando nempe, ut nonniſi idoneis ad hos ſenſus exprimendos vocibus uterentur, ipſa, cùm opus eſſet, vocabula ſuggerendo. Et ſic intelligendus eſt S. Gregorii locus; non verò, quaſi neceſſe eſſet, ut omnia & ſingula verba, apicesque à Deo præcisè fuerint inſpirati.

Ad 5tum denique Reſp. Ex hoc S. Bernardi teſtimonio ad ſummum ſequi, quòd quædam vocabula ſacris Scriptoribus inſpirata fuiſſe ipſe ſenſerit; & cùm dicit, *in Scriptura textu nec minimam vacare particulam*, non in rigore mathematico, ſed in ſenſu morali loquitur, nec aliud vult, quàm nullas in Scripturis divinis voces inutiles eſſe; ad cujus rei veritatem ſatis eſt, ſi Scriptores ſacri à Deo quoad omnes ſenſus conſcribendos inſpirati fuerint, necnon ſcripſerint ſub Deo vigilante, ne voces ſuperfluas, minusve ad ſenſuum inſpiratorum expreſſionem idoneas adhiberent, & voces ipſas, cùm opus erat, inſpirante.

47 Ob. 3tio. Si ſingula ſacræ Scripturæ verba non fuiſſent à Spiritu Sancto dictata, tunc ipſa Scriptura non foret potioris auctoritatis, quàm ſint Eccleſiæ definitiones; hæ enim, quamvis immediatè à Spiritu ſancto non ſint dictatæ, fiunt tamen cum ipſius aſſiſtentia, quemadmodùm ſacri Scriptores ex aſſiſtentia Spiritus Sancti tantùm ſcripſiſſe dici debent, ſi non dicantur inſpirati. Atqui. Ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quia Eccleſiæ definitiones neque ſecundùm verba, neque ſecundùm ſenſum immediatè à Spiritu ſancto dictantur, ſed eidem tantùm aſſiſtit, ne in iis quidquam, quod fidei contrarium ſit, definiat; at verò Spiritus ſanctus ſacris Scriptoribus, quamvis non ſemper vocabula & apices, quos expreſſerunt, ipſis dictaverit, tamen res ipſas, ſententiasque, & earum ſenſum ſemper eis immediatè inſpiravit.

Ob. 4to. Tanta eſt connexio inter rei 48
alicujus ideam, & vocabula, quibus res illa exprimitur, ut mens noſtra, dum de rebus ipſis cogitat, nunquam abſtrahat à vocibus, quibus exprimuntur. Ergo Deus ſacris Scriptoribus res ipſas inſpirare non potuit, quin ſimul & verba, quibus res illæ ſignificarentur, inſpiraret; niſi naturalem illam connexionem rerum cogitatarum cum vocabulis, quibus res illæ exprimuntur, diſſolviſſe dicatur.

Reſp. 1mo. neg. ant. Poteſt enim mens noſtra rei alicujus ſenſum percipere, quin ad ſingula omnino verba, & apices, quibus res hæc exprimi poteſt, attendat. Potuit ergo Deus inſpirare ſacris Scriptoribus rerum quarumdam ſenſum, quin tamen ſingula, quibus ipſæ exprimi poſſunt, verba inſpiraret. Deinde, cùm aliud ſint res cogitatæ, aliud verba, quibus eæ exprimuntur; quid vetat, quin dicatur Deus res revelaſſe Scriptoribus ſacris, quibus deinde verba ſua ipſi annexuerint, cùm eas percipiebant.

Reſp. 2do. Datô etiam, Deum ſacris Scriptoribus unà cum rebus verba quoque inſpiraſſe, quibus illæ exprimi poſſent; an proptereà cogemur credere, ea ipſa verba, quibus res inſpiratas expreſſerunt hi ſacri Scriptores, à Deo etiam ipſis inſpirata fuiſſe? Minimè profectò; cùm enim eadem res variis verbis, variaque apicum, & vocabulorum compoſitione exprimi poſſit, manifeſtum eſt, alia potuiſſe eſſe verba, quæ Deus unacum ſententiis & rebus Scriptoribus ſacris inſpirabat, alia, quibus hi eas exprimebant.

CAPUT V.

De Canone Scripturarum.

49 Canon vox græca, latinè regulam quamdam, seu normam significat, unde etiam Conciliorum decreta *Canones* appellantur, quòd sint certæ quædam regulæ à fidelibus servandæ. Hîc verò *Canon* idem est, ac numerus seu index sacræ Scripturæ librorum, extra quem qui fuerint libri, tanquam prophani, apocryphi, & dubiæ auctoritatis rejiciuntur.

Hujusmodi *Canon* seu sacrorum librorum Index triplex est, Judæorum unus; alter Catholicorum; tertius Acatholicorum. Singulos præsenti Capite expendimus.

50 Notandum: inter hos sacræ Scripturæ libros alios vocabulô complexô è Græco derivatô dici à Catholicis *Proto-Canonicos*, id est, *Ante-Canonicos*, quòd ante omnem Ecclesiæ definitionem, ab omnibus velut Canone jam contenti fuerint acceptati; cujusmodi sunt omnes, & singuli veteris Testamenti libri illi, qui adhuc hodie in Codicibus hebræis extant, & ab ipsis velut Canonici, & divinæ auctoritatis habentur. Alios verò *Deutero-Canonicos*, quasi *Post-Canonicos*; suntque ii, qui, postquam apud quosdam aliquanto tempore olim in dubium fuissent adducti, postmodùm tamen secuta Ecclesiæ definitione, à cunctis fidelibus pro Canonicis accepti, & habiti fuerunt. Modò ad ipsos Canones. Et primò quidem

51 *De Canone Judæorum.*

In Hebræorum Canone viginti duo tantùm Scripturæ libri continentur, videlicet, Genesis; Exodus; Leviticus; Numeri; Deuteronomium; Josue; Judices, & Ruth; Primus & secundus Samuelis; Primus & secundus Regum, seu Regnorum; Primus & secundus Paralipomenon; Primus & secundus Esdræ; Psalmi; Proverbia; Ecclesiastes; Canticum Canticorum; Isaias; Jeremias & lamentationes una cum Epistola Baruch ad captivos; Daniel; Ezechiel; Job; Esther; Duodecim Prophetæ minores.

Neque enim plures recensuit Josephus, (o) qui, cùm Sacerdos esset, non potuit non scire, quinam essent apud Gentiles suos libri Canonici.

Veteres item Patres, ut Origenes apud Eusebium, lib. 6. Hist. c. 23. Athanasius, vel quicunque alius, in Synopsi. Epiphanius lib. 1. Hæres. 8. Hilarius Præfat. in Psal. Hieronymus in Prolog. Galeat. definiunt, apud Judæos viginti duos hos libros tantùm extare, qui apud ipsos divinæ auctoritatis existimentur; huncque duntaxat numerum hodiernum Judæorum Canon complectitur.

Qui verò ex Catholicis Patribus viginti quatuor libros, ut Melito Sardensis, (p) in Judæorum Canonem referunt, librum Ruth à libro Judicum, & Threnos, seu lamentationes à Jeremiæ libro avellunt, cùm tamen in Canone Judæorum Ruth Judicum libro, & Threni Jeremiæ jungantur, prout supra à nobis est indicatum.

At qui viginti septem numerant, memoratos viginti duos libros ita dispertiunt, ut librum Ruth, duos Regum, unum ex Paralipomenis, & ex Esdra unum separatim recenseant; aut saltem eos ita distribuant, ut nunquam adductum viginti duorum librorum numerum excedant.

Esdram esse Auctorem Judæorum Canonis indubitatum apud omnes est; ut qui 52
post Hierosolymitanum excidium, & deportationem Babylonicam magna ex parte dispersos, vel neglectos sacros Codices Artaxerxis Longimani ævô, recuperata libertate collegerit, & in Canonem redegerit.

At

(o) Lib. 1. cont. Appion. (p) Apud Eusebium lib. 4. Hist. c. 26.

At qua ratione id ab ipso factum sit, non est eadem omnium sententia. Nonnulli enim volunt, Esdram sacro Numine afflatum memoratos viginti duos libros, prioribus excidiô & incendiô penitus abolitis quinque viris dictasse. Ita sentit Auctor lib. 4. Esdræ, qui cap. 14. commentitiam rei gestæ historiam explicat.

Scriptorem hunc, licèt futilem, Judaicisque fabulis passim redundantem secuti sunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Theodoretus Præfat. in Psalm. Apertissimè verò omnium Basilius, Epist. ad Chilon. Atque etiam in eandem sententiam viri quidam docti recentiores abierunt.

Verùm hanc opinionem jam sup. cap. 2. pag. 23. in responsione ad objectiones, explosimus, ejusque falsitas vel inde patet, quòd certum sit, Hebræos in exilio suo non caruisse lege Mosaica. Enimverò ipse Esdras se scribam velocem in lege Dei appellat (q); ergo eam adhuc tunc extitisse innuit. Danielis quoque c. 9. Moysis liber tanquam superstes, & vulgò cognitus, ac versari solitus citatur.

Et qui credat, tantam esse potuisse cladem, ac vastitatem, ut ne apud privatos quidem homines ulla servata sint sacrorum Codicum apographa? Non apud Ezechielem, vel Mardochæum? nec apud ipsum Jeremiam, quem Nabuchodonosoris jussu Nabuzardam Magister Militiæ ab omni injuria tutum præstitit?

Certum ergo esse debet, Esdram libros sacros dissipatos collegisse duntaxat, & instaurasse, non verò penitus deperditos & abolitos de novo afflatum divinô Spiritu restituisse. Quem proinde laborem, Judæorum Synagoga, in libertatem scilicet tunc assertis Hebræis, in amplissimum cœtum coacta approbarît; Esdrinumque Canonem ut sacrorum ac divinorum librorum Indicem populi usibus concesserit.

Ita sentire videntur veteres Patres. Irenæus, qui lib. 3. c. 25. ait, corruptas Scripturas ab Esdra restitutas fuisse: cui suffragantur Tertullianus de hab. mul. cap. 3. & Hieronymus adv. Helvid. c. 3. Idque clarissimè tradit Chrysostomus Homil. 8. in Epist. ad Heb. dum Esdram Dei instinctu Scripturæ sacræ reliquias digessisse, & in unum corpus composuisse significat. Accuratiùs adhuc Auctor Synopseos, quæ Athanasio tribuitur, ait, Sacros Codices per captivitatis diuturnitatem, & populi incuriam amissos, Esdram penes se servasse, & suo demum tempore protulisse, ac publici juris fecisse.

Esdrinum autem hunc Canonem à Synagoga magna auctoritatem accepisse testes locupletes sunt Elias Levita, & alii Rabbini. Thalmudistæ quoque hunc Esdræ sacrorum librorum Canonem à Synagoga magna firmatum testantur.

Josephus quoque contra Appionem disputans (r), Gentilium suorum hunc esse morem ait, ut, si quæ ingruant bella, pace demum composita, veteres Scripturæ à superstitibus Sacerdotibus recognoscantur, relegantur, ac renoventur; nec de rebus sacris Scripta in vulgus edere unicuique fas esse, sed Prophetis solùm, qui, Dei instinctu, & præterita, & præsentia sciunt: hinc duo solùm & viginti sacra volumina, & ea sibi usquequaque consentanea gentem suam usurpare, veterem omnem anteacti temporis memoriam complexa; à Moysis temporibus usque ad Artaxerxis Longimani ætatem scripta; ab hac ætate verò singula quidem fuisse relata in litteras, sed eandem, quam superiora, fidem minimè esse consecuta.

Ex quibus liquet, post Babylonica bella, ex more Judæorum instaurari debuisse

(q) C. 7. v. 1. (r) Lib. 1.

buisse Codices sacros, idque superstitum Sacerdotum operâ, qualis fuit Esdras: horum verò librorum collectionem Artaxerxe Longimano imperante desiisse; quod sanè fieri non potuit, nisi per Canonem publica auctoritate conditum, quo qui non continerentur libri, pari existimatione carerent.

53 Olim plures apud Hebræos extitisse libros, quàm in Canone Esdrino recenseantur, ipsæ Scripturæ sacræ testantur, quæ viginti hujusmodi libros citant: ut sunt liber Bellorum Domini, Numer. 21. Liber Justorum, seu Liber Recti, Josue 10. Liber verborum seu rerum gestarum à Salomone, 3. Reg. 11. Liber verborum Regum Israël, 3. Reg. 14. Liber verborum Regum Juda, ibid. Samuelis Libri, 1. Paralip. cap. ult. Alius quidam Samuelis liber, 1. Reg. 10. Nathani liber, 1. Paralip. 29. Gad Prophetæ liber, ibid. Abiæ Prophetæ, 3. Reg. 5. Jehu Prophetæ, 2. Paralip. 20. Addonis Prophetæ, ibid. c. 9. Chosai Prophetæ, ibid. c. 33. Tria millia Parabolarum Salomonis, 3. Reg. c. 4. Salomonis Cantica quinquies mille, ibid. ex textu Græco Septuaginta Interpretum, & ex vulgata editione: At Latina editio ad textum Hebræum correcta, nonnisi Cantica quinque supra mille commemorat. Salomonis Physica, ibid. Liber Enoch, prout ex Judæ Apostoli Epistola colligit S. Augustinus. (s) Epistola Eliæ Prophetæ, 2. Paralip. c. 21. Jeremiæ Descriptiones, 2. Mach. c. 2. Joannis Hircani liber dierum, 1. Machab. c. ult.

His addi possent, liber Eldad, & Medad; præter centum quinquaginta Psalmos, psalmus unus; necnon Testamentum Moysis, ex auctore Synopseos.

An verò hi libri apud Hebræos olim, & ante Esdrinum Canonem divinæ fuerint auctoritatis, non est una, eademque Patrum & eruditorum virorum sententia. Origenes dubitat. (t) Joannes Drusius vult, fuisse quidem Agiographos, seu Sacros, sed non Canonicos. (u) Serarius docet, nonnullos ex iis fuisse Canonicos, sed non omnes. S. Augustinus verò tueri videtur, nec Sacros fuisse, nec Canonicos; ait enim (x), Ex iis nonnullos à Prophetis quidem conscriptos fuisse, quamvis ignoret ipse, cur in Judæorum Canonem antiquum relati non fuerint, nisi quòd verisimile sit, Prophetas eos, ut merè homines historicâ diligentiâ duntaxat scripsisse, non ut Prophetas; unde potiùs ad cognitionis ubertatem eos pertinuisse, quàm ad Religionis auctoritatem.

Memoratos hos Libros nullibi ampliùs extare docent Catholici, & Acatholici omnes; Judæi quoque, ut Abenezira. (y) Liber ergo Recti, & liber Bellorum Domini, quos Hebræi hodie legunt, confìcti, & conscripti fuerunt à recentioribus Rabbinis; Prior quidem à Rabbi Tham, alter verò à Ralbay.

De Canone Catholicorum.

Ad Canonem Catholicorum ii tum veteris tum novi Testamenti libri omnes referuntur, quos Cap. 1. hujus Tractatus ex Concilio Tridentino recensuimus. 54

Hanc Canonis Scripturæ librorum determinationem Innocentio I. Papæ præcipuè debet Ecclesia; cum enim de auctoritate quorumdam Sacrorum librorum inter Orthodoxos esset controversia, Exuperius Tolosanus Episcopus sub finem quarti, vel initiô quinti Ecclesiæ sæculi hac de re ad laudatum S. Pontificem dedit litteras, quibus eum rogabat, ut quinam Scripturæ libri tanquam Canonici recipiendi essent, quinam ut apocryphi, seu nullius auctoritatis divinæ recipiendi, deter-

(s) Lib. 15. de Civ. c. 23. (t) Præfat. in Cant. (u) Epist. 161. (x) Lib. 18. de Civ. c. 38. (y) In Num. c. 1.

determinaret. Eidem annô 400. respondit Innocentius (z), libros, qui in Canonem recipiendi essent, eo, quo nos cit. Cap. 1mô ex Tridentino retulimus, ordine recensens.

Quam Canonis Scripturarum determinationem incunctanter secuta deinceps sunt Concilia, Patres, universaque Ecclesia; interque alia plurima Concilium Carthaginense IV. an. 419. celebratum, cui interfuit ipse S. Augustinus; Concilium Romanum sub Gelasio Papa an. 495. ac denique Tridentinum.

Hunc etiam Canonem secuti sunt SS. Patres: Augustinus, lib. 15. de Civ. c. 25. & lib. 2. de Doct. Christ. c. 18. & Epist. 235. cui subscripserunt Junilius Afer, lib. 1. Instruct. Antiquus Interpres apud Cassiodorum, lib. de divin. lect. c. 12. Cassiodorus ipse, lib. 1. Instit. divin. c. 13. Rabanus Maurus, lib. 2. de Instit. Cleric. Isidorus, lib. 1. de Eccles. Offic. Aliique benè multi, ipsaque, ut diximus, universa latina Ecclesia.

Libri autem Scripturæ Sacræ, qui ante Innocentii decretum dubiæ fuerunt apud Catholicos auctoritatis, hi numerantur: Ex veteri Testamento, Additamenta Esther; Baruch; Danielis pars, quæ græce tantùm extat; Tobias; Judith; Sapientia; Ecclesiasticus; Machabæorum primus, & secundus.

Ex novo autem Testamento, Marci; Lucæ; Joannis partes quædam; Epistola ad Hebræos; Epistola Jacobi; Posterior Petri; Primæ Joannis particula; Secunda & Tertia Joannis; Epistola Judæ; & Apocalypsis, de quibus part. 2. hujus Tractatus singillatim acturi sumus.

Post Decretum verò Innocentii hi libri *Deutero-Canonici* à Catholicis fuere nuncupati, quòd olim, cùm cæteri ab omnibus tanquam *Proto-Canonici* seu divini sine controversia recepti fuerint, isti primùm post laudati Papæ determinationem pro divinis haberi cœperint, priùsque de illis dubitatum fuerit, nec nisi libris Ecclesiasticis, quibus videlicet nondum asserta fuisset divina auctoritas, adnumerati fuerint.

Reliqui verò, quamvis adhuc legantur, inter Apocryphos rejecti ad hunc usque diem remanserunt: ut sunt, Ex veteri Testamento fragmenta, quæ supersunt libri Enoch; Tertius & quartus Esdræ; Tertius & quartus Machabæorum; Oratio Manassis; Testamentum duodecim Patriarcharum; Psalterium Salomonis; Psalmus 151. & alia hujusmodi.

Ex novo autem Testamento, Epistola S. Barnabæ; Epistola falsò adscripta S. Paulo ad Laodicenses; plura Evangelia, & Apostolorum Acta commentitia; Plures etiam commentitiæ Apocalypses; Liber Hermœ, qui inscribitur Pastor; Epistola JESU Christi ad Abgarum; Epistola S. Pauli ad Senecam; & alia hujusmodi. Vide Fabricium in Catalogo librorum Apocryphorum novi Testamenti.

De Canone Acatholicorum.

Non unus idemque semper fuit Scri- 55
pturarum Canon apud illos, qui variis Ecclesiæ sæculis Catholicam doctrinam aversati sunt; sed, prout videlicet secundùm sectarum suarum varietatem commodum ipsis visum fuit, modò hos, modò illos Scripturæ libros, quamvis ab Ecclesia receptos, è Canone expungendos voluerunt.

Sic enim Sæculi 1mi Hæretici, Simoniani videlicet, Basilidiani, & Marcionitæ, Sæculi 2di, omnes veteris Testamenti libros, teste Irenæo (a), respuebant. Eos deinde secuti sunt Manichæi Sæculi 3tii Hæretici, prout refert Epiphanius. (b)

Alii

(z) Epist. 3. (a) Lib. 1. c. 20. (b) Hæres. 66.

Alii apud Philastrium (*c*), expungebant Ecclesiastem ex Canone, quia arbitrabantur, eum à Salomone compositum fuisse, cùm mulierum amore esset depravatus. Hac quoque ratione alii apud eundem Philastrium (*d*), negarunt, Canticum Canticorum esse sacrum librum.

Nonnulli apud Augustinum (*e*), recipiebant quidem Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ; sed Joannem rejiciebant.

Ebion, qui Sæculô I. Ecclesiam vexavit, solum Matthæi Evangelium probat, quod prodit Irenæus. (*f*)

Cerinthus itidem Sæculi I. Hæresiarcha utebatur solo Marci Evangelio. (*g*)

Apud Marcionem, ut auctor est Tertullianus (*h*), solus Lucas, sed mutilus, & corruptus, erat in pretio.

Actorum librum è numero Sacrorum librorum expungebant Cerinthus apud Philastrium. (*i*) Cerdo Sæculi II. Hæreticus apud Tertullianum (*k*); Tatianus Sæculi etiam II. Hæresiarcha apud Eusebium (*l*); Manichæi apud S. Augustinum. (*m*)

Marcio Pauli quoque Epistolas ad Titum, & Timotheum rejecit. (*n*) Nonnulli quasdam alias S. Pauli Epistolas humano, non divino Spiritu dictatas censebant, & præsertim eam, quæ est ad Philemonem. (*o*)

At qui ultimis hisce temporibus à communione Romanæ Ecclesiæ discesserunt, ex Scripturarum Canone excludendos censuerunt omnes veteris Testamenti libros, quos in Canonem suum non receperunt Judæi; aut saltem, qui in antiquo Judæorum Canone non reperiuntur, ut sunt, Baruch, Tobias, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia, ambo Machabæorum libri.

Ex novi Testamenti Codicibus autem rejecerunt Pauli Epistolam ad Hebræos, quam nec Pauli, nec aliûs Apostoli esse contendunt, quippe quæ, quod ajunt, res contineat Apostolicæ & Evangelicæ doctrinæ contrarias.

Ex Canone etiam deleverunt Epistolas, Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis, necnon ipsius Apocalypsim. Ita Lutherus, quem secutus est Kemnitius. (*p*)

Calvinus, etsi nullos alios, quàm qui in antiquo Judæorum Canone continentur, veteris Testamenti libros agnoscat (*q*); quantùm ad novi Testamenti Codices tamen docet, Epistolam ad Hebræos esse verè Apostolicam, quamvis dubium sit, cujusnam sit, an Pauli, an verò alterius cujusdam Apostoli. (*r*) Epistolas quoque Jacobi, Judæ, secundam Petri, & tertiam Joannis in suum Canonem retulit unacum Apocalypsi.

Magdeburgenses verò, quamvis in omnibus ferè, Luthero assentiantur, cum Calvino tamen docent (*s*), Apocalypsim esse librum divinitùs conscriptum, ac proinde in Scripturarum Canonem referendum. Modò sit pro Catholicorum sententia

CONCLUSIO.

Ad Ecclesiam pertinet determinare, 56
& definire, quisnam liber sit Canonicus; illiusque auctoritas est certa regula ad libros vel in sacrorum Codicum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numero rejiciendos; verbô ad discernendum inter verbum Dei, & verbum hominum.

Prob. Conclusio 1mo. Ex sacra Scriptura. Ex veteri Testamento; 1mo. Exodi

(*c*) In Catalog. Hæref. (*d*) c. 133. (*e*) Hæref. 30. (*f*) Lib. 1. c. 26. (*g*) Ibid. Lib. 3. c. 11. (*h*) Lib. 3. de Præscrip. (*i*) c. 36. (*k*) Lib. de Præscrip. (*l* Lib. 4 Hist. c 29 (*m*) Lib. de util. credendi c. 3. (*n*) Epiph. Hæref. 42. (*o*) Aug. lib. 2. cont. Adverf. Leg. & Proph. (*p*) In exam. Seff. 4. Conc. Trid. (*q*) Instit. lib. 1. c. 11. Et lib. 2. c. 5. Item lib. 3. c. 5. (*r*) Ibid. c. 8. §. 216. (*s*) Cent. 1, l. 2. c. 4. col. 56.

di 18. Cùm cœpisset populus Dei redigi ad quamdam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, Moyses tanquam Princeps & Caput, necnon strenui viri illi, quos elegerat, ad dubia circa legem Domini exorta respondebant, atque ea definiebant. Ergò à fortiori in nova Lege, cujus vetus duntaxat typus fuit, circa eandem Dei legem, libros nempe eam continentes judicandi, eosque determinandi penes Ecclesiam erit potestas.

2do. Deuteronomii 17. v. 8. & seq. Deus populo Israëlitico præcipit, ut ortâ controversiâ Sacerdotes adeat, tanquam Judices suos, faciatque, quodcunque dixerint, & docuerint juxta legem ejus, nec ab ipsorum sententia sive ad dexteram, sive ad sinistram declinet &c. Ergo etiam à pari, ubi circa librorum sacrorum Canonem orta fuerit quæstio, Ecclesia, quam Episcopi, velut in veteri lege Sacerdotes Synagogam, repræsentant, judex est, atque infallibili, & cui nemo contradicere audeat, sententiâ eos definire potest.

3tio. Malachiæ 2. Sacerdotes populi alloquens Dominus eorum agendi rationem designat his verbis: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent* (populi) *ex ore ejus.* Ergo etiam ab Ecclesiæ ore lex Dei requirenda est, adeoque & Canon librorum sacrorum.

Ex novo Testamento; 1mo. Ex illo Matth. 18. v. 17. ubi de quocunque fideli ait textus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ergo & ille sicut Ethnicus & Publicanus habendus est, qui Ecclesiam Scripturarum Canonem definientem, & determinantem audire renuerit.

2do. Actorum 15. v. 28. Cùm Antiochiæ orta esset gravis quæstio, an servanda esset lex Moysis à Gentibus ad fidem conversis, ad Ecclesiam pro dirimenda hac quæstione confugerunt Antiocheni, quam & ipsa solvit his verbis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* Ergo etiam orta quæstione de libris Canonicis sacræ Scripturæ ad ipsam est confugiendum.

3tio. *Ascendi*, inquit S. Paulus (*t*), *Hierosolymam cum Barnaba .... & contuli cum illis* (nempe Apostolis & Senioribus Ecclesiæ) *Evangelium, quod prædico in Gentibus.* Ergo si Paulus Ecclesiam agnovit tanquam Evangelii, quod prædicabat, judicem, quantò magis nos eam agnoscere debemus velut Judicem Canonis sacrorum librorum.

Prob. 2do. Ex Conciliis & Patribus; 57
ac 1mo. ex Conciliis, Carthaginensi, Romano, Tridentino supra hujus Capitis initiô citatis. Item ex Patribus ibidem adductis, qui, ut & Concilia illa, Scripturarum Canonem ab Innocentio Papa I. toti Ecclesiæ propositum adoptarunt. Ergo censuerunt, ad summum Pontificem, Ecclesiamque pertinere, Canonem istum determinare, atque divinos libros ab humanis discernere. Sed pro omnibus Patribus sit S. Augustinus, qui, *Evangelio*, inquit (*u*), *non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Ergo nec libros Canonicos continere Evangelium credidisset, nisi Ecclesiæ auctoritas eum movisset.

Prob. 3tio. Ratione Theologica. 1mo. 58
Non minor debet esse auctoritas Ecclesiæ, ac olim Synagogæ fuit. Atqui Synagoga auctoritatem habuit determinandi, ac definiendi suorum sacrorum librorum Canonem. Ergo à fortiori eadem auctoritate pollebit Ecclesia.

Major est aperta, atque eò minùs negari potest, quòd Synagoga Ecclesiæ typus & figura duntaxat fuerit. Minor verò habetur ex dictis hujus Capitis initiô, ubi de Judæorum Canone egimus. Ergo &c.

2do. Si ab Ecclesiæ auctoritate repetendus non est Scripturarum Canon, tunc ille

(*t*) Galat. 2. v. 1. & 2. (*u*) Lib. cont. Epist. fund. c. 5.

ille innotescere debet vel per Scripturam ipsam, vel per criteria, ut vocant, seu indicia, quæ in ipsa reperiuntur, vel denique per uniuscujusque privatum spiritum. Sed à nullo horum repeti potest hujusmodi sacræ Scripturæ Canonis determinatio. Ergo ab Ecclesia repeti debet.

Major est Adversariorum, cùm enim Ecclesiæ hanc auctoritatem denegent, necessè omnino est, velint nolint, ut vel ad Scripturam ipsam, vel ad ipsius criteria, vel denique ad suum privatum spiritum confugiant, unde Canonem suum eruant. Neque nobis quidquam de Traditione obganniant; omissò enim, quòd ipsi eam contemnant, mox præter ea, quæ jam annotavimus, ostendemus, illam eis omnino contrariam esse.

Prob. igitur Minor, quoad 1mum. Nullibi in sacra Scriptura prorsus clarè, imò ne quidem obscurè dicitur, omnes libros illos, quos etiamnum Acatholici pro Canonicis agnoscunt, esse verè divinos, non autem illos, quos ipsi rejiciunt; prout ex ipsa totius Scripturæ perlustratione patet. Deinde, etsi alicubi in ea legeretur, hos, e. g. & non alios libros, hæc, & non alia Capita, has, & non alias sententias esse verè sacram Scripturam; id tamen propterea infallibiliter certum non esset; dubitari enim adhuc posset, num ea ipsa loca, in quibus id adnotatum legeretur, verè sacra Scriptura essent, aut an non potiùs impostor aliquis id ipsum eis addidisset. Certè ex titulo & dictione aliqua certò haberi non potest, librum quemdam esse divinum; nisi etiam quis ineptè dicere velit, Alcoranum & Thalmud esse quoque libros divinos, quòd à suis Auctoribus divini nuncupentur. Ergo ex ipsa Scriptura librorum sacrorum Canonis determinatio repeti non potest.

Prob. quoad 2dum. Ista criteria, & indicia sunt vel clara, & evidentia, vel obscura, & inevidentia. Neutrum dici potest. Ergo &c.

Non primum. Hanc quippe lucem in istis libris non modò Ethnici non viderunt, ut & ipsi Judæi in novi Testamenti libris; sed etiam viri doctissimi juxtà & sanctissimi ex Christianis; imò de quibusdam ex his libris, quos ipsimet Adversarii tanquam Canonicos recipiunt, quidam antiqui Patres dubitare visi sunt, prout suprà jam insinuavimus, & infrà specialiter adhuc dicemus.

Sed neque 2dum valet. Si enim criteria illa, & indicia obscura sunt, & dubia, neutiquam parere possunt certitudinem infallibilem, adeoque ex iis non potest determinari sacrarum Scripturarum Canon.

Prob. denique quoad 3tium, tum quia æquè incertum est, an spiritus ille privatus sit illustratio divina, ac an ipse Canon sit divinus: tum quia omnes alii eodem jure dicere possunt, se per suum privatum spiritum cognoscere contrarium. Sic Mahometanus dicet, sibi internum suum spiritum dictare, non Christianorum Biblia duntaxat, sed Alcoranum esse librum divinum. Sic etiam Catholici possunt dicere, se ab interno & privato spiritu habere, libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum esse Canonicos. Sic Calvinistæ contra Lutheranos tuebuntur, se à suo interno & privato spiritu didicisse, Epistolas ad Hebræos, Jacobi, & Judæ esse Canonicas. Ergo aliunde desumendus est Scripturarum Canon; ab Ecclesia Catholica scilicet, quæ sola est columna, & firmamentum veritatis, quæque in rebus ad fidem pertinentibus errare non potest, quippe cui Christus Dominus promisit, inferi portas nunquam adversùs ipsam prævalituras esse, petendus est.

Prob. 3tio. Ratione ex ipsis Adversariis petita, quod utique optimum probandi genus est. Ipsimet igitur Protestantes in Comitiis Augustanis an. 1530. celebratis confessionem fidei suæ Carolo V. Imperatori obtulerunt, ubi c. 7. de Eccles. fateri

fateri videntur, Eccleſiam habere auctoritatem determinandi Scripturarum Canonem, ajunt enim, in ea Evangelium purè doceri; at qua ratione ipſa id præſtaret, ſi non poſſet diſcernere verbum Dei à non verbo Dei. Ergo &c.

Lutherus ipſemet fatetur etiamnum (x), Eccleſiam habere poteſtatem diſcernendi Verbum Dei à verbis hominum; adeoque definiendi Scripturarum Canonem. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

59 Ob. 1mo. Libros illos, qui à nobis Catholicis velut Canonici ſuſpiciuntur, Eccleſia in Canonem referre non potuit, niſi eos divinos & Canonicos cognoverit, vel ex revelatione divina, vel ex traditione. Atqui ex neutra id potuit. Ergo nec illos in Canonem referre. Maj. eſt evidens. Min. prob. 1mo. Non ex revelatione divina cognovit, ſiquidem poſt Apoſtolos novæ de fidei dogmatibus revelationes exploduntur. 2do. Neque ex Traditione: nam quantùm ad Canonem, quem Eccleſia de veteris Teſtamenti libris texit, ei Canon Hebræorum ſuprà à nobis relatus adverſatur, quem tamen Judæi omnes, nec non celeberrimi Eccleſiæ Patres Græci & Latini ſecuti ſunt, qui etiam illos novi Teſtamenti libros, quos Eccleſia antiquo Canoni adjecit, è ſacrorum librorum Catalogo expungunt.

Et quidem 1mo. Melito Sardenſium Epiſcopus Epiſtolâ ad Oneſimum (y), numerum, & ordinem ſacrorum librorum referens, veteris Teſtamenti viginti duos tantùm recenſet, prætermiſſis iis, quos Eccleſia Canoni Judæorum addidit.

2do. Origenes in expoſitione Pſal. 1. veteris Teſtamenti librorum indicem exhibens, etiam juxta Hebræorum Canonem viginti duos tantùm recenſet, omiſſis iis, quos Melito prætermiſit. Et lib. 5. expoſitionum in Evangelium Joannis, ubi Epiſtolas Apoſtolorum recenſet, non meminit Epiſtolarum S. Judæ, & S. Jacobi.

3tio. Concilium Laodicenſe an. 319. celebratum Can. ult. ubi ſacrorum librorum ſeriem texit, nullam facit mentionem librorum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, neque Machabæorum; libros quoque novi Teſtamenti enumerans Apocalypſim prætermittit.

4to. In poſteriori Canone Apoſtolorum, quod quidem Opus, etſi non ſit Apoſtolorum, attamen antiquiſſimum eſt, iidem libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duo Machabæorum inter ſacros veteris Teſtamenti libros non recenſentur.

5to. Euſebius lib. 3. Hiſt. c. 25. Epiſtolas Jacobi, Judæ, Petri ſecundam, Joannis ſecundam, & tertiam velut dubias haberi teſtatur.

6to. Auctor Synopſis, viginti duobus Canonis Hebræorum Codicibus addit tantùm libros Ruth, & Eſther, ut quos ex veteribus aliqui duntaxat pro Canonicis apud Hebræos haberi dixerint.

7mo. S. Gregorius Nazianzenus, ſeu, prout nonnulli volunt, Amphilochius Iconienſis Epiſcopus, Jamb. 3. ſacrorum librorum texens indicem, inter libros veteris Teſtamenti nullam facit mentionem Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, neque Machabæorum; quantùm verò ad novi Teſtamenti libros, ſeptem Catholicas Epiſtolas à quibusdam agnoſci aſſerit, ab aliis verò tres tantùm; & Apocalypſim à multis rejici.

8vo. Cyrillus Hieroſolymitanus in referendo ſacrorum librorum Canone cum Gregorio Nazianzeno prorſus concordat, æque ac Auctor Hierarchiæ cœleſtis, quæ S. Dionyſio adſcribitur.

F 2 9no.

(x) Lib. de captiv. Babyl. de Sac. Ord. (y) Apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. c. 28.

9no. S. Epiphanius viginti duos tantùm libros ex Hebræorum Canone recenset. (*z*)

10mo. Epiphanium sequitur S. Damascenus. (*a*)

11mo. Leontius, Anastasius Sinaita, ambo Nicephori, Antiochus, & Philippus Solitarius, cùm sacros libros recensent, citatos modò Patres apertè sequuntur, necnon Hebræorum Canoni adhærent.

12mo. S. Hilarius tantùm viginti duos veteris Testamenti libros etiam commemorat. (*b*)

13tio. S. Hieronymus librorum sacrorum indicem ex Hebræorum Canone referens, libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duos Machabæorum extra Canonem esse asserit, imò etiam inter apocryphos collocandos esse.

60 Resp. non quidem ex revelatione divina Ecclesiam judicasse, libros illos, de quibus nunc sermo est, esse Canonicos, sed ex Traditione, factaque eorumdem librorum ad eam, cæterosque Canonicos Codices discussione.

Et verò, quòd suprà jam diximus, mirum est, quòd Ecclesiæ eam detrahi velint auctoritatem Acatholici, quàm ultrò Synagogæ tribuunt; enimvero constans veritas est, Synagogam magnam, cùm, proponente Esdra, Canonicos libros susciperet, id non revelatione duntaxat fecisse, sed discussis ad Majorum suorum Traditionem hisce Codicibus. Quid ergo obest, quin eandem, imò majorem auctoritatem Ecclesiæ Christi adscribamus; ut videlicet examinatâ præteritorum sæculorum, ipsorumque Judæorum Traditione, discussisque in se ipsis libris, eos, cùm nihil, quod fidei, nihil, quod bonis moribus obviaret, continerent, sed ad virtutem amplectendam homines incitare inprimis viderentur, in Canonem referri oportere decerneret; quamvis priùs de iis aliqui dubitare visi sint? Hanc Ecclesiæ regulam tradit Augustinus. (*c*) Modò ad singula respondendum.

Et quidem, quod veteris Testamenti 61
libros attinet, mirum non est, si ii, qui post Esdram, ejusque Canonem scripti primùm fuere, & fortè Sapientiæ, & Ecclesiastici Codices, ne quidquam de Machabæorum duobus libris dicamus, utpote quos longô post memoratum Canonem Esdrinum exaratos fuisse constat; ab ipso Esdra seu Synagoga magna non fuerint inter Canonicos recensiti, siquidem nondum extabant.

Deinde quantùm ad libros Tobiæ, & Judith, lis est inter eruditos, utrum ante Esdram, an verò primùm posteà conscripti fuerint. Sed quidquid sit hac de re, omnino exploratum habemus, idque testificatur Josephus (*d*), Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, duosque Machabæorumlibros magno apud ipsos Hebræos in pretio fuisse; & quamvis nullum de ipsis decretum à Synagoga magna latum fuisset, nihilominus inter agiographa, seu scriptiones sacras ab ipsis fuisse repositos; necnon ab Helenistis, seu Hebræis Græca lingua utentibus versioni septuaginta Interpretum additos, à quibus ipsa Ecclesia Christi eosdem accepit.

Hos etiam libros tanquam Scripturam divinam, tum in Epistolis S. Clementis, & S. Barnabæ; tum apud Justinum, & Irenæum; tum à Clemente Alexandrino, Tertulliano, & S. Cypriano indiscriminatim citatos reperimus; ut & ab Origene. (*e*)

Quod Baruch librum attinet, ideò à Judæis in Canonem non refertur, quòd, cùm

(*z*) Lib 1. adv. hæref. & lib. de mens. & pond. c. 28. (*a*) Lib. 4. de fide orth. c. 18. (*b*) Præf. in Psal. (*c*) Lib. 2. de Doct. Christ. c. 8. (*d*) Lib. 1. cont. Appion. (*e*) Lib. 3. cont. Cels. *Item* Hom. 19. in Jerem. *Et* Tract. 3. in Joann. *Item* lib. 8. in Epist. ad Rom. *Item* Hom. 8. in Num. *Denique* apud Auct. Diction, Trivult.

cùm in Canonem non recipiant nisi eos libros, qui hebraicè scripti sunt, istum, utpote qui, quamvis primò hebraicè exaratus fuisse credatur, græcè tantùm superest, excludant. Id etiam multorum consuetudine evenit, qui inter Jeremiæ scriptiones, & non separatim eum collocabant; unde veteres Ecclesiæ tabulæ ejus, expresso nomine, non meminerunt, eoquòd sub Jeremiæ nomine comprehenderetur; hæcque consuetudo à prima Ecclesiæ ætate prodita à vetustis Patribus servata est. Sancti quippe Patres Irenæus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Ambrosius, Julius Firmicus, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, & alii complures in suis scriptis Prophetiam Baruch velut Scripturam sacram sub Jeremiæ nomine laudant.

Quantùm verò ad illos novi Testamenti libros, quos Ecclesiæ nostræ Adversarii rejiciunt, certum est, Epistolam S. Pauli ad Hebræos à Veteribus tanquam divinam Scripturam fuisse habitam. Ipse Clemens Romanus multas ex ea sententias transfert in suam ad Corinthios Epistolam, quem ex Hebræo illam in Græcum vertisse censet Eusebius, qui & illius auctorem fuisse Paulum innuit. (*f*)

Origenes eam à Majoribus Paulo adscriptam fuisse ait (*g*), illiusque sententias Pauli, dictionem verò & compositionem esse alterius, qui videlicet Apostoli dictata exceperit, & in litteras retulerit.

Illius etiam meminit Tertullianus, sed eam Barnabæ vindicat. (*h*)

Clemens quoque Alexandrinus eam Paulo adjudicare videtur, utpote quam à Paulo dictatam excepisse Lucam dicat. (*i*)

Hieronymus ad Dardanum scribens, ait, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Ecclesiis ut germanum Pauli fœtum fuisse admissam; quæ, quamvis à Latinis in Canonem sua ætate nondum relata esset, se tamen veterum Scriptorum auctoritatem sequi, neglecta temporis sui consuetudine. Epistolâ quoque ad Evagrium recipi eam, ait, ab omnibus Græcis, & à nonnullis Latinis.

A Latinis verò in Ecclesia legi solitam non fuisse tradit Philastrius (*k*), quòd ab Hæreticis depravata, & additamentis quibusdam fuisset inquinata.

Et verò Pauli eam esse demonstrari ex eo videtur, quòd in ea Timothei meminerit Apostolus, eumque fratrem, ut in aliis Epistolis appellet. (*l*)

Jacobi Epistolam inter Canonicas recensuit Clemens Alexandrinus in libris Hypotyposeon apud Eusebium. (*m*)

Ejus verba non semel usurpat Tertullianus advers. Jud. c. 2. & lib. de Orat. cap. 8.

Illius patrocinium sibi asciscit S. Cyprianus, advers. Novat.

Asciscit & Origenes Cyprianô & Eusebiô antiquior; idemque novi Testamenti Scriptores enumerans, Jacobum haud quaquam prætermittit. (*n*)

Nec etiam eam prætermittunt Auctor Synopsis sacrorum librorum, & Gregorius Nazianzenus in Carmine de libris Canonicis.

Eandem Epistolam, licèt initiô controversam, procedente tempore auctoritatem obtinuisse Hieronymus asseverat. (*o*)

Petri secundam ei indubitanter adscribunt Origenes, Hom. 5. in Joan. & Hom. 13. in Genes. item Hom. 7. in Josue. Eusebius, lib. 3. Hist. c. 25. & Hieronymus,

 de

(*f*) Lib. 3. Hist. c. 32. (*g*) Lib. 5. in Joan. (*h*) De pudicit. c. 20. (*i*) Lib. Hypotypos. apud Euseb. l. 3. Hist. c. 38. (*k*) Hæres. 88. (*l*) Heb. 13. v. 23. (*m*) Lib. 2 hist. c. 23. & 25. *Item* lib. 9. c. 14. (*n*) Hom. 13. in Genes. Et Hom. 7. in Joan. (*o*) De Script Eccles. in Jacobo.

de Script. Eccles. in Petro. Meritò quidem, quippè quòd in monte sancto se Christo adfuisse dicat illius Auctor c. 1. v. 17. Et Paulum charissimum suum fratrem appellet, seque jam priorem Epistolam scripsisse significet, c. 3. v. 1. & 15.

Eam etiam inter Catholicas Epistolas collocavit Clemens Alexandrinus lib. Hypotyp. necnon Auctor Synopsis, & Gregorius Nazianzenus in Carm.

Joannis secundam & tertiam Epistolas inter Canonicos libros recenset Origenes, ut & Clemens Alexandrinus apud Eusebium. (*p*)

Dionysius Alexandrinus tertiam Joanni Apostolo vindicat, sed hæc brevior est, quàm ut ei diutiùs immoremur; satis est, quòd sexcentos Scriptores anni sequentes tulerint, qui illam eidem Apostolo absque hæsitatione tribuerunt.

Epistolam Judæ Apostoli sacris & Canonicis Scripturis adnumerat Origenes, Hom. 13. in Genes. & in Jos. & in Matth. Ejus verbis se defendunt Tertullianus, de habit mul. c. 3. & Cyprianus, advers. Novat. Eandem Canonicorum librorum Catalogo intexuerùnt Clemens Alexandrinus, in lib. Hypotyp. Auctor Synopsis, Gregorius Nazianzenus, in Carm. Eusebius quoque lib. 2. Hist. c. 23. & 24. & lib. 3. c. 15. necnon Hieronymus (*q*), eam divinis Scripturis adjungunt.

Apocalypsim Joanni Apostolo tribuit Justinus, in Dialog. cum Triphone. Eam quoque illius esse affirmat Irenæus, qui & recens fuisse sua ætate hoc Opus testatur, & suâ pene memoriâ, sub finem nempe Imperii Domitiani, visa esse Joanni, quæ in Apocalypsi memorantur. (*r*)

Id ipsum de Apocalypsis Auctore persuasum fuit Tertulliano, adv. Marcion. lib. 3. c. 14. & lib. 4. c. 5. Clementi Alexandrino, apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 23. Apollonio, adv. Cataphryg. apud eundem Euseb. lib. 5. Hist. c. 18. Et Origeni, in Matth. & in Joan. item apud Euseb. lib. 4. hist. c. 25.

Ex his, & aliis quamplurimis testimoniis, quæ brevitatis studiô prætermittimus, liquidò constat, quàm immeritò Adversarii nostri contendant, Ecclesiam, cùm hos libros Scripturæ in Canonem retulit, non fuisse secutam Traditionem. Quin potiùs omnino dicendum est, eosdem libros Ecclesiæ ab Apostolis traditos fuisse ut divinos; alioquin celeberrimæ cùm Orientis, tùm Occidentis Ecclesiæ, ut Alexandrina, Africana, ac præcipuè Romana eos ut divinos non semper habuissent, nec ab Innocentio Papa, nec à Conciliis in Canonem fuissent relati; siquidem Ecclesia non potest aliud credendum fidelibus proponere præter id, quod ab Apostolis fuit acceptum, & traditum.

Ad testimonia Patrum, quæ pro sua 62
opinione adducunt Adversarii, respondemus; mirum non esse, si eos Scripturæ libros, de quibus nondum erat unanimis Ecclesiarum sententia inter Canonicos non recensuerint aliqui Veteres: at posteà verò, cùm omnibus demum Ecclesiis patefacta est antiquissima celeberrimarum Ecclesiarum, & inprimis Romanæ Ecclesiæ traditio, quâ constabat, eosdem libros, de quibus à nonnullis dubitabatur, ut divinos ab Apostolis fuisse acceptos partim, partim verò scriptos, tum illos pro Canonicis habere cœpit Ecclesia universa. Qua responsione videtur abunde satisfieri iis, quæ ex Veteribus quibusdam objiciunt Adversarii.

Nam 1mo. Ex eo, quòd Melito Judæorum Canonem, in quo viginti duo tantùm libri veteris Testamenti recensebantur, secutus fuerit, nihil aliud inde colligi potest, nisi, quòd nondum uno Ecclesiarum consensu pro Canonicis habiti fuerint ii, de quibus agitur, libri.

Orige-

(*p*) Lib. 6. Hist. c. 14. (*q*) De Script. Eccl. in Juda, & in c. 1. Ep. ad Tit. (*r*) Lib. 4. c. 37. & 50. Item lib. 5. c. 30.

Origenes verò, etsi citatis locis, ubi tanquam Historicus loquitur, illorum veteris Testamenti librorum, quos Ecclesia Judæorum Canoni adjecit; ut & Epistolarum Judæ, & Jacobi non meminerit, meminit tamen alibi, hosque libros tanquam Scripturam sacram divinosque Codices habuit, prout primùm ostendimus.

63 Ad testimonia Concilii Laodiceni, posterioris Apostolorum Canonis, Auctoris Synopseos, Gregorii Nazianzeni, seu Amphilochii, & aliorum eadem respondemus, quæ ad Melitonis auctoritatem reposuimus. Certè S. Athanasius, cui Synopsis adscribitur, plura loca è libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Epistolæ S. Jacobi, & Apocalypsis, tanquam divinis, & Canonicis passim in suis Scriptis citat, ut patet ex indice locorum Scripturæ sacræ, qui reperitur ad calcem Tom. 2. & 3. Edit. Benedictin. Parisiens. Hosque libros tanquam divinos publicè in Ecclesia legisse Alexandrinam Ecclesiam, testis est Origenes, Hom. 27. in Num.

Sanctus quoque Hilarius; ipseque Hieronymus, qui librum Judith in Prologo Galeato inter Canonicos non recenset, nihilominus Præfat. ad librum Judith asserit, quòd Nicæna Synodus librum hunc inter Scripturas Canonicas computarit.

Sanctus autem Augustinus ait (s), Machabæorum libros, quamvis in Canone Judæorum non contineantur, tamen ab Ecclesia pro Canonicis haberi. Similiter S. Joannes Damascenus ambos Machabæorum libros citat, & eorumdem auctoritate nititur. (t)

64 Ob. 2do. Si ad Ecclesiam pertinet determinatio Canonis librorum sacrorum, tunc etiamad eam pertinet judicare deScripturis ipsis. Atqui hoc est absurdū. Ergo &c. Maj. est aperta. Min. prob. Si Ecclesia judicat de Scripturis, sequitur, eam esse supra Scripturam, majoremque illâ habere auctoritatem. Atqui hoc est falsissimum. Ergo &c.

Resp. neg. min. 1mi Arg. ad illius prob. neg. causalem Majoris. Duobus modis intelligi potest, Ecclesiam judicare de Scripturis. 1mo. Ita ut judicet an vera vel falsa sint, quæ sacris libris continentur. Quod si ita de Scripturis pronuntiaret Ecclesia, ipsis profectò superior supponeretur: at non ita est; eninverò tanquam certissimum, & indubitatum habet Ecclesia, vera esse ea, quæ in Scripturis revelata exprimuntur. Secundò modò de sacris Scripturis judicat Ecclesia, cùm sacros libros à prophanis, certos & Canonicos à dubiis & apocryphis discernit: ex quo non sequitur, eam esse Scripturâ superiorem, sed tantùm ipsius judicium esse supra judicia privatorum hominum. Neque Scriptura est verior, aut certior, quia sic ab Ecclesia exponitur, sed privatorum sententia est verior, & certior, quando ab Ecclesia confirmatur.

Aut fortè licebit Adversariis de certis Scripturæ libris judicare, non item Ecclesiæ? Ergo Synagoga ipsa, cùm in Canonem viginti duos tantùm libros retulit, se Scripturâ superiorem ostendit? Ergo Veteres, quos sequi se testantur Adversarii, Scripturâ superiores fuerunt, cùm modò hos, modò illos libros è Canone expunctos, aut in eum suscipiendos censuerunt? En quàm absurda sit Adversariorum objectio.

Caput VI. 65

De obscuritate S. Scripturæ, & modo eam probè intelligendi. Item de multiplici illius sensu; & cujus sit germanum illius sensum tradere.

Hìc statim initiô nobis adversùs nostræ Catholicæ doctrinæ hostes decertandum est. Hi enim apertè tueri videntur sacram Scripturam claram esse, ita ut, quæ

(s) Lib. 18. de civ. c. 36. (t) De precib. pro mort.

quæ in ea paulò obſcuriora fortè videntur loca, ab aliis clarioribus illuſtrentur, & exponantur; necnon ab illis facilè intelligantur, qui pii, fideles, prædeſtinatique eam reverenter, & attentè atque ſine pravo affectu legunt.

At contrà Catholici omnes contendunt, Scripturam equidem quoad quædam Capita, ut ſunt Deum exiſtere, Chriſtum Dominum eſſe natum, paſſum, & alia ejusmodi, quæ cuique legenti per ſe patent, claram eſſe, attamen plerumque obſcuritate involvi. Quibuscum ponitur

CONCLUSIO I.

Scriptura ſacra plerumque eſt obſcura, & intellectu difficilis; necnon in varios ſenſus interdum trahi poteſt.

Prob. Concluſio 1mo. Ex S. Scriptura. *Da mihi intellectum*, inquit pius utique Propheta David (*u*), *& ſcrutabor legem tuam .... Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua . ... . faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.* Atqui eorum, quæ per ſe ſunt evidentia, aut ſaltem aliunde exponuntur & illuſtrantur, intelligentia à Deo non petitur. Ergo &c.

Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum, vir utique pius, & fidelis, non intelligebat Iſaiæ locum, quem legebat ſedens in curru ſuo; interrogatus enim à Philippo: *Putas intelligis, quæ legis?* reſpondit: *quomodò poſſum niſi aliquis oſtenderit mihi?* Ergo &c.

Apoſtoli ipſi multa eorum, quæ à Chriſto dicebantur, non intelligebant, Matth. 13. v. 36. Item c. 16. v. 11. Lucæ 18. v. 34. Item c. 24. v. 27. & Act. 8. v. 31. (*x*) *Acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus dicentes: ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri &c.* Ergo &c.

Denique S. Petrus loquens de Epiſtolis S. Pauli, *In quibus*, inquit (*y*), *ſunt quædam difficilia intellectu &c.* ubi notandum, ait Bellarminus (*z*), Apoſtolum non dicere, eſſe quædam difficilia intellectu indoctis, ipiis, & inſtabilibus, ſed difficilia abſolutè. Ergo &c.

Præterea multa ſunt in Scripturis, quæ prima fronte videntur contraria, & falſa, proindeque difficultatibus plena, & diſputationi obnoxia, prout oſtendemus, ubi de ſingulis Scripturæ libris agemus. Ergo &c.

Prob. 2do ex SS. Patribus. S. Irenæus 66
lib. 2. cont. hæreſ. cap. 28. aliàs 47. poſtquam in rebus creatis, & naturalibus plurima nos latere dixit, multa etiam in Scripturis obſcura eſſe docet. *In Scripturis*, inquit, *quædam abſolvimus ſecundùm Dei gratiam, quædam autem commendamus Deo .... ut ſemper quidem Deus doceat, homo autem ſemper diſcat, quæ ſunt à Deo.*

Origenes, *Alii quoque*, inquit (*a*), *cordati viri ſcrutando Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licèt re vera ſit multis locis obſcura.*

De Baſilio & Gregorio Nazianzenô hæc ſcribit Ruffinus: (*b*) *Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos tredecim .... ſolis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propriâ præſumptione, ſed ex Majorum ſcriptis, & auctoritate ſequebantur; quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat.*

S. Joannes Chryſoſtomus in illud Joannis (*c*): *Scrutamini Scripturas: Non enim*, ait, *rem in ſuperficie, & in promptu poſitam effodimus, ſed quæ tanquam theſaurus profundè reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam, & laborem, nunquam quæſita inveniet.*

(*d*) Auctor

(*u*) Pſal. 118. (*x*) Matth. 13. v. 36. (*y*) 2. Pet. c. 3. v. 16. (*z*) Lib. 3. de Verb. Dei c. 1. (*a*) Lib. 7. cont. Celſ. (*b*) Lib. 11. Hiſt. c. 9. (*c*) Hom. 44. in Joan.

(*d*) Auctor operis imperfecti duas affert rationes cur Scripturæ sint obscuræ. 1mo. Quia Deus voluit alios esse Magistros, alios discipulos. 2do. Ne si clara esset, non tam esset utilis, quàm contemptibilis.

S. Ambrosius, *Mare*, inquit, (*e*) *est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.*

S. Hieronymus fatetur, (*f*) *se Alexandriam perrexisse, ut à Dydimo, quæ in Scripturis habebat dubia, sciscitaretur.* Et Epistolâ ad Algasiam, (*g*) *Omnis*, inquit, *Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.*

Denique, ut alios quamplurimos omittamus, S. Augustinus hæc de Scripturæ sacræ obscuritate eloquitur: (*h*) *Multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inveniunt, ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitùs esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.* Et Ep. 3. *Tanta*, inquit, *est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximò otiò, summò studiò, meliore studiò conarer addiscere.* Et Epist. 119. c. 21. *In ipsis sanctis Scripturis multò plura nescio, quàm scio.* Denique lib. de fide & operib. c. 15. & 16. fatetur sibi difficillimum esse intellectu locum illum I. Cor. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum &c.* aitque, hunc esse unum ex illis locis, quæ beatus Petrus monuit esse difficilia intellectu.

67 Prob. 3tio. Ratione Theologica. In S. Scriptura duo considerari possunt, res nempè & modus, quibus illæ exprimuntur. Atqui secundùm utrumque Scriptura est obscura. Ergo &c.

Prob. min. 1mo. quantùm ad primum. Res, quas tradit Scriptura sunt summa mysteria de Trinitate divina, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis cœlestibus, de natura Angelorum, de operatione Dei in mentibus humanis, de æterna prædestinatione, ac reprobatione, deque aliis arcanis & supernaturalibus rebus, quæ non sine magno studio & labore, nec sine gravissimo erroris periculo investigantur; Imò magna pars Scripturæ vaticinia continet de rebus futuris, & vaticinia carmine scripta, quibus certè nihil difficilius, nihil obscurius. Ergo &c.

Prob. 2do. Quoad 2dum id est, modum quo res in sacra Scriptura exprimuntur. 1mo. In illa plurima sunt, quæ prima fronte videntur contraria; prout patebit, ubi de singulis Scripturæ libris agemus. 2do. Continet multa verba, & orationes ambiguas. 3tio. Orationes imperfectas. 4to. Præposteras. 5to. Phrases Hebræis proprias. 6to. Orationes plurimas figuratas, Tropos, Metaphoras, Allegorias, Hyperbata, Ironias, & alia id genus sine numero prout legenti eam patet. Atqui hæc omnia obscuritatem præ se fuerunt. Ergo &c.

Confirmatur. Ideo Metaphysica difficilior, & obscurior est omnibus aliis naturalibus disciplinis, quia causas altissimas tractat. Atqui sacra Scriptura de rebus longè altioribus agit. Ergo & ipsâ Metaphysicâ obscurior, & intellectu longè difficilior esse dignoscitur. 68

Denique suffragatur unanimis sacræ Scripturæ Interpretum tam Catholicorum, 69 quàm Acatholicorum sententia. Si enim adeò clara est Scriptura, ad quid tot illius interpretationes & Commentaria? Unde inter ipsos Acatholicos tanta circa nonnulla

(*d*) Hom. 44. in Matth. (*e*) Ep. 2. aliàs 44. ad Constantium. (*f*) Præfat. Comment. in Ep. ad Ephes. q. 8. (*g*) Quæst. 8. (*h*) Lib. 2. de doct. Chr. c. 6.

la Scripturæ loca exponenda dissensio? Numerantur apud ipsos, ut cætera taccamus, octoginta clarorum apud nos Catholicos istorum Christi verborum, *Hoc est Corpus meum* variæ interpretationes. Clara ista verba videntur Luthero, & ipsius Sectatoribus ad stabiliendam realem, & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam. Ex adverso clara videntur Calvino, & illius discipulis, ad eam rejiciendam, & solam virtutis præsentiam comprobandam. Quis litem hanc inter illos componet? Scriptura fortè? At de illius sensu controvertitur, & quisque eam ad se inflectere nititur. Igitur infinita propemodùm Scripturæ Interpretum volumina, & de illius sensu in plurimis locis inter Adversarios ipsos excitatæ discordiæ totidem sunt aperta obscuritatis illius argumenta.

70 Nec valet, quòd Adversarii hac misera ratione sibi videantur posse elabi, ut scilicet eam claritatem iis saltem Scripturæ locis tribui velint, quibus, ut ajunt, fidei Capitales Articuli continentur. Nam de ipsis etiamnum est controversia, quam prætensa hæc Scripturæ claritas necdum definire potuit. Et verò, an non unitas essentiæ in tribus distinctis personis; divinitas Christi; substantialis, & hypostatica divinitatis cum humanitate conjunctio, &c. sunt articuli capitales, seu fundamentales fidei nostræ? Attamen non ita clarè ac nitidè in Scripturis contineri visi sunt Arianis, Sabellianis, Nestorianis, Socinianis, quin ab iis protervè impugnati fuerint.

Ubi etiam in Scripturis expressè & clarè definitum, validum esse Baptismum ab Hæreticis collatum, nec licere illum reiterare? Ubi, inquam, clarè exprimitur, Patrem esse ingenitum? *Patrem* inquit S. Augustinus, (*i*) *in illis libris nunquam ingenitum legimus, & tamen dicendum esse, defenditur*. Ergò patet Scripturam sacram esse obscuram.

Originem verò & causam obscuritatis S. Scripturæ hanc esse ajunt SS. Patres, quòd nempe sublimiora sint, quæ continet, mysteria, quàm ut humana mens ea attingere possit. Quòd nimia sit hominum corruptio, & infirmitas, quàm ut ea mysteria assequi, & intellectu percipere possint: *Animalis quippe homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei*, inquit Apostolus. (*k*) Quod denique ipse Scripturarum loquendi modus sit obscurus, figuratus, & ambiguus. 71

Porrò ad Scripturam probè intelligendam, seu, quod ad idem redit, ad genuinum ejus sensum eruendum hæ præcipuè servandæ sunt regulæ juxta SS. Patres. 1mo. Conferri debet cum doctrina fidei, & morum. 2do. Conferri debet cum loco, tempore, & scopo personæ scribentis; personarum mutatio, & maximè in Prophetis difficilem intellectum facit, quæ si suis locis, causis, & temporibus reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura. 3tio. Conferri debet Scriptura cum Scriptura, sive Codex cum Codice, textus cum textu, id est, textus antecedentium & consequentium Scripturæ locorum cum loco dubio, cujus genuinus, & à Spiritu sancto intentus quæritur sensus; si enim antecedentes, & consequentes textus cum illo conveniant, litteralis, & genuinus habebitur sensus. 4to. Conferri debet sacra Scriptura cum sanctorum Patrum sententiis; multum enim juvat ad genuinum attingendum Scripturæ sensum sanctorum Patrum sententia; ad illam quippe respicere, & illâ in suis definitionibus uti solet Ecclesia: unde in Conciliis fermè semper conclamatum, *Hæc est fides Patrum*. Ipsi quippe velut fidei nostræ depositarii, adeoque & ipsius Scripturæ sensûs semper habiti sunt. 5to. Denique, conferri debet Scriptura cum Ecclesiæ judicio: hæc namque regula est omnium præcipua, quâ genuinus Scripturæ sensus discernitur, & eruitur. Ecclesia enim infallibili 72

(*i*) Epist. 238. aliàs 174. n. 6. (*k*) I. Cor. c. 2. v. 14.

libili pollet auctoritate verum tradendi Scripturarum sensum, prout mox demonstrabimus.

Hæ igitur sunt præcipuæ regulæ pro discernendo vero divinæ Scripturæ sensu, quæ tamen omninò inutiles evadent, nisi iis jungantur. 1mo. Fides, quia *nisi credideritis, non intelligetis*, inquit Isaias.(*l*) 2do. Humilitas, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*m*) Et, *ubi humilitas, ibi sapientia.* (*n*) Ipseque Dominus: *Confiteor tibi Pater*, inquit, (*o*) *quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* 3tio. Conscientiæ puritas, quia *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* (*p*) 4to Oratio, quia non tam à libris, quàm à Deo Patre luminum, & scientiarum petenda est scientia: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, inquit Psalmista. (*q*) Unde S. Augustinus, *non solùm*, inquit, (*r*) *admonendi sunt studiosi litterarum venerabilium, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant ...... verùm, quod est præcipuum, & maximè necessarium, orent, ut intelligant.* 5to. Assidua denique divinæ Scripturæ lectio: *Scrutamini Scripturas*, inquit ipse Christus. (*s*) Et Josue c. 1. v. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Attendite lectioni*, inquit S. Paulus ad Timotheum c. 4. v. 13. *exhortationi, & doctrinæ.* Et S. Hieronymus, (*t*) *tenendi Codicem* (Scripturæ sacræ) *somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.*

73 His de sensu S. Scripturæ probè intelligendo ita prælibatis, quotuplex ille sit, modò exponendum.

Ac 1mo quidem generali divisione sensus S. Scripturæ dividitur in *verum*, & *accommodatitium.* Ille est, quem Deus in Scripturis loquens mediatè vel immediatè intendit, seu est id, quod Spiritus sanctus vult nobis per Scripturæ verba significare. Iste verò, qui Scripturæ verbis nec mediatè nec immediatè significatus ad aliquid aliud simile applicatur; quod passim apud S. Bernardum videre est. Sic etiam Ecclesia in Breviario, illud Ecclesiastici de Noë prædicatum, (*u*) *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, cuilibet sancto Confessori Pontifici adaptat. Imò nonnulli Commentatores contendunt, novi Testamenti Scriptores veteris Testamenti textibus per accommodationem aliquando uti; idque probare conantur ex Matth. c. 2. ubi, inquiunt, per accommodationem laudantur hæc verba Osea c. 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*: & hæc alia, *Vox in Rama audita est &c.* ex Jeremiæ c. 31. Item ista, *Aperiam in parabolis os meum*, quæ laudantur Matth. 13. ex Psal. 77.

Verùm id absolutè non concedimus; enimverò quæcunque in novo Testamento scripta sunt, ea mediatè vel immediatè intendit Spiritus sanctus, sive dein ex veteri Testamento illuc sint transcripta necne, quamvis per adaptationem ibi posita dignoscantur.

Ut verò sensus accommodatitius licitè Scripturis adaptari possit, hæc præcipuè requiruntur, 1mo. Ut ad res pias applicetur; scelus quippe est, Scripturas transferre ad vitia, prophana, aliaque ejusmodi; mandatque Synodus Tridentina sess. 4. *Ut omnes hujus generis homines, temeratores, & violatores Verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos puniantur.* 2do. Requiritur, ut sensus iste non proferatur tanquam litteralis, aut mysticus. Adversùs illos, qui sub hac ratione sensum accommodatitium proferunt, graviter invehitur S. Hie-

(*l*) C. 7. v. 9. (*m*) Jacobi c. 4. v. 5. (*n*) Prov. 11. v. 2. (*o*) Matth. 11. v. 25. (*p*) Sap. 1. v. 4. (*q*) Psal, 118 v. 18, & 34. (*r*) Lib 2. de doct. Chr. c. 37. (*s*) Joan. 5. v. 39. (*t*) Ad Eustochium. (*u*) C. 44. v. 17.

Hieronymus, Epist. ad Paulin. 3tio. Ut litteralis, aut mysticus sensus non tradatur velut accommodatitius. Peccavit in hoc Theodotus Mopsuestenus, qui ea omnia, quæ in veteri Testamento de Christo, ejusque mysteriis prædicta sunt, de eo secundùm rei eventum, accommodatitiè nimirum interpretabatur: sic hæc Psalmistæ verba, *Non derelinques animam meam in inferno* contendebat, prædicta esse de populo Israëlitico, non de Christo, *ad quem nihilominùs*, inquiebat, *propter rei eventum, hoc est, propter Christi resurrectionem Petrus Act. 2. ea per sensum accommodatitium transtulit.* 4to. Denique requiritur, ut Scripturis sensus falsus per accommodationem non tribuatur. Contra hanc regulam peccabant Montanistæ tribuentes Montano, quæ Scriptura Paracleto tribuit. Hæ si observentur regulæ, & conditiones, tutè hujusmodi sensus Scripturæ tribui potest, non quidem, ut eo, tanquam firmo argumentô, fidei & morum dogmata probentur, quippe qui à Spiritu sancto nec mediatè nec immediatè proveniat. Hæc de sensu accommodatitio sacræ Scripturæ.

74 Verus autem Scripturæ sensus generali iterùm divisione distinguitur in *Grammaticalem*, *Litteralem*, & *Mysticum*. Grammaticalis est ille, qui legentibus ultrò se primùm, solòque inspectô vocum sonô ingerit: ita, cùm Deum pœnitentiâ, atque irâ tangi, cùm illum ascendere, descendere, oculos & aures intendere legimus, sensus grammaticalis Deum corpore constantem, & humanis affectibus obnoxium innuere videtur: verùm cùm Deum humanis hisce non detineri, fide docente, teneamus; hinc sensum Grammaticalem in his rejiciendum intelligimus.

Litteralis, qui etiam *historicus*, & *externus* dicitur, ille est, quem historia, res gestæ, & verba Scripturæ immediatè significant. Sic cùm legimus Abraham duxisse Agar ancillam suam, subindè eam dimisisse; natum ex Sara Isaac, eumque circumcisione initiatum; hæc omnia litterali, & historico sensu nihil aliud significant, quàm quod ipsa historia exprimit; connubium nempe Abrahami cum Agar, Ortum Isaac &c.

Mysticus, seu *Spiritualis* Scripturæ sensus est ille, qui non per verba ipsa, sed per rem verbis significatam nobis à Spiritu sancto notatus est. Sic, quæ ad litteram dicuntur de egressu Judæorum ex Ægypto, de transitu maris rubri, de Manna, de aqua, quæ fluxit ex petra &c. mysticè, seu spiritualiter referuntur ad Baptismum, ad redemptionem Christianorum, ad Eucharistiam, ad bona, quæ repetiuntur in Ecclesia Christi.

Sensus *Mysticus*, seu *Spiritualis* subdividitur in *Allegoricum*, seu *figuratum*; *Anagogicum* seu *congruentem*, & *Tropologicum* seu *moralem*.

Allegoricus indicat ea, quæ ad fidem, & Ecclesiam militantem pertinent: sic connubium Abrahæ cum Agar ancilla sua, quod postmodum eâ propter suum filiique sui crimen è domo pulsâ solutum est, allegorico sensu Synagogam designat, quæ nonnisi mancipii locô habita tandem criminum suorum meritô reprobata est: Sara autem legitima & libera Abrahæ uxor Ecclesiam, quæ Christi Sponsa est; Isaac populum electum, seu Christianum designat.

Sensus *Anagogicus*, seu *congruens* est ille, quo quædam Scripturæ phrases ad vitam, & felicitatem æternam traducuntur. Sic Sabbatum, sive quies à Deo Hebræis injuncta aptissimè significat Sanctorum æternam in cœlo requiem. Sic etiam ingressus Israëlitarum in terram promissionis sensu mystico congruè de aditu electorum in terram viventium, cœlum nempe, intelligitur.

Sensus *Tropologicus* seu *moralis* est ille, qui regulas morum rectè instituendorum ex historia atque contextu Scripturæ profert. Sic ex verbis Deuteron. 25. v. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, alendos esse veritatis prædicatores rectissimè infert Apostolus I. Cor. 9. v. 10.

Sensus

Sensus ergo *Litteralis* res gestas, & historiam; *Allegoricus* res fide certas; *Anagogicus*, quæ ad felicitatem æternam spectant: *Tropologicus* verò morum regulas respicit, juxta notos versiculos:
Littera gesta docet; quid credas, Allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, Anagogia.

Hos omnes quinque S. Scripturæ sensus, videlicet grammaticalem, litteralem, allegoricum, anogogicum, & tropologicum, unica vox *Jerusalem*, præ se ferre videtur, nam juxta grammaticalem significationem sonat *Visionem pacis*; litterali sensu est Judææ metropolis; Allegoricô militans Ecclesia; Anagogicô Ecclesia triumphans; Tropologicô autem anima justi, cujus *Jerusalem* aptissimus typus est.

Multiplex iste sacræ Scripturæ sensus etiam manifestæ rationis locô esse potest, eam non ita claram esse, ac pertendunt Adversarii nostri, quin potiùs multis obscuritatibus involvi, nostrisque ideo argumentis, quibus id probavimus, stare suam firmitatem.

Qua ratione autem hæc sacræ Scripturæ obscuritas tolli, atque genuinus illius sensûs haberi possit, paulò ante statutis regulis indicavimus, quarum præcipuam esse Ecclesiæ judicium ibidem quoque significavimus, utpotè, quæ infallibili polleat auctoritate, verum ac genuinum sacrarum Scripturarum sensum tradendi; cui asserto cùm, licèt immeritò, obstrepent Adversarii nostri, hinc illud hîc paulò fusiùs stabilire operæ pretium duximus, etsi, quia cum iis prorsus coincidat, quæ præcedenti Capite circa auctoritatem Ecclesiæ in determinando earumdem sacrarum Scripturarum Canone disseruimus, & probavimus, sufficienter per illa stabilitum non ineptè arbitramur, nihilominùs pro majori rei claritate & robore sit

Conclusio II.

75 **Ecclesia est Judex infallibilis germani ac genuini sacræ Scripturæ sensûs.**

Prob. Conclusio, iisdem prorsus argumentis, tùm ex sacra Scriptura, tum ex sanctis Patribus, tùm ex ratione petitis, quibus Cap. præcedenti ostendimus, quòd ad Ecclesiam pertineat determinatio, & definitio Canonis sacrarum Scripturarum; quippe ex quibus apertè deducitur, ad eam quoque pertinere, sensum earumdem determinare, definire, ac judicare; enimverò præcipuè ex divino duntaxat sacrorum librorum sensu Ecclesia eorumdem Canonem repetiit. Quibus porrò argumentis hæc addimus. Igitur

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura. Ex veteri Testamento. Aggæi 2. v. 12. Hisce Dominus populum suum compellat: *Interroga Sacerdotes legem.* Ergo lex sacra, illiusque sensus à Sacerdotibus, seu Ecclesiæ Principibus, adeoque ab Ecclesia est requirendus.

Ex novo. Act. 20. *Attendite vobis*, inquit Apostolus, & *universo gregi*, *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Atqui ad eos tantùm spectat jus tradendi germanum sensum Scripturæ sacræ, quibus convenit jus docendi, & regendi populos: nam in jure docendi ac regendi continetur jus Scripturas explicandi. Ergo jus istud ad Episcopos, seu Ecclesiam pertinet.

Prob. 2do. Ex praxi & consuetudine 76
Ecclesiæ, quæ controversias circa S. Scripturæ sensum exortas ultimatô semper definivit judiciô; & qui illius definitioni acquiescere renuerunt, tanquam Hæretici perpetuò habiti fuere, prout innumera penè exempla nobis subministrat Historia Ecclesiastica, ad quam, temporis angustiæ parcere volentes, adversarios nostros remittimus, ubi argumenti nostri veritatem invenient. Atqui id Ecclesia non potuisset, si ad ipsam non pertineret, verum & germanum S. Scripturæ sensum tradere, & definire, ut patet. Ergo &c.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, qui idipsum uno ore fatentur. 1mo. S. Ire- 77
næus,

næus, *Non oportet*, inquit, (*x*) *adhuc quærere apud alios veritatem*, *quam facilè est ab Ecclesia sumere*, *cùm Apostoli quasi in dives depositorium plenissimè contulerint omnia*, *quæ sunt veritatis*. .... *Propter quod oportet* ..... *quæ est Ecclesiæ*, *cum summa diligentia diligere*, *& apprehendere veritatis traditionem*. Ergo juxta S. Irenæum apud Ecclesiam quærenda est S. Scripturæ sensûs veritas, illiusque traditio.

2do. Ante ipsum Tertullianus docuit, (*y*) *Non debere cum Hæreticis disputari ex Scripturis: quia cùm possessio & intelligentia vera Scripturarum sit Ecclesiæ Catholicæ*, *priùs debet constare, quæ sit vera doctrina Ecclesiæ*, *& tunc ex illa intelligenda Scriptura*.

3tio. S. Augustinus, *Scripturarum*, inquit, (*z*) *etiam à nobis tenetur veritas*, *cùm hoc facimus*, *quod universæ jam placuit Ecclesiæ*, *quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas*. Item, *Ego verò*, inquit, (*a*) *Evangelio non crederem*, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*.

4to. Vincentius Lirinensis, *Quia*, inquit, (*b*) *Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu omnes accipiunt*, *sed eadem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur*, *ut pene quot homines sunt*, *tot illic sententiæ erui posse videantur*. *Atque idcircò multum necesse est*, *propter tantos tam varii erroris anfractus*, *ut Propheticæ*, *& Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur &c.* Id est, ut ipse ibidem apertè ostendit, *secundùm normam sensûs Ecclesiæ Catholicæ*.

78 Prob. denique Rationibus Theologicis. 1mo. Prævidit Deus, multas in Ecclesia exorituras difficultates, & controversias circa fidem, adeoque circa Scripturarum sensum, utpotè undè veræ fidei Capita eruuntur. Ergo debuit Judicem aliquem providere Ecclesiæ suæ, qui ultimatò & infallibili judiciô eas controversias finiret, verùmque ac germanum Scripturæ sensum aperiret. Atqui talis Judex est Ecclesia; quippe quæ est columna & firmamentum veritatis, & cui Christus usque ad finem mundi se adfuturum, & adversùs quam inferi portas nunquam prævalituras esse promisit. Ergo &c.

2do. Si non esset aliqua externa auctoritas, nempe Ecclesia, quæ posset tradere certum Scripturarum sensum, tunc Deus videretur malè consuluisse electorum saluti. Atqui hoc dicere est impium. Ergo &c. Prob. sequela Maj. 1mo. Ex electis plures sunt, qui Scripturarum sensum examinare non valent, aut præ linguarum imperitia, aut præ mentis hebetudine. 2do. Ex electis nonnulli sunt, qui adhuc in hæresi degunt. Atqui hi converti non possent ex defectu auctoritatis cujusdam externæ, à qua fidei doctrinam sacrâ Scripturâ contentam acciperent. Ergò necessaria est hujusmodi auctoritas, à qua Scripturæ sensum accipiant. Hæc autem auctoritas in sola Ecclesia residet &c.

3tio. In judiciis profanis & sæcularibus necessarius est Judex vivus, qui ex lege ejusque sensu à se exposito inter litigantes sententiam ferat, cui illi acquiescere tenentur. Ergo etiam multò fortiori ratione, in judiciis Ecclesiasticis fidemque spectantibus, necessarius est vivus Judex, qui Scripturæ, quâ fides continetur, sensum explanet, atque juxta illum sententiam inter litigantes pronuntiet, cui illi acquiescere teneantur. Subsum. Atqui talis Judex est sola Ecclesia. Ergo &c. Certè nullam hîc disparitatem afferre poterunt Adversarii. Ergo &c.

4to. Prob. argumentô ab ipsis Adversariis subministratô. Calvinistæ ipsi ad auctoritatem plenariæ Synodi Dordracenæ, quæ Ecclesiam, seu potiùs societatem suam velut exhibebat, confugerunt, ut exortam

(*x*) Lib. 3. adv hæref. c. 4. (*y*) De præscript. (*z*) Lib. 1. cont. Gescon. c. 32. (*a*) Cont. Epist. fund. c. 5. (*b*) In Commonit.

tam inter(*c*) *Arminianos* ſeu *Remonſtrantes* ex una parte, & *Gomariſtas* ex altera moleſtam de gratia & prædeſtinatione controverſiam, ex vario Scripturæ ſenſu profectam dirimerent. Quin & in Synodo Alecienſi Anno 1620. in Galliis celebrata decretum eſt, ut omnes, & ſinguli juramentô affirmarent, ſe ſtatuta Dordracena, quibus Scripturæ ſenſus circa gratiam & prædeſtinationem exponebatur, recipere, ac doctrinam Arminianorum rejicere. Et Cap. 5. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Art. 31. Ubi ſermo eſt de diſſidiis, quæ circa doctrinam vel diſciplinam Scripturæ ſensûs expoſitione confirmatas oriri poſſunt, dicitur, quòd, ſi neque privata monita, neque colloquium, neque provincialis Synodus finem his controverſiis imponere potuerint, ad Synodum Nationalem cauſa ſit remittenda, ut ibi ſupremô ac definitivô judiciô finiatur, lege omnibus impoſita, ut Concilii ſtatutis ſe ſe ſubjiciant; ſin' verò reluctentur, ejiciantur ab Eccleſia. Ergo ipſimet Adverſarii noſtri Controverſias de fide, adeoque de Scripturæ ſenſu Eccleſiæ committunt, quæ illas definitivô judiciô definiat, ſenſûmque Scripturæ circa illas determinet. Ergo ſola Eccleſia pollet auctoritate Scripturæ ſenſum determinandi, & definiendi.

Solvuntur Objectiones

Contra primam Concluſionem.

Ob. 1mo. Illud Deuteronomii 30. *Mandatum, quod ego tibi præcipio hodie, non eſt ſupra te, nec procul poſitum, nec in cælo ſitum, neque trans mare &c.* Atqui hoc textu innuitur facilitas intelligendi Scripturam, quæ hîc *Mandati* nomine deſignatur. Ergo &c.

79 Reſp. Neg. min. Locus enim iſte non agit de facilitate intelligendi Scripturas, ſed de facilitate implendi præcepta Decalogi, quæ *Mandati* nomine duntaxat intelliguntur, vel ea percipiendi, utpotè naturalia jam cuivis cordi inſcripta; & quæ Moyſes Judæis jam explicaverat, ipſique ſe percepiſſe faſſi fuerant, ac obſervaturos promiſerant.

80 Ob. 2do. Illud Pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et illud Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Item illud Prov. 6. *Mandatum lucerna eſt, & Lex lux.* Ergo &c.

Reſp. Hîc non agi de univerſis Scripturis, ſed tantùm de præceptis Domini, quæ dicuntur lucida, lucerna, & lux, quòd intellecta dirigant hominem in operando. Vel ſi de univerſis Scripturis hæc loca intelligi contendas; dicimus, eas eſſe lucidas, imo lucernam, & lucem, non quòd facilè intelligantur, ſed quòd intellectæ mentem illuſtrent.

81 Ob. 3tio. Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*, inquit Chriſtus diſcipulis ſuis. Ergo & eorum prædicatio, & Scripturæ erunt clariſſimæ.

Reſp. Neg. conſ. Loquitur hîc Chriſtus de luce exemplorum probitatis, & morum, unde ſtatim ſubdit: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Vel ſi eum de luce doctrinæ loqui velis, id ita intelligimus, ut Apoſtolorum

---

(*c*) Arminiani ab Arminio Univerſitatis Lugdunenſis Batavorum Profeſſore ſic dicti, qui cùm doctrinam Calvini de gratia & libero arbitrio omninò improbabilem ſenſiſſet, ad doctrinam Eccleſiæ rediit, contenditque, dari gratiam univerſalem omnibus hominibus conceſſam; atque in hominis poteſtate & arbitrio ſemper eſſe gratiam reſpuere, aut eidem conſentire &c. Eidem obſtitit Gomarus, unde Gomariſtæ, atque tuitus eſt poſt Calvinum, & cum omnibus Calviniſtis, dari gratiam particularem ſolis prædeſtinatis conceſſam, necnon decretum poſitivum tam reprobationis pro aliquibus, quàm prædeſtinationis pro cæteris, Quam Gomari opinionem amplexa eſt Synodus Drodacena anno 1618. celebrata, atque Arminii doctrinam damnavit Alio nomine Arminiani *Remonſtrantes* dicti fuere, barbarâ quidem & è Gallico tranſumptâ dictione, ob libellum, cui gallicum præfecere titulum *Remontrance*, Belgii fœderati ordinibus ſeu ſtatibus univerſis ab ipſis oblatum, in quo præcipuos fidei ſuæ articulos exponebant.

lorumScripturæ semel intellectæ mentem illustrent,& ab ea errorum tenebras procul arceant,non quòd ad intelligendum sint faciles.

82 Ob. 4to. Summa totius Scripturæ, quæ in præceptis Decalogi, symbolo, oratione Dominica, & Sacramentis consistit, habet in Scripturis apertissima testimonia. Ergo est apertissima.

Resp. Neg. ant. Si enim tam clara essent in Scriptura testimonia de omnibus e. g. Symboli articulis, & Sacramentis, momentò omnes de illis controversiæ finirentur. At non ita est; gravissimæ enim extant controversiæ de Symboli articulis, ac Ecclesiæ Sacramentis, non modò Catholicos inter & Acatholicos; sed & hi inter seipsos circa ea dissident. Cæterùm apertum est, vaticinia Prophetarum, Canticum Canticorum, Apocalypsim, & alia quamplura, quæ Scripturâ sacrâ continentur, esse obscurissima.

83 Ob. 5to. Hoc discrimen inter novum & vetus Testamentum intercedit, quòd in veteri Scriptura fuerit liber signatus; (*d*) in novo autem sit apertus. (*e*) *Aperuit enim agnus occisus librum*, & in morte Domini *velum Templi scissum est*. Ergo &c.

Resp. Discrimen utriusque Testamenti in hoc consistit, quòd in veteri non solùm sententiæ Scripturarum, sed etiam mysteria Christi non intelligerentur, quia omnia erant tecta figuris; & propterea dicitur Isaiæ 29. *Liber signatus* tam scienti litteras quàm nescienti. At in novo Testamento, quia Christus implevit figuras, & prophetias; etsi multi non intelligant sententias Scripturarum, intelligunt tamen ipsa mysteria redemptionis.

84 Ob. 6to. S. Augustinus hæc eloquitur: (*f*) *Magnificè, & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruit, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Ergo juxta S. Augustinum Scripturæ plerumque sunt claræ, & si quæ in eis obscuriora quædam occurrunt loca, ab aliis illustrantur.

Resp. Neg. cons. S. Augustinus hîc non loquitur de omnibus Scripturæ locis, addit quippe istud adverbium *ferè*: nec immeritò, nam quidam reperiuntur in Scriptura textus obscurissimi, qui per alios nequaquam explicari possunt, ut magna pars Apocalypsis, principium, & finis Ezechielis, &c. Deinde hoc ipsum est difficile, invenire nimirùm id, quod uno loco obscurissimè dicitur, ubinam apertè dicatur: alioqui quomodò diceret idem S. Doctor, (*g*) *se plura in sacris litteris nescire, quàm scire?* Quin etiam, quòd loca illa, quæ uni videntur apertissima, alteri obscura videantur.

Ob. 7mo. S. Chrysostomus Hom. 3. de Lazaro, postquam ostendit, Philosophos obscurè locutos esse, addit, Apostolos verò & Prophetas omnia manifesta, & clara fecisse, ac exposuisse, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, ex sola lectione. Et Hom. 3. in 2. ad Thessal. ait, *omnia clara esse ex Scripturis divinis*. Ergo &c. 85

Resp. Chrysostomum ad excutiendum teporem multorum, qui possent, si vellent, magno cum fructu Scripturas legere citatis locis uti amplificationibus. Nam alioqui iisdem locis affirmat, Scripturas esse difficiles. Item Hom. 10. in Joan. monet auditores, ut, antequam ad concionem veniant, lectionem prælegant, & quæ obscura sunt, notent, ut à Concionatore explicationem accipiant. Denique Hom. 44. in eundem, clarissimè docet, Scripturas esse obscuras, ut supra adnotavimus.

Ob. 8vo. Patres probant sententias suas ex Scriptura; sed non debet probari notius ex minùs noto. Ergo Scripturæ sunt clariores, quàm Commentaria Patrum. 86

Resp. Notiorem esse Scripturam Patrum sententiis notitiâ veritatis, quæ videlicet mentem magis ad sui assensum trahat, non verò notitiâ verborum, quæ in perspicuitate sententiarum consistit. Patres ergo sententias

(*d*) Isaiæ c. 29. (*e*) Apocalyp. 5. (*f*) L. 2. de doct. Christ. c. 6. (*g*) Ep. 119. c. 21.

tias suas Scripturarum testimoniis confirmant, quia notius est, verum esse, quod in Scripturis habetur, quàm quod habetur in Patribus; & tamen iidem Patres Commentariis suis Scripturas illustrant, quia verba illarum sunt obscuriora, quàm Patrum verba.

87 Ob. 9no. Patres primitivæ Ecclesiæ sine Commentariis Scripturas legerunt, & idem posteà fecerunt omnes alii veteres. Ergo & nos easdem sine Commentariis legere possumus, adeoque sunt claræ.

Resp. neg. ant. Idem enim nullò argumentò firmari potest, quin contrarium innumeris penè exemplis demonstrari potest.

Dicimus ergo, primos Patres, qui ipso Apostolorum tempore, vel statim post Apostolos floruerunt, non quidem legisse Commentaria, quippe cùm nulla essent; sed tamen adiisse viva Commentaria, Apostolos nempe, & eorum Discipulos, nec propriò ingeniò Scripturas intelligere voluisse. Ita de se ipsis testantur inter alios Papias apud Eusebium (*h*), & Clemens Alexandrinus, lib. 1. Strom. Deinde Justinus, & Irenæus cœperunt Commentaria scribere in divinas litteras, prout refert Hieronymus (*i*); similiter quoque posteriores antiquiorum Scripta evolvere inceperunt, quod de Basilio, & Gregorio scribit Ruffinus (*k*), & de se ipso Hieronymus. (*l*) Et deinceps multi alii.

88 Ob. 10mo. Si Scriptura esset obscura, videretur Deus studiò voluisse decipere homines, tali adhibitò loquendi modò, quem sciebat, non facilè ab eis intelligi posse. Atqui hoc dicere sapit impietatem, & blasphemiam. Ergo &c.

Resp. 1mo. retorq. arg. quoad illas Scripturæ partes, quas ipsimet Adversarii obscuras esse fateri coguntur, ut sunt Prophetiæ, Psalmi, & alia quamplurima veteri Testamentô contenta, imò illud ferè totum, ut quod nonnisi umbra fuerit, & figura intuitu novi. In novo autem Testamento Parabolæ Evangelicæ, quarum sensus & explicatio non ubique obvia est; &, ut alia prætermittamus, Apocalypsis, quam se non intelligere ultrò fassus est Lutherus. Quis autem inde concludat, Deum nos decipere voluisse?

Resp. 2do. Deo fuisse liberum, nobis hoc, vel alio modo, magis, vel minùs clarè loqui in Scripturis; cujus rei si rationem à nobis expetas, tibi cum Augustino respondebimus, hîc totam facti rationem esse potentiam agentis; Deique voluntatem, & sanctissimum beneplacitum adoramus. Duas tamen obscuritatis Scripturarum rationes supra ex auctore Operis imperfecti adnotavimus, quas vide.

Solvuntur Objectiones

Contra secundam Conclusionem.

Ob. 1mo. Illud Isaiæ c. 54. v. 13. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino.* 89
Ad quod referri potest illud Joannis c. 6. v. 45. *Erunt omnes docibiles Dei.* Ergo quilibet esse potest judex veri ac genuini Scripturæ sensûs.

Resp. neg. cons. Non loquitur hîc Isaias, nisi vel de doctrina Evangelii, quam Deus ipse, Christus scilicet, prædicavit & docuit, prout hoc locô exponit Cyrillus. Vel de gratia Spiritûs sancti, quâ homo movetur, & suaviter impellitur ad credendum, & amandum, ut exponit Augustinus. (*m*) Et hoc etiam sensu intelligendus est adductus textus Joannis.

Ob. 2do. Illud Jerem. c. 13. v. 34. 90
Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Paulò

 ante

(*h*) Lib. 3. Hist. c. ult. (*i*) De Vir. Illust. in Joan. (*k*) Lib. 11. Hist. c. 9. (*l*) Præfat. in Com. ad Ephes. (*m*) Lib. de grat. Christ. c. 12. & 13. & 14. Item Tract. 3. in Ep. S. Joan. n. 13.

ante dixerat Dominus (*n*); *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum.* Ergo &c.

Resp. 1mo. cum S. Augustino (*o*); illis verbis *dabo legem meam &c.* significari gratiam novi Testamenti, fidem nempe per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solùm sciamus, sed impleamus divina mandata. Illis autem: *Et non docebit ultra &c.* Significari prœmium fidei, beatitudinem scilicet, in qua omnes electi videbunt Deum facie, ad faciem.

Resp. 2do. Hîc Propheta non loquitur de mysteriis absconditis Scripturarum, sed de cognitione unius Dei; quam Prophetiam adimpletam cernimus. Nam Gentiles, & Idololatræ conversi sunt ad fidem, ipsique Judæi olim ad idololatriam proclives, & Turcæ, licèt impii, unum Deum nobiscum colunt.

92 Ob. 3tio. Illud Matth. c. 23. v. 8. *Vos autem*, ait Christus ad Discipulos suos, *nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester Christus.* Ergo ab ipso solo, non ab Ecclesia seu Ecclesiæ Præpositis, qui perperam hîc sibi Magistrorum officium arrogant, sensus Scripturæ expetendus est.

Resp. neg. conf. Non prohibet Dominus nomen & officium Magistri, sed honoris illius ambitionem, & affectationem. Apostolus enim ipsemet se Doctorem & Magistrum Gentium appellat, 2. ad Timoth. 1. Ergo locô citatô Christus monet duntaxat Discipulos suos, ne ad imitationem Scribarum, & Pharisæorum primas ambirent Cathedras, & affectarent salutari ab hominibus *Rabbi.* Deus equidem solus Magister est, dum per seipsum interioris gratiæ influxu mentem illustrat, ad voluntatem movet, quando Pastores, & Doctores exteriùs insonant, verbum Dei annuntiando: nisi enim Deus ad externam verbi sui prædicationem aures cordis interiùs aperiat, evanescit illa, ac planè inutilis ad salutem evadit. Ita S. Augustinus. (*p*)

Ob. 4to. Si à Judicio Ecclesiæ verus Scripturæ sensus pendet, tunc pendet à verbo hominum. Atqui hi sunt fallibiles. Ergo debilissimô nititur fundamentô. 93

Resp. Verbum Ecclesiæ non esse omnino verbum hominum, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modô verbum Dei, prolatum nempe assistente, & gubernante Spiritu sancto, prout ipsimet testati sunt Apostoli simul congregati Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.*

Caput VII.

De variis sacræ Scripturæ editionibus, & versionibus.

De variis sacrarum Scripturarum editionibus & versionibus præsenti Capite acturis nobis animus non est, illas omnes omnino commemorare, quæ variis temporibus, variisque linguis lucem publicam aspexêre. Cùm enim eæ penè sint innumeræ, neque earum, etsi prolixa, quædam nomenclatura adeò magnam utilitatem præ se latura videatur, meritò huic labori supersedimus, eoquòd instituti nostri rationem excedere videatur; breves enim, quantùm licet, & utiles duntaxat esse cupimus. 94

Igitur eas solummodò sacræ Scripturæ editiones, & versiones hîc referemus, quarum fecit mentionem Bellarminus. (*q*) Reliquarum Catalogus videri potest apud P. le Long Oratorii Presbyterum, Librô, cui titulum fecit, *Bibliotheca Sacra*, & apud D. Calmet in *sua Bibliotheca Sacra*, quam suo Biblico Dictionario præfecit, & in eodem Dictionario verbo *Biblia.*

De

(*n*) Ibid. v. 33. (*o*) Lib. de Spirit. & litt. c. 24. (*p*) Tract. 3. in Ep. Joan. n. 13. (*q*) De Verb. Dei lib. 2.

De Editione Scripturarum Hebraica.

Omnes veteris Testamenti Libri ab Auctoribus suis conscripti fuerunt linguâ Hebraicâ præter quasdam lib. 1. Esdræ, & Prophetiæ Danielis partes, quas Chaldaicè, vel Græcè exaratas vult D. Calmet, prout ipse ad nos olim scripsit.

Additamenta verò Esther, item Baruch, Judith, & Ecclesiasticus etiam Chaldaicè, vel Syriacè conscripti sunt, sicut & Machabæorum liber primus. Secundum verò Græcè exaratum dicit laudatus Calmet. Denique Sapientiæ liber Græcè etiam exaratus fertur.

At ex novi Testamenti libris solum Evangelium S. Matthæi Hebraicô, seu Syriacô, vulgari tunc temporis in Judæa idiomate exaratum perhibetur; reliqui omnes Græcè ab Apostolis conscripti, & editi fuere.

De Versione Chaldaica.

96 Chaldææ Versiones Pentateuchi vetustissimæ censentur, inquit Calmet (r); nec desunt eruditi, qui eas Christi adventu anteriores velint, posteriores tamen esse constat, inquit idem Calmet. (s)

Sed præter eos libros, qui Chaldaico sermone editi sunt, ut Tobias, Judith, pars Esdræ, & Danielis, hæc Chaldaica interpretatio est potiùs continuata paraphrasis, seu explicatio, quàm litteralis Hebraici textûs versio, ut & eam *Targum*, quod nomen expositionem, & explicationem sonat, nuncupant.

Tradit laudatus Calmet (t), has Scripturæ expositiones exaratas fuisse Chaldaica lingua, seu vernacula Judæorum post captivitatem Babylonicam. Tunc enim Caldaica lingua familiarior cœpit esse apud Judæos, quàm Hebraica, adeò, ut cùm textus Hebraicus Scripturæ in Templo, sive in Synagogis legeretur, explicationes Chaldaicæ in favorem vulgi maternam linguam parùm collentis adjungerentur.

Conjectura est, hæc etiam Esdræ ætate jam servari consuevisse, quòd ille legem populo in templo recitans (u), simul unacum cæteris Sacerdotibus assistentibus illam populo explicaret; sive tunc linguâ Hebraicâ, sive, quod verisimilius est, Chaldaicâ, vel Syriacâ uteretur; Syriaca enim, & Chaldaica linguæ tum temporis erant affines (x); Nam lib. 1. Esd. c. 4. v. 7. Et 4. Reg. c. 18. v. 26. Danielis item c. 2. v. 4. Lingua Chaldæa appellatur *Aramea*, seu *Syriaca*. Et etiamnum hodie ambæ hæ linguæ valde inter se conformes habentur.

Quamvis autem expositionum Chaldaicarum mos diu apud Judæos obtinuerit, nullæ tamen extant scriptæ paraphrases, nisi quas Rabbi Aquila, qui Chaldaicè *Onkelos* dicitur, & Jonathan Uzelis filius, & Josephus cœcus ediderunt.

Jonathan sub Herode triginta ante Christi adventum annis vixisse fertur. Fusô stylô majores, & minores Prophetas exponit, opusque suum Judaicis fabulis, & (y) Thalmudistarum nugis conspergit, quod verissimum esse, experimentô comprobaturum, ait Bellarminus (z), illum, qui illud legere voluerit.

Ferunt, Doctores quosdam Hebræos Jonathâ septingentis annis recentiores Operi ipsius aliquid addidisse, fortè in Pentateuchum paraphrasim, quam ipsi falsò adscribi ait Calmet; ex qua fortè Bellarminus eos lapsus, quos commemorat, desumpsit.

Onkelos Jonathâ recentior, creditur JESU Christi ætate floruisse. Nonnisi Pentateu-

(r) Dict. Bib. Verb. *Biblia.* (s) Ibid. Verb. *Versiones Chaldaa.* (t) Ibid. Verb. *Targum.* (u) Esd. 2. c. 8. v. 9. (x 2. Esd. c. 4. v. 7. (y) *Thalmud* liber est continens explicationem legis Judaicæ, unde Thalmudistæ dicuntur ii, qui hujus libri dogmata sequuntur & exponunt. (z) Lib. 2. de Verb. Dei.

tateuchum exponit. Ipsius Targum (a) præ cæteris est in pretio; singulis Hebraici textûs versibus Chaldaica paraphrasis subjicitur; & adeò concisus, & simplex est, ut in suspicionem corruptionis nunquam venire possit, necnon tam excultô stylô utitur, ut ferè eandem præ se ferat Chaldaicæ linguæ puritatem, ac Daniel, & Esdras.

Josephus verò cœcus ætate, & pretiô, sicut & stylô cæteris longè inferior, Chaldaico quidem idiomate, sed barbarorum vocabulorum admixtione corruptissimo, utitur. In Psalmos, in Job, Proverbia, Canticum Canticorum, Ecclesiasten, Ruth, & Esther commentatus est.

Præter hæc aliud adhuc circumfertur Targum, quod Jerosolymitanum nuncupatur. Pentateucham non excedit, quin nec integrum est, & absolutum, versibus quandoque mancum alios transponit, alios mutilat; unde facilè oritur suspicio, fragmentum esse alicujus veteris paraphrasis, quæ fortè periit.

97 *De Versione Syriaca.*

Lingua Syriaca proles quædam est Hebraicæ, & Chaldaicæ, aut fortè una eademque cum Chaldaica antiqua. Hebræi enim captivi Babylonem abducti paulatim oblivioni traditâ maternâ linguâ, & propriâ Hebraicâ addiscere cœperunt idioma Chaldaicum, cui cùm ex Hebræo nativo semper aliquid admiscerent, tertia quædam lingua ex ea permixtione orta est, quæ à regione, ubi maximè in usu erat, Syriaca, vel etiam, quòd eâ Hebræi uterentur, atque apud ipsos vulgaris esset, Hebraica est nuncupata.

Extat quædam Syriaco idiomate conscripta, & ab Hebræo deprompta veteris Testamenti versio, cujus Patres Græci sæpiùs meminerunt. Albertus quoque Widmestadius Ferdinandi Imperatoris quondam Cancellarius, primus in Europa Testamentum novum Syriacum typis dari curavit.

De variis Græcis Versionibus. 98

Clemens Alexandrinus cujusdam Græcæ veteris Testamenti Editionis meminit, lib. 1. Strom. quæ, priusquam Alexander Magnus rerum potiretur, incerto Auctore prodiit, & ex qua Plato, cæterique Philosophi non pauca hauserunt. Ad eam alludere videtur Josephus (b), quando narrat, Theopompum, & Theodecten divinitùs punitos fuisse, quòd suis historiis, & poëmatibus inserere tentassent nonnihil ex sacris Bibliis Græcis videlicet, nec enim Græci solebant addiscere linguam Hebraicam. Item lib. 1. cont. Apion. asserit, Platonem in suis libris de legibus Moysem expressisse: Scripturam ergo Græcè editam legerat Plato, quippe qui Hebraici idiomatis ignarus erat.

Idem tuentur Patres apud S. Augustinum (c), qui passim asserunt, Pythagoram, & Platonem multa ex Moysis, & Prophetarum libris hausisse.

At cùm vitiosa esset, nec omnes complecteretur sacræ Scripturæ libros, incertumque referret auctorem, succedente deinde celeberrimâ illâ septuaginta Interpretum veteris Testamenti Versione, primùm negligi cœpit, ac tandem omnino evanuit. Ita sentiunt Patres.

Ordine ergo secunda, at meritô & 99 dignitate omnium Versionum Græcarum veteris Testamenti prima agnoscitur illa, quam ferunt à septuaginta Hebræis Interpretibus factam Alexandriæ, regnante ibidem Ptolomæo Philadelpho Ptolomæi Lagi filio.

Hujus Versionis historia legitur in libello aliquo, qui Aristææ cujusdam nomen

(a) *Targum* nomen quod Judæi tribuunt Glossis suis & Paraphrasi Chaldaicæ in Scripturam sacram.
(b) *Antiquit. lib.* 12. *c.* 2. Ex Aristææ historia, quam commentitiam plures eruditi censent.
(c) Lib. 18. de civ. c. 11.

men præfert, quem dicunt fuisse unum ex Legatis, quos idem Ptolomæus Hierosolymam hac de re miserat. Libellus iste extat nunc græcis, latinis, & hebraicis litteris excusus; necnon græcè & latinè Bibliothecæ Patrum insertus est (*d*); nihilominùs plures eruditi hâc nostrâ ætate dubitant, num libellus iste, qualis adhuc circumfertur, supposititius non sit. Profectò illum non omnino sincerum opus esse suspicatus est S. Augustinus lib. 18. de Civ. c.4. quem secutus est Salmeron. (*e*) Alii volunt, antiquum quidem opus esse, sed merum commentum à quodam Hellenista Alexandrino confictum, quò versioni à suis concivibus editæ auctoritatem conciliaret. Certè vel ipsa hujus historiæ lectio id persuadere videtur.

Quidquid sit, hanc tamen Versionis istius historiam crediderunt, necnon memoriæ mandarunt Josephus, lib. 12. Antiq. Philo, lib. de vita Moysis. Illius quoque meminerunt Eusebius, lib. 8. præpar. Evang. c. 1. Irenæus, lib. 3. c. 25. Justinus, Apolog. 2. Clemens Alexandrinus, lib. 1. Strom. Tertullianus, Apolog. c. 18. Augustinus, lib. 8. de civ. c. 11. & lib. 2. de Doct. Chr. c. 15. Bellarminus etiam hanc Aristææ historiam veram esse asserit (*f*), pluresque alii in hac sententia versantur. At plerique Recentiores eam velut meram fabulam penitùs rejiciunt, & explodunt.

En verò historiæ, prout in Aristæa legitur, epitomen. Cum Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti Alexandriæ magnificam Bibliothecam extruxisset, eique Demetrium Phalerum præposuisset, hic Regi suo Auctor fuit, ut illùc sacros Judæorum libros deferri, necnon græco idiomate donari curaret in Bibliotheca sua reponendos. Placuit Regi consilium, atque igitur destinatis ad Eleazarum tunc temporis summum Judæorum Sacerdotem legatis, oblatisque muneribus regia liberalitate dignis, petiit ab ipso, ut viros adornandæ ex hebræo in græcum sacrarum litterarum versioni aptos Alexandriam mitteret. Eleazar Regi obsequendū ratus, delectisque ex unaquaque Tribu sex viris versioni huic adornandæ peritissimis, qui septuaginta, vel septuaginta duorum numerum complerent, unà illis volumen legis tradidit aureis litteris exaratum, cujus membranæ mira arte erant inter se contextæ, atque in Ægyptum ad Regem misit, adjectis litteris, quibus & Regiam ipsius liberalitatem, in Deum Religionem, & in Judæos clementiam meritis laudibus efferebat. Comiter excepti sunt à Philadelpho viri isti, simulque religiosò obsequiò Sanctos libros observans, septies in terram usque pronus adoravit. Codicis etiam elegantiam, aurearum litterarum tenorem simul, & picturarum venustatem plurimùm laudavit; & postquam aliquot diebus lautissimis conviviis illos recreasset, necnon pluribus ænigmaticis quæstionibus tentasset, ad adornandam versionem dimisit. Igitur eos Demetrius Phalerus Bibliothecæ Regiæ Præfectus in Insulam Pharon per pontem septem stadiorum deduxit, ut ibi à tumultu, & strepitu hominum secreti librorum sacrorum versioni toti vacarent, quæ deinde septuaginta, vel septuaginta duorum dierum spatiò, pro numero scilicet Interpretum, ab ipsis confecta est. Peractum opus Demetrio tradiderunt Interpretes in cœtu Judæorum Alexandrinorum legendum, probandumque. Omnium assensu tanquam recta, & fidelis excepta versio, utque ei inviolata adderetur auctoritas, anathema pronunciatum in eos, qui temerario ausu in eam manum movere auderent. Rex his omnibus compertis delectatus plurimùm, simulque libri lectione audita, sapien-

(*d*) Tom. 13. pag. 856. edit. Parif. an. 1654. (*e*) Proleg. 6. (*f*) Lib. 2. de Verb. Dei c. 6.

tiam Legislatoris admiratus est, versionemque in sua Bibliotheca recondendam solertique cura servandam tradidit; cùm priùs Judæis dedisset facultatem, illius plura sibi exscribendi apographa; Interpretes ditissimis donatos muneribus in Judæam remisit, necnon in præstiti officii gratiam viginti Judæorum apud se captivorum millia in libertatem asseruit. Hæc historiæ ab Aristæa circà septuaginta Interpretum sacræ Scripturæ versionem conscriptæ epitome.

Philo hanc etiam historiam refert (*g*), quam contigisse vult sub Ptolomæo Philadelpho tertio ab Alexandro Ægypti Rege. Memorat etiam, Regem viros illos pluribus ænigmaticis quæstionibus tentasse, simulque illorum responsiones attexit. Addit præterea, eos, dum Versioni incumberent, ita divino Spiritu afflatos fuisse, ut omnes eadem scriberent, non secùs ac si invisibiliter ipsis dictata fuissent. Postmodùm verò ait (*h*), eam fuisse Judæorum Ægyptiorum pro hac versione Legis lætitiam, ut annuâ solemnitate ejus memoriam celebrarent. Singulis igitur recurrentibus annis in Insulam Pharon se conferentes, alienigenis etiam pluribus Religionis gratiâ comitantibus, post obsequia ritè persoluta convivia pietatis eos instituisse in tentoriis, in littore, in sabulo, locum virorum præsentiâ Religiosum venerantes.

100 Nihilominus, prout jam memoravimus, plurimis eruditis viris hæc historia commentum videtur à Judæis Alexandrinis confictum, quò Græcæ suæ versioni auctoritatem conciliarent. Cùm enim, inquiunt, hebræâ linguâ haud ampliùs uterentur, sed græcâ; comparandi erant sacri Codices, qui græcè essent exarati, & quia sub gravi interminatione Hebræis inhibitum erat, ne aliâ, quàm maternâ, linguâ sacros libros donarent, aut donari permitterent, indè fingenda erat historia, quæ portentum quoddam & prodigium referens, libris auctoritatem & firmitatem tribueret, simúlque Interpretem à pœna liberaret.

Nec desunt ipsis argumenta, quibus opinionem suam stabiliant. Ajunt enim 1mo. Quòd Scriptores eandem referentes historiam inter se non consent; aliter enim eam refert Aristobulus, aliter Josephus; non eadem narrat Philo. Justinus dicit, ad Herodem Regem Judæorum à Ptolomæo missos fuisse Legatos, ùbi in intolerabilem anachronismum labitur: Aliqui septuaginta vel septuaginta duas cellulas numerant, quibus singulos; alii tantùm triginta sex commemorant, quibus singulis binos Interpretes inclusos fuisse volunt, cùm tamen hujus rei apud Aristæam nulla fiat mentio.

2do. Quòd ipsorum Chronologia omninò ab Originali Hebræo discedat, atque sex Patriarchis, qui ante diluvium vixerunt, plures, quàm centum ætatis annos tribuant, priusquam ipsis proles nascerentur; unde quorundam eruditorum conjectura est, id ex industria factum esse, voluisseque Judæos Alexandrinos Moysis libros adaptare Ægyptiorum Annalibus, qui mundo antiquiorem ætatem adstruebant, quàm Moyses eidem in sua historia tribuerit, quamvis tamen, admissâ etiam septuaginta Interpretum Chronologiâ, hîc Hebræos mirè ab Ægyptiis abesse constet.

3tio. Quòd Hebraico textu etiamnum reluctante, hi Interpretes in sua versione quoad pondera, mensuras, & monetas usum Alexandrinum secuti fuerint; unde quia civitatis istius drachma duas Palestinæ æquabat, monetam, quam Josephus, & Evangelistæ Tetradrachmam vocant, ipsi didrachmam nuncupavêre.

4to. Quòd Aristæas, cùm Ethnicus fuerit, tamen in memorata sua historia, quà studiô, quà stylô ineptè satis Judæum se prodat. 5to.

(*g*) Lib. 1. de vita Moysis. (*h*) Lib. 2. de vit. Moys.

5to. Quòd Ptolomæum Philadelphum tanquam sapientissimum, & religiosissimum Principem, Dei, ejúsque Templi, ac Scripturarum observantissimum Aristæas exhibeat; cùm tamen corruptissimis moribus illum fuisse historiæ memoriâ proditum sit.

6to. Quòd Demetrium Phalerum inducat tanquam Philadelphi Regis gratiâ, & favore potentem; cui tamen Regem hunc infensissimum fuisse compertum habemus, quòd Ptolomæo Lagi illius genitori auctor fuisset, ut à Regni successione eum excluderet; undè factum, ut Philadelphus vix rerum potitus Demetrium amandarit in exilium, ubi mœrore & desperatione actus, mortem aspidis morsu sibi ipsi conscivit; prout refert Hermipus in Diogene Laërtio.

7mo. Quòd non potuerint ex qualibet Tribu deligi sex viri, qui in Ægyptum ad interpretandos sacros libros mitterentur, cùm à tempore dispersionis Judæorum solæ tribus Benjamin, & Juda in Judæa remanserint.

8vo. Quòd pons ille, quo Pharon Insulam Alexandriæ junctam fuisse commemorat Aristæas, teste Ammiano Marcellino Cleopatræ opus fuerit, quæ longè post Ptolomæi Philadelphi tempora vixit.

9no. Quòd idem ubique stylus in hoc Aristææ libello reperiatur, hebraismis redundans, nec exceptis quidem litteris Philadelphi ad summum Pontificem; uti & hujus ad Regem; supplicique ad Philadelphum Demetrii Phaleri libello.

10mo. Quòd Judæos hebraizantes tantus hujus Versionis horror ceperit, ut in ejus memoriam, conceptumque de ea mœrorem jejunium quotannis die octava mensis Thebet, Decembri nostro respondentis, instituerint, atque Calendario suo inseruerint, illudque semper servaverint, libertatem & audaciam Judæorum Hellenistarum destantes, qui legem impuro & extraneo sermone corrupissent, addentes, hujus factæ versionis diem in Israël parem intulisse perniciem, qualem Jeroboam filius Nabat intulit, cum vitulos aureos dedicavit; hujusque rei mœrore cœlum triduanis tenebris horridum amissò legis obsequiò parentasse &c.

11mo. denique, ut cætera omittamus, quòd, etsi historiæ sua haberetur firmitas, omnino tamen incertum sit, num hi septuaginta Interpretes omnes sacræ Scripturæ libros verterint, an verò solummodò Pentateuchum; imò videtur, quòd exiguus ille dierum numerus, quibus ab ipsis versio confecta est, nonnisi vertendis quinque libris Moysis suffecerit; quî enim tam angustò temporis spatiò adeò grande Scripturarum volumen vel solummodò exscribere potuissent? Profectò Aristæas, qui primus hanc historiam vulgasse dicitur, de sola Moysis lege loquitur: *Rex*, inquit, *libri lectione audita sapientiam Legislatoris admiratus est.*

Certè S. Hieronymus, qui aliàs summa cum libertate de hac versione loquitur, septuaginta hos Interpretes Pentateuchum duntaxat vertisse testatur, Comment. in Ezech. 5. & in Matth. 2. Quamvis alibi paulò aliter loqui videatur.

Josephus rem definire videtur, apertè enim asserit (*i*), Septuaginta nonnisi libros Moysis vertisse. Et profectò cæterorum librorum, præter Pentateuchum, versio alios præ se ferre videtur Interpretes, ignotos quidem & variæ ætatis. Neque enim unius Auctoris omnes esse videntur, prout ex styli varietate, necnon diversâ unam eandemque vocem reddendi ratione facilè intelligitur.

Quidquid hac de re sit, vetustissimum planè opus esse, nemo diffitetur, facilè sub Philadelpho, saltem quoad Pentateuchum, cujus versio majori fide constat, adornatum.

Apud

(*i*) Præfat. lib. de Antiq.

101 Apud antiquos Patres versionem hanc maximo in pretio fuisse certissimum est: eam quippe passim laudant, & sequuntur ii, quos supra adduximus. Imò ipsi Apostoli hac versione frequenter usi sunt, idque testatur Irenæus. (*k*) Et Hieronymus, *Jure*, inquit (*l*), *Septuaginta editio obtinuit in Ecclesia, vel quia prima est, & ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen non discrepat ab hebræo, usurpata.* Hîc ergo juxta S. Hieronymum, non universim ab Apostolis usurpata fuit Septuaginta Interpretum versio, sed in iis duntaxat, in quibus ab Hebraico non discedere visa est; alibi enim (*m*) in ea multa desiderat, quæ tamen habentur in Scripturis, atque ex veteri Testamento in novo laudata reperiuntur. Recentiores quoque Critici sat benè multi plura adhuc vitia, negligentias, & oscitantias in ea versione notavêre. Bellarminus ipse eam multis locis vitiatam esse testatur (*n*); quippe quæ ea contineat, quæ nullô modô cum veritate cohærere possunt; quale est illud de supputatione annorum Mathusalem, Genes. 5. Nam secundùm græcam hanc versionem invenitur Mathusalem vixisse quatuordecim adhuc annos post diluvium, cum tamen in Arca Noë non fuerit; solùm enim octo animæ eam ingressæ sunt, Noë videlicet, Sem, Cham, & Japhet, & uxores eorum, ut habetur Genes. 6. & 1. Pet. 3.

Sed sive Interpretum oscitantiâ, sive Ammanuensium & Librariorum ignorantiâ, sive deinde posteriorum temporum injuriâ hæc vitia in eam versionem irrepserint, id tamen certum esse debet, editionem, quæ sub Septuaginta Interpretum nomine Hieronymi ætate circumferebatur, & adhuc etiamnum circumfertur, non esse tantæ auctoritatis, ut ad illius normam aut Hebraicus, aut Latinus textus emendari debeat.

Aliæ adhuc ab eruditis viris numerantur Græcæ Scripturarum veteris Testamenti versiones, ut Aquilæ Pontici facta annô Christi 130mô. Adriani Imperatoris 12mô. prout testis est Epiphanius. (*o*) 102

Fuit autem Aquila primùm Gentilis, deinde Christianus; sed, quòd Astrologiam judiciariam sectaretur, ab Ecclesia pulsus, Judaismumque amplexus versionem suam adornavit, quæ tamen, quòd candor in ea desideraretur, plerumque neglecta fuit.

Commodô Imperante, sub finem videlicet secundi Sæculi, Theodotion ex Marcionista Judæorum Proselytus, versionem suam adornavit, majori quidem, quàm cæteri sibi similes, fide, prout testatur Epiphanius (*p*); Et ex cujus interpretatione Ecclesiam Danielem legere asserit Hieronymus. (*q*) 103

Symmachus quoque primùm Ebionitarum, si Eusebio credamus, aut Samaritanorum, si Athanasium & Epiphanium sequamur, partibus addictus, deinde Judaicam amplexus Religionem sacros libros ex hebræo in græcum sermonem transtulit Severi Augusti temporibus. Imperio autem præfuit hic Imperator ab an. Chr. 193. usque ad an. 211. 104

Ex his græcis Editionibus, aliisque duabus incertorum Auctorum, quarum una annô septimô Antonini Caracallæ apud Urbem Hiericho, quæ nonnisi Psalmos; altera Alexandrô Mammæ filiô imperante apud Nicopolim, quæ itidem Psalmos, & fortè duodecim Prophetas Minores complectebatur, in doliis quibusdam inventæ fuerunt, Origenes sua Tetrapla, Hexapla, & Octapla confecit. Nam primùm divisit singulas paginas in sex columnas; ac in prima quidem descripsit Hebraicum textum litteris hebraicis; in secunda eundem hebraicum textum græcis litteris; in tertia interpretatio- 105

nem

(*k*) Lib. 3. c. 25. (*l*) De opt. gen. interp. (*m*) Præfat. in Pentateuch. & Comment. in Isaiam. (*n*) De Verb. Dei lib. 2. c. 6. (*o*) Lib. de mens. & pond. (*p*) Lib. de mens. & pond. (*q*) Præfat. in Daniel.

nem Aquilæ; in quarta interpretationem Symmachi; in quinta interpretationem septuaginta Seniorum; in sexta interpretationem Theodotionis; Atque hæc volumina propter quatuor interpretationes *Tetrapla*, propter sex columnas verò *Hexapla* fuere nuncupata. Quæ dein, ubi iisdem binas ultimas, quas commemoravimus, versiones, in aliis duabus columnis adjunxisset, *Octapla* dicta fuerunt.

Laudatus Origenes, quamvis Scripturas ex Hebraico non transtulerit, Septuaginta Seniorum interpretationem tamen ita emendavit, multis ex Theodotione admixtis, & asteriscô notatis, quo quid textui ipsorum adjiciendum foret, ostendebat; & obeliscô, quo quid ex textu expungendum esset, videlicet quod à Septuaginta præter id, quod in hebraico erat, in textu Græco adjectum fuerat, adnotabat; ut novam editionem fecisse censeatur; quæ eo tempore ita Doctorum approbationem meruit, ut brevî omnes Bibliothecas repleverit, teste Hieronymô (r), qui eam communem appellari solitam fuisse scribit. (s)

106 Lucianus quoque Presbyter Antiochenus, qui sub Imperatoribus Diocletianô, & Maximianô Martyrii palmam adeptus est (t), cùm in jam à nobis adductis editionibus multa vitia obrepsisse cognovisset, rursùs magno labore novam molitus est, quam ipsius hujus sancti Martyris manu descriptam sub Constantino Imperatore Nicomediæ repertam scribit Pseudo-Athanasius in Synopsi.

Hesychius item Septuaginta Seniorum interpretationem emendavit, atque Ægypti Ecclesiis tradidit. De his editionibus hæc eloquitur Hieronymus (u), *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat Auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exempla probat. Mediæ inter has provincias Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt.*

De Editione græca novi Testamenti.

Novum Testamentum ab ipsis Apostolis græcè scriptum fuisse, jam supra indicavimus. Matthæum verò Hebraicô, seu Syriacô, tunc temporis apud Judæos vulgari sermone Evangelium suum scripsisse, testantur Irenæus lib. 3. c. 1. Auctor Synopsis, in Catalogo lib. Sacror. Hieronymus, Præfatione Comment. in Matth. Et c. 11. Osee. Item de Script. Eccles. in Matthæo, aliique omnes. 107

Auctor Synopsis existimat Matthæi Evangelium à Jacobo Apostolo in linguam græcam fuisse translatum; alii verò Joanni Apostolo, ipsimet Matthæo alii hanc translationem adscribunt. Sed cujuscunque demum ea sit, illam ea ratione Ecclesia accepit, ac si græcâ linguâ primùm istud Evangelium scriptum fuisset.

Quo verò idiomate primùm scriptum fuerit Marci Evangelium non satis liquet; alii enim græcô, alii latinô exaratum volunt. Veterum ac Recentiorum turba græcum asserit, græcúsque textus ab ipsis Originalis putatur. Sed exemplaria nonnulla MSS. græca latinum testantur, quibus Syriaca, & Arabica consentiunt: nec sanè alius sermo eum decere videbatur, ut qui Romæ, & pro Romanis scriberet. Quare hanc opinionem Baronius ad an. 45. & Seldenus in Not. in Eutychii origin. Alex. veriorem censuêre. Cæteris tamen ferè omnibus contrarium visum est. 108

Folia quædam Venetiis asservantur Originalis, ut creditur, S. Marci manu descripti, quod, si verum esset, sola hujus MS. inspectio litem hanc dirimeret; at an non suppostititium sit Opus, ambigitur,

(r) Ep. ad Aug. 89. (s) Præfat. lib. 16. in Isai. (t) Euseb. Lib. 9. Hist. c. 6. (u) Præfat. in lib. Paralip.

tur, feniô & vetuftate ita obliteratum eft, ut vel unius litterulæ linea vix difcernatur, ad quod etiam haud parùm contuliffe videtur loci fubterranei, in quo an. 1564. reconditum fuit, humiditas, utpotè qui proximo mari fit depreffior, & cujus proinde fuperior etiamnum fornix circùm obfidentes aquas habeat, nam lectio adhuc ex eo poterat exprimi, antequam in illum locum inferretur. Omnium noviffimus, qui Scripti hujus meminit, D. Bernardus Monfaucon Congregationis S. Mauri in Gallia Monachus Benedictinus, latinè fcriptum afferit (*x*), atque tantæ vetuftatis opus nunquam fe vidiffe teftatur, necnon ad minimum quarti Sæculi opus effe. (*y*) Auctor, qui ante Montfaucon librum infpexerat, græcos characteres fibi deprehendiffe in eo vifus eft.

Iftud Marci Evangelium latinè ab ipfo Romæ fcriptum effe, ac deinde ab eodem Aquileæ in linguam græcam converfum docet Adrianus Finus (*z*); fed Marci Aquileam adventum veterum nullus commemorat, unde parùm probabiliter id à Fino afferitur.

109 *De latinis Editionibus Scripturarum facrarum.*

Olim, & primis Ecclefiæ temporibus innumerabiles penè latinas Editiones S. Scripturæ fuiffe teftatur S. Auguftinus (*a*): *Qui ex hebræa lingua*, inquit, *Scripturas in græcam verterunt linguam, numerari poffunt, latini autem nullô modô, ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex græcus, & aliquantulum facultatis fibimet utriusque linguæ habere videbatur, aufus eft interpretari.* Et S. Hieronymus, *Apud Latinos,* inquit (*b*), *tot funt exemplaria, quot Codices, cùm unusquisque pro arbitrio fuo vel addiderit, vel fubtraxerit, quod ei vifum eft.*

Hæ Verfiones, quamvis vetuftiffimæ, 110 tamen Chriftianæ Religionis exordia non antecedunt. Judæi enim in Romano Imperio commorantes, cùm omnes ex Afia, five Græcia egreffi Græcum & Hebraicum fermonem callerent, de veteri Teftamento latinitate donando non cogitavêre. At ubi in Ecclefiæ primordiis Ethnici, feu Gentiles, apud quos latina tantùm lingua in ufu erat, frequenter Chriftianam Religionem amplexi effent, tunc adornari oportuit cùm novi tùm veteris Teftamenti verfionem latinem, quò & ipfi facris libris uti poffent. Ea autem verfio, quantum ad vetus Teftamentum ex græca feptuaginta Interpretum eft adornata; hoc enim idioma duntaxat notum erat Latinis; atque ante Hieronymum nemo fuit, qui veteris Teftamenti verfionem ex Hebræo curarit. Hic S. Doctor, cùm femel & iterum Pfalterium, & librum Job revidiffet, tum etiam illius ex hebraico verfioni manum admovit.

Novum autem Teftamentum idem 111 Hieronymus Damafi Papæ juffu è græco in latinum tranftulit, vel faltem emendavit, necnon à multis mendis, quæ librariorum vitiô irrepferant, expurgavit. *Novum Teftamentum græcæ fidei reddidi*, inquit lib. de Vir Illuft. in fine. Et Præfat. Evang. ad Damaf. *Calamô*, inquit, *temperavimus, ut iis tantùm, quæ fenfum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant* in veteri verfione fcilicet, quæ *Itala*, quòd in Italia primùm prodiiffet, atque pro Italis præcipuè fuiffet edita, dicebatur, necnon tunc temporis *Communis* feu *Vulgata* nomine veniebat; Hæc enim inter latinas Editiones, quæ Hieronymum præcefsêre, celeberrima habita eft, unde alio nomine, ut

(*x*) Iter Italic. c. 4. (*y*) Antiquit. explic. lib. 13. (*z*) Lib. 6 flagell. Judæo. c. 80. & lib. 8. c. 62 (*a*) Lib. 2. de Doct. Chrift. c. 11. (*b*) Præfat. in Jofue.

ut dictum, *communis*, seu *vulgata* nuncupabatur, utpotè omnium clarissima, & ad litteram maximè accedens: *In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præfertur*, inquit S. Augustinus (*c*), *nam est verborum tenacior cum perspicacitate sententiæ.*

112 At postquam S. Hieronymus ex Hebræo latinam suam veteris Testamenti versionem adornasset, & novum Testamentum emendasset; sensim Ecclesia latina undique veteri Italicâ dimissâ, hanc, quam nunc nostra Biblia sive typis vulgata, sive manuscripta præ se ferunt, ita adoptavit, ut à tempore S. Gregorii Magni hac unicâ editione hactenus usa sit, atque eos libros hæc nostra vulgata Biblia potissimùm referant, quos sanctus Hieronymus vertit, aut emendavit.

113 Dicimus *potissimùm*; Libros quippe veteris Testamenti, quorum græca tantùm supersunt Archetypa, & quos græco duntaxat sermone scriptos invenit S. Hieronymus, reliquit intactos: quare Libri Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum gemini, Prophetia Baruch, Epistola Jeremiæ, additiones ad calcem Esther, & duo postrema Danielis Capita cum Cantico trium puerorum ex veteri vulgata, seu Itala, ex qua etiam totum Psalterium descriptum est, paucis à Hieronymo mutatis, & correctis, nostra ætate obtinent; Versio enim Psalmorum à S. Hieronymo ex Hebræo elaborata, in quibusdam nostris latinis Bibliis seorsim duntaxat excusa perhibetur.

114 Hæc est igitur Vulgata illa, quam Concilium Tridentinum latô Decretô authenticam declaravit his verbis (*d*): *Sacrosancta Synodus considerans, non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus editionibus latinis, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.*

Ubi notandum, sacrum istud Concilium, cùm hoc suô Decretô veterem nostram & vulgatam S. Scripturæ editionem authenticam declaravit, id duntaxat innuere voluisse: Eam nempe inter omnes latinas ejusdem S. Scripturæ editiones, quæ tunc temporis circumferebantur, atque hæreticô ut plurimùm sive ignotô Auctore erant suspectæ, esse præcipuam, fidelissimam, ac tutissimam, necnon quantùm ad substantiam, resque fidei & morum disciplinam spectantes ab omni erroris suspicione immunem; quam proinde cæteris anteponere, atque in omnibus publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis adhibere tanquam veram & fidelem oporteret.

Decretum autem istud jure & meritò à laudato S. Concilio fuisse editum nobis adversùs Adversarios nostros Acatholicos hanc nostram vulgatam latinam editionem seu versionem velut variis scatentem erroribus proscindentes demonstrandum est. Unde sit

CONCLUSIO. 115

Jure, & meritò sacrum Tridentinum Concilium veterem, & vulgatam nostram S. Scripturæ latinam Editionem authenticam declaravit.

Prob. Conclusio 1mo. Ex Traditione Ecclesiæ. Eam latinam sacræ Scripturæ Editionem jure, & meritò Concilium Tridentinum authenticam declaravit, quæ longô, & constanti sæculorum, atque plusquàm mille & centum annorum usu in Ecclesia probata est, quamque Patres, Doctores, Concionatores omnes explanaverunt, & populis proposuerunt; ex qua Concilia omnia sua testimonia ad confirmanda fidei dogmata protulerunt. Atqui hæc est vulgata

(*c*) Lib. 2. de Doct. Christ. c. 15. (*d*) Sess. 4. c. 2.

gata nostra. Ergò eam jure, & meritò Concilium Tridentinum authenticam declaravit.

Maj. est aperta; secùs enim sequeretur, tot sæculorum spatiô Ecclesiam germanâ Scripturæ interpretatione caruisse, atque in iis, quæ ad fidem, & Religionem pertinent, errores ignari, & ignoti cujusdam Interpretis pro verbo Dei coluisse; quod asserere nedùm absurdum, sed omninò impium est, cùm, Apostolô prædicante, (*e*) *ipsa sit columna & firmamentum veritatis.*

Min. demonstratur. Vulgata nostra est ea, quæ partim ex veteri Itala, partim ex iis sacris libris, quos Hieronymus latinè reddidit, vel emendavit, coalescit. Atqui hæc est, quæ tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est &c. &c. Ergo &c.

Maj. habetur ex iis, quæ supra de ista editione disseruimus. Min. verò patet ex inspectione, & lectione Scriptorum, & Operum, quæ plusquam à mille & centum annis, tum à Patribus, tum à Doctoribus, Concionatoribus, Pastoribus, Interpretibus, imò ab Ecclesia ipsa, & Conciliis hac de re usque ad nostra tempora vulgata fuere &c. Ergo &c.

116 Prob. 2do. Auctoritate SS. Patrum. 1mo. S. Augustinus supra laudatus (*f*), Italam versionem cæteris omnibus latinis editionibus præferendam esse ait. S. Hieronymi verò versionem, & emendationem sacræ Scripturæ hisce commendat (*g*), *Non defuit*, inquit, *temporibus nostris Presbyter Hieronymus homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in Latinum divinas Scripturas convertit, cujus tantum litterarum laborem Hebræi fatentur esse veracem.* Et ejusdem Hieronymi versionem, seu potiùs emendationem novi Testamenti omnibus probari asserit, Epist. 10. ad Hieronymum.

2do. S. Gregorius Magnus, *Quia hæc*, inquit (*h*), *nova* (S. Hieronymi) *translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta veriùs transfudisse perhibetur, credendum est, quidquid in ea dicitur; & oportet, ut verba illius nostra expositio subtiliùs rimetur.*

3tio. S. Isidorus, *Presbyter Hieronymus*, inquit (*i*), *trium linguarum peritissimus, ex Hebræo in Latinum eloquium divinas Scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio meritò cæteris anteponitur.* Item, *De Hebræo*, inquit (*k*) *in latinum eloquium tantummodò Hieronymus Presbyter sacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, eo quòd veracior est in sententiis, & clarior in verbis.*

4to. S. Isidoro subscribit Rabanus Maurus lib. 2. de Instit. Cleric. c. 54.

5to. Patres, & Doctores Ecclesiæ, qui deinceps secuti sunt, ut S. Anselmus, S. Bernardus, Rupertus, Haimo, Hugo, Richardus, & alii omnes satis ostendunt, se hanc nostram vulgatam editionem præ cæteris probasse, utpote quam solam explanandam susceperunt. Ergo &c.

6to. Denique, non solùm Latini versionem hanc vulgatam nostram probaverunt, sed etiam Græci, qui quædam divina Volumina à Hieronymo in Latinum ex Hebræo translata, ipsi ex Latino in Græcum transfuderunt, ut ipse testatur Hieronymus. (*l*) Ergo &c.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 117
1mo. Habuerunt Hebræi suâ linguâ authenticam Scripturam; Græci quoque habuerunt græcè authenticam suam Scripturam, id est, Testamentum vetus ex versione septuaginta Interpretum, & novi Testamenti fontes ipsos. Ergo etiam æquum est, ut latina Ecclesia haberet suâ linguâ authenticam Scripturam; non autem à mille & plusquam centum annis aliam habuit, quàm

(*e*) I. Timoth. 3. v. 15. (*f*) Lib. 2. de Doct. Christ. c. 15. (*g*) Lib. 18. de Civ. c. 43. (*h*) Lib. 20. moral. c. 24. (*i*) Lib. 6. Etymolog. c. 5. (*k*) Lib. 1. de Offic. divin. c. 12. (*l*) De Vir. Illustr. in Sophron. & lib. 2. cont. Ruffin.

quàm nostram vulgatam. Ergo etiam ipsa censenda est authentica.

2do. In Conciliis generalibus Ecclesiæ aut paucissimi, aut interdum nulli inveniuntur Hebraicæ, & Græcæ linguarum periti. Ergo malè consultum esset Ecclesiæ, si in gravibus rebus non posset fidere versioni Latinæ illi, quæ à tot jam sæculis in Ecclesia obtinuit.

3tio. In omni Republica Civili necessarium est authenticum, & præ cæteris probatum aliquod legum, quibus Cives, & subditi astricti sunt, & juxtà quas obortæ lites ultimatò dirimantur, instrumentum. Ergò à multo fortiori ratione tale authenticum, & præ cæteris probatum divinarum legum instrumentum in Ecclesia, quæ est Respublica spiritualis, erit necessarium.

Ant. patet. Secus enim perpetuæ confusioni Respublica illa esset obnoxia, necnon, extantibus scilicet pluribus hujusmodi legum sibi invicem contrariantibus instrumentis nullæ unquam lites dirimi, & definiri possent.

Conf. verò pari ratione firmata manet; eamque roborare videtur Lutherus ipse, cùm, *si diutiùs*, inquit (*m*), *steterit mundus, iterùm erit necessarium, ut propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

Apertissimè verò Beza famosus Calvini Discipulus, dum, *Quàm necesse sit in Ecclesia Dei*, inquit (*n*), *extare emendatam sacrarum nostrarum Tabularum latinam interpretationem* (quæ scilicet ab omnibus recipiatur, & sola auctoritatem obtineat) *non est, quòd pluribus conemur ostendere ... Reges & Principes nihil antiquius habere oportet, quàm ut utriusque Testamenti interpretatio semel edatur, cujus, quoad fieri potest, sacra & inviolata sit auctoritas.*

Hæc Theodorus Beza, quæ optimè argumentum nostrum confirmant, hoc duntaxat discrimine, quòd Jus illud, quod ipse Regibus, & Principibus Sæculi tribuit, nos ultrò Ecclesiæ, & Concilio illiusque Capiti Romano Pontifici adscribamus. Modò cujuslibet, quem partium studia, aterque livor nondum penitùs in reprobum sensum præcipitem egêre, judicium esto, nobisne, an Bezæ hîc adstipulandum sit.

4to. Illius jure, & meritò est declarare, & definire, quænam inter varias latinas Scripturarum Versiones & Editiones pro authentica & probata sit habenda, cujus est Scripturarum Canonem verumque, & genuinum sensum definire, & determinare. Atqui hoc pertinet ad Ecclesiam seu Concilium, quod illam exhibet, seu, ut ajunt, repræsentat. Ergo à fortiori ad ipsum pertinebit declarare, & definire quænam latina Scripturarum versio pro authentica sit habenda.

Maj. est aperta. Cujus enim est, Scripturarum Canonem verumque, ac genuinum sensum tradere, illius utique etiam est decernere in quanam earundem versione aut editione Canon ille genuinusque sensus accuratè contineatur, adeoque quænam pro authentica sit tenenda.

Minor verò à nobis demonstrata est supra Cap. 5. & 6. quæ consuli possunt. Ergo &c.

5to. Denique probatur Conclusio nostra argumentô, quod præcipui inter Adversarios nostros Scriptores nobis subministrant, ut qui vulgatam nostram latinam editionem sacrarum Scripturarum miris laudibus extollunt, illiusque contra illos, qui eam exagitant, & impetunt, patrocinium suscipiunt. Inprimis Joannes Bois Canonicus Ecclesiæ Eliciensis in Anglia eam omninò tuetur (*o*), necnon Erasmo, & Bezæ vertit in crimen, quòd sine causa illam deseruerint; atque inter alia, *Nulla*, inquit (*p*), *allubescit reformatio, nisi ubi subversis ad ruta usque substructionibus nova consurgunt omnia, imò nova adeò nunc spira-*

I 3

(*m*) Lib. cont. Zvringl. de verit. Corp. Christi in Eucharist. (*n*) Præfat. nov. Test. (*o*) Collat. veter. Interpret. cum Recentioribus. (*p*) Præfat. Collat. &c.

spiramus, suspiramusque omnia, nova lumina, ... novum orbem, novum, quintumque, si Deo placet, Spiritûs Evangelium.

2do. Waltonus magni etiam facit vulgatam S. Scripturæ versionem nostram, *quia*, inquit (*q*) *ab Ecclesia Romana, quæ principem inter Ecclesias locum semper tenuit, & antiquarum Traditionum fuit tenacissima, approbata fuit.* Sancti Hieronymi versionem laudibus quoque celebrat, quam Judæos textui Hebræo conformem esse etiamnum asseruisse probat ex Rabbi Azaria, & Rabbi Kimhi, & Aben Esra.

3tio. Ludovicus de Dieu auctorem vulgatæ nostræ versionis virum eruditissimum fuisse asserit, *Quamvis enim*, inquit, (*r*) *illi neque vitia sua, neque barbarismi defuerint, virum tamen esse fateor ingenuitate, ac judicio, ibi etiam, ubi barbarus est, commendandum.*

4to. Grotius vulgatam nostram suis annotationibus illustrandam suscipiens, *vulgatum Interpretem*, inquit, *semper plurimi feci, non modò, quòd nulla dogmata insalubria continet, sed etiam, quòd multùm habet in se eruditionis.*

5to. Paulus Fagius (*s*), *Omnes illos, qui hanc celeberrimam*, ut inquit, *vulgatam versionem invido dente dilacerarunt, tamquam impudentes, atque semi-sapientes* traducit. Item, *Non est ergo*, inquit (*t*), *temerè nata vulgata editio, ut quidam scioli temerè & imprudenter clamitant.*

Hæc isti, & alii, quos hîc prætermittimus, Acatholici in laudem vulgatæ nostræ & illius Interpretis, adeoque & Concilii Tridentini illam approbantis. Et meritò: Quis enim, nisi omninò insanire malit, vel minimùm dubitet, veteris vulgatæ, seu Italæ Auctorem necnon Hieronymum, à quibus duobus vulgatam nostram tenemus, aptiùs instructos fuisse ad eam adornandam, quàm Lutherum aliquem, Calvinum, Bezam, aliosque Novatores: Illisque longè accuratiora & emendatiora præ manibus fuisse S. Scripturæ apographa, imo fortè autographa, sive hebraica sive græca; utpotè qui primis illis temporibus, quibus edita fuere sacrarum litterarum originalia. Novi Testamenti saltem volumina, viciniores erant; quàm habuerint Novatores nostri, quibus nonnisi longa temporum serie depravata supererant sacræ Scripturæ exemplaria, quæ vanis, impuris, & ad genium confictis, prout notat Cochlæus (*u*), interpretationibus magis adhuc depravaverunt.

Non satis, igitur, mirari possumus, quòd sacrum Tridentinum Concilium, adeoque Ecclesiam ipsam criminari audeant, quòd versionem hanc à tam sanis, & doctis Interpretibus confectam, necnon tot sæculorum serie unanimi Patrum, Doctorum, Conciliorum &c. consensu in Ecclesia constanter receptam velut authenticam, & ab omni fidei, aut morum errore immunem declaraverit.

Solvuntur Objectiones

adversùs Conclusionem nostram.

Ob. 1mo. Chemnitius, vel potiùs mentitur (*x*); Concilium Tridentinum ideo voluit vulgatam editionem esse authenticam, quia tota transformata est *ad dogmata Pontificia &c.* Ergo vel ex hoc Capite rejicienda. 118

Resp. Cùm certum sit, vulgatam editionem nostram esse antiquissimam, prout apertè demonstravimus, inde etiam manifestum est, dogmata Pontificia, ad quæ eam transformatam asserit Chemnitius, etiam esse antiquissima, utpotè quæ primis jam Ecclesiæ temporibus ipsi Apostoli scriptò consignarint, atque ab antiquo Interprete latino translata fuerint, & Ecclesiæ trans-

(*q*) Proleg. 10. Poliglot. Anglic. (*r*) Not. ad Evang. (*s*) Præfat. ad Translat. vet. Test. (*t*) C. 4. in vers. lat. Paraphr. Chald. (*u*) De vit. & act. Lutheri an. 1522. (*x*) In exam. sess. 4. Conc. Trid.

transmissa: unde Chemnitius proprio suo argumento se confodit.

119 Ob. 2do. Illud Instrumentum authenticum dicitur, quod autographo seu originali suo per omnia est conforme. Atqui talis non est vulgata latina editio. Ergo malè eam authenticam declaravit Concilium Tridentinum. Maj. est aperta. Min. prob. ab inductione mendorum, quibus ipsa scatet. Ergo &c.

Resp. absolutè loquendo, neg. Maj. Ad hoc enim, ut Scriptum aliquod, seu apographum censeatur authenticum, sufficit, quòd præ cæteris apographis seu exemplaribus omnimodam fidem mereatur, atque quoad substantialia à suo autographo seu originali minimè dissentiat. Atqui hujusmodi est Vulgata nostra, & hoc sensu eam authenticam declaravit Ecclesia in Concilio Tridentino congregata; scilicet, quòd inter cæteras latinas editiones, quæ tùm temporis circumferebantur, esset fidelissima, nec quidquam contineret, quod traditæ, & ab Apostolis scripto consignatæ fidei Christianæ esset contrarium, utpote quæ tot sæculorum longo usu in Ecclesia semper probata fuerit.

Ad min. Resp. Equidem in Vulgata nostra menda aliqua reperiri, quæ Amanuensium, & Librariorum incuriâ, vel ignorantiâ in illam irrepserunt. At cùm nec fidem, nec mores tangant, nihil ipsius authenticitati à Patribus Concilii stabilitæ id officit, utpotè quæ comparativa duntaxat sit ad reliquas latinas editiones, fidemque, & mores tantùm respiciat. Id ultrò agnovit ipsummet Concilium, undè & decretum edidit, (y) ut posthac sacræ Scripturæ editio quàm emendatissimè imprimatur; quod Decretum Pius IV. Pontifex maximus executioni mandari fecit, (z) *aliquot S. R. E. lectissimis Cardinalibus, aliisque tum sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris collatâ provinciâ, ut vulgatam editionem latinam adbibitis antiquissimis Codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis, græcisque Bibliorum fontibus accuratissimè castigarent.*

Ob. 3tio. Ut apographum aliquod authenticum declaretur, oportet, ut cum autographo conferatur. Atqui vulgatam cum suo autographo non contulit Synodus Tridentina. Ergo nec eam authenticam declarare potuit. Maj. est aperta, atque essentiam authentici apographi connotat. Min. autem ultrò à nobis conceditur, atque vel ipsa menda, & errata Scripturis nostris latinis adspersa eam manifestant. Ergo. 120

Resp. Dist. Maj. Ut apographum aliquod &c. nisi aliundè ipsius authenticitas comprobari possit, conc. maj. Si aliundè ipsius authenticitas comprobari, & haberi possit. Neg. maj. Equidem Synodus Tridentina, cùm Vulgatam nostram authenticam declaravit, eam cum originalibus, seu fontibus hebraicis, & græcis non contulit; nec enim tùm de iis erat quæstio, sed duntaxat quænam inter varias illius temporis editiones latinas præstaret; dumque pro Vulgata sententiam tulit, ad id duntaxat respexit, quòd illa scilicet plurimorum sæculorum usu in Ecclesia tanquam germana originalis Scripturæ versio probata fuisset; quod utique maximum illius authenticitatis argumentum erat; nisi quis impudenter dicere malit, Ecclesiam plusquam mille & centum annorum spatiô depravatâ Scripturâ fuisse usum.

Ob. 4to. Magis credendum est, illud esse Verbum Dei, quod habetur in fontibus hebraicorum, & græcorum Codicum, quàm quod habetur in rivulis versionum. Ergo vulgata editio, utpotè versio duntaxat, quæ Verbum Dei velut in rivulo tantùm continere videtur, tantam fidem non meretur, ac ipsi fontes hebraici, & græci; adeoque nec authentica nuncupari potest. 121

Resp. Dist. ant. Magis credendum est &c. quando constat, fontes illos non esse turbatos, conc. secus neg. ant. Alibi jam osten-

(y) Sess. 4. (z) In præfat. Edit. Rom. Bibl.

ostendimus, fontes sacræ Scripturæ multis in locis turbidos fluere; & certè vix dubitari potest, quin, sicut latina Ecclesia constantior fuit in retinenda fide, quàm græca; ita etiam vigilantior fuerit in suis Codicibus à corruptione defendendis. Et verò ubinam sunt hebraici, & græci fontes illi S. Scripturæ; profectò jam dudum perierunt, & præter exscripta illorum apographa nihil habemus.

122 Inst. Hebræi, & græci Codices sunt Prophetarum, & Apostolorum, qui errare non potuerunt. Latini autem sunt variorum Interpretum, qui errare potuerunt. Ergo ab hebræis, & græcis Codicibus Scripturæ authenticitas repeti debet, non à latina quadam versione, cujusmodi est Vulgata nostra, utpotè errori obnoxia.

Resp. Neg. hebræos, & græcos Prophetarum & Apostolorum Codices, quos modò præ manibus habemus, esse ipsorum autographa, seu ea ipsa, quæ ipsi exararunt, sed illorum apographa duntaxat, seu exemplaria, quemadmodum & latini Codices; unde qui priores exscripserunt, etiam errori obnoxii fuerunt, æquè ac latini Interpretes. Quare nihil probat objectio. Certè Codices tùm hebræi tùm græci, qui fontes nuncupantur, jam ante Concilium Tridentinum puri non fluebant. Igitur meritò Concilium istud Scripturæ authenticitatem ab ea latina versione, quæ quamplurimis sæculis jam Ecclesiæ universalis usu probata fuerat, repetiit; præsertim cùm ibi de authenticitate comparativa ad cæteras latinas editiones duntaxat ageretur, hæbraicô & græcô textibus intactis relictis. Equidem concedimus, latinos Interpretes nostros errori fuisse obnoxios; neque eorum versionem Concilium ita probavit, ut assereret, nullos in ea librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata.

CAPUT VIII. 123

De Ponderibus, Monetis, Mensuris, & Vasis, quæ S. Scriptura passim commemorat. Item de anno & mensibus Hebræorum, necnon Massora & Massoretbis.

ANtequam de singulis S. Scripturæ libris speciatim tractemus, operæ pretium duximus, hîc ea paucis referre, quæ de variis ponderibus, monetis, mensuris & vasis, quorum frequens est in S. Scriptura mentio, necnon de anno & mensibus Hebræorum, atque de Massora & Massorethis, Tractatores sacri tradunt.

De Monetis.

Variæ fuerunt apud Antiquos monetæ, quas etiam Scriptura commemorat, hæque præcipuè numerantur: As, Obolus, Denarius, Drachma, Didrachma, Siclus seu Stater, Mna seu Mina, & Talentum.

As antiquitùs fuit pondus vulgatissi- 124
mum *pondo*, seu *pondium* alio nomine dictum. Constabat autem tunc *As* librâ æris; unde As quasi *as librale* dici creditur. Hanc æris libram, seu assem posteà Romani juxtà 12. anni menses in duodecim partes divisere, quas uncias vocarunt; undè *uncia* erat pars duodecima *assis*, *sextans* erat pars sexta, *quadrans* quarta, *triens* tertia, & *semis* seu *semissis* dimidium. Sed quia temporis successu factum est, ut locô æris appensi, cœptum sit uti ære signato, & longè levioris ponderis, valorque cujuscunque monetæ desumi coeperit non tam à materia monetæ, quæ paulatim magis ac magis inminuta est, quàm à figura monetæ impræssa; inde fit, quòd hodie *as* seu *pondo* non libram unam seu 12. uncias Romanas contineat, sicuti tunc continebat, sed sit parva moneta ærea, quam Germani *crucigerum* ein Kreutzer vocant, seu potiùs *trientem* drey Pfenning, seu drey Zweyer,

Zweyer, unum valens *Bajocum Italicum*, seu *medium obolum hebræum*, seu decimam partem *Julii Italici*, vel *Regalis Hispanici*, sive *Drachmæ Atticæ*, vel *Denarii*.

125 *Obolus* alius est Atticus, seu Atheniensis, alius Hebræus. Obolus Atticus est sexta pars *Drachmæ Atticæ* (a); Obolus verò Hebræus est vigesima pars *sicli argentei*, adeoque æquivalet duobus *assibus*; Siclus enim argenteus quadraginta Assibus constat. Atticus Obolus Hebræô minor est, quippe qui vigesima quarta tantùm pars sit sicli argentei.

126 *Denarius* juxtà Budæum apud Romanos erat nummus argenteus quatuor Sextarios valens, ita dictus, quòd pro decem assibus in solutionem cederet, seu ut alii explicant, erat nummus aureus, vel argenteus: aureus decem valebat argenteos, unde *Denarius* dictus; argenteus verò decem valebat cupri asses, quare & *Denarius* pariter vocatus; erat enim certa monetæ species unius Drachmæ argenteæ valens 10. asses, atque statutum diurni laboris præmium.

127 *Drachma* moneta Attica primùm tempore Regni Græcorum, id est, Alexandri Magni, ab Hebræis usurpari cœpit; antè illa tempora, quid *Drachma* esset, Hebræis ignotum fuit. *Drachma* igitur Attica argentea, de qua vulgò loquimur, est quarta pars Sicli, potestque considerari, vel ut est genus ponderis, vel ut est genus numismatis seu monetæ: ut genus ponderis, est octava pars unciæ ex 18. *Siliquis*, seu ex sex *Obolis*, vel ex tribus *Scrupulis* constans. Est autem *Siliqua* juxta Budæum apud Romanos minimi ponderis genus, tertiam Oboli, sextam Scrupuli, & decimam octavam Drachmæ partem conficiens: tres enim Siliquæ faciunt Obolum, duo Oboli Scrupulum, tria Scrupula Drachmam, sicut & octo Drachmæ Unciam, & Unciæ duodecim Libram minorem seu communem; majorem enim Libram sexdecim Unciæ conficiunt. Drachma autem spectata, ut est genus aliquod numismatis seu monetæ, est certa monetæ species valens Denarium Romanum.

Didrachma, seu *Didrachmum*, vel *Drachma hebræa* erat certa monetæ seu numismatis species duas pendens, vel valens Drachmas Atticas, unde ad comparationem Drachmæ Atticæ Didrachama, quasi bis seu duplex Drachma nuncupabatur: valebat ergò duas Drachmas Atticas, seu dimidium argenti Siclum, hoc est, 20. Asses. 128

Siclus erat argenti numisma, seu moneta apud Hebræos usitatissima, ponderans, & valens semiunciam, seu quatuor Drachmas Atticas argenti, duas verò Hebræas tantùm, æquivalens quatuor Juliis Italicis, seu florenô germanicô, duabusque libris Gallicis. Dici solebat alio nomine Stater, quæ vox græca Hebraicè idem est ac *Sekel*, hoc est, *Siclus*, sive pondus. Tunc enim pecunia figurâ non signabatur, quemadmodùm nunc signatur, sed ad pondus tantùm appendebatur: Judæi æquè ac Romani rudem æris, aut argenti, vel auri massam ad certum pondus libratam & æstimatam locô pretii & pecuniæ adhibebant: Siclusque ponderabat quatuor Drachmas Atticas, ut dictum. Ubi autem successu temporis hanc æris, aut argenti, vel auri massam, sive monetam figurâ consignare cœperunt, Siclus apud Hebræos ita signatus erat, ut haberet ex una parte Urnam cum Manna cum hac inscriptione, *Sekel Israël*, id est, *Siclus Israëlis*; ex altera verò parte referret Virgam Aaronis floridam cum hac inscriptione, *Jerusalem Kedesca*, hoc est, *Jerusalem sancta*; qui Siclus, licèt figurâ signatus, debebat etiam esse justi ponde- 129

(a) *Seu Atheniensis* ab Athenis Græciæ Urbe.

ponderis, atque ut id ubique servaretur, & ne fraudi locus esset, Siclus asservabatur in Sanctuario justissimi ponderis, & velut sacer, ad quem appendi & examinari possent cæteri, ut habetur Levitici c. ult. v. 25. Advertendum tamen, quòd illos Siclos Hebraicos primi omnium signare cœperint Assamonæi seu Machabæi tempore Simonis Machabæi; antiquos enim & horum antecessores Hebræos nunquam Siclos suos signasse compertum habemus. Quoties ergò in Scriptura legitur *Argenteus* vel *Aureus* sine addito, juxtà communiorem, & probabiliorem opinionem semper Siclus videtur intelligendus, quæ opinio, si vera est, pro triginta Florenis Germanicis, seu sexaginta libris Gallicis, aut centum viginti Juliis Italicis à Juda proditore venditus fuit Servator noster JEsus Christus: Non dissimulandum tamen, hac de re variare Doctores.

130 Mna seu Mina est vox Attica significans apud Athenienses tam certam ponderis, quàm numismatis seu monetæ speciem, quæ latinè dicta est *Mina*, græcè *Mna* & Hebraicè Manéh. Alia erat Attica, alia Hebræa: Mina Attica continebat 25. Siclos; Hebræa 50. Utraque tamen in pondere centum habebat Drachmas, Hebræa Hebræas, & Attica Atticas.

131 *Talentum* erat certi generis numisma, seu moneta omnium maxima continens Minas 60. quæ Minæ, cùm essent apud varios variæ pro diversitate Drachmarum, ita & Talentum apud varios erat multiplex & varium; aliud enim erat Euboicum, aliud Ptolomaicum, aliud Syrium, aliud Tyrium, aliud Antiochenum, aliud Babylonicum; sed inter illa omnia duo fuere celeberrima, Atticum videlicet, & Hebræum. Hæc omnia Talenta, licèt essent pondere & pretiô disparia, in hoc tamen conveniebant, quòd singula 60. sui generis Minis constarent, sicut & singulæ Minæ centum ubique Drachmas explebant. Sed cùm pro diversitate Drachmarum Minæ essent majores, vel minores, ita etiam & Talenta. Unde Hebræum Talentum est duplô majus quàm Atticum, valet enim tria millia Siclorum, seu Florenorum Rhenanorum; Atticum verò mille quingentos. Talentô Atticô ne dum Athenienses, sed cæteri Græci, necnon etiam Romani, aliæque nationes ferè omnes; Hebræi verò Hebræô utebantur. Talentum insuper aliud erat aureum, argenteum aliud, quæ æqualis erant ponderis, sed dispasis pretii: cùm enim proportio pretii auri ad argenti pretium sit duodecupla, sequitur, quòd auri Talentum unum æquivaleat 12. argenti Talentis; adeo ut Talentum aureum Hebræum Summam 36000. Siclorum, seu Florenorum Rhenanorum; Atticum verò 17000. conficiat.

De Mensuris ac Vasis. 132

Species mensurarum, ac vasorum præcipuæ sunt Corus, Cadus, Batus, Ephi, Amphora, Urna, Hydria, Metreta, Artaba, Modius, Hin, Congius, Sextarius, Cabus, Gomor, Cyatus.

Corus Græcorum, seu *Chomer* Hebræorum erat aridorum (v. g. frumenti) mensura omnium maxima, nempe onus seu mensura oneris, quod bajulare possit asinus; (Unde asinus apud ipsos dictus est *Chamor*) Continet autem decem Ephi, seu 30. Modios; media verò pars, seu dimidium Cori dicitur *Lethek* seu *Elevatio*, quia est onus, seu mensura oneris, quod robustus & vegetus adolescens elevare possit, & asino imponere, continens quinque Ephi, seu quindecim Modios. 133

Cadus erat apud Hebræos species vasis seu mensuræ liquidorum, capiens sicut Amphora Attica tres Urnas, seu duodecim Congios, vel aquæ, aut vini libras 20. & dicebatur Hebraicè *Chod*, Græcè *Kadós*, Latinè *Cadus*, Germanicè dicitur ein Vaß, ein Tonne, Gallicè *une Caque, un Baril*, Italicè *Barille*. 134

Batus

135 *Batus* est pariter liquidorum Hebrææ mensuræ genus, ejusdem capacitatis ac *Ephi*, capiens decimam partem *Cori*, adeoque tres Modios; seu octo Congios, vel 48. Sextarios Romanos, vel duas Urnas Romanas. Adverte tamen duplicem apud Hebræos fuisse *Batum*, majorem unum, minorem alterum; major capiebat Metretam unam cum dimidia; minor autem idem erat ac Metreta, seu ejusdem mensuræ.

136 *Amphora* erat certa vasis species, seu certa liquidorum mensura duas habens ansas, quibus utrinque ferri posset. Dicebatur alio nomine *Quadrantal*, seu pes cubicus, vel Quadratus ex eo, quòd esset figuræ ex omni parte quadratæ, haberetque tam in longitudine, quàm in latitudine, tam in profunditate, quàm in altitudine pedem Romanum. Capiebat autem hujusmodi Amphora Romana Urnas duas, seu tres modios, quemadmodùm & illa vasis species, quæ *Ephi* dicebatur, unde *Ephi* idem est ac *Amphora*; *Ephi* enim vox hebræa, *Amphora* verò latina est.

137 *Urna* erat certum mensuræ genus quatuor capiens Congios, seu Sextarios Romanos viginti quatuor, vel dimidium Ephi seu Amphoræ Romanæ, & prout explicant alii, Urna erat, & adhuc est vas, quo aqua ex puteis, vel fluminibus hauriri solet, ita dictum, quòd subter aquam demersum, & inde rursus sursum emergens urinantis speciem referre videatur. Antiquitùs tamen dicebatur Urna vas illud, in quo Judicum suffragia colligebantur; imò & illud aliud, in quo reclusi servabantur defunctorum cineres.

138 *Hydria* erat vas aquariũ, seu vasis genus ad continendam aquam destinatum, æqualis capacitatis cum Cado & Amphora Attica, tres continens Urnas, seu 12. Congios, vel aquæ libras centum viginti. Credibile tamen est, non omnes æqualis capacitatis fuisse Hydrias, sed alias minoris, majoris alias, seu quasdam majores fuisse, alias minores.

Metreta est genus vasis, seu mensuræ, 139 quod vulgò à metiendo *Metreta* vocatum est; eratque eadem mensura Græcis, ac *Bath* sive *Batus* Hebræis, æqualisque capacitatis cum *Ephi*, continens juxtâ Budæum 10. Congios, vel 12. juxtâ S. Epiphanium. (*b*)

Artaba erat mensuræ genus septua- 140 ginta duos capiens Sextarios, inquit S. Epiphanius. (*c*) At, prout alii volunt, triplex erat, Persica nempe, Medica, & Ægyptia: Persica capiebat Medimnum & tres Cabos, Medica Medimnum, Ægyptia verò, de qua hîc sermo est, quinque Modios. Medimnus autem erat aliud mensuræ genus senos capiens Modios, seu Amphoras duas, vel Italici frumenti libras centum viginti.

Modius erat genus Romanæ mensuræ, 141 quâ frumenta, aliaque hujusmodi mensurabantur & dispensabantur; undè *Modius* quasi modus, quo dispensanda erant, dicebatur, eratque tertia pars Amphoræ Romanæ, seu *Ephi* capiens Sextarios Romanos sexdecim seu triginta duas Heminas, vel viginti sex libras aquæ vel vini; frumenti verò viginti libras tantùm, & æqualis erat Modius *Sato*: *Satum* enim erat genus mensuræ aridorum continens Modium Italicum.

Hin dictio Hebraica, erat, teste Jo- 142 sepho, apud Hebræos certum mensuræ genus, duos continens *Choas* sive Congios, hoc est, duodecim Sextarios Hebræos; duo enim *Choæ*, sive *Congii* faciunt duodecim Sextarios Hebræos, dictos Hebraicè *Logim*, & Latinè *Logos*, octo verò duntaxat Sextarios Romanos. Unde sequitur, quartam partem *Hin* olei fuisse tres Hebræos olei tusi Sextarios, duos verò Romanos tantùm, seu tres circiter olei tusi libras. Dicit Josephus *olei tusi*, quia, ut

(*b*) Lib de mensur & pond. (*c*) Ibid.

ut notat Cornelius à Lapide, oleum hoc non debebat esse attritu molæ expressum, quod impurius est, sed pilô benè tusum, vel certè spontè fluens, quod purius atque limpidius est.

143 *Congius*, qui & alio nomine *Chus* sive *Choa* ab antiquis dicebatur, erat certum liquidorum mensuræ genus, octavam juxta Budæum *Ephi* partem capiens, seu Sextarios Romanos sex, hoc est, *Heminas* sive *Cotylas* Atticas duodecim. *Cotyla* enim, alio nomine *Hemina* dicta, erat aliud mensuræ genus dimidium Sextarii continens, ac proinde sex Sextarios capiens *Congius*, duodecim *Heminas* capiebat, seu *Cotylas*. Ab illo mensuræ genere, quod *Congius* dicitur, Novellius Torquatus Mediolanensis dicitur cognominatus fuisse *Tricongius*, eò quòd olim coram Tiberio Cæsare unicu haustu tres vini Congios siccasset.

144 *Sextarius* erat magnus Scyphus duas Heminas, seu duas Cotylas, vel sextam partem Congii continens; unde *Sextarius* dictus, sicut *Quartanus* à quarta parte, *Acetabulum* ab octava, & *Cyatus* à duodecima parte ejusdem Sextarii. Triplex vulgò erat *Sextarius*, Romanus videlicet, Atticus, & Hebræus. Romanus erat Atticô major, & Atticus Hebræô. Capiebat enim Romanus duodecim Cyatos, Atticus, & Hebræus alio nomine *Log* seu *Logus* dictus octo tantùm, sed pondere impari. Romanus viginti uncias vini, vel aquæ, Atticus quindecim, & Hebræus tredecim duntaxat continebat.

145 *Cabus* Hebræorum, sive *Choenix* Græcorum, erat certum mensuræ genus continens quartam partem Modii, seu quatuor Logos, vel Sextarios Hebræos; eratque mensura victûs diurni unius hominis, capiens quatuor libras, & quinque uncias; unde quarta pars Cabi erat libra una cum uncia una, sive tredecim unciæ.

146 *Gomor* sive *Assaron* erat mensuræ genus, quo maximè per quadraginta annos in deserto ad metiendum Manna usi sunt Hebræi; eratque talis, ut caperet decimam partem *Ephi*, & octo aquæ, vel vini, vel frumenti contineret libras, sufficiebatque ad diurnum cujuscumque etiam robustioris hominis victum: Non tamen continebat octo Mannæ libras; Manna enim, cùm longè levior esset frumentô æqualis ponderis erat cum farina, & Gomor Mannâ plenum quinquaginta circiter uncias, & non ultrà, ponderabat; & hinc est, quòd Hebræi Gomore uno Mannâ plenô egerent pro victu diurno, eoque quotidie vescerentur singuli.

Cyathus erat vasculi seu calicis genus, 147
quod in conviviis ad metiendum, hauriendumque adhiberi solet, Germanicè Becher, Italicè *Bocale*, Gallicè *Gobelet*, duodecimam Sextarii Romani partem capiens; & sicut *Ephi*, seu *Amphora Romana*, duas continebat Urnas. Urna quatuor Congios, Congius sex Sextarios, Sextarius duodecim Cyathos, ita & Cyathus quatuor Cochlearia seu Ligulas. Cochleare autem, sive Ligula, est mensura omnium minima, seu vasculum figuræ oblongæ, in formam Ligulæ, omnium minimum, alio nomine & per apocopen, seu decurtationem ultimæ litteræ *Cochlear* dictum ideo, quod ad cochleas, aliasque hujusmodi escas in mensis sumendas, vel hauriendas inserviat.

De Mensuris Longitudinis. 148

Mensuræ longitudinis, de quibus in sacris Litteris fit mentio præcipuæ sunt: Digitus, Palmus, Pes, Cubitus, Passus, Ulna, Stadium, Milliare.

Digitus, quamvis passim pro una seu 149
singulari aliqua ex illis quinque manûs nostræ extremis partibus sumatur, tamen interdum accipitur pro quodam mensuræ genere; estque decima sexta pars pedis, sive mensura, vel latitudo unius digiti transversim positi omnium minima, quatuor

tuor continens hordei grana transversim posita.

150 *Palmus* duplex est, major seu extensus, & minor seu contractus. Iste est mensura quatuor digitorum transversim positorum. Major verò, qui & *Spithama* nuncupatur, est spatium trium palmorum minorum, seu duodecim digitorum, vel extensio illa, quæ est inter pollicem, & indicem manus extensæ.

151 *Pes*, quamvis passim sumatur pro ea corporis parte, quâ ad gradiendum utimur, est tamen quoddam mensuræ genus vulgatissimum, & ubique notum, quo mensurantur terræ, continetque quatuor palmos, seu sexdecim digitos transversim positos.

152 *Cubitus* vulgaris tam apud Romanos, quàm Græcos & Hebræos est pes cum dimidio, hoc est, sex palmorum communium seu minorum sive viginti quatuor digitorum, vel duorum palmorum extensorum seu majorum; estque longitudo seu extensio à flexu brachii usque ad extremum digiti longioris extensi; sive est quarta pars staturæ hominis benè formati: quisquis enim benè formatus homo habet quatuor sui cubitos, seu pedes sui sex, & totidem facit cubitos, vel pedes, ubi sua brachia in latum extendit.

153 *Passus* duplex est, compositus nimirum & simplex. *Passus* compositus seu major, quo utuntur Geometræ, unde & dictus Geometricus, est spatium quinque pedum, sive viginti palmorum. *Passus* verò simplex & minor, qui dicitur *gressus*, est dimidium *passûs* geometrici, seu spatium duorum pedum cum dimidio.

154 *Ulna* est genus mensuræ tantam capientis longitudinem, quantam complectuntur duo brachia utrinque extensa, seu est duorum brachiorum extensorum longitudo. Varia tamen nunc apud varias nationes est Ulna. Soli Galli seu Parisienses assignatam à nobis Ulnæ longitudinem retinere videntur: cæteræ plerumque nationes, dimidio illam decurtant, adeò ut apud Germanos v. g. Ulna unius brachii longitudinem non exeedat, imò nec attingat, si Viennenses excipias, quorum Ulna longitudinem brachii cum dimidio attingit.

Stadium, prout sacra Scriptura de eo 155
mentionem facit, est mensura centum viginti quinque passuum; curriculum enim, hoc est, locus sive spatium illud, in quo cursu & luctatione exercebantur antiqui, totidem continebat passus, & stadium dicebatur à stando, sive à statione, eò quòd Hercules eo centum viginti quinque passuum spatiô uno spiritu confectô, stetisse fingebatur. Est duplex Græcum scilicet, & Romanum; Græcum centum duntaxat, Romanum verò centum viginti quinque passus compositos seu geometricos continet, estque octava pars milliaris, seu mille passuum.

Milliare, idem est ac mille, Milliare 156
enim Italicum à mille passibus, quos continet, dictum est; & duplicatum facit Leucam unam.

De Anno & Mensibus Hebræorum.

Apud Hebræos Annus duodecim Lu- 157
narium mensium periodô concluditur; singuli menses proinde alterno ordine 30. & 29. diebus constant, initiô tamen factò ab eo mense, qui 30. dies numerat.

Porro duplex anni initium ipsi sta- 158
tuunt, unum in Autumno, alterum in Vere. Annus ad civiles usus Autumnô, ad Sacros autem, seu ad ea, quæ Dei cultum respiciunt, ut sunt festa &c. Vere incipit, quâ anni ætate Romani etiam annum incipiebant.

Primus igitur Mensis anni Civilis, & 159
Septimus anni Sacri, seu Ecclesiastici *Tisri* nuncupatur. Triginta diebus constat, & illius prima dies seu Neomenia Lunationi seu Novilunio Septembris nostri respondet. Secundus anni civilis, & octavus anni sacri Mensis *Marschevan*,

 sive

ſive *Bul* 3. Reg. c. 6. v. 38. dicitur; eſt 29. dierum, & Lunationi Octobris noſtri reſpondet. *Casleu* tertius anni civilis & nonus anni ſancti, 30. dierum, Lunationi Novembris reſpondet. *Thebet* quartus anni civilis & decimus Eccleſiaſtici, 29. dierum, & Lunationi Decembris reſpondens. *Sebath* ſive *Schevetb*, quintus anni civilis, & undecimus ſacri, 30. dierum, Lunationi Januarii reſpondens.

Adar ſextus menſis anni civilis, & duodecimus Eccleſiaſtici, 29. dierum, Lunationi Februarii reſpondens. *Niſan* ſive *Abib* Exod. 13. v. 4. ſeptimus menſis anni civilis, & primus anni ſancti, 30. dierum, & Lunationi Martii reſpondens. *Jiar* ſeu *Zio* vel *Ziv*, 3. Reg. 6. v. 1. octavus menſis anni civilis, & ſecundus Eccleſiaſtici 29. dierum, & Lunationi Aprilis reſpondens. *Sivan* nonus anni civilis & tertius Eccleſiaſtici 30. dierum, Lunationi Maji reſpondens. *Thamuz* ſive *Thammuz* decimus anni civilis, & quartus anni ſancti, 29. dierum, Lunationi Junii reſpondens. *Ab* undecimus menſis anni civilis, & quintus Eccleſiaſtici, 30. dierum, Lunationi Julii reſpondens. *Elul* duodecimus menſis anni civilis & ſextus ſacri, 29. dierum, Lunationi Auguſti reſpondens.

Cùm autem hi Hebræorum menſes ad Lunæ curſum exarati, breviorem noſtrô, qui ad annuum Solis curſum menſuratur, annum efficiant. Annus enim Solaris 365. diebus, 5. horis, 48. minutis, & 37. ſecundis definitur; Lunaris verò 354. diebus duntaxat. Hinc Hebræi, ut damnum illud reſarciant, ſingulis trienniis unum menſem intercalarem adjiciunt; ut ſic annorum periodus cum Solis curſu conſtet; huncque menſem, quòd illum poſt menſem *Adar* ſextum anni civilis, & duodecimum Eccleſiaſtici Februario noſtro reſpondentem collocent, *Ve-Adar*, id eſt, *ſecundum Adar* appellant.

De Maſſora & Maſſorethis. 160

Maſſora vox hebræa *Traditionem* ſonans, ex verbo *Maſar*, nempè *tradere*, *dare*, *offerre*. *Maſſorethæ* verò dicti ſunt Doctores illi Hebræorum, qui lectionem ſacri Textûs determinarûnt, additis punctis vocalibus, quæ puncta ſcilicet vocales conſonantibus adjungendas ſignificarent, & exprimerent, ſicque earum defectum ſupplerent, & marginalibus notis, quæ in Bibliis Hebraicis impreſſis occurrunt; & qui religioſa ſedulitate verba omnia, verſus, litteras cujuscumque libri numerarûnt, ne temporis ſucceſſu aliquid mutari contingeret, eademque lectio ſemper & fixa permaneret. Cùm enim Hebræi ſæpiſſimè ſine vocalibus ſonum vocis determinantibus ſcribere ſoleant, nonniſi traditionibus quibusdam à patre in filium derivatis, rationem quasdam conſonantes legendi acceperant, quæ ſanè variam inducere poterant ſignificationem pro vocalium varietate, quæ ſuppleri debebant. Sic tres litteræ *d. b. r.* exprimere poſſunt *dabar*, *verbum*, vel *ipſe dixit*; *dabir*, *atrium*; *daber*, *mors*; *dabber*, loquere; &c. Traditione igitur ſtatutum eſt, quam in ſingulis ubi fortè occurrunt, eadem vocabula ſignificationem obtineant. Quam Traditionem Maſſorethæ firmam ratamque punctorum vocalium ope effecerunt; unde illis nomen *Maſſorethæ*, eorumque Operi *Maſſora*, ſive *Traditio* inditum

Quo tempore *Maſſoræ* Auctores hi ſeu *Maſſorethæ* florere cœperint, incertum; ſanè veriſimillimum videtur eos Sæculum nonum, vel ad ſummum, ſeptimum non excedere. Et hiſce parti primæ Tractatûs noſtri de S. Scriptura finem imponimus.

PARS SECUNDA.

161 ## *De singulis sacræ Scripturæ Libris.*

JAm supra Part. 1. C. 1. diximus S. Scripturæ libros alios esse *Legales*, *Historicos* alios, alios *Sapientiales*, denique *Propheticos* alios.

De his singulis eâ ratione agemus, ut ordine, quo in S. Scriptura continentur, insuper habitô, Legales Legalibus, Historicos Historicis, Sapientiales Sapientialibus, & denique Propheticos Propheticis jungamus. Et quoniam horum sacrorum Codicum alii sunt veteris Testamenti, alii verò novi, hinc, ut distinctim omnia fluant, partem hanc secundam in binas Sectiones distinguemus, in quarum prima de singulis veteris Testamenti libris tractabimus; in secunda verò novæ Legis libros expendemus. Sit igitur

162 ### Sectio Prima.

De singulis veteris Testamenti Libris.

Hujus Sectionis quatuor erunt Capita juxta jam assignatam librorum ipsorum varietatem.

Caput Primum.

De Libris legalibus veteris Testamenti.

LIbros legales veteris Testamenti, quibus videlicet divinæ Leges comprehenduntur, esse quinque Moysis libros, Genesim videlicet, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium, jam supra memoravimus. (*a*) Unico nomine *Pentateuchus* nuncupantur, quod nomen è græco latinè redditum quinque volumina sonat.

Horum Voluminum Auctorem esse Moysem, jam alibi demonstravimus (*b*), ubi de veritate, & integritate librorum sacrorum egimus.

Et profectò vel id evincit, omnium, quotquot post Moysem extiterunt, Scriptorum auctoritas, qui unanimi consensu illum horum librorum Auctorem esse deprædicant. Judæorum quoque Synagoga, Christus etiam & Apostoli, universaque Christiana Ecclesia eosdem Moysi semper adscripserunt. Ergo non audiendi sunt illi, qui libros hos Moysis esse in dubium vocare velle videntur, sed potiùs, cùm demonstrativis, & evidentibus argumentis destituantur, rejiciendi sunt, ut qui vanis, ac inanibus argumentationibus Moysem possessione trium millium, & quod excurrit, annorum deturbare conentur.

En tamen præcipua illorum argumenta, 163
quibus singulis singulas atteximus responsiones.

Ajunt ergo 1mo. Ideo videri Pentateuchum Moysi falsò adscribi, quòd in eo multa contineantur, quæ Moysis temporibus fuere posteriora. Ut 1mo mors ipsius, quæ legitur Deuter. ult.

Resp. Verba hæc postmodùm addita fuisse ad complendam Moysis historiam vel à Josue, vel ab Esdra, prout contendit Bellarminus, cùm post reditum à captivitate

(*a*) Part. 1. C. 1. (*b*) Part. 1. C. 2.

tate Babylonica sacros libros collegit, & descripsit.

164 2do. Genes. 12. v. 6. hæc habet textus: *Chananæus autem tunc erat in terra*, promissionis videlicet. Atqui hoc dici non potuit nisi ab eo, qui Chananæos ex Palestina pulsos vidisset; quam expulsionem, utpote Moysis morte posteriorem, ipse videre non potuit. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Id enim etiam ab eo dici potuit, quamvis Chananæos ex Palestina pulsos non viderit; sensus quippe est, jam tempore Abrahæ Chananæos habitasse terram promissionis, quod utique ipse scribere poterat.

165 3tio. Genes. c. 36. v. 31. numerantur octo Reges, qui ab Esau regnarûnt in terra Edom, cùm tamen quatuor tantùm intercesserint generationes ab Esau usque ad Moysem. Adduntur insuper hæc verba: *Antequam haberent Regem filii Israël*. Atqui hæc affirmari non potuerunt, nisi ab eo, qui deinceps vidisset Reges Israël, at verò longo post Moysem tempore Israëlitæ primùm Reges habere cœperunt. Ergo &c.

Resp. Octo Reges, qui loc. cit. numerantur, paterna successione non sibi fuisse substitutos, sed vel usurpatione, vel electione: ex ipsius quoque Moysis narratione constat, Duces, seu Reges Idumæorum non successivè, sed alios & alios diversis in locis simul regnasse; unde nihil officit, quominùs ab Esau usque ad Moysem quatuor tantùm fuerint generationes.

Ad textum, qui subjungitur, respondent aliqui, Moysi per Dei revelationem innotuisse, Judæos habituros deinceps Reges, ut constat Deut. c. 17. v. 14. Alii verò ajunt, id postmodùm ipsius libro majoris claritatis gratiâ deinceps fuisse additum, fortè ab Esdra, qui libros Moysis restauravit.

166 4to. Deut. 2. v. 14. dicuntur filii Esau habitasse in Seir, expulsis, & deletis Horrhæis, *sicut*, inquit textus, *fecit Israël in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus*. Atqui verò filii Israël nonnisi post Moysis obitum habitare cœperunt terram possessionis suæ. Ergo &c.

Resp. Deletionem illam populorum à filiis Israël factam vel intelligendam esse de populis trans Jordanem habitantibus, quorum regiones, illis deletis, divisæ ab ipso Moyse fuerunt Tribubus Ruben, & Gad. Vel si de omni terra possessionis ibi sermo est, id à Moyse prophetico Spiritu dictum, vel ab Esdra, qui libros Moysis restituit, hîc additum fuisse.

5to. Exod. 16. designatur tempus, quo 167
filii Israël desierunt manducare Manna. Atqui id nonnisi post mortem Moysis factum est. Ergo &c.

Resp. Noverat Moyses filios Israël quadraginta annis in deserto peregrinaturos; potuit ergo manducationis mannæ tempus designare. Dici etiam potest, hoc ab Esdra, vel alio claritatis gratiâ textui fuisse additum.

6to. Deut. 1. sic habet textus: *Hæc* 168
sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem. Atqui hoc falsum esse videtur; enimverò mortuo jam Moyse primùm Israëlitæ Jordanem transierunt. Ergo &c.

Resp. Vocabulum *Trans*, ut ex hebræo fonte *Beheber* perhibetur, hîc tantùm significat *in transitu*; sensus ergo est, locutum fuisse Moysem verba hæc ad filios Israël, cùm essent brevì Jordanem transituri, quod post unius circiter mensis spatium factum est: unâ enim eâdemque voce *Heber* utuntur Hebræi ad significandum *cis*, & *trans*, eaque diversum illum situm exprimunt; unde videtur fortè hîc error esse penes Interpretem, qui locô *cis* transtulit *trans*.

7timo. Deut. c. 3. Jair dicitur nomine 169
suo insignivisse urbes forte sibi concessas, additque textus: eas nomen illud servasse *usque in præsentem diem*. Atqui hoc innuere videtur longum post has urbium divisiones tempus, adeoque mortuo jam Moyse. Ergo &c.

Resp.

Resp. vel verba hæc: *usque in præsentem diem* addita fuerunt textui, & à margine in eum transmissa; vel sic locutus est Moyses, quia re ipsa jam tempus aliquod effluxerat à divisione terræ ad illud, quo Moyses librum suum scripsit.

170 8vo. Multæ Urbes, & Regiones in libro Genesis iis nominibus appellantur, quæ ipsæ nonnisi post Moysis tempora adeptæ sunt: ut 1mo *Ninive* Genes. c. 10. Cùm tamen primùm Deboræ temporibus dicatur vixisse *Ninus*, à quo Urbs ista nomen suum accepit. 2do. Ibid. c. 11. v. 28. & 31. *Ur* jam dicitur Chaldæorum, cùm tamen nomen istud nondum fuerit in usu tempore Abrahæ. 3tio. Ibid. c. 4. dicitur Abraham persecutus Reges debellatos usque *Dan:* at urbs ista primùm à Tribu *Dan* nomen hoc accepit, ut habetur Judic. 18. 4to. Mons *Moria*, *Dominus videt*, jam c. 22. v. 14. nuncupatur, cùm tamen nomen istud non videatur accepisse, nisi post extructum in eo Templum, quod Moyse posterius fuit. 5to. c. 37. v. 14. fit mentio *Vallis Hebron*, quod nomen ab Hebrone Calebi filio primùm post Moysis obitum accepit. 6to. c. 40. v. 15. Joseph se de terra Hebræorum furtô sublatum dicit, cùm tamen eo tempore Regio illa, è quâ sublatum se queritur Joseph, terra Chanaan fuerit, quæ nonnisi postquam Hebræi Jordanem transivissent, adeoque post Moysis mortem, ad eos pervenerit. 7timo. c. 35. v. 21. Turris *Eder* seu *Gregis* commemoratur, cùm tamen primùm post ædificatam urbem Jerusalem ita fuerit nuncupata, cujus nempe porta erat.

Resp. 1mo. Vel falsum esse, Urbes, & Regiones illas, de quibus in libris Moysis fit mentio, ea nomina, quibus ibidem appellantur, primùm post ipsius tempora fuisse adeptas; neque hujus ratio sufficiens ab Adversariis afferri potest. Vel dicimus, ea nomina deinceps iis libris fuisse inserta locô veterum, quibus anteà vocabantur, ut videlicet clarior narrationis contextus evaderet: cùm enim alia fortè, quàm priùs haberent, nomina post Moysis tempora accepissent, non potuisset non obscurissima fieri historia, quæ antiqua & legentibus ignota referret urbium nomina. Nostrô igitur etiamnum judiciô nonnulla in hisce Moysis libris occurrunt aliena manu addita, quibus cùm apertior & clarior efficiatur sermo, necnon pristinus sensus omnino servetur. Quis proindè hæc suffic ere asseret, ut Pentateuchus Moysi abjudicetur?

Resp. 2do. ad singula. Ad 1mum. Incertum est, *Ninum* vixisse primùm Deboræ temporibus; multi enim probabiliùs censent, eum Abrahæ contemporaneum fuisse: mirum igitur esse non debet, si Moyses nomen urbis proferat, quod eidem multò ante sua tempora inditum fuerat, & quibus sub eo nomine hæc Urbs nota erat.

Ad 2dum. Æquè istud, ac prius incertum manet, num videlicet adhuc tempore Abrahæ Chaldæorum nomen ignotum fuerit. Sed quidquid sit, illud certò constat, nomen hoc jam Moysis tempore usu receptum fuisse, quod & ipse adhibuit, ut nempè ipsius narratio faciliùs intelligeretur.

Ad 3tium falsum est, nomen *Dan* fuisse tempore Moysis incognitum: ut enim Auctor est S. Hieronymus, *Jordanis* ipse à vocibus *Dan*, & *Jor* dictus est.

Ad 4tum falsum quoque est, montem *Moria* sic dictum fuisse primùm post Templum extructum, sed ita appellatus fuit post responsum ab Abrahamo datum filio de victima holocausti quærenti; quod nomen usque ad Moysis ætatem perseveravit.

Ad 5tum dicimus, vel jam tempore Moysis extitisse urbem, quæ *Hebron* dicebatur, cùm priùs vocata fuisset *Cariatbarbe*: vel nomen istud fuisse deinceps additum ad designandam urbem, quæ aliàs antiquo notata nomine suo haud satis dignosci potuisset.

Ad 6tum. Per terram Hebræorum è qua sublatum se queritur Joseph, intelligitur

gitur Regio, quam tunc Hebræi, Jacob scilicet, & filii ejus incolebant.

Ad 7mum. Per turrim *Eder* hîc non intelligitur porta aliqua Urbis Jerusalem, sed, prout observat S. Hieronymus, locus quidam propè Bethleem.

171 Ob. 9no. In istis libris immodicæ in Moysem ipsum congeruntur laudes, ut qui dicatur *mitissimus hominum*, Num. 12. *Homo Dei*, Deut. 33. *Quòd non surrexerit Propheta, ut Moyses in Israël*, ibid. c. ult. & alia hujusmodi; quæ Moyses, si eos libros scripsisset, de se ipso elocutus utique non fuisset. Ergo &c.

Resp. Modicas omninò esse laudes illas, quas sibi in suis libris tribuere videtur Moyses; nec etiam è contrario veretur, sua enarrare vitia: cùm autem se ipsum leviter duntaxat commendare videtur, id ejus veracitati potiùs, & candido animo, peculiarique Spiritûs sancti afflatui, necnon speciali divino præcepto tribuendum est, quàm inani jactantiæ. Quod si hæc responsio Adversariis non sufficiat, dicemus, hæc pauca libris Moysis simul cum obitûs illius narratione fuisse adjecta in illius perpetuam laudem, & commendationem.

172 Objicit 10mo. Richardus Simon (c) hasce conjecturas: quòd in Pentateucho stylus sit varius; eadem frequentiùs repetantur; perturbata plerumque se prodat narratio orta fortè ex foliorum, quibus res gestæ exaratæ continebantur, inverso ordine. Ex quibus, ut & aliis, quos præmisimus, objectionibus concludit, hos quinque Moysis libros esse Notariorum publicorum Opus, qui omnia Hebræorum gesta primùm in Commentaria, ac deinde in librum justô compendiô exaratum redegerint; qui quidem Moysis Pentateuchus dicatur, quòd sub ejus regimine gesta illa collecta fuerint.

Resp. Conjecturas illas non præponderare rationibus, & auctoritatibus, quibus alii erudi*t*i demonstrant, hos libros Moysis Opus esse. Quòd styli diversitatem spectat, repeti illa debet ex rerum & temporum, quibus Moyses scripsit, varietate. Repetitiones autem in illis fuerunt necessariæ ad pleniorem earum rerum, quas continebant, intelligentiam. Nec denique inversum ordinem esse foliorum in Pentateucho aliis benè multis visum est; frustra proinde conjicit Simonius, ex perturbato foliorum, seu schedularum, in quibus scriptitari solebat, ordine, ortas esse, quæ ipse in Pentateucho deprehendere sibi videtur, transpositiones, & confusiones; nam antiqui schedas, seu folia, in quibus scribebant, non secùs ac nos, in ordinem componebant, & extrema sui parte altrinsecùs consuebant, necnon in longum ita disponebant, ut in volumen contrahi possent; nec minor ab illis, quàm nunc à nobis fit, in suis Scriptionibus ordinis ratio habebatur; & si fortè quædam in illis perturbatio accideret, tam facilè eas in ordinem reducebant, ac nunc fit, ubi nostri compinguntur libri.

Sed esto, res in Pentateucho sine ordine esse descriptas, quid mirum? cùm ab Auctore simpliciter, & sine fuco, vel verborum ornatu res, prout gestæ sunt, narrentur. Quin potiùs exinde rectè ac cum veritate arguimus, Pentateuchum auctorem habere ipsum Moysem, qui, utpotè vir simplicissimus, politiori stylô, & oratione seipsum commendare haud gestierit. Dicendum ergo istud Simonii Systema meris niti conjecturis, & possibilitatibus, quas fortè admittere possemus, si contrarium aliundè nobis non innotesceret.

Igitur Moyses filius Amrani, & Jacobed amborum ex Tribu Levi in Ægypto anno mundi 2433. ante Christi æram vulgarem 1570. natus, Pentateuchum scripsit ea quidem ætate, qua veri, & unius Dei nomen nonnisi solis fermè Judæis notum erat, dum cæteri mortales profundis Dei & 173

(c) Hist. critique du Vieux Testament. c. 1.

& veræ Religionis ignorantiæ tenebris, necnon universali corruptione erant involuti.

Ipsimet Hebræi, quorum gratiâ Moyses scribebat, rudes erant, & indociles, summaque ipsis ad idololatriam erat propensio. Diu quippe inter corruptæ, & idololatræ Nationis parietes enutriti, duris laboribus, longaque servitute oppressi, ad ferarum penè conditionem redacti fuerant; Majorumque suorum Religionem fermè obliti, eam sectabantur, quæ tum In Ægypto dominabatur, atque corruptis hominum moribus magis accommodata videbatur. Hæc nobis attentè consideranda sunt, si probè Moysis mentem assequi cupiamus. Debuit ille populi hujus ruditati, & præjudiciis aliquantùm deferre; quæ illius educationi deerant, supplere; factas Majoribus promissiones in mentem revocare; Avorum nobilitatem ob oculos ponere; improbum, & ad malum proclivem illius genium refrenare. Id Moysis consilium fuit, ad quod omnia referuntur, quæ in Pentateucho leguntur. Modò singulos illius libros expendimus.

174 *De libro Genesis.*

Liber iste à deducta Patriarcharum ab Adam usque ad Jacobi nepotes Genealogia *Genesis* seu generationis nomen accepit. Hebræis inscribitur *Berescbit*, quod vocabulum istud in Hebræo textu sit primum.

175 Quinquaginta Capitibus 2369. annorum Historiam complectitur, ab exordio scilicet mundi, usque ad Patriarchæ Josephi obitum; poteſtque secundùm varias temporum, quæ percurrit, epochas in tres partes dividi; in quarum prima à Cap. 1. usque ad 7. ea continentur, quæ in prima mundi ætate contigerunt, ab Adamo videlicet usque ad Diluvium; (*d*) ut creatio mundi, & hominis sex diebus completa. Lapsus Protoparentum. Eorum pœnæ. Propagatio generis humani per Adam usque ad Noë. Malitia hominum velut causa diluvii.

Secunda pars à Cap. 7. usque ad 12. 176
complectitur ea, quæ in secunda mundi ætate, à Diluvio nempe usque ad Abrahamum evenerunt (*e*): Extructio videlicet Arcæ à Noë facta. Diluvium, ejusque cessatio. Pactum Deum inter & Patriarcham Noë. Genealogia hominum post Diluvium à filiis Noë, usque ad Abrahamum. Ædificatio turris Babel, & linguarum confusio.

In tertia verò parte à Cap. videlicet 12. usque ad 50. comprehenduntur ea, quæ gesta fuerunt in tertia mundi ætate, ab Abrahamo nempè usque ad Moysem, seu exitum Israelitarum ex Ægypto sub Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph 177
(*f*) ut sunt divinæ promissiones Abrahæ factæ. Præceptum circumcisionis. Ortus Isaaci. Probatio fidei & obedientiæ Abrahæ in filii sui præcepta imolatione. Gesta, & facta mysteriis plena Patriarcharum Isaac, Jacob, & Joseph. Genealogia filiorum Jacob, & Esau &c.

Occurrunt in hoc libro quædam, quæ ad imminuendam illius auctoritatem passim objici solent.

1mo. Cap. 1. Lux dicitur creata à 178
Deo die primo, & v. 16. primùm quarto die Sol, qui tamen diem constituit, eique lucem præbet. Ergo ante Solem creatum nec lux, nec dies erat &c.

Resp. Neg. argumentum. Lux enim est speciale elementum à Deo statim post cœ-

(*d*) Prima mundi ætas ab Adamo usque ad Diluvium; ab anno mundi 1. ante Æram Christi vulgarem 4004. usque ad annum mundi 1657. ante æram 2347. (*e*) Secunda munti ætas à Diluvio usque ad Abrahamum; ab anno m. 1657. ante Christi æram, 2947 usque ad annum mundi 2083. ante Chr. 1917. ante æram 1921. (*f*) Tertia mundi ætas ab Abrahamo, ejusque peregrinatione, seu vocatione usque ad Moysem, seu exitum Hebræorum ex Ægypto; ab anno mundi 2083. ante Christ. 1917. ante æram 1921. usque ad annum mundi 2513. ante Christ. 1487. ante æram 1491.

cœlum, & terram, prout Scriptura exprimit, creatum; posteà etiam creatus est Sol, immensum corpus illud, qui suo motu ita lucem premeret, ut apta esset ad hominum postmodùm creandorum oculos sic afficiendos, ut illam, diemque cernere possent; Lux enim, nisi oculos feriat, videri haud potest, eos autem ferire non potest nisi ab alio subtili, & ignito corpore moveatur. (*g*)

179 2do. Ibid. c. 2. v. 2. hæc leguntur: *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Et tamen priùs, nempe c. 1. vers. ult. dicitur: quòd, *cùm omnia fecisset Deus, factum sit manè, & vesperè dies sextus.* Hæc autem manifestam contradictionem involvunt. Ergo &c.

Resp. 1mo. c. 2. v. 2. locò *complevit* legendum esse *compleverat*, sic enim vox hebræa verti potest.

Resp. 2do. Pentateuchum Samaritanorum, & versionem græcam textum illum Gen. 2. v. 2. sic habere: *Complevitque Deus die sexto &c.* Emendandus ergo videtur Vulgatæ nostræ Librariorum error ad normam Pentateuchi Samaritani, & græcæ Versionis.

180 3tio. Ibid. c. 4. v. 15. Caino timenti, ne propter perpetratum fratricidium à primo occurrente occideretur, promittit Deus, nequaquam ita futurum. Et postea tamen à Lamecho occisus dicitur ibid. v. 23. prout intelligunt Hieronymus, Anselmus, Rabanus, Strabus, Lyranus, Petrus Comestor, & alii. Atqui hæc inter se apertè pugnant. Ergo alterutrum falsum est.

Resp. 1mo. Quidquid Hieronymus & alii dicant, minimè tamen certum est, Cainum à Lamecho occisum fuisse. Fatetur equidem Lamech, se occidisse virum, sed juvenem, at profectò tunc Cain, utpotè Lamechi Avus, juvenis haud ampliùs erat, ac proinde nec vir ille, quem Lamech se occidisse queritur.

Resp. 2do. conc. maj. & neg. min. Quia Deus Caino non prædixerat, eum absolutè, seu prorsùs non occisum iri, sed solùm non esse futurum, ut occideretur eô modô, quo ipse timebat se occidendum fore, nimirum à primo occurrente scienter, & ex intentione; & quamvis à Lamecho occisus fuerit, certè non ita occisus fuit, sed ab ipso non cogitante, & inter venandum feram quærente. Prohibuit ergo Deus tantùm, ne palam, & agnitus Cain occideretur, non autem casu, & non cognitus, & ab eo, qui feram se occidere arbitrabatur.

4to. Ibid. c. 4. v. 26. dicitur de Enos, 181
quòd *cœperit invocare nomen Domini*; at priùs, nempe v. 4. dictum est, quòd *Abel Deo munera obtulerit*, ac proinde ante Enos Deum invocaverit.

Resp. Dum Enos Deum invocare cœpisse dicitur, id ita intelligi debet, ut cœperit invocare nomen Domini, non quidem privatim, id enim jam ante ipsum præstiterat Abel, sed publicè, congregando scilicet piorum aliorum hominum cœtus ad laudes, & gratiarum actiones Deo persolvendas, certosque præscribendo ritus, quibus religiosiùs, & solemniùs, quàm antea, coleretur Deus.

5to. Ibid. c. 5. v. 27. Mathusala dici- 182
tur vixisse 969. annos, ac proindè ad finem usque diluvii, cùm tot præcisè effluxerint anni à nato Mathusala usque ad Diluvii finem. At posteà c. 6. dicitur in Arca Noë octo duntaxat personas fuisse, Noë scilicet, Sem, Cham, & Japhet, cum sua quemque uxore, de Mathusala autem omninò siletur.

Resp. Ultimum illius annum non fuisse completum, sed inchoatum duntaxat, atque, prout tradunt Hebræi, septimo ante diluvii initium die illum obiisse. Corri-

(*g*) Vide, quæ disseruimus part. 1. Physices nostræ seu in Physica universali, c. 5. tit. de Lumine.

Corrigenda est proinde Septuaginta Interpretum Versio, quæ Mathusalam quatuordecim adhuc post diluvium annis superfuisse perperam memorat, seu supponit.

183 6to. Genes. 6. v. 3. dicit Deus: *Erunt dies homines 120. anni.* Et tamen posteà fuerunt, qui ultra hos annos vitam protenderunt, quos passim Scriptura commemorat.

Resp. Textum non ita esse intelligendum, quasi posteà nulli homines ultra 120. annos vitam protenderint; sed circa hocce tempus, nempe post 120. annos futurum esset diluvium, quo omnes submergendi erant & perituri, prout reverâ contigit. Pœnitentiæ ergo spatium hominibus hîc à Deo præfigitur, non vitæ terminus.

184 7mo. Ibid. v. 6. dicitur de Deo, eum pœnituisse, quòd hominem fecisset in terra, cùm tamen, ut verè de eo dicitur 1. Reg. c. 15. v. 29. *homo non sit, ut agat pœnitentiam.*

Resp. Citatum Genes. c. 6. v. 6. textum, qui dicit Deum pœnituisse &c. non ad litteram, sed metaphoricè sumendum, & intelligendum esse. Loquitur enim Scriptura more humano, inquit S. Augustinus (*b*); unde cùm Deum pœnitere docet, non secundùm affectum, sed effectum intelligi debet; non enim more pœnitentium, priorem revocat affectum, sed retractat ea, quæ fecit, & retractanda decreverat in tali temporis circumstantia.

185 8vo. Ibid. c. 11. v. 26. dicitur Thare 70. annos natus genuisse Abrahamum, mortuusque esse annô ætatis Abrahami 75. totidem enim annorum erat Abraham, cùm mortuo patre de Haran egressus est, prout habetur Ibid. c. 12. v. 4. quos si 70. illis, quos natus fuisse dicitur Thare, cùm Abrahamum genuit addamus, efficientur anni vitæ ipsius 145. tantùm. Attamen eodem c. 11. v. 32. dicitur idem Thare vixisse annos 205.

Resp. 1mo. Thare Abrahamum genuisse non 70mô sed 130mô duntaxat vitæ suæ annô, ideoque, cùm citatô c. 11. v. 26. dicitur *Thare annô ætatis suæ 70mô genuisse Abraham, Nachor, & Aran*, id ita intelligi debet, ut quidem Thare annô ætatis suæ 70mô gignere cœperit, sed non primò Abrahamum, verùm alios ipsius fratres; quòd autem ipse cæteris præponatur, non arguitur per hoc ejus primogenitura, sed tantùm præ cæteris electio; neque enim rarum est in Scriptura, ut juniores prioribus anteponantur. At quia fortè hæc responsio quibusdam minùs solida videri posset, hinc breviùs

Resp. 2do. Versum hunc 32. c. 11. Genesis, quo dicitur Thares vixisse 205. annos mendosum esse, atque emendari debere secundùm textum Samaritanum, ubi Genes. 11. v. 3. disertè hæc leguntur: *Et fuerunt dies Thare centum & quadraginta quinque annorum, posteà mortuus est Thare in Haran.* Quod vel ex eo colligitur, quòd cum isto Samaritano textu, vulgatæ nostræ huic versui 32. anteriores & posteriores textus, ex quibus patet, Thare 145. annis duntaxat vixisse, optimè congruant.

9no. Ibid. c. 12. v. 19. mentitus est 186 Abraham, dum interrogatus de Sara uxore sua, respondit, illam esse suam sororem: atque etiam eam mentiri voluit v. 13. dum illi dixit: *Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis.* Iterum mentitus est, quando montem Moria cum filio suo Isaac ibidem immolando conscensurus servis suis dixit c. 22. v. 5. se, & filium suum, postquam adorâssent, ad ipsos esse reversuros.

Resp. 1mo. transeat, his locis mentitum fuisse Abrahamum; non tamen exinde sequitur S. Scripturam esse mendacem,

(*b*) Lib. 15. de Civ. c. 7.

cem, ſed potiùs veracem, cùm ea, quæ ad hiſtoriæ veritatem pertinent, fideliter referat, non quidem ut approbet, ſed ut integram hiſtoriæ veritatem declaret; verior enim per hoc apparet ſacra hiſtoria, quòd non omittat, nec taceat, ſed ſincerè, & fideliter referat tantorum virorum delicta, qualia ſunt ea, quæ de Loth, Samſone, Davide, Salomone, & aliis interdum hiſtoricè narrat.

Reſp. 2do. negamus Abrahamum hìc mentitum fuiſſe. Non, quando dixit Saram uxorem eſſe ſororem ſuam; in hoc enim veritatem celavit duntaxat, at nullum protulit mendacium; erat quippe Sara neptis Abrahæ, filia nempe Aran fratris ſui; uſus autem invaluerat apud Hebræos, ut neptes à patruis ſeu avunculis dicerentur ſorores, & nepotes fratres; undè idem Abraham Loth fratris ſui filium, ſeu nepotem ſuum vocat fratrem, Geneſ. 13. v. 8. Neque etiam idem Abraham mentitus eſt, cùm dixit, ſe cum filio ſuo ex monte reverſurum, quia certò ſibi perſuaſum habebat, aut ſaltem certò ſperabat, quòd Deus, aut non pateretur Iſaacum occidi, vel occiſum, & imolatum ſuſcitaturus eſſet; ſciebat enim, Deum fallere non poſſe, nec promiſſis deeſſe, qui promiſerat, ex Iſaaco Chriſtum naſciturum, & poſteritatem ejus innumerabilem futuram ſicut ſtellas cœli, & pulverem terræ.

187 10mo. Ibid. c. 15. v. 3. prædicitur Abrahamo, ſemen ſuum peregrinum futurum in terra aliena, & ibi ſubjiciendum, & affligendum fore 400. annorum ſpatiô. At Exod. c. 12. dicitur, quòd Iſraëlitæ in Ægypto per 430. annos manſerint.

Reſp. Scripturam ſæpiùs minorem numerum pro majori uſurpare, quod & hìc facit, adeoque prior Geneſis textus ita intelligendus eſt, ut ad minimùm 400. annis filii Abrahami peregrini futuri ſint in terra aliena. Quidam 430. annorum illorum, de quibus in Exodo fit mentio, initium ſumunt ab eo tempore, quo Abraham 75tum ætatis ſuæ annum agebat; volunt autem 400. illos, qui Geneſis c. 15. memorantur, annos incipiendos eſſe à nato primùm Iſaaco, cùm nempe Abraham Pater ejus jam centenarius erat; profectò enim Iſaac, quamprimùm natus eſt, cœpit eſſe peregrinus in terra aliena, de quo hìc eſt ſermo; atque juxta hunc computum pauci reſidui erunt anni, quibus 430. annorum illorum numerus compleatur; prout paſſim in ſacra Scriptura contingit.

11mo. Ibid. c. 27. v. 19. Mentitus eſt 188
Jacob, dum bis interrogatus à Patre ſuo, num eſſet Eſau, reſpondit ita, ſe Eſau eſſe.

Reſp. 1mo. tranſeat, eum eſſe mentitum, quid tum? Ergo ſacra Scriptura, quæ factum iſtud hiſtoricè tantùm memorat, mendax quoque eſt? minimè profectò. Vide quæ ad object. 9nam pag. 85. primô locô reſpondimus.

Reſp. 2do. neg. hìc mentitum fuiſſe Jacob, 1mo. quia duplici titulô promogenitus dici poterat, jure ſcilicet emptionis, & Decretô Dei matri Rebeccæ ſignificatô, quando ei fuit revelatum, aliquando futurum, ut major minori ſerviturus ſit. Et ſic Jacob dicens, ſe eſſe Eſau, non mentiebatur, quia ſe Eſau non in perſona, ſed in jure dicebat; ſicut Joannes dicitur à Chriſto Elias, non quidem in perſona, ſed in Spiritu. 2do. Quia licèt re ipſa non eſſet Eſau, erat tamen, ut ajunt, repræſentativè, enimverò ipſius perſonam exhibebat, undè ſine mendacio potuit dicere patri ſuo, ſe feciſſe id, quod ei præceperat, quamvis ei nihil, ſed Eſau præcepiſſet, &c.

12mo. Mentitus eſt pariter Joſeph, 189
dum Geneſ. c. 42. v. 9. aſſeruit, fratres ſuos, quos tamen optimè noverat, eſſe exploratores; & Benjamin ſcyphum argenteum furtô ſuſtuliſſe, Geneſ. c. 44. v. 4.

Reſp. 1mo. Si mentitus eſt Joſeph, id non probat Scriptura, ſe tantùm hiſtoricè narrat. vid. ob. 9. pag. 85.

Reſp.

Resp. 2do. Hæc ab ipso dicta fuisse, non juxta propriam, sed secundùm Regis Ægypti domesticorum secum degentium opinionem; vel interrogando duntaxat, non asserendo, quod colligi posse videtur ex v. 15. ubi ait ad illos, *cur sic agere voluistis?*

Respondent alii, Josephum hæc non dixisse seriò, sed jocaliter, & simulatè: verùm sic à mendacio non absolvitur.

190 13tio. Ibid. c. 46. v. 26. dicitur, quòd cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerint sexaginta sex, & v. 27. dicuntur fuisse septuaginta. Imò Act. 7. v. 14. septuaginta quinque fuisse asseruntur in Ægypto.

Resp. hæc omnia vera esse. Nam cùm v. 26. cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt Ægyptum cum Jacob dicuntur fuisse 66. in hoc numero non includuntur Jacob, & Joseph, nec duo Josephi filii, nimirum Ephraim, & Manasse, qui quatuor si præfato addantur numero, reperientur septuaginta, id est, tot, quot reperiuntur ingressæ v. 27mo sequenti; & si insuper istis addantur quinque Joseph nepotes, qui fuerunt etiam in Ægypto, prout reipsâ à septuaginta Interpretibus adduntur, reperientur septuaginta quinque fuisse in Ægypto, qui est numerus Act. 7. expressus.

De libro Exodi.

191 *Exodus* vox græca *egressum* latinè significat, quo nomine secundus Scripturæ liber insignitur, quòd de egressu Israëlitarum ex Ægypto præcipuè agat. Hebræi illum *Veelle Schemoth* nuncupant, id est, *hac sunt nomina;* eoquòd ista sint prima totius libri vocabula.

Illius 40. numerantur Capita, quibus ea, quæ quartâ mundi ætate, à morte Josephi videlicet, usque ad erectionem Tabernaculi, quæ facta fuit die 1ma mensis anni 2. ab egressu ex Ægypto, contigère describuntur (*i*); ut Patriarcharum, seu filiorum Jacob mors. Secuta dura Hebræorum servitus, & oppressio. Variæ machinationes, quibus Pharao Rex Ægypti israëlitarum propagationem cæde neonatorum masculorum, eorundemque submersione obstetricibus imperata conatus est impedire. Moysis ortus, educatio, fuga, Regumque Ægypti in Hebræos iterata odia. Regressus Moysis è Madianitide, quò priùs confugerat. Plagæ Ægyptiis ab ipso inflictæ. Hebræorum ab Ægypto egressus, ac transitus maris rubri. Ægyptiorum ipsos persequentium in eodem submersio. Beneficia à Deo Israëlitis collata. Legis indictio. Hebræorum in Deum ingratitudo. Tabernaculi erectio.

Quatuor præcipuè adversùs hujus libri 192
auctoritatem objici solent. 1mo. Ibid. c. 14. v. 20. nubes, quæ Hebræos mare rubrum transeuntes ducebat, dicitur tenebrosa simul, & illuminans, quod apertè contradictionem involvit.

Resp. Hæc duo de nube illa rectè dici sine ulla contradictione; anteriore enim sui parte, qua Hebræos illuminabat, eisque lucem præbebat, illuminans erat, parte verò sua posteriore, & Ægyptios respiciente erat tenebrosa, adeoque simul illuminans, & tenebrosa respectu diversorum, quod nullam contradictionem involvit.

2do. c. 20. v. 5. dicitur Deus visitare 193
iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem: huic verò repugnat, quod dicitur Ezechiel. c. 18. v. 20. *filius non portabit iniquitatem Patris.*

Resp. priorem Exodi textum loqui de pœna temporali, posteriorem verò de pœna

(*i*) Quarta mundi ætas ab an. m. 2313. ant. Christ. 1487. ant. ær. 1491. usque ad an. m. 2992. ant. Christ. 1008. ant. ær. 1012. nempe usque ad jacta Templi per Salomonem fundamenta.

pœna ſpirituali, privationis videlicet gratiæ, & damnationis æternæ; prior tranſit in filios, ſecùs poſterior, exceptô peccatô Originali, de quo proin non eſt hîc quæſtio. Vel, ut explicant alii, prior textus loquitur de filiis iniquorum parentum mores imitantibus, poſterior verò de filiis iniquorum parentum vitia fugientibus.

194 3tio. Ibid. c. 31. v. 18. *Dedit Dominus Moyſi .... duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digitô Dei.* Et tamen c. 34. v. 28. Illæ teſtimonii tabulæ *à Moyſe ſcriptæ dicuntur.*

Reſp. Moyſem, ob vituli adorationem à populo perpetratam indignabundum acceptas à Deo tabulas ipſo Dei digito ſcriptas confregiſſe, & poſtmodum duas alias prioribus ſimiles præcidiſſe, atque in eis, dictante Deo, fœderis verba ſcripſiſſe, prout colligitur ex eodem c. 34. v. 1. Prior ergo textus intelligitur de prioribus tabulis à Moyſe confractis, poſterior verò de poſterioribus à Moyſe de novo præciſis, & Deo dictante, vel, ut alii volunt, ab ipſo Deo iterum conſcriptis.

195 4to. Ibid. c. 1. v. 20. & 21. obſtetricibus Hebræis in Ægypto Deus benefeciſſe dicitur, eisque domos ædificaſſe in præmium mendacii, quo Pharaonem decipientes Hebræorum pueros ſervarûnt incolumes.

Reſp. Deum mulieribus illis benefeciſſe, non propter mendacium, quo Pharaonem deceperunt, ſed ob pium Dei timorem, & laudabilem in pueros miſericordiam, eos ſervando incolumes: præmiô igitur à Deo ſunt donatæ non ob verbum mendacii, ſed ob affectum obſequii.

196 *De libro Levitici.*

Hic liber nomen ſortitus eſt à legibus & cæremoniis Sacerdotes, Levitas, & Sacrificia ſpectantibus, quæ res ſunt potiſſimùm libri argumentum; quare apud Hebræos *Lex Sacerdotum* appellatur. *Vajiera* etiam ipſum nuncupant, id eſt, *Et vocavit*, quæ primæ ſunt totius libri voces.

Viginti ſeptem in eo numerantur Capita, quorum ſeptem priora ritus pro holocauſtis, oblationibus panis, ſimilæ oleô conſperſæ, ſacrificiis pacificorum, ſive devotionis, & gratiarum actionis, & denique pro victimis pro peccato complectuntur. Inde cæremoniæ, & ſacrificia pro initiandis Sacerdotibus ſuccedunt: qua occaſione hiſtoria Nadab, & Abiu igne conſumptorum, quòd thus profano igni impoſuiſſent, refertur. Lex denique de luctu, vinique uſu Sacerdotibus interdicto eo tempore, quo Deo miniſtrant.

Inde à c. 11. usque ad 15. Regulæ pro animalibus puris, & impuris; pro diſtinctione lepræ hominum, ædium, & veſtium, ac tandem pro expiatione puerperarum, & gonorrhæâ laborantium ſtatuuntur.

Hinc ſequuntur cæremoniæ pro ſolemni explatione; gradus cognationis, in quibus connubia interdicuntur; fœdus etiam cum Chananæis, Idololatria, furtum, perjurium, calumniæ, odium, ſuperſtitiones, auguria, proſtitutiones, & adulteria cavenda denuntiantur; hoſtiarum vitia luculentè recenſentur.

Cap. 23. feſta totius anni ſolemniſſima, Paſchatis nempè, Pentecoſtes, Tabernaculorum, ſolemnis Expiationis, Tubarum, ſive exordii anni civilis.

Cap. 24. præſcribitur ritus concinnandarum lucernarum in Tabernaculo fœderis; panum propoſitionis; ſtatuitur etiam pœna blaſphemorum lapidibus obruendorum, quæ in viro, qui blaſphemaverat executioni mandatur; & pœna talionis.

Cap. 26. Dei præcepta ſervantibus bona promittuntur, non ſervantibus verò

plurima

plurima mala. Et denique cap. 27. statutis votorum, & decimarum persolvendarum legibus libro finis imponitur.

197 Duo hîc objiciuntur. 1mo. c. 2. v. 1. præcipitur in sacrificio oleum fundi & thus imponi. At ibid. c. 5. v. 11. idipsum prohibetur.

Resp. Priori cap. agi de oblatione, seu sacrificio Eucharistico ad gratiarum actiones pro beneficiis acceptis ordinato. Posteriori verò de expiatorio seu satisfactorio pro peccato. In illo præcipitur oleum, & thus; in isto autem prohibetur; quia oleum & thus sunt virtutis, & lætitiæ Symbola, quæ in peccatis locum non habent; imò quia oleum, & thus ad delicias, & jucunditatem conferunt, quæ à peccatore procul abesse debent.

198 2do. c. 18. v. 16. dicitur: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.* Et tamen oppositum præcipitur Deut. 25. v. 5. his verbis: *Fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.*

Resp. Prior Levitici textus prohibet solùm, ne quis fratris sui uxorem ducat, illo adhuc vivente, vel etiam eo mortuo, si nempe liberos reliquerit; posterior verò Deut. jubet ducendam, si frater sine liberis obierit.

199

De libro Numerorum.

Hic quartus Pentateuchi liber ab Hebræis vocatur *Va jedabber*, id est, *Et locutus est*, eoquòd his voculis in Hebræo incipiat. Quidam illorum eum nuncupant *Bemid debar*, quod est, *In deserto*, quia in eo referuntur ea, quæ Israëlitis contigerunt in itinere 39. annorum spatiô per desertum.

Græci demum, ac deinde Latini eum idcircò *Numeros* appellarûnt, quòd illius tria prima capita Hebræos, & Levitas enumerent post erectionem, & consecrationem Tabernaculi separatim recensitos.

Igitur liber iste 36. Capitibus historiam, ut dictum, 39. circiter annorum quartæ mundi ætatis complectitur, à secundo scilicet mense secundi anni egressûs Hebræorum ex Ægypto usque ad finem penè vitæ Moysis, sive 40. annorum peregrinationis Israëlitarum in deserto usque ad initium mensis undecimi anni 40. dictæ peregrinationis, quo tandem in campestria Moab ultra Jordanem pervenêre.

Tribus primis capitibus initur, ut dictum, numerus populi Israëlitici, Bellatorum scilicet, Primogenitorum, & Levitarum. Deinde texitur historia peregrinationis Israëlitarum ex Ægypto per desertum in Chanaan tendentium. Commemorantur multiplices eorumdem contra Moysem, & Aaronem murmurationes, illarúmque pœnæ. Recensetur etiam exploratio terræ promissæ facta per Josue, & Caleb, aliósque exploratores, necnon ejus situs juxta diversas plagas describitur: quibus hinc inde plura præcepta judicialia, & cæremonialia immiscentur.

Ob. c. 14. v. 29. dicitur, quòd omnes à viginti annis, & supra, qui murmuraverant contra Dominum, non essent intraturi terram promissionis præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun. Et tamen, ut habetur Josue c. 14. v. 1. summus Sacerdos Eleazar, licèt tunc, cùm maledictum illud pronuntiatum fuit, viginti annis major esset, eam ingressus est. 200

Resp. Comminatoria illa Moysis verba solùm ad illos Hebræos dirigebantur, qui ad reditum Terræ promissæ exploratorum illorum, qui eidem falsò detrahebant, murmuraverunt contrâ Moysem; quorum murmuris, & rebellionis cùm conscius non fuerit Eleazar Sacerdos, sic nec eâdem cum illis pœnâ debuit puniri, atque Terrâ promissionis privari.

201 *De libro Deuteronomii.*

Deuteronomium quinque Moyſis Librorum poſtremus, in quo veluti ſumma colligitur omnium, quæ Moyſes in aliis præcedentibus libris fecerat, & conſtituerat: unde & *Deuteronomium*, id eſt, *ſecunda Lex*, ſeu potiùs *Summa legis* dictus eſt.

Titulus ejus apud Hebræos ex verbis in exordio libri occurrentibus, *Elle haddebarim* repetitur. Ex Rabbinis tamen aliqui eum *Miſna*, quod idem eſt, ac *ſecunda lex*; alii *Reprehenſionum librum* vocant ob redargutiones in Iſraëlitas c. 1. 8. 9. 30. & 42. inſertas.

Triginta quatuor Capitibus conſtat, hiſtoriámque complectitur ſex circiter hebdomadum, quantum ſcilicet temporis interceſſit ab exordio menſis undecimi usque ad ſeptimum duodecimi menſis diem anni quadrageſimi ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto.

In eo Moyſes c. 1. 2. & 3. populum alloquens totam ab egreſſu Ægypti usque dum in planitiem Moab veniſſent, hiſtoriam recenſet. Deinde à c. 5. usque ad 27. ſecunda illos oratione Leges Dei in monte Sina acceptas explicationibus, noviſque additionibus illuſtrat.

Inde à c. 28. usque ad 30. populum vehementer adhortatur, ut divinis legibus obtemperet. Subindè ſucceſſorem ſuum in populi Regimine à Deo deſtinatum eſſe Joſue declarat cap. 31. v. 9. 10. & 14. Tandem, poſt ea omnia ſcriptis exarata, librum Senioribus populi committit, etiam atque etiam eos obteſtans, ut illum ſingulis ſeptenniis in cœtu populi feſtô Tabernaculorum die illum prælegerent.

Poſt paucos dein dies canticum vehementiſſimum coram populo recitavit, in quo violandam à Judæis fidem non obſcurè ſignificabat, &c. Illud verò Canticum à ſingulis exſcribendum præcepit, ut ad debitam Deo præſtandam fidelitatem ejus lectione excitarentur. Tandem ea die juſſus à Deo monte Nebo aſcendere, ut diem clauderet, convocatô priùs adhuc populô, ſingulis Tribubus benedictionem impertivit, & quæ eventura erant, prædixit; inde montem aſcendens vitâ functus eſt, cùm vixiſſet annos centum viginti.

Ob. c. 15. v. 6. & c. 23. v. 19. per- 202
mittitur Hebræis fœneratio cum alienis. At contrà Pſal. 14. v. 5. dicitur, quòd ille duntaxat habitaturus ſit in Tabernaculo Dei, qui non dederit pecuniam ſuam ad uſuram. Et Luc. c. 6. v. 35. ait textus: *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

Reſp. Uſuram jure naturali, divino, & humano vetitam Judæis ad duritiem cordis eorum in Deuteronomio à Moyſe ab alienis duntaxat exigi fuiſſe permiſſam, idque ad majus malum vitandum, ne ſcilicet à fratribus ſuis Hebræis uſuras exigerent, & extorquerent, eósque ſic gravarent, & opprimerent. At quia ipſis permiſſum erat alienos, ut Amalecitas, Amorrhæos, &c. ſine crimine occidere, utique etiam licitum ipſis erat, eorum bona rapere, vel apertè, vel occultè, & doloſè, ac per uſuram, idque meritò eis ad duritiem cordis ipſorum permittere potuit Deus, utpotè rerum omnium Dominus, quemadmodùm iisdem permiſit Ægyptios ſpoliare, libellum repudii dare, & plures uxores habere, quamvis vetita hæc omnia. Verùm cùm hæc conceſſis jam dudum ceſſaverit, cùm ceſſaverint omnia Synagogæ privilegia, finierit & ipſa Synagoga, omnibus, etiam Judæis, vetita remanet uſura, atque ſupra allato Domini præcepto Luc. c. 6. v. 35. obſequendum, nempe dandum mutuum, nec quidquam inde ſperandum, aut accipiendum; at eheu, quàm pauci huic præcepto, vel, ſi velis monito duntaxat, obediunt!

CAPUT

CAPUT II.

203 *De libris Hiſtoricis veteris Teſtamenti.*

SEptemdecim, ut alibi à nobis dictum (*k*), numerantur veteris Teſtamenti libri Hiſtorici, Joſue ſcilicet, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, & duo Machabæorum. De ſingulis his libris præſenti capite nobis tractandum eſt.

204 *De libro Joſue.*

Fuit Joſue filius Nun à Græcis JEſus filius Nave dictus, ex tribu Ephraim natus annô mundi 2460. ante Chriſt. 1540. & ante æram 1544. prout vult Calmet. (*l*)

Moyſis ſervitio libens addictus à Scriptura paſſim Moyſis famulus appellatur (*m*), eoque defuncto Iſraëlitarum regimen, ad quod paulò ante Moyſis obitum à Deo electus fuerat, cepit an. mundi 2552. ante ær. 1451. Dei opem in omnibus præſtò ſentiens. Primum illius nomen *Oſee* fuit, id eſt, *Servator* (*n*), cui Moyſes Dei nomen addens, eum *Joſue*, id eſt, *Dei ſalutem*, ſive *Ipſe ſalvabit*, nuncupaſſe narratur.

Quando autem nomen iſtud Joſue obtinere cœperit, diſputatur. Alii poſt profligatos Amalecitas, alii poſt exploratam Chanaanitidem volunt. Græci pro *Oſee* legunt *Auſem*.

205 Liber, qui ipſius nomine inſcribitur, 24. capita continet, in quibus ipſemet Joſue hiſtoriam quartæ mundi ætatis proſequitur, atque tranſitum filiorum Iſraël per Jordanem, everſionem civitatum Jericho, & Hai; ſubverſionem plurimorum Regnorum; oppugnationem triginta & unius Regum; diviſionem terræ promiſſæ; exhortationem, quâ ipſemet filios Iſraël ad ſervanda Dei mandata, & cavendam ſocietatem cum Gentilibus eſt adhortatus, commemorat, aliaque multa facta commendabilia, quæ à morte Moyſis usque ad ſuam mortem tempore 17. annorum geſta fuêre, ab an. m. videlicet 2553. ante Chr. 1447. ante ær. 1451. usque ad an. m. 2570. ante Chr. 1430. ante ær. 1434. quo ipſe Joſue annos natus 110. obiit. Illum an. m. 2560. obiiſſe, quidam Chronographi ſacri aſſerunt, alii an. m. 2561. Eum tamen rebus Iſraëlitarum 17. circiter annis præfuiſſe omnes conſentiunt.

Hujus libri Auctorem eſſe Joſue 206
ipſum, manifeſtè probatur 1mo. Quia omnia exemplaria ſive Hebraica, ſive Græca, ſive denique Latina Joſue tanquam illius Auctorem præ ſe ferunt. 2do. Quia illum tum Synagoga, tum Eccleſia ipſi Joſue tanquam illius Auctori ſemper tribuerunt, atque velut Canonicum agnoverunt. 3tio. Quia alii ſacrorum librorum Scriptores illum eidem Joſue adſcripſerunt, ut 1mo. Eccleſiaſticus, qui c. 46. v. 1. ait, Joſue ſucceſſiſſe Moyſi in Prophetiæ miniſterio, id eſt, prout exponunt Interpretes, in munere ſcribendi hiſtoriam populi Dei, & componendi ſacros libros. 2do. Auctor libri 3tii Regum ex volumine iſto integram periodum exſcribit c. 16. v. 34. atque ſubjungit juxta Verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Joſue filii Nun. (*o*) Ergo liber Joſue antiquior eſt libris Regum, atque ab antiquioris ætatis Auctore conſcriptus, nempè ab ipſo Joſue, cùm nullus alius libri iſtius Scriptor aſſignari valeat. 3tio. Ipſius libri Joſue Cap. ult. v. 26. hæc leguntur:

(*k*) Part. 1. c. 1. (*l*) Dict. Bibl. V. *Joſue.* (*m*) *Exod. c.* 24. *v.* 13. & *c.* 33. *v.* 11. Item *Deut.* c. 1. v. 38. (*n*) Num. c. 13. v. 9. & 17. (*o*) Joſue c. 6. v. 26.

tur: *Scripsit quoque Josue omnia verba hæc in volumine legis*, id est, Pentateucho adjunxit. Ergo vel hoc ipso libro teste illius Auctor est Josue.

Quòd si dicas, hæc de isto ult. Capite duntaxat intelligi oportere, non autem de toto libro: Respondemus, quòd si Caput istud Josue tribuatur, meritò etiam totus liber ei tribui debeat; præsertim cùm argumenta, quæ in contrarium afferri solent, evanida sint, nulliusque ponderis, prout mox ostendemus.

Prob. etiam Ratione Theologicâ. Nulli alteri Scriptori liber iste potiùs convenire, & adscribi potest, quàm Josue. Ergo &c. Prob. ant. Nullus in eodem libro exarata meliùs nosse poterat, adeoque ad eum conscribendum magis idoneus, & comparatus erat, quàm ipse Josue, utpotè omnium eorum testis oculatus non modò sed & Auctor, ac Dux. Ergo &c.

207 *Solvuntur Objectiones*

Ob. 1mo. In hoc libro frequenter repetuntur hæc verba: *Usque in præsentem diem.* (p) Atqui hæc denotare videntur tempus Josue ipso longè posterius. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Josue multis annis præfuit Israëlitis partim solus, partim sub Moyse, ac librum suum in summa senectute scripsit; benè ergo ea, quæ pridem facta fuerant, *usque in præsentem diem*, seu illud, quo scribebat, tempore perseverasse, potuit scribere. Moyses ipse in Deuteronomio, cùm de rebus à se pridem gestis loquitur, hujusmodi dictionem etiam usurpat: *Reversus*, inquit c. 10. v. 5. *de monte descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt.* Matthæus item c. 27. v. 8. *Propter hoc*, inquit, *vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Et c. 28. v. 15. *Divulgatum est*, inquit, *verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.*

Ob. 2do. Sub finem Cap. 6ti fama 208
Josue per omnem terram vulgata dicitur. Et c. 8. v. 11. omnia præstitisse scribitur Josue, quæcunque præceperat Moyses. Atqui hæc, utpotè haud modicam jactantiam præ se ferentia, indigna videntur Josue modestiâ. Ergo alii, quàm ipsi, adscribendus videtur ipsius liber.

Resp. Huic objectioni jam supra nos satisfecisse (q), ubi de libris Moysis egimus, atque eadem adversùs illius Pentateuchum proposita fuit. Profectò, si liber iste, ex eo, quòd nonnihil benè gestorum Josue commemoret, ipsi est abjudicandus, S. Paulo itidem abjudicandæ erunt aliquot Epistolæ, quòd in illis pietatem suam, & benefacta, necnon eximias dotes suas commendet. *Sed Scriptura mos est*, inquit S. Gregorius (r) *ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa, quasi de aliis loquantur; hinc est enim, quòd Moyses ait, erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Joannes dicit, Discipulus ille, quem diligebat JEsus. Hinc Lucas ait, quòd ambularent duo ex Discipulis in via Cleophas & alius. Scriptores igitur sacri Eloquii, qui impulsu Spiritûs sancti agitantur, sic de se in illo testimonium quasi de aliis proferunt.*

Ob. 3tio. c. 10. v. 13. citatur *liber* 209
Justorum. Atqui liber hic ipso Josue est recentior, aut saltem ei coævus, quippe qui pugnæ Gabaonitarum, & stationis Solis meminit. Ergo etiam liber, qui Josue nomen præfert, ipso Josue est recentior, adeoque minimè ab eo conscriptus.

Resp. Neg. 1mum membrum minoris. Josue seniô jam confectus, prout jam annotavimus, librum suum exaravit, proinde mirum non est, quòd mentionem faciat *libri Justorum*, qui liber nihil aliud erat, quàm carmen Epinicium, quod statim

(p) C. 4. 5. &c. (q) Pag. 82. (r) Præfat. in Job.

tim post reportatam de hostibus Gabaonitarum insignem victoriam illam editum est, atque inter Hebræos divulgatum.

210 Ob. 4to. Eodem loco legitur, Solem stetisse in medio cœli, & non festinasse occumbere spatiô unius diei: nec fuisse anteà, & posteà tam longam diem: *una enim dies*, ut dicitur Eccli. c. 46. v. 5. *facta est, quasi duæ.* Atqui 1mo id præter veritatem dictum videtur; enimverò Isaiæ c. 38. v. 8. dicitur, quòd tempore Ezechiæ, Sol reversus sit decem lineis per gradus, quos descenderat, sicque ter percurrerit idem decem linearum spatium, atque triginta duarum circiter horarum diem fecerit, qui adeoque profectò longior fuit, quàm ille, de quo apud Josue Cap. 10. v. 13. fit mentio. (*s*) 2do. Id, etsi ita factum fuisset, tamen Josue dicere non poterat; qua enim ratione ipse de futuro etiamnum post ipsum tempore cavere poterat? Ergo ex duplici hac ratione liber iste Josue adscribi non potest.

Resp. Neg. min. Ad 1mum respondet Liranus, tempore Josue stationem Solis contigisse in solstitio æstivo; tempore Ezechiæ autem ipsius reversionem in solstitio hiemali accidisse; & ideò Solem diutiùs supra hemisphærium nostrum stetisse sub Josue, quàm sub Ezechia, cum dies duplicata in æstate correspondeat quadruplicatæ hiemali. 2do. Resp. cum communi: In Josue libro sermonem esse de longitudine diei respectu Palestinæ, in qua tam longa dies nunquam visa fuerat.

Ad 2dum. Eidem jam satisfecimus in responsionibus ad 3tiam & 1mam objectiones. Diu nempe post hoc prodigium Josue librum suum scripsit. (*t*) *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatiô unius diei; non fuit anteà nec posteà*, id est, toto reliquo Josue vitæ tempore, seu usque ad tempus, quo hæc scripsit, *tam longa dies*. Nec enim pridie, aut nudius tertiùs evenerat hoc prodigium, sed ante multos annos, quàm hæc ab ipso scripta fuerint.

Ob. 5to. Historia Calebi, quæ narra- 211
tur hujus libri c. 15. v. 13. & seq. post obitum Josue primùm evenisse dicitur c. 1. lib. Judic. Ergo &c.

Resp. Hæc Calebi historia addita fuit Cap. 15. Josue ab alio, majoris eorum, quæ ibidem de sorte Tribûs Judæ narrantur, claritatis gratiâ, utpote in cujus sortis medio Moyses Calebo partem dederat, *Cariatharbe* scilicet, seu *Hebron*, quam deinde armis sibi subegit, ut & *Cariath sepher*, quam cepit Othoniel nepos ipsius, unde & illius filiam Axam accepit in uxorem. Hæc, inquam, ex libro Judicum huc translata fuere, ut totus historiæ contextus simul haberetur.

Ob. 6to. Cap. 19. v. 2. mentio fit ter- 212
ræ *Cabul.* Atqui hæc terra primùm nomen istud accepit ab Hiramo Salomonis coætaneo, ut habetur lib. 3. Reg. c. 9. v. 13. Ergo &c.

Resp. Neg. min. lib. 3. Regum c. 9. sermo est de regiuncula viginti oppidorum, quam Salomon Hieramo Regi Tyri dederat. At Josue Cap. 19. v. 2. agitur de vico aliquo in terra Tribûs Asser, & confiniis Ptolomaidis sito.

Ob. 7mo. Sub finem Cap. 16. de Cha- 213
nanæis Gazeritanis referuntur ea, quæ Cap. 1. Judicum recitantur, tanquam defunctô jam Josue acta. Ergo &c.

Resp. Cap. 1. Judicum ea repetuntur, quæ Cap. 16. libri Josue asserta fuere. Memoratô enim c. 1. Judic. v. 27. refertur, quòd Manasses non deleverit Chananæos Bethsamitas, Thanacitas &c. ad exemplum videlicet filiorum Ephraim, de quibus, ex iis, quæ memorata sunt c. 16. Josue, constaret, ab ipsis nec Chananæos

(*s*) Videtur quòd tunc Sol momentô decem solaris horologii lineis reversus sit, adeoque diem viginti duntaxat duarum horarum fecerit. (*t*) Josue c. 10. v. 13. & 14.

Gazeritanos fuisse interfectos. Exinde autem non sequitur, librum hunc Josue recentiorem esse, vel tempore Josue Israëlitas nondum occupasse terram Gazeritarum; verùm id duntaxat eruitur, auctorem videlicet Cap. 1. Judicum, cum sua scriberet, præ manibus habuisse Josue librum.

214 Ob. 8vo. In historia, quæ c. 22. v. 10. & seq. narratur de ingenti Ara illa, à Rubenitis, Gaditis, & dimidia Manassæorum parte extructa nulla fit mentio de Josue. Ergo hæc historia est illo recentior; si enim suo tempore evenisset hæc decem Tribuum adversùs fratres suos conjuratio, utique eidem interfuisset Josue &c.

Resp. Neg. cons. Nam ibidem apertis verbis habetur, Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Manassæorum partem in proprias sedes à Josue dimissos fuisse; & cùm ad tumulos Jordanis pervenissent, antequam disjungerentur, immanem aram illam molitos esse, quæ reliquos Israëlitas concitavit. Hæc ergo Josue tempore evenerunt; nisi eum, statim ac memoratas Tribus dimisit, mortuum velis, quod tamen apertè falsum esse subsequentia demonstrant Capita.

215 Ob. 9no. In fine libri hujus mors Josue, & res post ejus obitum gestæ narrantur. Ergo &c.

Resp. Ea, quæ Cap. ult. de obitu Josue, atque post ejus mortem gesta esse narrantur, addita fuerunt libro huic vel à Samuele, vel ab Esdra, vel ab aliquo alio. Id autem minimè obest, quin reliquus liber ipsius sit.

216 Ob. 10mo. Si Josue liber Jeroboami, qui Auctor fuit defectionis decem Tribuum Israël à Roboamo Salomonis filio, dissidiò fuisset antiquior, utique illum admisissent Samaritani. Atqui hi solum & unicum Pentateuchum recipiunt. Ergo indicium est, solum hunc Pentateuchi librum ante defectionem Roboami vulgò apud Hebræos extitisse, nec Josue librum adhuc fuisse conscriptum.

Resp. Samaritanos (*u*) non modò canonicum Josue librum, sed & alios ab Hæbræis ante ipsorum in terram Israël adventum communiter probatos, & pro Sacris habitos neglexisse, quippe qui, ut habetur lib. 4. Reg. c. 17. v. 33. & 34. *Cùm Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant in Samariam: usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, & judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israël.*

Imò Samaritani Josue librum legunt, summoque honore servant, ex quo argumenta pro suo adversùs Judæos dissidio tuendo deducunt; etsi plurimùm distet ab eo, quem Synagoga, & Ecclesia pro Canonico agnoscunt, nihilque aliud esse videatur, quàm Chronicon, seu Historia sat malè digesta eorum, quæ acciderunt à morte Moysis usque ad Adriani Imperatoris tempora. (*x*)

De libro Judicum. 217

Post mortem Josue, quæ contigit anno mundi 2570. ante Chr. 1430. ante æram 1434. qui deinceps usque ad Saulem primum Hebræorum Regem Israëlitis præfuêre, Judices sunt appellati. Eorum dignitas, quamvis ad mortem usque permaneret, non tamen jure hæreditario ad successores devolvebatur; siquidem quandoque eorum

(*u*) Samaritani juxta stylum sacrorum Scriptorum sunt populi, quos è remotissimis transeuphratæis, seu trans Euphratem sitis regionibus Reges Assiriæ ad incolendam Samariæ regionem deduxerunt, decem Tribuum Israëlitis priùs eam incolentibus ab iisdem Regibus aliò translatis. Eorum igitur Epocha ad annum captæ Urbis per Salmanasarem anno mundi 3283. constituitur. (*x*) Calmet Dict. Bibl. Verb. Josue

eorum intermissa fuit continuatio. Interfuère enim interdum Anarchiæ, quibus intervallis Princeps nullus, nullus Judex Rempublicam gerebat. Interdum etiam Hebræi servitute oppressi exteris parere coacti sunt; tunc proinde aut nullos Judices habebant, aut eorundem tenuis admodùm erat auctoritas.

218 Quamvis ut plurimùm Deus per semetipsum, seu per apertum voluntatis suæ indicium Israëlitarum Judices excitaret, nihilominùs aliquando populus haud expectata Dei revelatione, eum sibi Judicem deligebat, quem avertendis calamitatibus aptiorem censebat. Sic, qui ultra Jordanem erant Israëlitæ Jephte, ut bellum contra Ammonitas gereret, sibi Ducem propriô judiciô assumpserunt. Quando autem calamitates, quæ Judæos ad Judicum perfugium compellebant, non ad omnes undique Regiones extendebantur, tùm neque selecti Judices toti Israëli imperabant, sed iis tantùm, quos periculô liberassent. Sic nec Jephte citra, nec Baruch ultra Jordanem judicabant.

219 Porrò Judicum auctoritas Regum imperio haud impar erat; res quippe belli æquè ac pacis moderabantur; lites supremâ & Monarchicâ auctoritate dirimebant. Novas tamen leges condere, & populis nova onera imponere prohibebantur. Leges & Religionem tuebantur; & in crimina, præsertim idololatriam, animadvertebant. Cæterùm sine pompa, sine satellitio, sine comitatu incedebant, nullis vectigalibus, quibus parem dignitati famulatum alerent, donabantur; solis quippe muneribus spontè oblatis contenti, nec certos redditus, nec ullas populi collationes congerebant.

Eorum imperium trecentis triginta novem annis, ab obitu videlicet Josue, usque ad initium Regni Saulis, perduravit.

220 Liber eorum nomine inscriptus 21. Capitibus continet historiam 339. annorum, & ideo Judicum nomine insignitus est, quòd gesta complectatur Judicum, & Principum Israël, qui videlicet populo post mortem Josue, ferè usque ad initium Regni Hebræorum, seu electionem Saulis primi eorum Regis, præfuerunt. Variæ igitur in eo libro commemorantur afflictiones, servitutes, & oppressiones, quas sub Judicum regimine diversis temporibus passi sunt Israëlitæ à Moabitis, Philistæis, Ammonitis, Madianitis &c. sumpta deinde de inimicis ultio, & ab iis liberatio. Ipsorumque Judicum gesta ab Othoniel usque ad Heli, & Samuel ultimos Israëlitarum Judices, quorum in 1mo libro Regum primùm fit mentio. En horum Judicum Chronologia.

Anni Mundi. 221

2570. Mors Josue.

2585. Quindecim circiter annis Seniorum administratio.

2592. Anarchia circiter per septennium usque ad annum 2592. Hoc intervallô contigit Michæ historia. Oppugnatio item urbis Lais factà à 600. viris ex Tribu Dan. Necnon undecim Tribuum bellum adversùs Tribum Benjamin.

2591. Prima servitus sub Chusan Rasathaim Mesopotamiæ Rege ab anno 2591. usque ad annum 2599.

2599. Othoniel annô post pacem à Josue terræ allatam 40mô Israëlem liberat.

2662. A liberatione per Othonielem annô 2599. factâ pax continuata fuit 62. annis, usque ad annum videlicet 2662. quo incidit secunda servitus sub Eglone Moabitarum Rege, cui Hebræi 18. annis paruêre.

2679. Aod Israëlem liberat: post quem judicavit Samgar, & à prima per Othonielem liberatione pax perstitit octoginta annis.

2699. Tertia sub Chananæis servitus per annos 20. ab anno 2699. nempe usque ad annum 2719.

2719. Debora, & Barac Israëlem liberant. A liberatione per Aod usque ad finem

finem Deboræ, & Barac 40. anni interfuêre.

2752. Quarta sub Madianitis servitus per septennium, ab anno 2752. usque ad annum 2759.

2759. Gedeon Israëlitas libertati restituit. A liberatione per Deboram, & Barac usque ad prædictam Gedeonis liberationem denuò 40. anni interfluxerunt.

2768. Abimelech filius spurius Gedeonis à Sichimitis Dux salutatus, & 70. fratribus suis interfectis, imperavit tribus annis ab anno 2768 usque ad annum 2771. quo in obsidione Thebes Palestinæ urbis jacto à muliere quadam in ipsum molæ fragmine cerebrum ipsius confractum est.

2772. Thola tribus & viginti post Abimelech annis judicavit Israel ab anno videlicet 2772. usque ad annum 2795.

2795. Jarius post Tholam præfuit annis 22. ab anno 2795. usque ad annum 2816.

2799. Quinta sub Philistæis servitus per annos 18. ab anno 2799. usque ad annum 2817.

2817. Mors Jairi. Eodem anno Jephte Israëlitarum ultra Jordanem Princeps eligitur. Ammonitas, à quibus Hebræi opprimebantur, evertit. Sex annis judicavit, ab anno 2817. usque ad annum 2823.

2823. Moritur Jephte. Abesan septem annis judicat, ab anno 2823. usque ad annum 2830.

2830. Ahialon post Abesan imperat usque ad annum 2840.

2840. Abdon octo annis judicavit usque ad annum 2848. quo incidit sexta sub Philistæis servitus per annos 40. ab anno 2848. usque ad annum 2888.

2848. Heli Pontifex ex progenie Ithamari toto servitutis sub Philistæis tempore per annos 40. judicavit Israël.

2849. Samson nascitur, qui Philistæis multa mala intulit.

2887. Moritur Samson &c.

2888. Mors Heli, eidem succedit Samuel.

2909. Electio, & unctio Saulis primi Hebræorum Regis.

Libri Judicum Auctor non satis notus 222 est. A quibusdam Phinees; ab aliis verò Esdræ, aut Ezechiæ; ab aliis denique Samueli tribuitur; ab aliis verò omnibus & singulis Judicibus, quorum quisque Regni sui seu Magistratûs historiam exaraverit.

Nos ab uno eodemque tantùm Auctore, qui post Judices vixerit, confectum arbitramur; cui sententiæ perplurimùm id favere videtur, quòd c. 2. v. 10. & seq. totius libri summa, & idea exhibeatur.

Probabiliùs autem nobis videtur, illum à Samuele conscriptum esse, 1mo. Quia illius Auctor eo tempore, quo Jebusæi Jerosolymæ imperabant, ac proinde ante Davidem superstes fuit, Judic. c. 1. v. 21.

2do. Quia, cùm Opus istud exaratum est, jam à Regibus Respublica Hebræorum geri videbatur, eo quòd Auctor florentibus Judicibus, nullum Israëli Regem imperasse pluries memoret, quod Samuelis ætati omninò convenit, qui, cùm sub Saulis imperio viveret, notare voluisse videtur discrimen regiminis sui temporis ab illo, quo Judices imperabant.

Ob. 1mo. Hæc Opinio non videtur 223 stare posse, nisi huic libro quædam deinceps addita fuisse dicantur, ut illud, quod c. 18. v. 30. *dicitur*, scilicet, *Viros Dan posuisse sibi sculptile, & Jonatham filium Gersam filii Moysis, ac filios ejus Sacerdotes fuisse in Tribu Dan usque ad diem captivitatis suæ; mansisseque idolum Michæ apud eos omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo.* Atqui nulla videtur adstrui posse captivitas Tribûs Dan, præter eam, quæ sub Teglathphalassare Assyriorum Rege pluribus post Samuelem sæculis contigit. Ergo &c.

Resp. Neg. maj. Hæc, de qua hîc fit mentio, captivitas contigit antequam Israëlitis

litis Reges imperarent. Subdit enim Auctor, v. 31. *In diebus illis non erat Rex in Israël.* Ait ergo, tunc Michæ idolum periisse, quando de Silo ablata est Arca, ut in prælium adversùs Philistæos produceretur: sublatô autem idolô, una sublatus fuit Sacerdos bellique jure captus unacum magna Israëlitarum multitudine, prout memorat Psalmista Psal. 77. v. 60. & 61.

224 Ob. 2do. In eodem libro persæpè occurrit mentio urbis Jerusalem. Atqui nomen hoc urbi isti primùm post Samuelis tempora inditum fuit. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Certum namque est, hanc ipsam esse civitatem, quæ temporum initiô *Salem* nominabatur, & in qua Melchisedeci Regia fuit. Psaltes enim juxta hebraicum exemplar Psal. 75. v. 3. ait: *Et factus est in Salem locus ejus &c.* Communis etiam fert opinio, dictionem hanc *Jerusalem* ex vocibus *Jeru*, & *Salem* sumptô priori vocabulô ex nomine, quod *Moriæ* monti, qui in eodem loco situs erat, fecit Abraham cùm dixit: *Dominus videbit.* Quandonam autem hæ duæ dictiones in unam fuerint conflatæ, ac ex iis *Jerusalem* primùm dici cœperit hæc civitas, obscurum est, & incertum. Probabiliter censendum videtur, Israëlitas, ipsumque Josue, postquam vicina loca insederunt, memores dicti Abrahamici, & impositi loco huic nominis, novum nomen urbi finxisse ex veteri isto *Salem*, quòd à Jebusæis, finitimisque populis habebat, & altero, quod ab Abrahamo habuerat. His autem recentior fuit libri Josue, & libri Judicum lucubratio; unde objectio nihil evincit.

225 De libro Ruth.

Fuit Ruth fœmina Moabitis, quam Chelion filius Ebimelech in Moabitidem secedens ibidem duxerat uxorem. Liber, qui illius nomen præfert, est veluti appendix ad librum Judicum, & initium, seu introductio ad libros Regum.

Veteres Judæi ipsum libro Judicum adjecerunt, quòd historiam exhibeat, quæ ipsorum tempore contigit. (y) Multi quoque antiqui Patres, cùm S. Scripturæ libros recensent, septimô locô ponunt librum Judicum simul, & librum Ruth, ita ut sub uno eodemque volumine uterque comprehendatur. Verùm tùm illius materia, tùm ipse titulus exposcunt, ut velut separatus & distinctus liber sive à Judicum, sive à primo Regum volumine habeatur, quamvis ad utrumque pertinere videatur, quippe cum præcedente continuatur, ac subsequentis primi Regum libri est exordium.

Recentiores Judæi, mutatâ veteri librorum sacrorum dispositione, statim post Pentateuchum, quinque libros, quos *Magilloth* vocant, subjungunt: nempe Cantica, Ruth, Lamentationes Jeremiæ, Ecclesiastem, & Esther; interdum Esther inter hos libros primum, interdùm secundum, & aliquando quintum locum obtinet.

Liber Ruth quatuor duntaxat Capitibus 226 concluditur, in quibus eximiæ pietatis, & divinæ providentiæ singulare exemplum exhibetur, multaque mirabilia, magnisque mysteriis referta de Ruth narrantur, quæ socrum suam Noëmi è Moabitide in patriam revertentem piè subsecuta, & Boozo prædiviti secundis nuptiis juncta, ei peperit Obed Davidis avum, unde Christus Dominus secundùm carnem traxit originem.

Quando autem liber iste, & à quo scri- 227 ptus fuerit, certò definiri haud potest. Id apertum est, ea videlicet, quæ in eo narrantur, sub unius Judicis regimine contigisse.

Samuelem illius Auctorem esse pleri- 228 que censent. Profectò si verum est, Samuelem scripsisse primum Regum librum, &

(y) Ruth. c. 1. v. 1.

& partem secundi, quibus gesta Davidis continentur, quasi pro certo inferri posset, eum etiam hunc librum scripsisse. Nam 1mo Scopus hujus libri Auctoris est, Davidis indicare Genealogiam; cùm enim eam in libris Regum texere haud posset, nisi narrationis suæ filum interrumperet, atque Saulis, & Davidis gesta omninò inter se connexa separaret, hinc exile opus istud separatim edidisse videtur velut supplementum eorum, quæ deesse videbantur iis, quæ in primo Regum libro de Regali Davidis familia recenset.

2do. Liber iste dictionem in libro primo Regum usurpatam refert, & geminæ phrases in eo occurrunt, quæ nonnisi in libris Regum inveniuntur: ut, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, hìc cap. 1. v. 17. Et 1. Reg. c. 3. v. 9. & v. 35. Item c. 19. v. 13. Altera, *Ego tibi revelavi aurem*, id est, *Ego dixi tibi*, hìc c. 4. v. 4. Et 1. Reg. c. 20. v. 2. Item 2. Reg. c. 7. v. 27.

229 *De quatuor Regum libris.*

Libri Regum quatuor Inscribuntur, quamquàm olim in Bibliis hebraicis in duos tantùm divisi fuerint, quorum primus *Samuelis* nomine signabatur; secundus verò *liber Regum* nuncupabatur. Nostræ ætatis exemplaria omnia hebraica, græca, & latina quatuor libros præ se ferunt. Duo priores in Hebræo *Samuelis*, duo autem posteriores *Regum* nomen præfixum habent. Græci omnes quatuor *libros Regnorum*, Latini verò *libros Regum* eos nuncupant.

230 Primus Igitur Regum liber 31. Capitibus complectitur ea, quæ gesta fuêre sub Judicibus Heli, & Samuele, necnon sub imperio Saulis usque ad ipsius mortem; ab anno mundi videlicet 2849. usque ad annum 2949. Centum videlicet annorum historiam.

A Cap. 1. usque ad 10. describuntur ea, quæ 60. circiter annorum spatiô contigerunt, ab anno videlicet mundi 2849. usque ad annum 2909. sub Heli, & Samuele: nempe nativitas Samuelis; redargutio Heli propter iniquos & impios filios suos; bellum Philistinorum adversùs Israelitas; isti ab illis cæduntur, atque capitur Arca Dei; ob retentam Arcam affliguntur Philistæi à Deo, eamque remittunt; Bellum innovatur adversùm Philistæos, atque ab Israëlitis vincuntur orante pro ipsis Samuele. Filiis Samuelis, quos ipse Senex jam, & decrepitus Judices populi constituerat, ad avaritiam declinantibus, petit populus sibi Regem; Samuel igitur præcipiente Domino ungit Saulem in Regem; & postmodùm convocatô populô ad Dominum in Maspha, missisque sortibus, In Saulem cecidit sors, atque ibidem in Regem consecratus est, Cap. 10.

Reliquis Capitibus gesta Saulis, & Davidis per 40. annos usque ad Saulis interitum narrantur, ab anno mundi scilicet 2909. usque ad annum 2949. nimirùm Saulis à Regno amotio; electio Davidis in Regem; victoria ipsius de Goliath reportata; insidiæ Saulis in Davidem; variæ afflictiones, & persecutiones, quas David à Saule perpessus est, usque ad hujus obitum & necem.

Libri 2di Regum 24. sunt Capita, qui- 231
bus ea referuntur, quæ à morte Saulis usque ad finem Regni Davidis 39. annorum spatiô ab anno mundi 2949. usque ad annum 2988. facta fuêre; unctio scilicet Davidis in Regem; bella contra hostes ab ipso prosperè gesta; misericordia, quam exhibuit Jonathæ posteris; ultio injuriæ ab Ammonitis illatæ; duplex Davidis peccatum, adulterii nempe, & homicidii; ob quæ à Nathan Propheta reprehenditur; rebellio Absalomi adversùs patrem suum Davidem, ipsiusque interitus; gravis Dei offensio, quam David populi enumeratione incurrit; sceleris hujus expiatio facta per extructionem altaris, & oblationem holocaustorum &c.

Liber tertius Regum 22. Capitibus ab- 232
solvitur, & 126. annorum historiam com-

plecti-

plectitur, quæ ab inuncto in Regem Salomone, & à Patre in Regni societatem accito usque ad obitum Josaphat Regis deducta est, ab an. m. videlicet 2989. usque ad an. 3115.

Prioribus undecim capitibus Salomonis gesta usque ad ejus obitum commemorantur; ut, ipsius in Regem an. m. 2989. substitutio, & unctio, præcipiente David patre suo jamjam deficiente, qui & subsequenti annô mundi 2990. annos natus 70. cum dimidio mortuus est; Sapientia Salomoni à Deo inspirata; Templi Domini, Regiique Palatii magnificentissima structura, eorumque pretiosissima utensilia. Templi fundamenta jacere cœpit Salomon annô 480. ab exitu Israël de Ægypto an. 4to. Regni sui, mundi 2992. quo initium datum fuit Quintæ
233 Mundi ætati, quæ protenditur usque ad finem captivitatis Babylonicæ, scilicet usque ad annum m. 3469. (*z*) Sequitur introductio Arcæ in Templum, hujusque consecratio; multaque alia memorabilia Salomonis gesta. Ejus demum deploranda per concubinas depravatio, & denique obitus c. 11. qui accidit an. m. 3029. ætatis circiter 58vô Regni 40mô.

Reliquis Capitibus commemoratur Regni divisio, & defectio decem Tribuum ad Jeroboamum, cujus ipse Roboam Salomonis filius, Israëlitarum animis, datô ipsis inconsultô responsô, à se abalienatis, Auctor fuit, saltem in speciem, & secundùm rerum humanarum cursum; enimverò jam longè priùs Jeroboamo decem Tribuum imperium à Deo per prophetam Ahiam assertum fuerat. (*a*) Describitur Jeroboami Regis Israël impietas in erigendis vitulis aureis. Gesta succedentium Regum Juda & Israël narrantur, ut Abiæ, Asa, & Josaphat, Regum Juda: Nadab, Baasam, Elam, Zambri, Amri, Thebni, Achab, quem excepit Ochozias ejus filius, Regum Israël. Eliæ quoque Prophetæ memorabilia gesta adnotantur.

Liber 4tus Regum 25. Capitibus 227.234 annorum gesta, & historiam refert, tam in Regno Juda, quàm Israël, ab an. m. 3108. usque ad an. 3442.

Primus ergo inter Reges Israël occurrit Ochozias filius Achab, qui Beelzebub (*b*) Deum Accaron super ægritudine sua consuluit; unde & Elias ob id scelestum facinus ei mortem prædicit. Succedit ei Joram frater ejus. Elias igneo curru rapitur in cœlum, præsente, & vidente Elisæo individuo illius comite, super quem & Spiritus Eliæ requievit. Joram à Jehu occiditur, atque universa Domus Achab deletur, ut & Sacerdotes Baal. Jehu succedit Joachaz, qui impia Jeroboami filii Nabath vestigia terens, multis sceleribus inquinatus est; quamobrem furor Domini in Israëlem exarsit, atque populum hunc toto impii Regis hujus imperio Hazaëlis Regis Syriæ, & Benadad filii ejus arbitrio reliquit; Sed idem Joachaz tandem ad Dominum conversus liberatur; cui mortuo succedit filius Joas, qui juxta Elisæi morientis vati- 235
cinium Syros ter devicit. (*c*) Mortui autem Elisæi sepulchro injectum mortui viri cadaver; tactis ipsius ossibus, ad vitam mortuus suscitatur, c. 8. v. 21. Joas etiam patris iniquitatem, & impietatem secutus à Deo defecit instar Jeroboami filii Nabath,

(*z*) Quinta mundi ætas à jactis Templi fundamentis usque ad finem captivitatis Babylonicæ i. ab an. m. 2992. ante Christ 1008. ante æram 1012. usque ad an. m. 3469. ante Christum 531. ante æram Christianam vulgarem 525. quo anno sexta mundi ætas sumit initium. (*a*) 3. Reg. c. 11. v. 31. (*b*) *Beel-Zebub* sive *Beel-Zebul* sive *Beel-Zebut* sonat idem ac *Deus musca* Accaronitarum idolum. In novo Testamento Beel-Zebub sæpè Princeps Dæmonum appellatur, Accaronitæ autem dicti sunt ab Urbe Accaron in Palæstino olim Philistinorum. Hodie nonnisi pagus est. (*c*) Argumentum pro Catholicis contra Acatholicos pro Sanctorum reliquiarum veneratione.

qui Israëlem ad peccatum induxerat; Insigni tamen victoriâ Amasiam Regem Judæ prostravit. Ei succedit filius Jeroboam nomine secundus, atque Israëlem ab angustiis liberat; cui succedit filius Zacharias, hic sex tantùm mensibus imperavit, & quemadmodùm Pater, mala coram Domino operatus est, atque à Sellum filio Jabes proditione sublatus est; hic regnum mense unô duntaxat obtinuit à Manahem filio Gadi in Samaria occisus, qui cùm exercitui Zachariæ præesset, audita ejusdem nece, Thersâ movens Samariam obsedit, In qua Sellum, post à se trucidatum Regem Zachariam, imperabat; recepta urbe Manahem Sellum trucidavit, regnumque occupavit, atque decenniô tenuit Jeroboami filii Nabat primi Israëlis Regis non tam Regni, quàm scelerum hæres. Succedit Phaceia filius ejus, qui per biennium duntaxat Regno præfuit, impius & ipse conjuratione Phacee filii Romeliæ in Regio Palatio oppressus est; Phacee igitur Phaceiæ copiarum Dux, versis in Dominum suum armis in Regiæ Domûs turri clausum obsedit, captoque munimentô Regem occidit, ac imperium occupavit; pravum etiam Jeroboami filii Nabat exemplum secutus est. Eo regnante Teglathphalassar Rex Assyriorum ditionem Israëlis invadens, Aion, Abelmaacha, Jonoe, Cedes, Asor, Galaad, totaque regione Nephtali occupatis, incolas in Assyriam traduxit. Phacee autem inita ab Osee filio Ela conspiratione tandem sublatus est. Osee ultimus Rex Israëlis, interfectô per insidias Phacee, regnô potitus est. Hic quamvis sceleстus, suorum tamen Majorum impietatem non æquavit, quippe subditis suis non interdixit, quominùs Jerosolymam pergerent ad cultum Domino exhibendum. Cùm ab Assyriæ Rege Salmanassar deficere attentasset, hic comparato exercitu Samariam obsedit, eamque trienniô post, Regni Osee scilicet annô nonô, mundi 3283. occupavit necnon tanta in illam crudelitate sæviit, ut mulieres gravidas disciderit, earum parvulos eliserit, ipsamque Urbem in acervum lapidum converterit, decemque Tribuum Israëlitas, quos Teglatphalassar in iis regionibus adhuc reliquerat, ultra Euphratem transtulit; eisque suffecit Cuthæos populos Assyriæ, qui in hanc usque diem Samaritani appellantur. Is Regni Israëlitici post 254. annorum spatium exitus.

Sub his Israëlis Regibus plures exti- 236
têre in Regno decem Tribuum istarum Insignes Prophetæ, Addo, Odeb, Ahias, Elias, Elisæus, Osee, Amos, Jonas, aliique.

In Regno Judæ inter quamplurimos 237
impios, paucos Religiosos Principes commemorat hic quartus Regum liber. Primus occurrit Josaphat filius Asæ; hic regnum 25. annis obtinuit, Deo semper acceptus, excelsa, & lucos, in quibus Infanda exercebantur, evertit; nec tamen efficere potuit, ut populus se ad Deum penitùs, & omnino converteret. Joram filius ipsius trienniô post Patrem solus imperavit; ab Athalia Achabi Regis Israël filia quam duxerat uxorem, ad idololatriam, aliaque flagitia abductus Regnum suum plurimis calamitatibus opplevit; alvi languore correptus, postquam eo morbo per biennium laborasset, tandem interiit.

Ochozias post patrem Joram regni 238
gubernacula annô ætatis 22. arripuit, & unicô anno tenuit. Pessima Achabi vestigia, cujus consanguineus erat, relegit. A Jehu, qui in Joram Regem Israëlis conjuraverat, unacum eo, quem inviserat, occisus est. Athalia, cùm audisset, Ochoziam filium suum, & 42. regii sanguinis Principes à Jehu neci traditos fuisse, reliquos è stirpe regia deleri curavit, ut, sic cæteris, qui residui remanman-

manserant, sublatis, ipsa vacuum regnum occuparet. Verùm Jotaba filia Regis Joram, & Regis Ochoziæ soror, cùm filii Regis cæderentur, Joas Ochoziæ filium unacum ejus nutrice clam subtraxit, atque in Templo nutriendum summo Sacerdoti Jojadæ tradidit. Post sex annos Jojada, convocatis Sacerdotibus, & Levitis, eisdem consilium suum aperuit, regni scilicet ad legitimum Regem Joas revocandi, qui, cùm præstò se ad id esse significarent, nullâ morâ interpositâ Joas, multitudine acclamate, Rex salutatus est. Athalia eo clamore excitata ad Templum cucurrit, novumque Regem intuita, discissis vestibus, proditionem clamavit; at à Levitis, annuente Jojada summo Sacerdote extrâ Templum rapta, atque usque ad portam equorum tracta, ibidem jugulata est annô usurpati ab ipsa Regni septimô.

239 Joas igitur ab usurpata, ut mox dictum, per Athaliam regia potestate annô septimô in Templo Rex acclamatus, annis 40. Regnum Jerosolymis tenuit. Quamdiu Jojada summus Sacerdos vixit, æquissimè imperavit, quamvis excelsa non auferret; at eo mortuo ad idola deflexit, Zachariamque Pontificem Jojadæ filium multis àdhortationibus ipsum ab impietate avertere conantem, immemor beneficiorum à patre illius acceptorum, occidit. Inde variis calamitatibus, atque à Syris penè oppressum servi, Zachariæ sanguinem ulturi, in lectulo suo trucidarûnt.

240 Amasias patre occiso 25. annos natus regnum capessivit, atque 29. annis Jerosolymis obtinuit. Quod bonum erat coram Domino egit, at non corde perfecto. Victis Idumæis Deos eorum coluit, victus ipse postmodùm à Rege Israëlis. Tandem conjuratione suorum occubuit an. m. 3194.

Ozias ejus filius, alio nomine Azarias dictus à 16. ætatis suæ anno spatiô 52. annorum Regno præfuit; Legem Dei sanctè servavit. De Philistæis, Ammonitis, Arabibus triumphavit. Jerosolymæ munitiones auxit, exercitum 307500. virorum habuit. Agriculturâ delectatus plurimos agricolas in arvis, vinearum custodes in collibus, pastores in vallibus destinavit. Cùm denique in Templo Sacerdotale offerendi incensi munus usurpasset, continuò leprâ percussus est, quare, ab hominum consortio segregatus, privatam vitam extra Urbem egit usque ad mortem suam, quæ contigit an. m. 3246. ante Chr. 754. ante ær. 758. 241

Joatham, patre leprâ percusso, regni suscepit habenas quidem, sed primùm post annos 25. nempe post mortem patris, Regis nomen accepit, solusque imperavit. Domino adhæsit, excelsa tamen non delevit, in quibus adhuc populus imolabat. Ammonitas defectionem tentantes profligavit, ac denuo vectigales fecit. Obiit an. m. 3262. ante Chr. 738. ante ær. 742. Paulò ante ipsius mortem, Rasin, & Phacee, ille Syriæ, iste Israëlis Reges adversùs eum moverunt, de quo bello certè nihil constat, nisi, quòd initiô regni Achaz filii, & successoris ipsius Judæ regiones maximis calamitatibus laborasse, Isaias commemorat. (*e*) 242

Achaz impietate celeberrimus, gentium numina coluit, atque Idolo Moloch (*f*) filium suum igne consecravit. Variis bellis à Razin Syriæ Rege, & Phacee Rege Israëlis penè oppressus, ab Assyriorum Rege adversùs eos suppetias petiit, missoque ad ipsum quidquid auri, & argenti Templum habebat, in suas partes eum traxit. Amotô etiam è Templo altari æneô, illius locô profanum collo- 243

(*e*) C. 1. v. 1. &c. (*f*) *Moloch*, sive *Melchom* Deus Ammonitarum. *Moloch Regem* sonat, & *Melchom*, *Eorum Regem*. Eo *Solem*, sive cœli Regem exprimebant.

collocavit. Obiit Jerosolymis an. m. 3278. ant. Chr. 722. ant. ær. 726.

244 Ezechias annos natus 20. patri successit, regnumque 28. annis tenuit. Pius, & Religiosus, omni idolorum cultu exterminatô, verum ac uni Deo debitum restituit. A Bello, quod ei Sennacherib Assyriorum Rex intulerat, per miraculum liberatus est. Ægrotans ad mortem, sanitatem, & quindecim adhuc annorum vitam à Deo impetravit. Tandem post comparatas ingentes divitias obiit an. m. 3306. ant. Christ. 694. ant. ær. 698.

245 Manasses duodennis rerum potitus 55. annis post patrem regnavit. Scelera sectatus, idola nationum, eorumdemque impium cultum à patre deletum restituit. Filium suum in honorem Moloch per ignem traduxit. His & aliis criminibus ultimam veluti manum sævities imposuit; siquidem innocentum sanguine à se impie effuso tota urbs Jerosolyma exundavit. Isaiam extrema quæque ipsi, nisi resipisceret, prædicentem in carcerem conjecit, ac tandem serrâ ligneâ medium scindi jussit. Demum impietatis suæ pœnas daturus ab Assyriæ Rege bellô petitus, ac captus, Babylonem perductus est; ibi in vinculis detentus multis lacrymis, & gemitibus à Deo scelerum veniam postulans, libertatem, & reditum in Jerusalem impetravit; regnoque restitutus nihil habuit antiquius, quàm ut collapsam disciplinam restauraret, atque subditis suis colendi, quærendique Dei auctor esset. Diem clausit Jerosolymis an. m. 3361. ant. Christ. 639. ante ær. 643.

246 Amon Manassis filius duobus tantùm annis regnum habuit. Cultui veri Dei idola substituit Princeps sceleстissimus. Domesticorum conjuratione oppressus est.

247 Josias Amonis filius octo natus annos regnum assumpsit. Ætatis suæ 20mô Regni verò 12mô annô, excelsa, lucos, simulacra, & sculptilia omnia Judæ, & Jerosolymæ penitùs evertit. Pseudo-Sacerdotum ossa in altaribus Idolorum combussit, necnon Ephraim, Manassis, Simeonis, & Nephtali Tribuum peragratis urbibus, omnia idololatriæ monumenta ubique delevit, ac demùm Jerosolymam regressus est. Templi restaurationi sedulò incubuit. Moysis volumen, in quo lex Dei conscripta erat, in Templo repertum coram populo legit, omnesque ad præcepta Domini servanda Sacramentô adstrinxit. Tandem post res optimè gestas, cum Pharaone Nechao Ægypti Rege propè Mageddo ad montis Carmeli radices prœliô congressus, lethali vulnere, telô in illum jactô, confossus est, atque Jerosolymam deportatus ibidem obiit an. m. 3394. ant. Christ. 606. ante ær. 610.

Joachaz, aliàs Sellum, Josiæ filius an- 248
nos 23. natus populi favore ad regnum evehitur; sed post tres menses à Nechao Ægypti Rege imperiô spoliatus, atque catenis vinctus in Ægyptum amandatus est, ubi & decessit è vita.

Eliacim, sive Joakim Joachazi frater 249
à Nechao Judæ regno præficitur 25. annos natus, quod & 11. annis tenuit. Multa scelera in Deum patravit, subditos iniquè oppressit, servos mercede fraudavit, avarus, & inhumanus, ad omnia flagitiorum genera deflexit. A Nabuchodonosore Babyloniorum seu Chaldæorum Rege, qui Nechaum Ægyti Regem dejecerat, quartô regni sui annô captus, ac in vincula conjectus, imò, prout alii referunt, Babylonem deductus est, sed posteà libertati restitutus. Cùm verò postmodùm illius imperium denuò detrectaret, tum Nabuchodonosor immissis in Judæam copiis, tota regione devastata, Judæisque ter mille viginti tribus Babylonem abstractis, ipsemet Joakim captus, cæsus, ac in cloacam abjectus est, an. m. 3405. ant. Chr. 595. ant. ær. 599.

Jechonias, sive Joachim filius Joa 250
kim attritum patrium regnum, patre mortuo tribus tantùm mensibus habuit, duode-

duodeviginti annos natus. Scelestissimus Princeps captivus Babylonem abductus, ibidem obiit, verùm non sine præmissa, uti creditur, pœnitentia, qua Dei misericordiam ante mortem promeruit. Id saltem legimus, Evilmerodach scilicet Nabuchodonosoris successorem, illum è carcere eductum magno in honore habuisse, necnon principem inter cæteros Aulæ suæ Proceres locum eidem concessisse. (*g*)

251 Sedecias alio nomine Matthanias Jechoniæ patruus Rex Judæ à Nabuchodonosore annos natus 21. constitutus est, atque regno 11. annis præfuit. Princeps sanè irreligiosus, qui, contemptis Jeremiæ Prophetæ minis, Deo surdas semper exhibuit aures. Regni sui annô nonô Nabuchodonosoris jugum excussit; at Nabuchodonosor, expugnatis Judææ munitionibus, tandem Jerosolymam ipsam subegit, Templum succendit, captúmque Sedeciam luminibus orbavit, atque catenis onustum Babylonem unacum populo abduxit an. m. 3416. ante Chr. 584. ant. ær. 588. ubi & interiit. Godoliam verò filium Achicam filii Saphan reliquiis populi in Judæa relictis præfecit.

Is fuit exitus Regni Juda post 468. annorum spatium, quot videlicet ab inito à Davide regno numerantur; seu post 388. à divisione Regni Juda, & Regni Israël, seu decem Tribuum. Hicque sumunt initium 70. captivitatis anni, usque ad annum m. videlicet 3487. ante Chr. 513. ant. ær. 517.

252 Sub his Regibus frequentes in Juda fuerunt Prophetæ, Addo, Ahias, Semeias, Hanani, Azarias, Jehu, Isaias, Jeremias, Sophonias, Holda, Michæas, Joël, aliique, quorum gesta, ut & insignium Regum in hoc libro exactè describuntur. Et hæc est quatuor Regum librorum epitome.

De Scriptore, vel potiùs Scriptoribus 253
horum librorum non convenit inter Doctos. Quidam priores duos Samueli tribuunt; sanè hi bini libri in Originali Hebræo illius nomen præfixum habent. Ei tamen Thalmundistæ (*h*), & Rabbi Kimchi nonnisi 27. capita primi libri assignant; in quibus nempe res ab eo, & à Saule, necnon Davide gestæ, ipso adhuc in vivis agente, describuntur. Cætera verò Gad, & Nathano deputant, juxta illud 1. Paralip. c. 29. v. 29. *Gesta autem Davidis priora & novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in libro Gad videntis.*

At contra hanc opinionẽ facere videntur plura, quæ in his duobus primis Regum libris occurrunt, atque Samuele, Gad, & Nathanô recentiorem ætatem denotant. 1mo. Samuelis ætate sermo Domini erat pretiosus, id est, rarus, 1. Reg. c. 3. v. 1. Quæ verba Auctorem produnt Samuele recentiorem, & cujus ævô frequentiores erant Prophetæ, quàm sub Samuele. 2do. Ib. c. 13. v. 5. prodit idem Auctor, urbem *Bethel* sua ætate *Bethaven*, id est, *domum iniquitatis* appellatam esse. Atqui invisum nomen istud urbs ista primùm accepit, postquam in ea Jeroboam suos vitulos aureos collocavit; quod longè post horum Prophetarum tempore factum fuit. 3tio. 1. Reg. c. 27. v. 8. Davidis excursiones in regiones Gessur, & Gerse commemorans Auctor, simul notat, eandem regionem olim, id est, tempore

pore

(*g*) 4. Reg. c. 25. v. 27. (*h*) Thalmudii sectatores & expositores, ut sup. num. *96.* jam notavimus. *Thalmud* autem, ut ibidem diximus, est Corpus totius juris sacri, & moralis Judæorum. In duas partes distribuitur, quarum una *Misna*, altera *Gemarra* nuncupatur Prima *secundam Legem* sonat, continetque traditiones Doctorum Judæorum. *Gemarra* autem idem est, ac *complementum*, qua scilicet ultima manus Misnæ est imposita. Utraque absurdis fabulis abundat.

pore Davidis, à Sur usque ad Ægyptum frequentibus incolis cultam fuisse; quo innuere videtur, sua ætate hanc regionem, & quidem à longo jam tempore desertam, & devastatam jacere. 4to. Ib. c. 9. v. 9. ait Auctor, eos viros, qui olim *Videntes* appellabantur (appellatos autem fuisse Samuele in vivis agente constat) sua ætate *Nabi*, id est, *Prophetas* dictos fuisse. Ergo hic Auctor videtur Samuele recentior. 5to. Ibid. c. 27. v. 6. ait, Urbem *Siceleg* ad Reges Juda pertinere ab eo tempore, quo David illius possessionem ab *Achis* obtinuit; quod prodere videtur, eum primùm post divisionem Regnorum Juda & Israël Roboamum filium Salomonis inter, & Jeroboamum Regem Israël floruisse; eoque tempore, quo quamvis Tribus Simeon subjecta esset Regibus Israël, urbs tamen *Siceleg* in hac Tribu sita Regibus Juda parebat. 6to. Ibid. c. 30. v. 4 & 25. testatur, Legem, quam David tulerat in milites, ut scilicet præda æquali sorte divideretur inter eos, qui ad prælium descendissent, & illos, qui ad sarcinas remansissent, sua adhuc ætate vigere: *Factum est hoc ex illa die, & deinceps .... quasi lex in Israël, usque in diem hanc.* Atqui hoc nec Samueli, qui eo tempore jam vita functus erat; nec Nathano, nec Gad, qui ipsa Davidis
254 ætate vivebant, convenire videtur. 7mo. Ibid. c. 5. v. 5. memorat, Sacerdotes Dagon (*i*) in memoriam eorum, quæ huic suo idolo ad præsentiam Arcæ Domini humi dejecto, manibus pedibúsque à trunco avulsis in Templi vestibulo jacentibus, acciderant, non calcare pedibus limen Templi sui *usque in hodiernum diem*; quæ verba sat remotum tempus indicant.

Hæc tamen, & alia plura, quæ passim in his duobus prioribus Regum libris ad idem argumentum comparata occurrunt, minimè officere videntur, quin eos partim Samuel, partim Gad, & partim Nathan scripsisse dicantur; quorum Scriptiones, seu potiùs monumenta postmodùm quidam recentioris ævi Scriptor compilarît, atque digesserit, necnon majoris nitoris, & claritatis gratiâ eorumdem periodos, & dictiones quasdam ad suam ætatem, additis etiam, quæ sensum illarum illustrarent, vocabulis, accommodaverit. Quare si Esdram divino sanè Spiritu afflatum hos libros recensuisse dixerimus, quidpiam rationi summè conveniens proferre nos arbitrabimur. Id persuadere videntur tum horum librorum idea, & ratio, tum mirus ubique gestorum, animadversionum, narrationumque consensus, tum denique stylus æquabilis, atque perpetuus narrationis contextus.

Tertii porrò & quarti Regum libri Auctorem, atque etiam ætatem definire paris operæ negotium est.

Duobus Scriptorum seu Auctorum ge- 255
neribus libri Regum adscribendi videntur, 1mo illis nempe, qui Annales, & Commentarios rerum suâ ætate gestarum, descripserunt utpotè ad quos Scriptores, seu Commentarios, & Annales in his libris Lectores frequentissimè revocentur, & remittantur, præcipuè autem in Paralipomenis. (*k*) 2do. Scriptoribus recentioris ævi, qui ex his Annalibus, & Commentariis historiam suam digesserunt.

Vetera

(*i*) Dagon erat Philistæorum Numen mulierem referens, seu mulieris figuram. Ajunt fuisse Deum, vel Deam frumenti. (*k*) 1. Paralip. c 29. v. 29. remittitur lector ad libros Samuelis, Nathan, & Gad. 2. Paralip. c. 9. v. 29. ad lib Ahiæ, & Addo Proph. c. 12. v. 15. ad libros Semeiæ, & Addo. c. 13. v. 22. ad librum Addo videntis. c. 16. v. 11. ad librum Regum Juda c. 20. v. 34. ad verba Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros Regum Israël. c. 25. v. 26. ad libros Regum Juda & Israël c. 26. v. 22. ad Scriptiones Isaiæ filii Amos Prophetæ. c. 27. v. 7. ad librum Regum Israël & Juda. c. 28 v. 26. ad eundem lib c. 32. v. 32. ad visionem Isaiæ Prophetæ, & librum Regum Juda & Israël. c. 33. v. 18. ad sermones Regum Israël. c. 35. v. 26. & 27. ad librum Regum Juda & Israël. c. 36. v. 8. ad eundem librum.

Vetera monumenta illa nusquam extant ampliùs, extitisse tamen olim, vel ex eo constat, quòd in memoratis Regum libris eorumdem frequens occurrat mentio.

Hasce historias è veteribus monumentis illis digessisse, necnon horum binorum posteriorum de Regibus librorum Auctorem esse, seu potiùs compilatorem Esdram, communis est opinio. Patet illos esse unius Auctoris Opus, 1mo. Ob styli æqualitatem, dictorumque, & gestorum connexionem. 2o. Auctor illorum ex antiquis, quæ penes se habebat, monumentis historiam suam compilavit, quippe ad quæ lectorem frequenter remittat. 3tio. Scribebat, aut ipso captivitatis Babylonicæ tempore, aut post illam, ut qui de illa jam quasi per triginta annos durante mentionem facere videatur lib. 4. Reg. c. ult. scribatque c. 17. v. 23. decem Tribus sua adhuc ætate Assyriorum premi servitute, ob crimina sua nempè, secundùm Prophetarum prædictiones. 4to. Animadversiones, & recapitulationes, quas subinde texit, probant, eum iis, quæ scribit, non fuisse contemporaneum, verùm quòd sub fide monumentorum, quæ penes se habet, scribat. (l) 5to. Omninò verisimile est, eum fuisse Sacerdotem; totus enim est in describendis iis, quæ Templum, Religionem, Cæremonias, Festa, cultum Divinum, Principum pietatem, Prophetarum constantiam, Criminum punitionem, Dei in impios vindictam, & in justos pietatem respiciunt. Magnam prætereà in Davidis familiam propensionem prodit; de Regibus Israël autem nonnisi perfunctoriè, & quasi per transennam duntaxat loquitur, totus in recensendis Regum Juda gestis.

Quæ omnia cùm Esdræ apprimè conveniant, valde probabile est, eum horum librorum Auctorem, aut, si mavis, compilatorem esse.

Verùm, ne quidquam hìc nos omisisse videamur, referenda etiam nobis sunt ea, quæ in iis libris reperiuntur Esdræ ætati non satis, prout aliquibus videtur, convenientia. 1mo. Cùm illorum Auctor scribit, Arcam sua adhuc ætate in Templo servari, 3. Reg. c. 8. v. 8. 2do. Regna Judæ & Israël etiamnum existere, Ibid. c. 12. v. 19. 3tio. Mensium *Zio*, & *Bul* nomina commemorat, Ibid. c. 6. v. 1. & 38. quæ tamen nec Hebraica sunt, nec Chaldaica, atque ætate Esdræ prorsus in oblivionem abierant. 4to. Ubique fermè loquitur, tanquam rebus, quas narrat, contemporaneus, quamvis Esdras iis rebus, & gestis longè posterior fuerit. 256

At hæc omnia facilè cum nostra sententia conciliari possunt: Dicimus enim, Esdram ea antiqua, quæ penes se habebat, Annalistarum, & Prophetarum monumenta ita compilasse, ut ferè semper illa de verbo ad verbum reddiderit; quo candor, & veritas suæ narrationis apprimè commendatur; utpotè, qui Religioni duxerit, vel in minimo monumentorum suorum sensum aut verba immutare. 257

Supereſt hìc modò, ut etiam iis respondeamus, quæ contra veritatem, & auctoritatem horum quatuor de Regibus librorum objici solent, atque quidam illorum textus, qui difficultatem aliquam parere videntur, à nobis exponantur. Igitur 258

Ob. 1mo. 1. Reg. c. 13. v. 13. ait Samuel ad Saulem, quòd, *si ipse illa, quæ Deus ei præceperat, custodivisset, jam nunc Dominus præparasset Regnum ipsius super Israël in sempiternum.* Atqui longè jam anteà Regnum istud Tribui Judæ fuerat promissum, ut constat Gen. c. 49. v. 10. ubi Jacob Patriarcha sic vaticinatur: *Non auferetur sceptrum de domo Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.*

(l) Lib. 4. Reg. c. 20. & seq. usque ad c. 24.

Resp. Adducti textus non eodem modo Regnum Israël Sauli, & Judæ promittunt & prædicunt; prior enim conditionatè tantùm promittit illud Sauli; posterior verò absolutè illud Judæ promittit: hoc est, Sauli promittitur sub conditione, seu ex hypothesi, quòd fideliter Dei mandata servasset; & quia longè anteà præviderat Deus, Saulem à tali conditione deflexurum, & mandata sua fideliter non servaturum; ideò etiam longè anteà Patriarchæ Jacobi ore absolutè prædicere potuit, sceptrum illud in Domo Juda permansurum usque ad Messiæ adventum.

259 Ob. 2do. 2. Reg. c. 8. v. ult. dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*; & tamen David non erat de Tribu Levi, sed de Tribu Juda, *in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*, inquit Apostolus, Heb. 7. v. 14.

Resp. Vox hebræa *Choben*, quamvis significet Sacerdotem propriè dictum, tamen interdum usurpari ad designandum Principem, Magnatem, Præsidem, vel populi Ducem, qui omnes, quia apud Regem ita familiares sunt, ac Sacerdotes apud Deum; ideò per catachresim, seu vocabuli abusionem familiares, seu Magnates, & primi apud Regem vocantur interdum *Sacerdotes*; sic ergo etiam filii David, quia primi ad ipsius manum erant, ut habetur 1. Paralip. c. 18. v. 17. *Sacerdotes* hoc locô nuncupantur.

260 Ob. 3tio. Lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. Dicitur Salomon ædificare cœpisse Templum Domini annô quadringentesimo octuagesimo post egressum filiorum Israël ex Ægypto. Atqui ex libris Josue, & Judicum habemus, longè plures annos ab isto egressu effluxisse usque ad cœptum à Salomone Templi hujus ædificium. Ergo.

Ad hanc objectionem varii varia respondent. 1mo. Quidam ajunt, locum hunc esse vitiatum, & locô *Quadringentesimô* legendum esse *Quingentesimô*. 2do. Alii dicunt, citatô locô intelligi tantùm annos illos, quibus Israëlitæ ab egressu suo ex Ægypto Judices habuêre, non verò illos, quibus Judicibus destituti, in servitute, & oppressi fuerunt. 3tio. Volunt alii, annos illos, quibus dicuntur Hebræi fuisse oppressi, sub illis annis contineri debere, quibus Judices habuisse dicuntur, ita ut e. g. anni Judicis alicujus, qui antequam denuò opprimerentur, & in servitutem redigerentur Hebræi, rebus illorum præfuit, toto illius oppressionis tempore adhuc numerari intelligantur. 4to. Alii censent, Judices illos non fuisse universales, & successivos, adeo ut varii in variis Hebræorum partibus simul rexerint; nec etiam pariter invasiones hostium fuisse universales, & successivas, sed simul quandoque in variis locis accidisse. 5to. Alii communi consensu tuentur, verè spatium illud ab egressu filiorum Israël usque ad ædificationem Templi, quæ contigit an. m. 2993. an. 4to. Regni Salomonis mense 2. die 2. fuisse 480. annorum, nam egressi sunt Israëlitæ ab Ægypto anno mundi 2513. Templi autem fundamenta à Salomone jacta sunt an. m. 2993. ut dictum nempe illius anni mense 2. die 2. Quòd si annorum, qui inter illud spatium effluxerunt, computus ducatur, tunc invenietur, illos numerum 480. annorum numerum æquare. Unde subinde in libro Judicum, ubi ponitur numerus cardinalis annorum, intelligi oportet numerus ordinalis; sic, cùm e. g. Judicum cap. 3. v. 11. dicitur quievisse terra quadraginta annis, idem sit, ac si diceretur quievisse quadragesimô annô post quietem scilicet in ea à Josue primùm constitutam. Quæ opinio eo potissimùm firmatur, quòd, dum hic, & alibi in libro Judicum vulgatæ nostræ editionis legitur *quadraginta*, vel *octuaginta* annis, vox hæc *annis* in Hebræo legatur in singulari numero *Schanah*, non verò in plurali *Schanim*.

Ob.

261 Ob. 4to. Eodem c. 6. v. 38. ejusdem libri tertii Regum Templum Jerosolymitanum à Salomone ædificatum, dicitur cœptum, & perfectum intra septem annos; fuit enim cœptum anno 4to Regni Salomonis, & perfectum annô ejusdem undecimô. Atqui Joan. c. 2. v. 20. dicitur non fuisse ædificatum nisi 40. annorum spatiô. Ergo &c.

Resp. Apud Joannem sermo non est de Templo à Salomone ædificato, sed de illo, quod ædificavit Herodes, aut saltem ædificare cœpit, & quod 46. annorum spatiô duntaxat perfectum est.

262 Ob. 5to. Ib. c. 15. v. 14. dicitur de Rege Asa, *quòd excelsa non abstulerit;* & tamen 2. Paralip. c. 14. v. 2. contrarium de eo asseritur. Ergo &c.

Resp. Fuêre apud Judæos duplicis generis excelsa, hoc est, altaria, templaque in altioribus locis erecta, videlicet alia, quæ erant falsis numinibus dicata, alia autem, quæ vero Deo sacra erant; priora abstulit, & evertit Asa, ut habetur 2. Paralip. posteriora verò non abstulit, ut dicitur loc. cit. 3. Reg.

263 Ob. 6to. Ibid. c. 22. v. 15. Mentitus videtur Michæas Propheta, dum interrogatus ab Achab, an ire deberet ad præliandum, necne? respondit, *Ascende, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis &c.*

Resp. Michæam ibi non ex sua, sed Regis Achab, falsorumque Prophetarum ipsius mente loqui, & ironicè duntaxat, ut sic per ironiam loquendo, Regem ipsum à falsis suis Prophetis deceptum ostendat, prout subsequentes citati Cap. textus manifestè declarant.

264 Ob. 7mo. Lib. 4. Reg. c. 8. v. 26. dicitur Ochozias viginti duorum annorum fuisse, cùm regnare cœpit; & contrà 2. Paralip. c. 22. v. 2. dicitur fuisse tunc quadraginta duorum annorum. Ergo &c.

Resp. Mendosum ac vitiatum esse illum Paralip. c. 22. v. 2. textum, & ibi ponendum ac legendum esse *viginti duorum*, ut 4. Reg. c. 8. legitur, non verò *quadraginta duorum.* Ratio est, 1mo. Quia tam in Syriaco, quàm in Arabico textu, & etiam in versione Septuaginta Interpretum jussu Sixti V. Papæ à Cardinali Caraffa Romæ anno 1587. edita legitur cit. Cap. Paralip. *viginti duorum*, & non *quadraginta duorum.* 2do. Quia aliàs sequeretur, Ochoziam suo patre Joram bienniô seniorem fuisse; nam Ochozias statim, & immediatè post Patrem suum Joram cœpit regnare; vixit autem Joram pater quadraginta duntaxat annos; ergo si Ochozias fuisset quadraginta duorum annorum, cùm regnare cœpit, sequeretur evidenter, dicendum fore, quòd Ochozias patre suo Joram bienniô senior fuisset, quod plusquam absurdum est.

De libris Paralipomenon. 265

Paralipomena nomen græcum sonat idem ac *Prætermissa*, quo duos historicos sacræ Scripturæ libros illos intelligimus, qui libris Regum supplementi locô adjecti sunt, quibus nempè res in illis prætermissæ, vel per compendium duntaxat narratæ, exhibentur. Hebræi illos *Dibrejamim*, id est, verba dierum, seu Ephemerides nuncupant, alii *Chronica* eos appellant.

Primus Paralipomenon liber compendiô repetit, ac enarrat propagationem gentis Israëlitarum ab Adamo usque ad Salomonem, & veluti methodô Chronologicâ breviter partim ea perstringit, quæ in Pentateucho, libris Josue, Judicum, & Regum duobus prioribus jam recensita fuêre; & partim, quæ ibidem prætermissa fuerant supplet.

Secundus à Salomone incipit, necnon ea describit, quæ evenerunt ab unctione Salomonis in Regem usque ad liberationem populi Judaici à captivitate Babylonica, seu usque ad tempus illud, quo Cyrus Persarum Rex Judæis ad propria remeandi facultatem dedit, usque ad finem scilicet

Quintæ mundi ætatis, & initium Sextæ (*m*), quod incidit in anno mundi 3469. ante Christ. 531. ante æram 535. Quæ sexta mundi ætas protenditur usque ad Adventum Christi, qui incidit in annum mundi 4000. quo septima mundi ætas incipit, usque ad finem illius duratura.

Multa in hoc secundo Paralipomenon libro repetuntur, necnon clariùs & fusiùs pertractantur, quæ in duobus Regum posterioribus strictim, & obscuriùs adnotata jam fuerant.

266 Horum binorum librorum Auctor etiamnum latet. Vulgò Esdræ adscribuntur, ex ratione, quòd primùm post captivitatem Babylonicam exarati fuerint. Id probare videtur 1mo Styli similitudo, atque annotationes post deductam interdum longam eventuum seriem adjectæ. 2do. Quòd Auctor post captivitatem illam floruerit, constat ex relato ibidem c. ult. (*n*) Cyri pro Judæorum libertate decreto; prout etiam ex Genealogia Davidis usque ad Zorobabelem deducta, qui Judæos è captivitate reduxit. 3tio. Denique ex phrasibus Esdræ ætate peculiariter usitatis.

267 Verùm his conjecturis officere videntur sequentia: 1mo. Genealogia Zorobabelis, quæ ad duodecimam usque generationem deducitur. Atqui Esdras non potuit supparis sibi viri generationes videre. Ergo &c. 2do. Sæpe Auctor eundem rerum statum suâ ætate mansisse innuit, quo e. g. sub Salomone, & ante captivitatem fuerat. (*o*) Atqui hæc de sua ætate Esdras affirmare non potuit, cùm tunc rerum Judaicarum status longè diversus esset ab eo, qui fuerat Salomonis, & ante captivitatem tempore. Ergo &c.

Responderi potest, ad 1mum hanc Zorobabelis Genealogiam deinceps his libris fuisse additam.

Responsio autem ad 2dum ex iis habetur, quæ supra disseruimus, ubi Esdram Auctorem, seu potiùs compilatorem librorum Regum constituimus, nempè quòd Esdras ex antiquis & authenticis monumentis historiam suam compilaverit, & adornaverit, quæ nihil immutata, ut candorem, & suæ narrationis veritatem eò magis palam faceret, de verbo ad verbum ferè semper reddiderit; undè factum, ut in iisdem libris eadem monumenta sæpiùs laudari, exscribi aliquando, & non raró compendiô referri contingat. Quidquòd longa interdum fragmenta ex illis exscripta recitentur, ne verbô quidem mutatô, imò nec discrepantibus inter se testimoniis conciliatis. Hinc pluries ejusdem viri Genealogiam ibidem deductam invenies.

Occurrit 1. Paralip. c. 2. v. 15. textus, 268
qui difficultatem aliquam habere videtur. Dicitur scilicet ibidem, quòd David fuerit septimus, & ultimus Isai filius. Et tamen 1. Reg. c. 16. v. 11. fit mentio octo filiorum ejusdem.

Resp. Verè septimum, & ultimum Isai filium fuisse David; sed præter septem à se genitos, alium adhuc habebat filium Isai, adoptivum nempe, Jonathan videlicet filium Samaa, seu Nepotem ex tertio filio suo Samaa, qui adductô 1. Regum c. 16. inter ipsius reliquos filios collocatus est.

De libris Esdræ. 269

Quatuor libri Esdræ nomine insigniti circumferuntur, quorum duo priores in Cano-

(*m*) Sexta mundi ætas à liberatione populi Israëlitici è captivitate Babylonica usque ad Adventum Christi ab anno mundi videlicet 3469. ante Christ. 531. ante æram 535. usque ad annum mundi 4000. ante æram Chr. 4. quo septima mundi ætas incipit duratura usque ad finem mundi; nisi, quod nemo scit, nova quædam & prodigiosa Epocha addat octavam, & aliæ alias. (*n*) Lib. 2. Paralyp. c. ult. (*o*) 1. Paralip. c. 4. v. 41. & c. 5. v. 22. & 26. Item 2. Paralip. c. 5. v. 9. & c. 8. v. 8. ac denique c. 21. v. 10.

Canone Ecclesiæ latinæ recensentur, duo posteriores verò velut apocryphi (*p*) ab ea rejiciuntur. Duo priores apud Hebræos in unum librum coalescunt.

Auctorem primi Esdram ipsum esse, res est aperta, ut qui in eo à se propriorum oculorum suorum testimoniô probatas historias recensens, in prima persona loquatur.

Nihilominùs arbitratur Huetius (*q*) Scriptorem sex priorum hujus libri Capitum alium esse ab Esdra, ex his verbis, unde Caput septimum sumit initium: *Post hæc autem verba, in Regno Artaxerxis Regis Persarum, ipse Esdras ascendit de Babylone. Nam*, inquit laudatus Huetius, *cùm Jerosolymæ fuerit tempore Darii Hystaspis Scriptor priorum sex Capitum, Esdras autem primùm Jerosolymam venerit regnante Artaxerxe, qui post Darium tenuit imperium, sequitur, alium esse sex priorum Capitum Scriptorem, quàm Esdram.*

270 Sed hæc non obstant, quominùs totum librum scripsisse dicatur Esdras. Enimverò certum non est, sed mera conjectura est Esdram non fuisse Hierosolymæ tempore Darii Hystaspis. Et quamvis ponatur, quòd ibidem tunc nondum fuerit, cùm ea, quæ facta esse narrantur ex illis prioribus Capitibus, evenerunt, nec fuerit ùnus ex Judæis respondentibus Thathanai Duci, & Stharbuzanai, eorumque Consiliariis, cùm hi ab eis quærerent (*r*), quisnam ipsis facultatem tribuisset Templum reædificandi, quod tamen valdè probabile est; hæc tamen postmodùm ex illorum, qui tum erant Jerosolymæ, relatione, ubi ipse illuc advenit, utique rescire potuit, iisque, quorum ipse oculatus testis fuit, illa attexere. Non ergo necessum videtur, ut Opus istud ita dividatur, quò alicui alteri sex ista priora Capita tribuantur, quàm ipsi Esdræ.

Secundus liber Esdræ, quamvis ipsius 271
nomine sit inscriptus, Nehemiæ tamen vulgò tribuitur, quòd ea contineat, quæ simul ab Esdra & Nehemia gesta fuerunt. Olim tam apud Hebræos, quàm apud Græcos bini hi libri, prout jam de Hebræis a nobis dictum, uno volumine continebantur.

Leviora huic libro addita videntur, quæ Nehemiæ ætati non satis conveniunt, aut saltem non satis convenire videntur; ut quando ibidem fit mentio summi Sacerdotis Jeddoæ, seu Gaddi, & Regis Darii (*s*); quorum prior Jaddus est, qui occurrisse dicitur Alexandro Magno Jerosolymam venienti anno mundi 3672. Darius autem Codomannus ab Alexandro Magno anno mundi 3674. Regnô privatus est, & vitâ. Nehemias verò mortuus esse perhibetur anno mundi 3580.

Tertius Esdræ liber apud Græcos velut 272
Canonicus suscipitur. Non differt à primo; variis tamen additamentis interpolatus est, quale inter alia est historia trium Corporis Darii Custodum, inter quos recensetur Zorobabel, qui cùm de re fortissima propositam à Rege quæstionem solvere aggressi essent, ipse Zorobabel omnium assensu, quòd definiisset, rerum omnium fortissimam esse veritatem, probabiliora dixisse visus, facultatem redeundi Jerosolymam, illucque sacra vasa à Nabuchodonosore anteà asportata referendi, Templùmque instaurandi obtinuit in præmium. Sed hunc librum, ut diximus, Ecclesia latina inter Apocryphos, ob illa nempè additamenta, rejecit.

Quartus equidem Esdræ nomen præ se 273
fert, sed immeritò; utpotè, qui miris fabulis, & paradoxis abundet. Diem enim Judicii proximum esse, omnesque tum bonorum tum impiorum exindè adducendas ab inferis esse animas docet. Tradit

(*p*) *Apocryphus* vox græca rem occultam, & absconditam significat. Styló Ecclesiasticô nomen istud illis libris tribuitur, quorum Auctores non modò sunt ignoti, sed etiam nullius aut saltem dubiæ fidei. (*q*) Demonst. Evang. proposit. 4. de lib. Esdræ pag. mihi 356. (*r*) 1. Esdræ c. 5. v. 3. & seq. (*s*) 2. Esdræ c. 17. v. 27.

insuper duo monstra jam à mundi exordio esse creata, quibus oppiparum convivium Deus electis post resurrectionem instruet. Decem Tribus ad incolendam regionem *Arsaret* transmigrasse. De JEsu Christo, ac de Apostolis non minùs clarè, quàm ipsum Evangelium loquitur; & cùm olim Alcoranum Mahometis legerimus, subit mentem dubitatio, num Mahometes ad hujus libri exemplum Alcoranum suum non effinxerit, similia enim paradoxa in eo deprehendere est.

Ecclesiarum græcæ & latinæ, quin & ipsius Judæorum Synagogæ sententiâ inter apocryphos rejectus est, quamquam interdum ab aliquibus Patribus laudetur, & Ecclesia latina ex eo sententias aliquas in suum officium transtulerit. Textus illius græcus intercidit; Hebræus nusquam extitit; Latinus plerumque in nostris Bibliis ad calcem imprimitur. Verùm dimissis apocryphis his duobus libris, ad binos priores Authenticos & Canonicos redimus.

274 Igitur liber primus Esdræ decem Capitibus absolvitur, & solutam Israëlitarum captivitatem, restitutamque libertatem describit sub Cyro Persarum Rege; numerum etiam init eorum, qui cum Zorobabele in patriam reversi sunt. Fundationem Templi, insidias hostium Templi & Urbis instaurationem impedire conantium, illiusque interruptionem usque ad 2dum Regni Darii annum, mundi 3485. ante Chr. 515. ante æram 519. quo Judæi Opus istud denuò aggressi sunt, commemorat; ut &, quòd, expletô Templi ædificiô, Judæi uxores alienigenas dimiserint. Nonaginta quatuor circiter annorum historiam liber iste complectitur, ab anno mundi videlicet 3457. ante Christ. 543. ante æram 54. quo Cyrus Judæos omnes manumisit, atque liberam in patriam suam redeundi ipsis potestatem fecit; qui annus in Scriptura primus ipsius nuncupatur, quòd eo primùm imperium suum in universum Orientem prorogaverit, usque ad annum mundi 3551. ante Chr. 449. ante æram 453tium. qui fuit vigesimus Artaxerxis Persarum Regis, quo nempe Israëlitæ tandem, prout dictum, alienigenas uxores suas dimiserunt. (*t*)

Secundus Esdræ nomine inscriptus liber, qui aliàs *Nehemia* dicitur, 13. Capitibus absolvitur. Agit, sicut primus, de instauratione Templi; murorum Urbis Jerusalem extructione; de numero populi à captivitate in patriam redeuntis; de divino cultu à Levitis instaurato, &c. Cap. 13. addit aliqua, quæ gesta fuêre ab anno 20. Artaxerxis, usque ad annum 32. imperii ipsius &c. 275

Fuit autem Esdras è Sacerdotali genere, & juxta aliquos summi Sacerdotis Seraiæ à Nabuchodonosore, post captam Jerosolymam, in Reblatha occisi filius; probabiliùs alii censent, eum illius fuisse nepotem, vel etiam abnepotem. Babylone Jerosolymam, Cyro regnante, anno mundi 3468. ante Chr. 532. ante æram 536. primò rediisse vulgò creditur. Babylonem regressus sub Artaxerxis Longimani Persarum Regis imperio, facultatem ab eo impetravit urbem Jerosolymam reædificandi. Jam enim sub Dario Hystaspis filio, qui Cyri de reædificando Templo edictum confirmaverat, Templi structuram, quæ priùs intermissa fuerat, perfecerant Judæi. 276

Nehemias verò libri 2di Esdræ Auctor, quique lib. 1. Esdr. c. 2. v. 63. & lib. 2. c. 7. v. 65. vocatur *Athersata*, id est, Pincerna Artaxerxis Longimani, nobili prosapiâ Judæorum oriundus, Helciâ, seu Chelciâ patre, tempore captivitatis Babylonicæ Babylone natus, juxtà quosdam è Sacerdotum genere, juxtà alios verò Regio sanguine, ex Tribu Juda ortum duxit. Sub Artaxerxe Longimano Jerosolymam regressus una cum Esdra urbem denuò ædificavit &c. 277

Pe

(*t*) 1. Esdr. c. ult.

De libro Tobiæ.

Liber hic utriusque Tobiæ Patris nempè è Tribu Nephtali in Cades ejusdem Tribûs Metropoli nati anno mundi 3262. ante Chr. 738. ante æram 742. & filii, qui natus perhibetur circa annum mundi 3280. ante Chriſt. 720. ante æram 724. quatuordecim Capitibus hiſtoriam complectitur & geſta; ac præcipuè in eo oſtenditur, quanta ſit orationis virtus, qualisque debeat eſſe uſus, & finis conjugii, conjugatorumque vita. In eo etiam referuntur calamitates, quas cum omni familia ſua Tobias in Ninive, quò à Salmanaſſare Aſſyriorum Rege expugnatâ poſt triennalem obſidionem Samariâ captivus unacum uxore, & filio, ei circa annum mundi 3281. nato, deportatus fuerat anno mundi 3283. ante Chriſt. 717. ante æram 721. tempore Sennacherib, qui Salmanaſſari ſucceſſerat, perpeſſus eſt. Obiit Tobias Pater anno mundi 3363. ante Chriſt. 637. ante æram 641. in Ninive. Filius ejus verò Tobias junior diem clauſit Ecbatanis anno mundi 3380. ante Chr. 620. ante æram 624.

279 Ab ipſis Patre, & Filio liber hic exaratus, vel ſaltem ex ipſorum Commentariis conſcriptus fertur. Id non obſcurè innuitur c. 12. v. 20. ubi; *Narrate*, inquit ad ipſos Angelus Raphaël, *omnia mirabilia ejus* (Dei nempè) græcus verò textus ſic habet: *Scribite in libro*, *quæcunque evenerunt*. Complura etiam in eo exarata leguntur, quæ nulli alteri, quàm ipſis innoteſcere potuerunt.

Nonnulla tamen ab Incerto Auctore, aliquo fortè ex Tobiæ Nepotibus, eſſe adjecta conſentit ſanior pars Interpretum. Et Capita quidem duodecim priora à Tobia Patre, à Tobia filio autem decimum tertium, & pars decimi quarti, ubi ſenioris Tobiæ narratur obitus usque ad poſtremos duos verſus, hos verò, quibus nempè Tobiæ junioris mors continetur, ab incerto Auctore eſſe tradita videntur.

Chaldaicè, quæ lingua Hebræis communis tum temporis erat, atque in illis partibus, ubi Tobias morabatur, in uſu erat, ſcriptum conſtat, ex cujus fideli hebraico apographo Hieronymus latinam ſuam verſionem adornavit, quam Eccleſia Catholica ſuſcepit. 280

Huetius tamen (u) omnium libri hujus interpretationum antiquiſſimam, & proinde puriſſimam, necnon exemplari ſimillimam eſſe Græcam ait, quâ, ut & veteri latinâ ad illam accuratâ, uſos eſſe Auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi S. Petri Diſcipulo adſcribuntur, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, aliosque Patres græcos & latinos Hieronymô vetuſtiores tuetur.

Librum hunc Canonicum & divinæ auctoritatis eſſe tenet univerſa Eccleſia Cathol. poſt Concilium Tridentinum Seſſ. 4. Ob id eandem temeritatis arguunt Acatholici, ſed immeritò. Contra quos proinde ponitur

CONCLUSIO. 281

Eccleſia Catholica meritò librum Tobiæ Canonicis & divinæ auctoritatis libris adnumerat.

Prob. Concluſio 1mo. iisdem argumentis, quibus ſupra part. 1. c. 5. à Num. 56. probavimus, ad ſolam Catholicam Eccleſiam pertinere Scripturarum ſacrarum Canonis determinationem, & definitionem, quæ vide ibidem.

Prob. 2do. auctoritate Scripturæ ſacræ. 282 1mo. Ex ipſo Tobiæ libro. Ibid. c. 12. v. 20. Deus utrique Tobiæ per Angelum præcipit, ut hiſtoriam ſuam narrarent, atque, prout textus græcus habet, Scriptô memoriæ mandarent. Atqui evidens eſſe videtur, quòd, qui eis præcepit, ut quæ circa

(u) Demonſt. Evang. prop. 4. pag. 362. edit. Lipſ. 1694.

circa ipsos evenerant, scriberent, etiam ipsis adfuerit, eosque illustrarit, dum ea scribebant, &c. Ergo liber iste est à Deo inspiratus, divinæque auctoritatis, adeoque meritò ab Ecclesia inter Canonicos relatus.

2do. Sequentium ætatum Scriptores sacri quasdam hujus libri sententias usurpavêre, ut 1mo. Ecclesiasticus hanc Tobiæ c. 4. v. 11. expressam sententiam: *Eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*, sic c. 29. v. 15. repræsentat: *Conclude Eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* 2do. In eodem Tobiæ c. v. 16. legitur hæc sententia: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, quam protulit Christus ipse Matth. c. 7. v. 12. & Lucæ c. 6. v. 31. his verbis: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. v. 12. Item, *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Luc. 6. v. 31. 3tio. Scripsit Tobias c. 13. v. 20. & seq. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Portæ Jerusalem ex Saphiro, & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido, & mundo omnes plateæ ejus sternentur.* Atqui talis fuit propemodùm illa Jerusalem, quam Joannni ostendit Angelus in Apocalypsi c. 21. v. 18. & seq. ut ea, quæ ibi enarrantur, legenti patet: hæcque conveniunt doctrinæ vetustiorum Prophetarum, qui Jerosolymæ, ac montis Sion, & civitatis Dei symbolo ac nomine Ecclesiam Christi præsignificare solebant. Ergo liber Tobiæ meritò censendus est à Deo inspiratus fuisse æquè ac libri sacri illi, qui descriptas ex eo sententias referunt &c.

283 Prob. 3tio. Conclusio ex Traditione Judæorum, qui, prout testantur Origenes, Epist. ad Africanum, Hieronymus, præfat. in Tobiam, & Judith. Sixtus Senensis, lib. 8. Bibl. sacr. Et Grotius, præfat. in Tobiam, librum hunc non modò legebant, sed & in summo pretio habebant, necnon divinis, & sacris, seu agiographis, id est, sanctis Scriptis adnumerabant. Ergo & Canonicum censuerunt.

Prob. 4to. Ex Traditione Christianæ Ecclesiæ. Non secùs ac cæteris libris Canonicis eo utuntur S. Polycarpus, in sua Epistola. S. Clemens Alexandrinus in lib. Hypotyp. Origenes, lib. 3. cont. Cels. Auctor Constitut. Apost. quæ Clementi Papæ I. adscribuntur, lib. 1. c. 1. & lib. 3. c. 15. S. Basilius, Orat. de avaritia. S. Ambrosius, lib. de Tob. c. 1. S. Hieronymus, Præfat. in Job. S. Augustinus, in Specul. & lib. 2. de Doct. Christ. 284

Illum etiam tanquam Scripturam divinam laudat S. Cyprianus, lib. 3. testim. & lib. de Opere & Eleëmosina. Inter libros Deutero-Canonicos numeratur ab Isidoro, lib. 6. Etymolog c. 1. à Cassiodoro lib. 1. divin. lect. à Rabano Mauro lib. 2. de Inst. Cleric.

Recensetur etiam in Catalogo librorum sacrorum à Concilio Hipponensi annô 393. celebratô Can. 98. à Concilio III. Carthaginensi annô 397. Can. 47. à Concilio Romano sub Gelasio I. Papa, annô 494. celebratô. à Concilio Florentino sub Eugenio Papa IV. annô 1438. in Decreto Unionis Latinos inter & Græcos. Et denique à Concilio Tridentino annô 1545. inchoatô, & annô 1563. finitô, Sess. 4. Jam pridem annô scilicet 400. Innocentius Papa I. illum velut divinæ auctoritatis habendum esse definiverat, Epist. ad Exuperium. Quibus testimoniis Ecclesiæ Traditionem circa libri Tobiæ divinitatem satis superque fundatam esse censemus. Ergo etiam meritò velut Deutero-Canonicus suscipitur ab Ecclesia.

Prob. denique 5to Rationibus Theologicis. 1mo. Ut ab auct[illegible] habe[illegible] liber aliquis tanquam Canonicus, & divinus agnoscatur, & declaretur, hæc tria servare debet. 1mo. Ut habeat Veterum 285

circa

circa illius divinitatem testimonia. 2do. Ut illud ad alios Canonicos libros comparatum iisdem similem, & conformem reperiat.

3tio. denique, ut accedat communis populi Christiani sensus, & sententia illum velut divinum ultrò suscipientis. Atqui hæc tria observavit Ecclesia circa librum Tobiæ. Ergo meritò illum Canonicum & divina auctoritate prædítum declaravit.

Maj. à nemine, nisi qui communem sensum exuerit, negari potest, quippe cùm omnes consentiant, hæc tria esse veros divinitatis libri alicujus characteres.

Min. verò patet, & quidem quantùm ad 1mum. Ex primùm adductis veterum Patrum, Romanorum Pontificum, & Conciliorum testimoniis, quæ apertè innuunt, librum hunc, quamvis à magna illa Judæorum Synagoga tempore Esdræ celebrata, adeoque ab Esdrino Canone testimonium non habeat, illud tamen accipere ab Ecclesia Apostolica, seu Apostolis ipsis, quod utique sufficit. Apostoli enim poterant sine aliis testimoniis declarare, librum hunc esse Canonicum. Atqui hoc illos fecisse produnt adducta priori argumentô tum Patrum, tum Conciliorum, tum Romanorum Pontificum testimonia; secùs enim hi SS. Patres & Concilia, necnon Romani Pontifices non tam constanter asseruissent, illum esse divinum, nisi ut talem eum ab ipsis accepissent Apostolis. Ergo &c.

Quantùm ad 2dum verò, illud patet ex ipsa hujus Tobiæ libri cum aliis Scripturæ sacræ Codicibus collatione, ut qui, quemadmodùm & illi, nihil nisi divinum spiret; & eò fortiùs, quòd, prout 1mò argumentô ostendimus, alii recentioris ævi sacræ Scripturæ libri ex eo mutuatas, & exscriptas sententias contineant. Ergo &c.

Quoad 3tium nemo negare potest, hunc librum paulatim, & jam ante Ecclesiæ definitionem ab omnibus Christianis pro Canonico, & divino receptum fuisse; quod adducta priori argumentô testimonia manifestè evincunt; ad quæ utique etiam respexit Ecclesia, cùm illum Canonicum declaravit.

Prob. 2do. Ex eo, quòd Ecclesiæ Christianæ ad minimum eadem auctoritas tribui debeat, ac olim Synagogæ data fuit. Atqui Synagoga habuit auctoritatem definiendi, quinam libri pro Canonicis essent recipiendi, prout omnes concedunt. Ergo à fortiori eadem auctoritas Ecclesiæ Christianæ concedi debet. Vide ea quæ part. 1. c. 5. à pag. 41. disputavimus.

Solvuntur Objectiones. 286

Vetus Ecclesia seu Synagoga librum Tobiæ non agnovit tanquam Canonicum. Ergo nec nova, seu Christi Ecclesia illum pro Canonico agnoscere potuit. Ant. est certum, eoquòd in Esdrino Canone, qui editus est auctoritate Synagogæ magnæ, minimè contineatur. Cons. prob. Præcipua divinitatis libri alicujus ratio ex Traditione repetitur. Atqui illam circa librum Tobiæ non habet Ecclesia. Ergo &c. Min. prob. Si eam habet, tum vel maximè à Synagoga. Atqui ab hac illam non habet, quippe quæ librum istum in Canonem suum non retulit, ac proinde nec pro divino habuit. Ergo &c.

Resp. Neg. cons. primi argum. & min. secundi. Ad 3tium Dist. maj. Si eam habuit, tunc vel maximè à Synagoga, si per Synagogam universa Judæorum Ecclesia intelligatur. conc. Si solummodò magnum illud Synedrion tempore Esdræ celebratum intelligatur, neg. Maj. Equidem Synedrium istud, seu Synagoga magna librum Tobiæ in Canonem suum non retulit; cùm enim eo tempore maximis rerum difficultatibus gens Israëlitica, quamvis jam patriæ, & libertati reddita, premeretur, Esdras, quantumlibet studiosus & diligens, nondum omnes gentis suæ historias & veteris memoriæ monumenta à popularibus suis

suis scripta colligere potuerat. Quæ postmodùm jam Canone clauso & obsignato ab aliis primùm reperta, in eo locum non habuerunt; eoquòd, ut ait Josephus (*x*), jam tum temporis defecerat series Prophetarum, quorum auctoritate libri in sacrum Canonem referebantur. Id autem non obfuit, quominùs Esdrino Canone posteriores Judæi hujusmodi historias, & monumenta, atque etiamnum librum Tobiæ legerint, & tanquam veram historiam non modò habuerint, sed & velut divinum & sacrum suspexerint; prout argumentô 3tiô demonstravimus. Hæc autem Judæorum Traditio Ecclesiæ Catholicæ suffecit, ut quod Synagoga magna, seu Esdras ex ignorantia omiserat, suppleret, atque librum istum in Canonem sacrorum voluminum referret, necnon divinum declararet.

287 Inst. Si aliqua esset hujus libri sanctitatis, & veritatis traditio Judæorum, tunc utique illius mentionem fecisset Josephus Hebræus ipse, & diligens rerum hebraicarum Scriptor, in his, quas edidit, antiquitatibus Judaicis. Atqui in iis nullam hujus libri mentionem fecit. Ergo &c.

Resp. neg. Maj. Ad probandam de libri Tobiæ veritate & sanctitate Judæorum traditionem nobis sufficiunt adducta veterum Ecclesiæ nostræ Patrum, & aliorum Doctorum testimonia, qui utique optimè noverant, quid apud Hebræos factitatum fuisset, & adhuc sua ætate factitaretur. Hujus libri autem non meminit Josephus 1mo. Quia Historia Tobiæ clam veluti gesta, & intra unius familiæ terminos domesticos clausa non pertinebat ad publicam Gentis Judaicæ historiam, cujus duntaxat litteris consignandæ provinciam in se Josephus susceperat: hac ipsa etiam ratione idem Josephus in cit lib. de antiquit. Judaic. Jobi historiam omninò prætermisisse videtur, quia nempe ad Gentis suæ gesta minimè pertinebat. 2do. Cùm Josephus Judæorum historiam ex monumentis hebraicè scriptis duntaxat collegerit, ac concinnaverit, Tobiæ librum prætermisit, quia non hebraicè, sed chaldaicè, ut suprà annotavimus, erat conscriptus. 3tio. Denique, libri Tobiæ Josephus non meminit, quia liber iste non extabat in Canone Esdrino, seu primario Judæorum &c. 4to. Multa alia ad Judaicæ gentis historiam pertinentia in suis libris antiquitatum etiam prætermisit Josephus, quæ tamen non minùs vera sunt &c.

Ob. 2do. Non potuit, nec debuit Ecclesia in sacrorum librorum censum referre volumen, nisi veteris Ecclesiæ certa Traditione fulta esset. Atqui Ecclesia circa Tobiæ librum veteris Ecclesiæ certa traditione minimè fulta fuit. Ergo &c. 288

Maj. est evidens, nisi quis dicere malit, Ecclesiam ex revelatione divina habuisse, librum hunc esse divinum, & Canonicum; quod velut absurdissimum jam alibi explosum est. Min. prob. In veteri Ecclesia de hoc libro dubitatum fuit. Ergo illius Traditione fulciri non potuit Ecclesia. Ant. prob. Auctoritate Origenis, Melitonis Sardensis, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Auctoris Synopseos, Cyrilli Jerosolymitani, Hilarii, Amphilochii, Epiphanii, Hieronymi, Joannis Damasceni, Leontii, & aliorum quamplurimorum, qui hunc librum in Canone non posuerunt, necnon apertè asseruerunt, semper de hoc libro quæstionem inter Doctos fuisse.

Resp. ad 1. Arg. neg. min. ad illius probat. 1mo. Retorq. arg. In veteri, & primitiva Ecclesia dubitatum fuit de Epistolis Jacobi, & Judæ, de Apocalypsi, de Ep. 2. Petri, de 2. & 3. Joannis, de Ep. Pauli ad Hebræos. Ergo horum librorum traditione fulciri non potuit Eccle-

(*x*) Lib. 1. cont. Appion.

Ecclesia, atque adeò in Canonem eos recipere, contrà quàm tamen sentiant Acatholici Calvinistæ, qui hos omnes libros tanquam Canonicos recipiunt, & Lutherani Magdeburgenses (*y*), quantùm ad Apocalypsim.

Resp. 2do. Dist. ant. in veteri Ecclesia de hoc libro dubitatum fuit, ita, ut nulli Patres, & Doctores ævi illius inventi fuerint, qui assererent, hunc librum divino afflatu conscriptum fuisse. neg. ant. Ut plerique & præcipui, quibusdam, & paucis tantùm de eo dubitantibus, id assererent. conc. ant. & neg. conf. Quorumdam Patrum, quibus in more positum erat, non alios veteris Testamenti libros, quamvis tanquam sacros, & Agiographos ab ipsis agnitos in Canonem referre, quàm quos Esdrinus Canon continebat, tunc & primis Ecclesiæ temporibus dubitatio minimè obesse potuit, quin postmodùm summus Pontifex, seu Ecclesia libratis aliorum longè plurium Ecclesiæ Patrum & Doctorum circa hunc librum testimoniis, illoque ad alios S. Scripturæ Canonicos libros comparato, necnon totius Christiani populi sensu, & consensu unanimi expenso, auctoritate sibi divinitùs tradita illum Canonicum, & divinum solemniter declarare, & definire valuerit; post quam definitionem, & declarationem ampliùs licitum non sit, hac de re vel minimùm dubitare, quamvis olim quidam Patres hæsitasse visi sint. Quemadmodùm, proscripto ab Ecclesia Millenariorum e. g. errore, nefas est, eum postliminio revocare, etsi constet, quosdam antiquos Patres, & Scriptores Ecclesiasticos eidem doctrinæ etiam citrà ullam erroris notam adstipulatos fuisse.

289 Ob. 3tio. Hujus libri c. 3. v. 7. dicitur Sara, quam in uxorem habiturus erat Tobias junior, habitasse in Rages civitate Medorum, ut & Gabelus cap. 4. v. 21. Posteà tamen c. 9. v. 3. dicitur Tobias, cùm pervenisset ad locum illum, ubi Sara erat, indè misisse Angelum ad Gabelum in Rages. Ergò falsum est domum Saræ fuisse in Rages; adeoque hìc aperta est antilogia, seu contradictio. Ergo &c.

Resp. 1mo. Verisimile esse, quòd duæ civitates extiterint ejusdem nominis *Rages* cum aliqua vocum distinctione, quæ in Versionibus negligentiâ Librariorum forsim intercidit. 2do. Dici potest, Gabelum, & Raguelem cives quidem fuisse ejusdem urbis *Rages*, sed Raguelem cum filia sua Sara, ac tota familia mansisse in rurali villula ab urbe Rages aliquot milliariis distante; Gabelum verò habitasse in ipsa urbe *Rages*. 3tio. denique, in Textu Hebræo, & in Versione Græca cit. cap. 3. lib. Tob. legitur, Raguelem cum filia sua Sara mansisse in *Ecbatanis* Medorum Metropoli; unde librariorum errore in Versione latina loco *Ecbatanis* positum est *Rages*, quod proindè apertè mendosum est, atque ad textus Hebræum, & Græcum emendandum omninò videtur.

Ob. 4to. Eodem libro c. 5. v. 7. Interrogatus Angelus Raphaël, unde esset, respondit, se esse *ex filiis Israël*, quod utique falsum erat, ne dicam, apertum mendacium. Ergo &c. 290

Resp. Potuit verè, & sine mendacio Raphaël dicere, se esse ex filiis Israël 1mo. quia Israël idem significat ac *videns Deum*; Angeli autem, adeoque & Raphaël semper vident Deum; unde videtur, Interpretem sic debuisse vertere, *Ex filiis videntium Deum*. 2do. Quia justorum gens Israëlitica censetur; ipse autem de justorum numero erat. 3tio. Quia ad Israëlitarum custodiam, maximè Tribûs Nephtali specialiter deputatus erat Raphaël. Unde neg. seq. ant.

(*y*) Centur. 1. lib. 2. c. 4. col. 56.

291 Ob. 5to. Ibid. v. 8. dicit idem Angelus Raphaël, Gabelum esse fratrem suum; *mansi apud Gabelum fratrem nostrum.* Atqui hoc iterum falsum est. Ergo &c. min. habetur ex eo, quia Angeli fratres non habent hîc in terris.

Resp. neg. min. Cùm omnes, tam Angeli, quàm homines eundem Patrem, Deum scilicet, habeant, & naturæ spiritualis similitudine, & gratiæ sanctificantis adoptione, & divinæ, æternæque hereditatis possessione, potuit Raphaël Gabelum sine mendacio fratrem suum vocare; nam, ut ait S. Gregorius Nyssenus (z), *Frater quodammodò hominis est Angelus, ob intellectualium connexionem.*

292 Ob. 6to. Ibid. v. 18. dicit idem Angelus, *se esse Azariam Ananiæ magni filium.* Atqui hoc denuò falsum est, Ergo &c.

Resp. neg. min. 1mo enim, quia Raphaël præferebat formam, & similitudinem Azariæ, hinc verè dicere potuit se esse Azariam; sicut Genes. c. 31. v. 13. & alibi, Angelus, qui Dei personam præ se ferebat, se verè, & sine mendacio Deum esse dicebat; sicut & imago v. g. S. Petri à nobis vulgò S. Petrus vocari solet. 2do. Cùm soleant Angeli ex suo, quo funguntur munere, sua nomina sortiri, unde Angelus ille, qui à Deo Tobiæ cœco medicinam tulit, dictus est *Raphaël*, id est *Medicina Dei*, ita & idem ipse Angelus, quia Dei auxilium eidem Tobiæ diu jam cœco, necnon filio ipsius iter agenti tulit, se *Azariam*, id est, *auxilium Dei* verè dicere potuit, quia re ipsa *auxilium Dei* ipsis fuit. Et cùm *Ananias* significet *gratiam Dei*, rectè pariter, & verè se *Ananiæ*, id est, *gratiæ Dei* filium esse dixit, sunt enim omnes Angeli filii Dei per gratiam.

Ob. 7mo. Ibid. cap. 7. v. 3. ait idem 293
Raphaël, se, ut & Tobiam esse ex Tribu Nephtali. Atqui hoc iterum esse falsum videtur. Ergo &c.

Resp. neg. min. 1mo. enim, verè pro se ipso, & Tobia dixit, quòd sint ex Tribu Nephtali, Tobias quidem genere, ipse verò protectione, & præsidio; ille per naturæ generationem, ipse autem per specialem Dei deputationem, qua deputatus erat ad Tribûs Nephtali custodiam, & protectionem. 2do. Quando Raphaël ait, se, & Tobiam ex Tribu Nephtali esse, verum dixit: nam re vera Tobias de Tribu Nephtali erat; Raphael autem talis apparebat, cùm esset cum Tobia juniore, ejusque ductor, & comes: in Scriptura autem res tales dici solent, quales apparent: sic Archangelus Gabriel apparens Danieli, & loquens ei sub viri alicujus specie, *vir* vocatur, Dan. c. 9. v. 21. ab ipso Daniele: sic strenui Bellatores Tyri Pygmæi vocantur apud Ezechielem c. 27. v. 11. quia velut Pygmæi apparebant è sublimibus turribus &c.

De libro Judith. 294

Fuit Judith ex Tribu Simeonis (*a*) Merari filia, vidua Manassis civis Bethuliæ, ob liberatam hanc civitatem, quam Holofernes obsidebat, celeberrima.

Liber ipsius nomine inscriptus egregium ejusdem facinus sexdecim Capitibus describit; & qua ratione ipsa, fugato Nabuchodonosoris exercitu Bethuliam ab iminenti discrimine liberarit; nimiam inprimis istius Assyriorum Regis regnandi cupidi-

(z) De vita Moysis. (*a*) C. 9. v. 2. Mendosum ergo est, quod c. 8. v. 1. in vulgata nostra legitur, nempe, ipsam fuisse ex Tribu *Ruben*, cujus nominis locô poni debet juxta textum græcum *Israël*, id est, *Jacob*. Neque enim *Ruben* habuit filium, qui vocaretur *Simeon*, ut Exod c. 6. v. 14. & 1. Paralip. c. 5. v. 3. patet. Sed *Simeon* fuit filius *Israël* seu *Jacob*; ex cujus *Simeonis* posteris nata dicitur *Judith*, hic c. 9. v. 2.

cupidinem commemorat, qui comparato ingenti exercitu, cui Holofernem præfecit, omnem terram suo imperio subjicere attentarit.

295 Holofernes ergo, devictis variis provinciis, multisque urbibus deditione receptis, tandem Bethuliam, aliàs Bethul, aut Bethuel, vel etiam Betheliam in Tribu Simeonis sitam urbem obsidione cingit. Cives gravi metu perculsi, jejuniis, & orationibus à Deo auxilium implorant; vacillantes dein, atque deditionem jamjam meditantes Judith increpat, quasi metam & modum divinæ miserationi ponere vellent. Illa interim ciliciò induta, ac cinere consperso capite vehementer Deum pro civium liberatione, & salute precatur. Aptissimè dein ornata urbem egreditur, ac veluti fugâ dilapsa esset ad Holofernem se recepit. Hic illius mira pulchritudine captus benignè eam habet, atque in suos amores trahere conatur; illa verò ei morem gerere se velle simulans, noctu dormienti ebrio caput abscindit, illudque Bethuliam defert. Hinc Assyrii, fraude detecta, & Duce amisso in fugam acti. Cives ob egregium facinus, liberatamque urbem Judithæ ponunt elogium. Ipsa autem Deo canticum canit. Hæc libri Judith epitome.

296 Hujus libri Scriptor latet. Hieronymus ab ipsa fortè Judith confectum putat (*b*), suam tamen sententiam non satis explicat. Sunt, qui ex levibus conjecturis, Pontificem Joachimum, seu Eliacimum, cujus in hoc libro fit mentio, illius auctorem constituunt. Sed magis probatur nobis conjectura Huetii, qui existimat (*c*), illum fuisse conscriptum tempore captivitatis Babylonicæ ad leniendam hujus exili ægritudinem, & ad spem erigendos captivorum Judæorum animos, maximè, cùm liber iste Chaldaicâ linguâ, quæ tunc Judæis in captivitate Babylonica degentibus familiaris erat, exaratus fuerit, teste S. Hieronymo (*d*), qui latinè illum reddidit, sic tamen, ut fateatur, *se magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transtulisse.*

Aliæ adhuc præter latinam S. Hieronymi extant hujus libri versiones, ut 297
1mo. Græca, quæ vetustissima ab omnibus agnoscitur; eam aliqui Theodotioni sub Commodo Romanorum Imperatore, cujus Imperii initium ad an. Chr. 180. æræ 184. collocatur, florenti tribuunt; sed eam vetustiorem esse, ex eo intelligitur, quòd Clemens Romanus S. Petri Discipulus, atque in Romana Sede Successor, in sua ad Corinthios Epistola centum viginti ante Theodotionem annis scripta, ex hac græca versione testimonia laudet; unde probabiliùs censetur, eam ex Chaldaico exemplari à Judæis Hellenistis fuisse expressam. 2do. Syriaca, quæ etiam vetustissima ab omnibus reputatur, eamque è Græca magis defœcata, quàm quæ nostra ætate superest, in re tamen haud diversam esse expressam nemo ambigit. 3tio. denique, Versio latina Itala, seu Vetus vulgata, quæ pariter è græco adornata est, sed mendis referta. Igitur vulgatam S. Hieronymi Ecclesia Canonicam agnovit, & declaravit.

Quo verò potissimùm tempore hæc 298
Bethuliæ obsidio, ac Judithæ facinus contigerit, incertum quoque esse videtur. Huetius (*e*), Calmet (*f*), & Graveson (*g*), post Bellarminum, Serarium, Petavium, &c. eam factam esse ajunt ante captivitatem Babylonicam sub Manasse Rege Juda, vel post ipsius captivitatem, vel cùm Babylone captivus adhuc detineretur, post medium videlicet quintæ mundi ætatis, quæ, prout alibi dictum, initium habuit an. m. 2992. fi-

P 3 nem

(*b*) In Aggæi c. 1. v. 6. (*c*) Demonst. Evang prop. 4. de lib. Judith. pag. 364. edit. Lipf. (*d*) Præfat. in lib. Judith. (*e*) Loc. cit. (*f*) Dict. Bibl. V. *Judith.* (*g*) Hist. Eccl. vet. Test. tom. 3. colloq. 2. in Judith. pag. 51. & seq.

nem verò an. m. 3468. Quorum opinionem, utpotè quæ nobis probabilior, necnon historiæ & Chronologiæ legibus magis consentanea videatur, quamvis etiam suis non careat difficultatibus, lubenter amplectimur. Enimverò regnante Manasse Rege Juda, Medis imperabat Dejoces ab Herodoto gentili Scriptore tantopere celebratus, quique urbem Ebactanis condidit, in qua & Regiam Sedem suam habuit, vel saltè ejus filius Phraortes, atque alio nomine in historia Judith nominatur Arphaxad, quod nomen ab Arbace qui, rebellando contra Assyriorum Regem, Medorum Monarchiam instituit, ductum usurparûnt Reges Medorum: Arbaces siquidem alia vocis inflexione Arpacad, tum pinguiori sono Arphaxad dicebatur. Nabuchodonosor verò Assyriorum Rex, cujus historia Judith meminit, tempore Manassis regnabat in Ninive, eratque Saousdichinus ille Gentilium, ac præcipuè Ptolomæi historiâ celebratus. Nec ista horum Principum nomenclaturæ varietas quemquam movere debet; præterquàm enim, quòd veterum Assyriorum Regum nomina, sicut & regni ipsorum tempora confusa admodùm sint, & incerta, prout facilè colligitur ex illarum Nationum historiis, quas scripsêre Berosus, Manetho, Ctesias, Diodorus, & Herodotus; assuevimus jam in historiarum Orientalium lectione ipsum eundem Principem variis designatum nominibus agnoscere, tam apud sacros Auctores, quam profanos Scriptores græcos, hebræos, & latinos. Saousdichinus igitur, seu Nabuchodonosor Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive, Dejocem, seu Arphaxad debellavit vel initiô Regni Manassis, qui duodennis Regnum Juda capessivit, vel dum ipse Babylone captivus adhuc detineretur, vel statim postquam regno restitutus fuerat; atque alterô post hanc victoriam annô Holofernem Bellíducem suum cum ingenti exercitu misit Bethuliam, ut eam obsideret, &c. Quæ omnia, sicut & tota Judith historia cum Chronologiæ & Historiæ legibus componi possunt; prout ex objectionum solutione magis patebit.

Porrò librum hunc Canonicum & divinæ auctoritatis esse tenet universa Ecclesia contra Acatholicos. Unde sit.

CONCLUSIO.

Liber Judith meritò ab Ecclesia Ca- 299
nonicus censetur, & divinæ auctoritatis.

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura. Novi Testamenti Scriptores sacri plures sententias ex hoc libro transcripsisse videntur, ut est 1mo. sententia Elisabeth ad Mariam Christi Matrem Luc. 1. v. 42. *Benedicta tu inter mulieres,* quæ desumpta videtur ex c. 13. Judith v. 23. ubi Ozias Bethuliæ Princeps hisce Juditham alloquitur: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* 2do. *Neque tentemus Christum,* inquit S. Paulus 1. Cor. 10. v. 9. & 10. *sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt: neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* At hæc manifestè videntur provenire ex libro Judith, cujus hæc sunt verba c. 8. v. 24. & 25. *Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus periêre.* Atqui optimè arbitramur, quòd nec Lucas Evangelista, aut, si mavis, S. Elisabeth, nec Apostolus Paulus ex eo libro sententias tam manifestò exscripsissent, nisi quoque illum evolvissent, atque velut sacrum, & à Deo inspiratum agnovissent. Ergo &c.

Prob. 2do. Traditione Judæorum, qui, 300
teste S. Hieronymo (*b*), illum inter libros

(*b*) Præfat. in Tob. & Judith.

bros agiographos, & sanctos collocabant, atque velut talem legebant.

301 Prob. 3tio. Auctoritate Conciliorum, 1mo. Concilii Nicæni, quod teste eodem S. Hieronymo (*i*), illum in numero sacrarum Scripturarum legitur computasse. 2do. Concilii Carthaginensis III. an. 397. celebrati Can. 47. 3tio. Concilii Romani sub Gelasio Papa I. an. 494. habiti. 4to. Concilii Tridentini Sess. 4. Quæ Concilia hunc librum tanquam Canonicum, & divinum agnoverunt, & declarârunt.

303 Prob. 4to. Auctoritate SS. Patrum, S. Clementis Romani Pontificis, Ep. 1. ad Corinth. S. Clementis Alexandrini lib. 4. Strom. Origenis, Hom. 19. in Jerem. & Tom. 3. in Joan. Tertulliani, de Monogamia c. 17. S. Ambrosii, lib. 3. de Officiis, & lib. 3. de Viduit. S. Hieronymi, Ep. ad Fur. S. Augustini, lib. 2. de Doct. Christ. S. Fulgentii, Ep. ad Gallam. Duorum veterum Scriptorum, quorum sermones in Appendice Tom. 5. Operum S. Augustini leguntur. Denique Innocentii Papæ I. Ep. ad Exuperium Tolosanum Episcopum. Qui omnes librum Judith laudant, & velut divinum agnoscunt. Hæ auctoritates utique sufficiunt, ut illum Canonicum statuamus; etiamsi omnes circa eundem excitatas difficultates solvere non valeremus.

304 Adde hîc ea argumenta à ratione supra pro libro Tobiæ adducta.

Solvuntur Objectiones.

305 Ob. 1mo. Aliqui SS. Patres, & quidem ii ipsi, qui supra adversùs Tobiæ librum adducti fuerunt.

Verùm ad illorum auctoritatem ea respondemus, quæ supra pro Tobiæ libro attexuimus.

Ob. 2do. Traditio Judæorum, qui librum Judith tanquam Canonicum non habuerunt. 306

Sed vide responsionem supra, ubi de libro Tobiæ &c.

Ob. 3tio. Hæc historia Judith videtur esse figmentum aliquod duntaxat, vel saltem parabola quædam ad pietatem, & mysterium aliquod significandum conficta, ea quidem ratione, ut Judith nomen significet Nationem Judaicam, quæ tunc temporis cùm desolata, & omni ope divina destituta esset, rectè per fœminam *Judith*, quæ vidua supponitur, designatur. *Nabuchodonosor* verò, cujus in hoc libro fit mentio, sit figura Diaboli populum Dei affligentis. *Holofernes* è Chaldaico latinè redditus, idem est ac *lictor serpentis*. *Joachim* seu *Eliacim* idem sonat ac *Deus surgens*, qui votis, ac precibus populi Judaici oppressi exoratus surgat ad liberandum populum suum. *Betbulia* idem significat ac *Domus Dei*, id est, *cultus religiosus*, quem Diabolus, & Ministri ejus oppugnant, &c. Ergo minùs rectè liber iste sacris, & Canonicis Scripturæ voluminibus tanquam vera historia adnumeratur. 307

Resp. neg. ant. 1mo. Quia Judæi, Concilia, Patres, & Interpretes librum Judith, tanquam veram historiam agnoverunt. 2do. Quia personarum genealogiæ, quæ in eo texuntur, resque ab illis gestæ iis characteribus designantur, qui fabulosam, aut parabolicam narrationem minimè redolent, sed veracem historiam exhibent. 3tio. Quia ad calcem libri istius testatur Scriptor, specialem à Judæis festivitatem fuisse institutam ad conservandam memoriam victoriæ illius, quam de Holoferne Judith reportavit. Porrò si hæc Judithæ historia vera non esset, sane illius libri Auctor non historicus duntaxat, sed insignis impostor audire, & haberi deberet, ut qui falsas perso-

(*i*) Præfat. in Judith.

personarum genealogias, res nunquam gestas, & spuria monumenta pro veris obtrusisset; quod post tot & tanta antiquitatis testimonia asserere omninò temerarium est, & insanum.

308 Ob. 4to. Nemo hactenùs clarè potuit explicare, quis fuerit Arphaxad, quis Nabuchodonosor, quæ illa Bethulia civitas ab Holoferne obsessa, & quis denique Joachim ille, qui eo tempore fuit summus Sacerdos, de quibus omnibus tamen in memorato Judith libro fit mentio. Ergo vacillat hujus historiæ veritas, imò merum figmentum esse videtur.

Resp. neg. ant. nam, ùt supra jam annotavimus ex Herodoto & Ptolemæo, Arphaxad fuit Dejoces, vel ejus filius Phraortes. Nabuchodonosor autem fuit Saousdichinus, qui post Assaradonem Regem Assyriæ pariter Assyriorum, & Chaldæorum rexit Imperium. Bethulia est illa civitas Bethul seu Bethuel alio nomine dicta, de qua meminit Josue c. 19. v. 4. in Tribu Simeon sita; & facilè eadem est, ac Bethelia illa, quam memorat Sozomenus Hist. Eccl. lib. 5. c. 15. & quam Hieronymus quinque brevium dierum itinere à Pelusio dissitam ait, in vita S. Hilarionis. Joachim verò summus Sacerdos, qui & in Scriptura passim *Eliacim* nuncupatur, fuit filius Helciæ ipsiusque in summo Sacerdotio successor, cùm priùs sub Ezechia Rege & Manassis Patre fuisset Præpositus Domûs, id est, Templi (*k*); nam antonomasticè Templum non rarò *Domus* appellabatur; atque in hoc ministerio Sobnæ suffectus fuisset, prout colligitur ex Isaia c. 22. v. 15. & 20.

309 Ob. 5to. Hæc historia minimè conciliari potest cum historia Judæorum, & Regum Assyriorum, ac Medorum. Ergo vera esse non videtur. Prob. ant. Non potest explicari, quo tempore hæc historia evenerit, an ante captivitatem Babylonicam, an verò primùm illâ finitâ. Primum alii, alii secundum hujus libri auctoritate evincere conantur Interpretes, qui in illam commentati sunt, adeò contraria continet liber iste. Ergo &c.

Prob. ant. 1mo. Dici non potest, hanc historiam evenisse ante captivitatem Babylonicam, id est, sub Manasse Rege Juda 1mo. Quia ibidem nulla fit mentio Regis Manassis, prout tamen fieri debuisset, si sub Regno ipsius hæc historia evenisset. 2do. Regnante Manasse Israëlitæ urbem Bethuliam non incolebant, quippe qui à Salmanassare Assyriorum Rege jam priùs fuerant in Assyriam deportati, anno m. 3283. videlicet, Ezechiâ Manassis Patre in Judæa regnante, & sub Osee ultimo Rege Israëlis; sed urbs ista tum temporis incolebatur à Cuthæis, & Babyloniis, qui à Salmanassare hûc translati fuerant. 3tio. c. 5. v. 3. & 4. Holofernes quærit à suis Belliducibus, quænam sit gens Israëlitica &c. velut hæc ipsi penitùs ignota fuisset, cùm tamen tempore Manassis Israëlitarum natio Assyriis probè nota esse debuit, utpotè quorum regionem frequenter jam invaserant, eosque sub Salmanassare Assyriorum Rege captivos in transeuphratæa loca abduxerant. 4to. Ibid. v. 22. & seq. Achior Dux Ammonitarum respondet Holoferni, Israëlitas ante annos ob neglectum Dei sui cultum exterminatos fuisse præliis à multis nationibus, plurimosque eorum captivos fuisse abductos in terram alienam; imò prout legitur in textu Græco v. 18. Templum solo æquatum ac penitùs dirutum fuisse; ipsos verò tandem à sua dispersione nuper reductos fuisse, & iterum possidere Jerusalem, ubi sunt sancta Sanctorum. Atqui ante Manassis ætatem nec Israëlitæ abducti fuerunt in captivitatem, nec Templum Jerosolymitanum unquam dirutum, aut solo æquatum fuit; hæc enim Templi urbisque Jerosolymæ desolatio, & eversio primùm

(*k*) 4. Reg. c. 18. v. 18.

primùm diu post, nempe annô m. 3416. undecimô scilicet Sedeciæ Regum Juda ultimi annô, hoc est annô itidem undecimô post jam inchoatam captivitatem Babylonicam, de qua hîc intelligi debet, quod Achior asserit, & ex qua nuper reversos esse dicit, nempe Cyro totius Orientis Monarchiam tenente an. m. scilicet 3469. 5to. Ejusdem libri c. 16. v. 28. & 30. Hæc de Judith enuntiantur: *Mansit in domo viri sui annos centum quinque, & d functa est ac sepulta cum viro suo in Bethulia. . . . In omni autem spatio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Israël, & post mortem ejus annis multis.* Atqui constat, Israëlitas tempore Manassis Regis Juda per tot annos pace potitos haud fuisse, quamvis etiamnum diceretur Judith nonnisi 25. annos nata fuisse, quando Holofernem adivit. Nam ipse Rex Manasses fuit ab Assyriis in captivitatem abductus, quæ captivitas sine aliqua pacis perturbatione accidere non potuit. Præterea ab illa captivitate Manassis usque ad bellum Ægyptiacum, in quo Josias Rex Juda Manassis nepos interemptus est, tot, quot citato capite recensentur, anni pacis haud effluxêre; id enim bellum an. m. 3394. accidisse referunt Chronologi sacri. Ergo &c.

2do. Sed nec dici potest hæc historia evenisse post captivitatem Babylonicam, prout ex iis, quæ nos ipsi supra adduximus constare videtur. Ergo non satis explicari potest, quo tempore hæc historia contigerit, adeoque conficta videtur &c.

310 Resp. 1mo. neg. cons. primi argumenti. Quamvis enim hæc historia non satis conciliari posse videretur cum Judæorum, Assyriorum, & Medorum historiis, & Chronologiis, quas præ manibus habemus, quæque confusæ sunt admodùm ac obstrusæ, & nonnisi veluti temporum conjecturas referunt, utpotè quarum accurati commentarii temporum injuriâ vel deperditi, vel neglecti, vel à variarum nationum, & linguarum Scriptoribus diversa temporum, & annorum computatione, personarumque nomenclatura commutati fuerunt: non tamen minùs vera est censenda, quippe quæ tùm antiquorum, tùm recentiorum Scriptorum Hebræorum, tùm veterum Ecclesiæ Patrum, Conciliorum, aliorumque testimonia sibi asciscat.

Resp. 2do. neg. ant. primi argumenti. 311
Ad illius probationem neg. ant. & dicimus, quòd probabilius sit, eam accidisse ante captivitatem Babylonicam, & Manassis Regis Juda ætate. Etsi nihil illius veritati detrahatur, sive ante, sive post captivitatem illam accidisse dicatur; cùm perinde de illius veritate constet; unde meritò ad singula, quæ in argumenti hujus probationem adducuntur, respondere possemus supersedere, quippe quæ historiæ hujus veritatem minimè infirment. Attamen, ne quidquam hîc omisisse videamur, quo sententia nostra magis roborari possit, singula expendimus. Igitur,

Ad 1mum. Resp. In Judith historia 312
nulla fit mentio Manassis Regis, tum quia hæc historia non contigit in Regno Juda, cui præerat Manasses duntaxat, ad quem proinde non pertinebant, quæ extra Regnum & ditionem suam gerebantur, sed in Regno Israël, nempe in Tribu Simeonis, è qua Judith oriunda erat, quæque Regi Juda non parebat. Tum quia hæc historia contigit vel sub initium Regni Manassis, cùm vix adhuc ex ephebis esset egressus, utpotè duodennis tantùm, & Regno administrando impar; vel cùm Babylone adhuc detineretur captivus, quo casu nulla hîc ipsius fieri potuit mentio; vel statim ac è captivitate solutus est, ubi non ausus fuit apertè hostilia in Chaldæos exercere, quorum furorem anteà expertus fuerat, atque sic neutri parti favere è re sua duxit; Vel denique, quia, omnibus Regni curis in

Joachim, seu Eliacim summum Sacerdotem remissis, totum se pœnitentiæ addixit; cujus proinde summi Sacerdotis Joachim meminit liber Judith. c. 15. v. 9.

313 Ad 2dum Resp. Id non obesse, quin plures Israëlitæ in patrio solo remanserint; imò permulti non multò post captivitatem illam Assyriacam illuc reversi sunt, qui plurimas civitates, præsertim eas, quæ in montanis sitæ erant, occupaverunt; atque etiam multi Israëlitæ in urbe Samaria, & aliis finitimis civitatibus unà cum Cuthæis, & Babyloniis, quos illuc miserat Salmanassar Assyriorum Rex habitabant, atque cum illis, quos legem Moysis edocuerant, verum Deum Israël colebant. Quid ergo mirum, si Israëlitæ, & Cuthæi urbis Bethuliæ incolæ veri Dei cultum contra Nabuchodonosorem, qui solus tanquam Deus ab ipsis coli pertendebat (*l*), defendere volentes, Holoferni ejus Belliduci urbem hanc obsidenti, & veram Religionem exterminare totis viribus molienti strenuè & animosè restiterint?

314 Ad 3tium. Quamvis Holofernes regnante Manasse plura fortè de Israëlitis audire potuerat, verisimile tamen est, illum eorumdem statum necdum penitùs penetrasse; unde meritò quærit, quænam gens ista sit, nempè quisnam illius status.

315 Ad 4tum. Hæc, quæ Achior Holoferni respondet de variis populi Israëlitici afflictionibus, intelligenda non sunt de captivitate Babylonica, sed de variis vexationibus, quæ eam diu ante præcesserant. Nam si ipsi sermo fuisset de captivitate Babylonica, non dixisset Judæos exterminatos fuisse à multis nationibus, sed ab una, Chaldæorum nempè; nec dixisset, plurimos captivos abductos fuisse, sed omnes; fuit enim generalis Babylonica captivitas, paucissimi enim remanserunt à Nabuchodonosore relicti, illique paulò post ipsimet in Ægyptum fugerunt. (*m*) Itaque hæc dispersio, & desolatio fuit plenissima; unde sermo Achiori hîc est de variis populi Israëlitici afflictionibus, quas variis temporibus à diversis nationibus passus est: pluries siquidem Israëlitæ traditi fuerunt in manus gentium, videlicet Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum; at ex illis captivitatibus, quæ universales non fuerunt, jam tempore Manassis Regis Juda in patriam redierant.

Quòd autem quidam è Græco textu 316 eruere velint (*n*), Achiorem dixisse, Templum Jerosolymitanum fuisse solò æquatum, ac penitus dirutum, id minimè textum Græcum significare asserit Huetius (*o*); sed Templum duntaxat fuisse conculcatum, & pedibus protritum, prout solum proteri solet. Ergo, etiam juxta versionem græcam hujus libri, Achior asserit, Templum Jerosolymitanum à Nationibus fuisse profanatum duntaxat, non verò destructum, & solo æquatum; idque manifestum est ex c. 4. v. 2. hujus libri, ubi *tremor, & horror*, inquit textus noster, *invasit sensus eorum, ne* (Holofernes) *hoc faceret in Jerusalem* (ne videlicet cultum veri Dei ibidem abrogaret) *& Templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus, & Templis earum.* Quibus addit Græcus textus: *Recens enim ascenderant è captivitate, & nuper totus populus congregatus fuerat ex Judæa, vasaque, & altare, & Domus ipsa à profanatione fuerant sanctificata.* Quæ, præterquam quòd de reditu ex captivitate Babylonica minimè intelligi possint, apertè innuunt, Templum à profanatione duntaxat sanctifica-

(*l*) Judith. c. 3. v. 13. & c. 5. v. 29. (*m*) 4. Reg. c. 25. v. 26. (*n*) Græca Versio c. 5. v. 22. (*o*) Loc. cit. in lib. Judith.

ftificatum fuisse, non verò de novo extructum, &c.

317 Ad 5tum. Sive historia Judith contigerit sub initium Regni Manassis, sive dum adhuc captivus Babylone detineretur, sive denique (quod plerique censent, & apertè innuere videtur Græcus textus primùm à nobis adductus) statim post ipsius à captivitate solutionem; facile est ostendere, toto reliquo, post liberatam ab Holofernis obsidione Bethuliam, Judithæ tempore, & pluribus adhuc post ipsius mortem annis pacem fuisse in Israël, & à nemine perturbatum fuisse populum istum. Nam Judith vitam protraxit usque ad ætatis suæ centesimum quintum annum, ita enim intelligi debent, quæ hac de re Vulgata nostra cap. 16. v. 28. exprimit, scilicet: *Mansit autem* (Judith) *in domo viri sui annos centum quinque*, prout clarè habet Græcus textus, & clariùs adhuc Syriacus. (*p*) Ex quibus annis detrahendi sunt illi, quos vixit ante occisionem Holofernis, quosque supponimus fuisse circiter quadraginta; enimverò certò definiri non possunt, cùm nullus Auctor de iis quidquam certi memoret, aliis illam viginti quinque annorum, aliis triginta, aliis triginta octo, & aliis denique quinquaginta omninò annorum fuisse supponentibus; Nos mediam viam hîc sequimur, atque iis, qui eam quadraginta annorum fuisse asserunt, tutò nos adstipulari posse arbitramur. Jam ergo, si ex annis centum & quinque, quos eam vixisse asserit Scriptura, detrahantur quadraginta illi, quos eam attigisse, cùm Holofernem occidit, supponimus, supererunt sexaginta quinque anni continuæ pacis usque ad mortem Judith, quibus addimus omnes annos illos, qui post mortem Judithæ usque ad captivitatem Joachim Regis Juda, quam Chronológi sacri ad an. m. 3406. rejiciunt, effluxêre, sicque verum erit, quòd eodem cap. 16. v. 30. libri Judith additur, *post mortem ejus*, videlicet, *multis annis non fuisse, qui perturbaret Israël.*

318 Anno quippe mundi 3306. Manasses duodennis Regnum iniisse dicitur à sacris Chronologis. Quòd si eodem anno Bethulia ab obsidione liberata est, prout sat benè multi contendunt, tuncque Judith jam quadragesimum ætatis suæ annum attigisse ponatur, obitus illius incidet in annum m. 3371. octavo Josiæ, qui Ammoni Manassis filio, cujus imperium duorum duntaxat fuit annorum, an. m. 3363. in Regno Juda successerat, atque post eum 31. annis imperavit, usque ad an. m. 3394. videlicet, quo adversùs Nechao Regem Ægypti pugnans lethali vulnere ictus obiit.

319 Nec huic paci, qua toto illo tempore fruitus fuisse dicitur populus Israëliticus, obfuisse videtur Manassis captivitas, quæ juxta hanc opinionem post liberatam jam Bethuliam facta deducitur; nam, ajunt hujus opinionis patroni, illa solam Manassis personam, non verò Reipublicæ Judaicæ statum respexisse videtur: Manasses quippe non in bello, sed fraude, & dolo ab Assyriis captus est, & non multò pòst liber dimissus, prout refert Josephus (*q*); quo fit, ut in captivitate Regis Manassis nullum extiterit bellum, quod pacem in Israël conturbaret.

320 Verùm omnis, quæ hîc occurrere posset, tollitur difficultas, si relicta hac opinio-

(*p*) Græcus textus sic habet: *Et senuit in domo viri sui annos centum quinque.* Syriacus verò: *Et consenuit in domo Manassis viri sui, factaque centum & quinque annorum mortua est, &c.* Ex quo patet, lapsum esse Philonem, cùm in volumine Chronographiæ suæ ait, *Judithans vixisse centum viginti quinque annos.* (*q*) Lib. 10. Antiq. c. 4.

opinione, dicamus Bethuliæ liberationem primùm factam fuisse, vel dum Manasses in captivitate adhuc detinebatur, vel etiam statim ac ab ea solutus Regiam suam repetiit, necnon abjectis rei politicæ curis, & in summum Sacerdotem Joachim seu Eliacim translatis, pœnitentiæ, & saluti suæ unicè intendit.

321 Non est hîc, quòd argumentis, quæ evincere videntur, Bethuliæ liberationem, & Judithæ facinus evenisse tempore captivitatis hujus Principis, immoremur; satis enim erit, si ostendamus, illud de diuturna pace in Israël cap. 16. v. 30. hujus libri Judith assertum nihilominùs esse verum, etsi dicatur, memoratum Judithæ facinus primùm postquam Manasses libertati restitutus fuit, accidisse.

322 Ponamus igitur, Manassem an. Regni sui 16tô circiter, id est, circa annum mundi 3322. libertati fuisse restitutum. Tantùm abest, ut id veritati repugnare videatur, quin potiùs multum hîc dare nos manifestum est; ex Josepho namque constat (*r*), Manassem initiô jam Regni sui fuisse in captivitatem abductum; nec diu, sed exiguo duntaxat tempore in illa fuisse detentum inde colligitur, quòd, nulla habita ratione captivitatis istius, eum quinquaginta quinque annis in Jerusalem regnasse asserat Auctor libri 2. Paralip. cap. 33. v. 1. Multùm, inquam, ergo dare videmur, si dicamus, eum primùm annô Regni sui 16tô. libertate donatum fuisse.

323 Dicendum quoque erit, Juditham jam tunc quadragenariam vitam protraxisse usque ad annum mundi 3387. adeoque ab an. m. 3322. quo quadragesimum ætatis suæ annum agebat, adhuc sexaginta quinque annis superfuisse, sicque etiam verum erit, non modò toto reliquo vitæ illius spatio, sed multis quoque post mortem ipsius annis, non fuisse, qui perturbaret Israël: nam ab isto mundi anno 3387. usque ad annum mundi 3406. quo à Nabuchodonosore urbs Jerusalem capta est, ipseque Joacim seu Joakim Rex una cum multis aliis captivus ductus est in Babylonem 19. anni effluxisse perhibentur, qui utique multi sunt anni post mortem Judithæ.

Nec nos movere debet bellum adversùs Nechao Regem Ægypti anno mundi 3394. à Josia Rege Juda susceptum, in quo ipsemet interiit: nam per illud pax in Israële perturbata fuisse non videtur, quia non intra Regnum Israëlis, sed extra illud gestum fuit; enimverò tunc demum, ut jam diximus, pax in Israël perturbata fuit, cùm Joachim Josiæ in Regno Juda successor annô undecimô Regni sui, mundi verò 3406. unacum primoribus populi in captivitatem abductus est Babylonicam. 324

Et verò, quamvis daretur, dictô an. m. 3394. pacem in Israël jam turbatam fuisse, tamen à morte Judithæ usque ad hunc mundi annum 3394. septem adhuc residui videntur anni, quibus pax in Israël fuisse perhibetur, scilicet ab an. mundi 3387. quo Judith mortem oppetiit; qui utique sufficiunt, ut textui capitis 16. libri Judith veritas sua asserta maneat. 325

Ob. 6to. De festivo die, qui cap. 16. v. 31. in memoriam hujus victoriæ, & Judithæ facinoris quotannis à Judæis celebrari dicitur, nulla in Hebræorum libris occurrit mentio, neque etiam de eo quidquam meminit Græcus Interpres. Ergo fictitium quid esse videtur. 326

Resp.

(*r*) Cit. loco. c. 5.

Resp. 1mo. Neg. 1mum membrum ant. Eodem enim die festum istud ab Hebræis celebrari videtur, quo *Dedicationis*, seu expiati Templi à profanatione Antiochi Epiphanis festum, quod etiam *festum Encæniorum* dicitur, & alio nomine *festum luminum*; quòd Hebræis tunc sub Machabæis repentina veluti lux post obscuram calamitatis noctem affulsisset. Cæterùm parùm refert, quòd in græco textu versus ille, qui festum in Vulgata nostra commemorat, prætermissus sit. (*s*)

Resp. 2do. transf. ant. neg. conf. Quamvis enim nulla nunc festivitatis olim ob Judithæ facinus institutæ occurrat in Hebræorum libris memoria, non sequitur, eandem non fuisse institutam, sed tantùm quòd successu temporis fuerit abrogata.

327 Ob. 7mo. Mentita est Judith Holoferni Assyriorum militiæ Principi, dum illi dixit, c. 11. v. 15. *Ego adducam te per mediam Jerusalem*, quem tamen venerat occisura. Ergo &c.

Resp. 1mo. Quòd ipsa Holofernem verè per mediam Jerusalem duxerit, non triumphantem quidem, & victorem, ut Holofernes putaverat, sed victum & capite cæsum, prout Judith intelligebat.

Resp. 2do. Datô, quòd mentita fuerit Judith, non tamen sequitur, eam propter mendacium fuisse in Scriptura laudatam, sed propter laudabilem affectum, quem habuit pro salute populi sui. Vid. quæ hac de re alibi passim jam respondimus.

328 Ob. 8vo. Si hæc Judith historia vera esset, illius, utpote tam memorabilis, utique meminisset Josephus in suis Antiq. Judaic. Atqui id ab ipso minimè præstitum est. Ergo &c.

Resp. Neg. seq. Maj. Ratio patet ex iis, quæ suprà ad 1mam Object. adversùs librum Tobiæ num. 2dô & 3tiô pag. 114. respondimus. Josephus in describendis Antiquitatibus Judaicis sibi proposuerat, ea tantùm litteris mandare, quæ in libris Canonicis Hebræorum continebantur, prout ipsemet profitetur. (*t*) Cùm igitur propter rationes suprà in responsione ad Object. 1mam adversùs librum Tobiæ memoratas liber Judith Esdrino Hebræorum Canoni insertus non fuisset, neque hebraicè, sed chaldaicè conscriptus esset, mirum non est, quòd Josephus in describendis Judæorum antiquitatibus de eo siluerit &c.

De libro Esther. 329

Fuit Esther, seu Edissa filia Abihail, è Tribu Benjamin nata in captivitate, & postmodum parentibus orbata à patruo suo Mardochæo, qui à Nabuchodonosore Babyloniorum Rege quinquennis, ut quidam ajunt, captivus Babylonem annô mundi 3416. abductus fuerat, educata floruit Susis Regia Persarum urbe circa initium, seu primos restitutæ Judæis libertatis annos. (*u*) Annô mundi circiter 3485. à Dario Hystaspis filio Persarum Rege in uxorem eligitur, repudiatâ Vasthi Reginâ conjuge suâ.

Liber ipsius nomine inscriptus 16. ca- 330
pitibus concluditur. Argumentum illius est humiliatio superborum, Vasthi Reginæ scilicet, & Aman supremi Principis apud Darium seu Assuerum, vel Artaxerxem, prout eum liber iste nuncupat, non quidem personæ, sed Regiæ dignitatis nominibus; & exaltatio humilium, Estheris videlicet, & Mardochæi patrui ipsius.

(*s*) Vid Calmet Dict. Bibl. verb. *Judith*, & Verb. *Festum Dedicationis Templi.* (*t*) Proëm. totius Operis & lib. 10. c. 11. (*u*) Anni 70. captivitatis Babylonicæ initium sumpserunt annô mundi 3416. atque clausi fuêre juxta Jeremiæ prædictionem annô mundi 3487. cùm jam annô mundi 3469. Cyrus Persarum Rex Judæis in patriam redeundi potestatem fecisset. Quo etiam anno incepta est sexta mundi ætas, quæ duravit usque ad Christi adventum, annum mundi scilicet 4000. quo septima denique ætas sumpsit initium ad finem mundi duratura &c.

Aſſuerus Vaſthi conjugem ſuam, quòd ad convivium invitata venire recuſaſſet, repudiat, Estheremque ſibi in uxorem deligit. Aman in Mardochæum, quòd eum, juxta morem Perſarum, adorare renueret, irâ commotus, illi, totique Hebræorum genti interitum machinatur; hanc in rem decretum à Rege obtinet; ſed Eſther pro populi ſui ſalute Regem deprecante, ipſe decretum revocat, Amanque in eodem quinquaginta cubitorum altitudinis patibulo, quod Mardochæo paraverat, Rege jubente ſuſpenditur, universaque ipſius familia, omneſque Judæorum hoſtes neci ab ipſis Judæis traduntur: Mardochæus verò à Rege extollitur, atque honoribus cumulatur.

331 In perpetuam autem hujus ab excidio, quod Aman decreverat, populi Judaici liberationis memoriam dies feſtus ſingulis annis peragendus decimâ quintâ menſis *Adar*, qui cadit in partem menſium noſtrorum Februarii, & Martii, conſtituitur à Mardochæo, & Eſthere; huncque diem appellarûnt *Phurim*, ſeu *Sortium* quòd idem dies ab Aman per ſortem electus fuiſſet ad occidendos Hebræos. Hæc libri hujus epitome.

332 Quis autem hunc librum ſcripſerit, non ita certum eſt. Illum Eſdræ adſcribunt Epiphanius, de pond. & menſ. c. 4. Auguſtinus, de Civ. lib. 18. c. 36. & Iſidorus, Orig. lib. 6. c. 2. Fortè illius reſtaurator fuit.

Clemens Alexandrinus autem, quem nonnulli Rabbini, multique recentiores Interpretes ſequuntur, eum Mardochæo tribuit, quippe qui, ut ibid. c. 9. v. 20. 25. & 26. Item c. 12. v. 4. legitur, omnia hæc ſcripſerit, & litteris comprehenſa ad Judæos miſerit: hi verò in ſolemnem ritum cuncta ſuſceperint, quæ à Mardochæo litteris præſcripta ac fieri mandata fuerant.

Serarius verò Mardochæum & Eſtherem operas ſuas ad libelli hujus ſcriptionem ſimul contuliſſe colligit ex textu Septuaginta Interpretum c. 9. ubi dicitur, *quòd Eſther, & Mardochæus ſcripſerint, quæ fecerunt.* At Vulgata noſtra eodem cap. v. 29. nonniſi de ſecunda Epiſtola loquitur, quam hi ambo ſcripſerunt, ut ſolemnitas illa ſortium ſanciretur.

At Huetius ſatis probabiliter putat (x), librum hunc, quem Mardochæus ſcripſiſſe dicitur, nihil aliud eſſe, quàm Epiſtolam ad Judæos miſſam, & eo fine ſcriptam, ut Judæi ſortium feſtivitatem ſingulis annis ſtata die celebrarent, ut habetur ex ſecunda Epiſtola ipſius, & Eſtheris, de qua fit mentio c. 9. v. 29. & ex initio capitis 10mi quo opus clauditur, atque narratur, quanto in honore tum apud Perſas, tum apud Judæos habitus ſit Mardochæus. Nec enim, inquit, ſcribere potuit Mardochæus, ſe miſiſſe librum ad Hebræos, & ipſos ea, quæ in illo mandabantur ſuſcepiſſe, & obſervaſſe: priùs namque iſti librum accepiſſe debuerunt, antequam illa, quæ eo continebantur, ſuſciperent, & obſervarent.

At reſponderi poſſet, librum ſuum ſcripſiſſe Mardochæum primùm poſtquam accepiſſet, Judæos ea omnia, quæ mandaverat ſuſcepiſſe, & obſervare &c. Vel hæc deinceps libro huic addita fuiſſe ab Eſdra, qui librorum Canonicorum fecit collectionem. 333

Dicendum ergo videtur, Eſdram, ſeu Synagogam magnam, id eſt, generalem illam Judæorum Synodum poſt reditum à captivitate Babylonica celebratam libri hujus editionem ex Mardochæi, & Eſtheris Epiſtolis ac monumentis adornaſſe, necnon poſteris transmiſiſſe. 334

Librum hunc ſacrum eſſe, & Canonicum tenet Eccleſia. Anabaptiſtæ verò & non-

(x) Demonſt. Evang. propoſ. 4. de lib. Eſther. pag. 371. edit. Lipſ. 1694.

nonnulli Lutherani, quibus adstipulatur Auctor placitorum quorumdam Hollandiæ Theologorum Ep. 8. & 11. commentitium, & confictum eum esse arbitrantur.

Quidam verò Ecclesiæ Patres, & Doctores septem postrema illius capita duntaxat velut apocrypha autumant esse rejicienda: in qua sententia fuisse S. Hieronymum ex ejus præfatione colligi videtur. Secuti sunt eum non modò ante Concilium Tridentinum Lyranus, Dionysius Carthusianus, Hugo, & Thomas de Vio Cardinales (*y*); sed etiam post dictum Concilium Sixtus Senensis. (*z*) Verùm contra hos omnes ponitur

CONCLUSIO.

335 Liber Esther est divinæ auctoritatis, & Canonicus, non modò quantùm ad novem priora capita, sed etiam quoad septem posteriora.

Prob. 1ma pars Conclusionis 1mo. Ex S. Scriptura. 1mo. Ex ipsomet hoc libro. Liber iste nihil nisi divinum spirat, utpote, qui miraculosam prorsus populi Israëlitici ab impendente excidio factam à Deo liberationem enarret. Atqui dubium non est, quin Deus, qui prodigium hoc pro majori gloriæ suæ apud homines augmento, & ad ipsius cultum & fiduciam apud fideles magis promovendam posteris scriptò commendari voluit, in illo conscribendo Mardochæo, & Estheri, vel Esdræ, vel Synagogæ magnæ, vel alii cuicunque demum illius Auctori specialiter adstiterit, &c. Ergo &c.

2do. Ex lib. 2. Machab. c. 15. v. 37. ubi fit mentio festivitatis à Mardochæo institutæ, à Synagoga magna susceptæ, & ab Hebræis servatæ in memoriam eorum, quæ per Dei auxilium gesta fuisse in libro Esther narrantur, quemadmodùm & Sortium ipsa festivitas ibid. exprimitur. Atqui hujus festivitatis mentionem non fecisset Auctor iste, nisi compertum habuisset, librum, quo hujus celebritatis institutio continetur, Canonicum, adeoque divinæ auctoritatis fuisse. Ergo &c.

Prob. 2do. Ex Traditione Judæorum. 336
1mo. Quia ex omnium tum Hebræorum, tum Christianorum Scriptorum sententia, si Melitonem, apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 26. Pseudo-Athanasium, in Synopsi. Et Gregorium Nazianzenum, Carmine de genuinis Scripturis, excipias, relatus est ab Esdra & Synagoga magna in Canonem sacrorum librorum. 2do. Quia à Septuaginta Interpretibus, seu Hellenistis, qui illos sacros libros duntaxat sunt interpretati, quos Hebræi in suo Canone collocabant, suæ versioni est insertus. 3tio. Quia Josephus, qui ea tantùm literis se mandare testatur, quæ in libris Canonicis Hebræorum continebantur (*a*), hanc historiam ex libro Esther fusè narrat. (*b*)

Prob. 3tio. Ex Traditione Ecclesiæ 337
Christianæ. 1mo. Ex Conciliis supra, ubi de libro Tobiæ egimus, adductis. Item ex Concilio Laodiceno c. 59. 2do. Ex sanctis Patribus tam græcis, quàm latinis ibidem citatis, ut sunt Origenes, in Psal. 1. Eusebius, lib. 3. hist. c. 25. Cyrillus, Cateches. 4. Damascenus, lib. 4. c. 18. Chrysostomus, Hom. 3. ad populum Antiochenum. Hilarius, in Psal. 1. Innocentius I. Papa, Epist. 3. Ruffinus, in Symbolo. Hieronymus, in hunc librum. Augustinus, lib. 2. de doct. Chr. & alii quamplures, qui librum Esther inter sacra volumina recensent.

Adde hîc omnia ea argumenta, quæ 338
supra pro divina librorum Tobiæ, & Judith auctoritate adduximus.

Prob. 2da. pars Conclusionis 1mo. Ex 339
Traditione Judæorum. 1mo. Ex versione Septuaginta Interpretum, in qua hæc septem

(*y*) In Comment. in lib. Esther. (*z*) Bibl. sanct. lib. 1. & 8. (*a*) Proœm. in lib. de Antiq & ibid. lib. 10. c. 11. (*b*) Ibid. lib. 11. c. 6.

tem postrema capita ex Hebræo translata continentur. Atqui hi Septuaginta Interpretes seu græcæ hujus interpretationis Auctores ista septem postrema libri Esther capita Operi suo non inseruissent, nisi ea velut Canonica agnovissent. Ergo non aliunde ea transtulerunt, quàm ex hebræo Estheris libro Canonico & sacro. Ergo & ipsa sunt Canonica.

340 2do. Josephus, ubi historiam hanc recenset, orationem Mardochæi ex c. 13. & Epistolas Assueri ex eodem c. 13. & ex c. 16. libri Esther refert, velut ex libro Canonico excerptas. Ergo & hæc capita, quibus ipsæ continentur, Canonica censuit, si ea duo, tunc etiam cætera. Atqui id nonnisi ex Traditione ipsi innotescere potuit. Ergo sacra horum Capitum auctoritas Judæorum Traditione firmatur.

341 Prob. 2do. eadem pars ex Traditione Ecclesiæ. Vetera Concilia, & omnes sancti Patres cùm græci tùm latini, quos primùm protulimus, quique librum Esther sacræ Scripturæ Canoni accensuerunt, de eo libro loquuntur, quo universa Ecclesia tam græca, quàm latina illo ipsorum ævo utebatur. Atqui certum est, Ecclesiam universam illorum Patrum ævô usam fuisse in legendis libris sacris veteris Testamenti editione Itala, quam S. Hieronymus passim appellat *vulgatam*, *quæ Græcorum linguâ, & litteris continetur.* Ergo de eo libro loquuntur prout in editione Itala ad græcum textum, quo Patres græci utebantur, expressa continebatur.

Subsum. Atqui in illa editione Itala septem hæc postrema capita continebantur, utpote ad græcum textum & Septuaginta Interpretum versionem expressa, quod & ipse Hieronymus testatur. (*c*) Ergo memorata Concilia, & SS. Patres de eo libro loquuntur tanquam Canonico, prout etiam septem illa postrema Capita continet.

Confirm. SS. Patres, ut Chrysostomus, Hom. 3. ad popul. Antiochen. & S. Augustinus, Epist. olim 199. ad Ediciam, ex postremis his septem capitibus testimonia petunt: Atque Origenes ipse, Epist. ad Jul. Afric. ea sacra, & Canonica esse demonstrat. Imò Ecclesia ipsa ex illis capitibus quædam in suum officium transtulit. Nam feriâ 4tâ post Dominicam 2dam Quadragesimæ inter Sacrorum solemnia legit caput 13. sicut & in Missa, quæ adversùs Paganos dici solet. Item Dominicâ 22dâ post Pentecostem Evangeliô decantatô Orationem Esther ex ejusdem c. 14. recitat. Ergo &c. 342

Prob. denique ex Concilio Tridentino, quod Sess. 4. omnes S. Scripturæ libros pauló antè ab ipso enumeratos, inter quos & liber Esther recensetur, *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia legi consueverunt, & in Vulgata editione continentur*, velut sacros, & Canonicos suscipiendos esse sanxit. Atqui septem postrema libri Esther capita, hujus libri partes constituunt, & in Ecclesia legi consueverunt, necnon in Vulgata editione continentur. Ergo etiam illa tanquam Canonica, & divinæ auctoritatis suscipienda decrevit Concilium Tridentinum. 343

Solvuntur Objectiones. 344

Ob. 1mo contra primam partem Conclusionis. Historia Esther videtur omninò conficta, & mera Tragicomædia esse. Ergo & liber, qui illam continet, adeoque minimè Canonicus reputari debet.

Resp. Neg. ant. Illius falsitas vel ex eo patet, quòd Septuaginta Interpretes librum hunc, adeoque & historiam illo contentam velut omninò veram Versioni suæ inseruerint, eamque Josephus tanquam verè factam referat. (*d*) Et, cùm solemnitatem *Phurim*, seu *Sortium* à Mardochæo ibidem præscriptam, & à Judæis susceptam,

(*c*) C. 10. Esther, & seq. (*d*) Loc. sup. cit.

ptam, ipsi tamdiu servaverint ac celebraverint, prout habetur ex lib. 2. Machab. c. 15. v. 37. Ex Josepho (*e*), atque etiam ex Codice Theodosiano. (*f*) Nemo sanæ mentis, & nisi planè cerritus & væcors opinari poterit, ex figmento aut Tragicomœdia religionem festi hujus diei, & anniversariam celebritatem profluxisse.

345 Ob. 2do. Non potest satis explicari, quo tempore hæc historia evenerit, & quis sit ille Rex Assuerus, seu Artaxerxes &c. Ergo.

Resp. Neg. ant. Jam suprà insinuavimus, historiam hanc evenisse circa initium sextæ mundi ætatis, & annum mundi 3485. quo Esther, seu Edissa in uxorem ab Assuero assumpta fuit.

Assuerus verò, qui & Artaxerxes Regiæ dignitatis nomine appellabatur, non fuit alius, quàm Darius Hystaspis filius. Assuerus enim ille Persarum Rex, sub quo hæc historia contigit, quique maritus fuit Estheris, *regnavit*, prout cap. 10. libri hujus legitur, *super centum viginti septem Provincias, & tertiò annò imperii sui fecit grande convivium cunctis Principibus, & Pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram se.* At id apprimè convenit Dario Hystaspis filio, qui, ut ait Herodotus (*g*), Indos subegit; & qui, prout legitur in libro 3tio Esdræ (*h*), *fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus Magistratibus Mediæ, & Persidis, & omnibus Purpuratis, & Prætoribus, & Consulibus, & Præfectis sub illo ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem Provinciis.* Qui liber, quamvis Canonicam non habeat auctoritatem, æquali tamen pollet auctoritate ac alii libri ab Historicis profanis editi, ubi videlicet S. Scripturæ non repugnat.

Quòd si hæc responsio Adversariis ad palatum non sit, quamvis nihil verisimile eidem opponi posse arbitremur, dicemus, quòd, etsi certò definiri non posset, quo tempore hæc historia acciderit, & quis sit ille Assuerus Persarum Rex, non minùs tamen ipsa sit vera, cùm innumeræ penè aliæ historiæ sacrâ Scripturâ contineantur, quarum ætas, & tempus certò definiri non possit, quamvis tanquam veræ ab omnibus habeantur. Unde responderi potest ad objectionem concessô, seu transmissô ant. Neg. cons.

Ob. 3tio contra 2dam partem Conclu- 346
sionis. Hæc septem postrema Capita in Hebræo, quo sermone liber hic scriptus fuisse dignoscitur, desiderantur. Ergo videntur supposititia esse.

Resp. trans. ant. neg. cons. Jam suprà ostendimus, Septuaginta Interpretes illa septem postrema Capita ex Hebræo in Græcum translata suæ versioni inseruisse, ad quam vetus Vulgata latina versio communi sermone Itala dicta efformata fuit. Ergo, etsi nunc in Hebræo desiderentur hæc septem postrema Capita, atque etiam jam tempore S. Hieronymi in eo desiderata fuerint, tamen antiquitùs in Hebræo legebantur, eáque, prout testatur Origenes (*i*), ex hebraicis exemplaribus fideliter in suis versionibus græcis Septuaginta Interpretes, & Theodotion expresserunt.

Profectò Josephus etiam, ubi historiam Esther recenset, scilicet lib. 11 antiq. c. 6. duas Epistolas Assueri, quæ in Vulgata nostra c. 13. & 16. leguntur, & orationem Mardochæi c. 13. expressam refert, quæ tamen nunc in hebræis Codicibus desiderantur. Fortè qui primus Estheris historiam suscepit scribendam, illius tantùm Summam conscripsit, quam subindè alius magis fusè exaravit, atque septem his Capitibus,

(*e*) Loc. cit c. 6. (*f*) Leg. Judæos Tit. de Iudæis. (*g*) Lib. 4 c. 44. (*h*) C 3. v. 1. 2. & 3
(*i*) Epist. ad Julium Afric. & Tom. 2. in Joan. ubi ex 1410 hujus libri cap. nonnulla proferens, ait: *In libro Esther, qui est juxta Septuaginta.*

pitibus, quæ in nostra Vulgata postremò locò posita sunt à S. Hieronymo, exornavit.

347 Ob. 4to. Hæc septem postrema Capita cum novem prioribus non cohærent. Ergo sunt fictitia. Prob. ant. Prioribus Capitibus narrantur insidiæ duorum Eunuchorum factæ annô septimô Assueri, additurque, Mardochæum, qui eas detexerat, nihil pro tanto officio mercedis accepisse. At c. 11. & 12. dicuntur hæ insidiæ factæ annô secundô Assueri datis Mardochæo pro delatione muneribus. Atqui hæc apertè sibi invicem sunt contraria. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. 1mi Arg. ad illius probationem, neg. Maj. Illa Capita, quæ in Vulgata nostra tanquam postrema leguntur, reverâ non sunt postrema, sed quædam eorum pertinent ad libri initium; ut sunt ea, quæ referuntur de somnio Mardochæi, & insidiis Eunuchorum. Quædam ad medium; ut Epistola Artaxerxis, c. 13. Oratio Estheris, c. 14. Ejusdem ad Regem accessus c. 15. Et altera Artaxerxis Epistola c. 16. Quædam autem ad finem, ut somnii Mardochæi declaratio, c. 10. &c.

Hujus fidem faciunt græci Codices, in quibus omnia suo ordine collocata leguntur; ipsæque ea de re S. Hieronymi annotationes c. 10. 11. & seq. in Vulgata nostra insertæ. Ea autem Capita ad finem libri, ubi eadem collocavit Hieronymus, Ecclesia reliquit, ut intelligamus, quid ad integritatem hujus libri pertineat, quidque in Hebræorum Codicibus non inveniatur.

Insidiæ autem factæ sunt annô septimô Assueri, non verò secundô, neque hæc cap. 11. verba, *annô secundô &c.* debent extendi usque ad narrationem insidiarum, quæ habetur c. 12. Sed solùm ad ea, quæ dicuntur ipso cap. 11mô id est, ad somnium, quod habuit Mardochæus, antequam Esther Assuero nuberet. Nec etiam adhuc Mardochæus delationis mercedem receperat, cùm Rex Annales sibi relegi jussit; tamen posteà recepit amplissimam, quæ c. 6. v. 3. Atque demum c. 12. v. 5. denuò indicatur per hæc verba: *Datis pro delatione muneribus.*

Ob. 5to. Cap. 9. v. 6. dicitur Aman 348
Agagita, seu oriundus ex stirpe Agag Regis Amalecitarum, vel genere Amalecita. At cap. 16. in Epistola Assueri idem Aman dicitur gente & animo fuisse Macedo, Persarumque Regnum ad Macedones transferre voluisse. Atqui, prout historiæ memoriâ proditum est, Macedonum Regnum tempore Artaxerxis, seu Assueri nostri adhuc fuit obscurissimum, & penè ignotum, nec proinde timere potuit Rex iste, ne Persarum Regnum ad Macedones transferretur. Ergo &c.

Resp. 1mo. Aman dici posse ex paterno genere duxisse originem ex stirpe Agag Regis Amalecitarum illius, quem Samuel in frusta concidit (*k*), adeoque Amalecitam fuisse, sed ex materno genere fuisse Macedonem. 2do. dici potest, quòd Aman patriâ quidem Macedo fuerit, Græcus nempè, sed origine prodierit ex stirpe Agag Amalecitarum Regis, & hoc sensu dictus sit Amalecita; credibile quippe est, aliquos ex profligatis Amalecitis ad Græcorum partes profugisse, & ex illis ortum Aman potuisse gente Græcum, seu Macedonem appellari à græco libri hujus Interprete, quia hujus ipsius Interpretis ævô Macedonum nomine comprehendebantur cæteri alii Græci, utpotè quòd Macedonia esset pars Græciæ potior, & nobilior. Unde ait Huetius (*l*) hic græcum Epistolæ *Phurim* Interpretem, quem Lysimachum illum fuisse, de quo fit mentio cap. 11. v. 1. lib. Esther, & cujus versionem Septuaginta Interpretes magna ex parte conservarûnt (*m*), in vertendo libro hoc intemperanter luxuriasse, atque pro ea,

(*k*) 1. Reg. c. 15. v. 33. (*l*) Loc. cit. pag. 374. edit. Lipf. an. 1694. (*m*) Graveson. Hist. Eccl. Tom 3. Colloq. 2. de lib. & hist. Esther. pag. 132. edit. August an. 1728.

ea, quam ſibi ſumpſerat, libertate pro *Agagita*, quod nomen caput 9. refert, reddidiſſe *Macedonem*, nulla habita ratione temporis, quo vel hæc facta ſint, vel ſcripta; ſed ſolùm illius temporis, quo ipſe ea interpretabatur, cùm nempe Ptolemæus Philadelphus regnaret, vel pauló priùs; qua tempeſtate Perſarum animis vehemens inſidebat adversùs Macedones odium, vel Regum ſuorum deſiderió, quos divinis proſequebantur honoribus, vel pudore ſubactæ alienis armis florentiſſimæ gentis ſuæ, vel Macedonum impotenter dominantium impatientiâ. 3tio. dici poteſt, hunc Agag, ex quo dicitur (n) Aman originem traxiſſe, non fuiſſe illum Amalecitarum Regem à Samuel olim occiſum, ſed græcum quemdam virum, ſeu Macedonem nomine Agag. Et hinc eſt, quòd ne textus hebraicus, nec ulla libri Eſther verſio hunc Agag, ex cujus ſtirpe ortus eſt Aman, appellet Amalecitam. 4to dici poteſt, quòd fortè Interpres hiſtoriæ parùm peritus, cùm magna Græcos inter & Perſas bella olim geſta, & multis demùm cladibus acciſas penitùs horum res & contuſas à Macedonibus fuiſſe audiviſſet, iſtos cùm Græcis confuderit, partem ſcilicet cum toto, ea, quæ ab his antiquis Perſarum hoſtibus jam olim geſta fuerant, novitiis illis Macedonibus adſcribens, & Macedonis nomen pro Græci nomine uſurpans; præſertim cùm, prout jam inſinuavimus, credibile ſit, poſt debellatos Perſas totam Græcorum gentem apud peregrinos potiſſimùm, Macedonum, nobilioris videlicet Græciæ partis, nomine veniſſe. Itaque cùm in hac interpretatione *Macedonis* nomen occurrit, *Græcum* intelligi debere videtur. 5to denique paucis hæc difficultas levatur dicendo, cap. 16to. mendum Verſioni irrepſiſſe vel Interpretis, vel librariorum oſcitantiâ, aut ignorantiâ, atque locô Macedonis ponendum eſſe *Agagitam* prout habetur cap. 9. v. 6.

Ob. 6to. Veteres Patres, ut Melito, 349
Pſeudo-Athanaſius, & Gregorius Nazianzenus ſuprà adducti, quos quantùm ad ſeptem poſtrema hujus libri capita ſecuti ſunt recentiores Interpretes Lyranus, Hugo, & Thomas de Vio Cardinales; recentiſſimè verò Sixtus Senenſis poſt Concilium Tridentinum ſcilicet, hanc hiſtoriam velut apocrypham rejecerunt; in qua ſententia, quoad ſeptem poſtrema illius capita nempe, etiam fuiſſe videtur S. Hieronymus. Ergo &c.

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Erronea paucorum veterum horum Patrum & quorumdam aliorum Interpretum opinio nihil officere poteſt veritati, & auctoritati hujus hiſtoriæ, atque libri ipſius, quo illa continetur, utpotè quæ unanimi tùm Synagogæ, tùm Eccleſiæ conſenſu perpetua temporum ſerie firmata ſit, & ſtabilita. Equidem, quia hæc capita è variis hinc indè locis ſunt excerpta, ſequi videtur, interpolatum eſſe librum, atque diſcerptum, necnon aliqua ſui parte mutilatum; & fortaſſis hanc ob cauſam à Melitone Aſiano, Pſeudo-Athanaſio, & Gregorio Nazianzeno è ſacro Canone expunctum. Atque ob eandem rationem à quibusdam recentioribus Interpretibus ſeptem poſtrema illius capita rejecta fuerunt.

Objicit 7timo. Sixtus Senenſis (o), 350
ſi ſeptem hæc poſtrema capita velut Canonicæ auctoritatis ſuſcipi deberent, tum vel maximè, quia id Concilium Tridentinum à nobis pauló ſuperiùs adductum apertè definire videtur. Atqui hoc eſt falſum. Ergo &c. Prob. min. Concilium iſtud ſolùm de veris, & germanis ſacrorum librorum partibus loquitur, non verò de laceris quibusdam appendicibus, & pannoſis additamentis, à quovis incognito Auctore temerè appoſitis, & utcunque inſutis. Atqui hujusmodi ſunt ſeptem poſtrema libri hujus capita. Ergo &c.

(n) C. 9. (o) Lib. 1. Bibl. ſanct. lib. Eſther. Append. pag. 33. edit. Colon. anno 1576.

Resp. ad 1mum Arg. neg. min. ad illius probat. neg. etiam min. Si Sixti argumentum verum esset, multæ aliæ aliorum sacrorum Librorum partes, ut Danielis, Marci, Lucæ, Joannis, quæ non secùs ac ista postrema Libri Esther capita inversa quodam rerum ordine positæ videntur, etiam rejici, aut in discrimen vocari possent, atque dici posset, Concilium de veris partibus esse locutum, ea verò esse additamenta, non partes. Deinde Concilium definit, omnes, quos enumerat libros, adeoque & librum Esther, *cum omnibus suis partibus* esse suscipiendos velut Canonicos. Quorsûm autem hoc, nisi ut omnes intelligant, eas etiam partes, de quibus aliquando erat controversia, ad sacrorum librorum Canonem pertinere?

Sed Sixto os penitùs occludere debent hæc, quæ statim de sacris libris in Canonem recipiendis Concilium subjungit verba: *Prout in Ecclesia legi consueverunt*. Atqui hæc septem postrema Libri hujus capita in Ecclesia semper legi consueverunt, atque, prout suprà ostendimus, multa ex illis in suum Officium transtulit eadem Ecclesia. Ergo &c.

351 *De libro Job.*

Job, aliàs Jobad in Scriptura dictus (*p*) ut & à Septuaginta Interpretibus in ea clausula, quam ipsius libro attexuerunt, quæque reperitur in omnibus græcis Codicibus, Vir fuit virtute, patientia, & pietate insignis, filius Zare, & pronepos Esau, Principatum, seu potiùs Regiam dignitatem in terra Edom, sive Idumæa obtinuit post Belam filium Beor, prout legitur apud Moysem (*q*), & apud Septuaginta (*r*); fuitque secundus Rex Idumæorum, necnon terram *Hus*, seu Ausitidem in Orientali Idumæa in Bozræ, & Arabiæ desertæ finibus sitam incoluit.

352 Tertia mundi ætate jam jam ad finem vergente, circa annum mundi 2427. scilicet floruisse perhibetur. Sanè, inquit Graveson (*s*), cum ante Moysem vixisse, vel saltem ei coævum fuisse colligitur ex ipsius historia in libro, qui illius nomen præfert, conscripta; quippe in qua ne minima quidem fit mentio de lege Mosayca, & Prophetis; aut de admirabilibus, sive in longo in terram Chanaan itinere, sive in Ægypto, sive in deserto, Dei operibus. Quod quidem argumento esse videtur, Jobum, & ejus amicos, qui illum consolaturi accesserant, ante Moysis tempora vixisse; vix enim credi potest, Jobum & ejus amicos, si Moyse posteriores fuissent, hæc omnia miranda tam altô premere silentiô voluisse, prout tamen ab ipsis factum.

Præterea in eodem libro legitur, Jobum solitum fuisse Sacrificia offerre, quod certè licitum duntaxat fuit ante legem Mosaycam; nam post legis Mosaicæ promulgationem solis Sacerdotibus Aaronicis, sive illis, qui erant è Tribu Levi Sacrificia in Templo fas erat offerre. 353

Verùm, inquit Calmet (*t*), de Israëlitarum ex Ægypto egressu locutus videtur Job c. 26. v. 12. his verbis: *In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum.* Ex quo habetur, illum Moysis coævum, ejusque ærumnas annis aliquot ab Israëlitarum ex Ægypto egressu statui oportere.


At citato capite per totum Job Dei incomprehensibilem potentiam ex ejus operibus tantùm demonstrat, atque potiùs alludere videtur ad modum, quo Deus mundum creavit, atque aquas congregavit, quas maria appellavit; ita ut de egressu Israëlitarum ex Ægypto ne cogitaverit quidem, aliàs utique etiam cætera, quæ tum temporis in Israëlitarum gratiam perpetravit Deus, mirabilia tam commodâ ad id occasione, non prætermisisset. 354

Ad Græcorum, & Arabum Jobi exemplarium calcem, necnon in veteribus 355

(*p*) Genes. 36. v. 31. 32. & 33. Item 1. Paralip. c. 11. v. 43. (*q*) Genes. 36. v. 31. &c. (*r*) Ad calcem lib. Job. (*s*) Tom. 2. Hist. Eccl. colloq. 3. de Jobo. (*t*) Dict. Bibl. verb. *Job.*

ribus vulgatis latinis Bibliis, hæc, ut ajunt, è Syriaco deprompta leguntur: *Hic in terra quidem Ausitide redditur habitans in finibus Idumææ, & Arabiæ, & erat ei nomen Jobab. Cùm autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Emmon: erat autem ipse ex Patre quidem Zare de filiis Esau filius, matris autem Bosorra; ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam ipse dominatus est: primus Balac filius Beor, & nomen civitatis ejus Dennaba; post Balac autem Jobab, qui vocatur Job; post hunc autem Asom, qui erat Dux ex regione Thæmanitide; post hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Madian in campo Moab, & nomen civitatis ejus Gethæm; amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Esau Thæmanorum Rex, Baldad Tyrannus Sauchæorum, Zophar Rex Minæorum.*

356 Hanc vetustissimam Jobi genealogiam probant Aristæas, Philo, Polyhistor apud Eusebium (*u*); eamque citant græci & latini Patres, atque suæ græcæ versioni inseruit Theodotion; quam proinde cùm à vetustis Patribus comprobetur, & à Judæis ad nos pervenisse videatur, rejiciendam non censemus, præsertim cùm lib. 1. Paralip. c. 1. v. 35. 37. & 44. eam expressam legamus. Invenimus præterea, Jobum in æquali consanguinitatis gradu cum Moyse fuisse. Utriusque genealogiæ schema subjicimus.



Porrò liber Jobi nomine inscriptus 357
eximiæ patientiæ exemplum exhibet, atque 42. capitibus describit prosperam & adversam Principis hujus fortunam, lamenta, & lamentorum causas, tædium vitæ, mortis votum. Illum in fletus effusum, vehementerque de suis ærumnis dolentem, & conquerentem tres amici ipsius, qui eum consolaturi accesserant, nequitiæ insimulant, hortanturque, ut pœnitentiâ ad Deum reversus divinam agnoscat justitiam, quæ de ejus flagitiis vindictam sumptura, tot calamitatibus in eum animadverterat.

Job verò innocentiæ suæ sibi conscius, gravioribus, quàm mereretur, se pœnis affectum asserit; justosque, vel tantùm ad eorum constantiæ experimentum, vel etiam ad perfectionis Incrementum, vel denique ob Dei judicia hominibus omninò impervia ab eo quandoque plecti ostendit. Ejus amici nihilominùs in aliam prorsùs sententiam abibant. Quod discrimen soluturus è turbine Dominus eos alloquens pro Jobo decrevit; quin tamen quædam temerè ab eo prolata, quæ doloris vehementia, & disputationis ardor veluti per vim ab illo extorserant, comprobaret. Quare Job errorem fassus veniam à Deo postulavit, & impetravit. Dominus verò increpatis Jobi amicis, quòd adeò temerè illum condemnassent, imperat, ut sacrificiis ab ipso Jobo offerendis peccata sua expiarent: Dæmoneque interdicto, ne ei ampliùs noceret, geminatis facultatibus, plurima prole adauctum, felicissimo tandem obitu è vivis demigrantem sinus Abrahæ excepit. Hæc Jobi historiæ Synopsis.

Quisnam libri ipsius Auctor sit, seu 358
Scriptor disceptatur. Quidam ab ipso Jobo Syrorum, seu Arabum idiomate primùm exaratum volunt ex c. 19. v. 23. ubi ipsemet ait: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei, &c.* quem posteà

R 3

(*u*) Lib. 9. præpar. Evang. c. 25. (*x*) 1. Paralip. c. 1. v. 35. 37. & 44.

posteà Moyses, vel aliquis alius Israëlita in hebræum sermonem verterit.

At ex his Jobi verbis nihil aliud colligi videtur, quàm vehemens desiderium, quo optabat, ut historia sua, & sermones conscriberentur.

Quidam illum Salomoni, vel Isaiæ, vel denique recentiori cuidam Auctori tribuunt.

Fridericus Spanhemius, qui Jobi historiam accuratè, & eruditè prosecutus est, à Jobo quidem, aut Jobi amicis res in adversaria primùm fuisse linguâ patriâ, Arabicâ nimirum, seu Syriacâ veteri relatas existimat (*y*), & ex iis demùm circa Davidis, aut Salomonis tempora ab homine Hebræo conflatam fuisse eam, quam habemus, historiam.

Huctius tuetur (*z*), librum hunc à Moyse scriptum fuisse, cùm apud Jethro socerum suum ex Ægypto fugâ dilapsus degeret, ad solatium gentis suæ tum temporis Ægyptiorum tyrannide pressæ. In Arabia quippe tunc commorans, casus in ejus finibus toleratos vel ex vulgi sermone discere potuit: hancque suam opinionem multis argumentis, & conjecturis roborat. Hæc quoque sententia fuit Thalmudistarum (*a*), quam amplexus est Auctor posterioris Commentarii in Job, qui Origenis nomen præfert. Eandem sectati sunt Methodius apud Photium (*b*), Polychronius, & Julianus Halicarnasseus, apud Nicetam (*c*), necnon recentiores benè multi. Idipsum etiam censuisse videtur S. Hieronymus; sacros enim libros recensens (*d*), Pentateucho librum Job statim subjicit, posthabitô etiamnum Josue librô, quo significare videtur, Moysis, & Jobi libros ejusdem esse Auctoris, & ætatis.

359 Licèt autem liber iste nihil, quo ejus Auctor clarè dignoscatur, præ se ferat, illum tamen religione Judæum, & Jobô posteriorem fuisse vult Calmet. (*e*) Illius autographum Hebraico quidem, sed pluribus Arabum, & Chaldæorum phrasibus & periodis apud Hebræos minimè usitatis referto idiomate conscriptum fuit; & partim soluta, quantùm ad ea scilicet, quæ vitam, mores, calamitatem, & prosperitatem Jobi spectant, oratione; ipsius verba autem, amicorum interlocutiones, ejusdemque responsiones quod spectat, metricis numeris illigatum esse.

Undè facile est conjicere, Opus istud 360
compilatum fuisse ex Jobi ipsius, aut amicorũ suorum adversariis, seu monumentis Arabico sermone primùm exaratis, quod interdum, ob sententiarum eo contentarum dignitatem poëtico sermone velut elegantiori stylo Auctor Hebræus exornarit. Hinc quamvis historiam hanc, ejusque circumstantias à veritate minimè abesse, atque simul colloquentium sententias integra fide ab Auctore referri tueamur; dictionum tamen, & phrasium sonum Poëtæ, seu Auctori tribuendum esse censemus. Quis enim sanæ mentis arbitretur, Jobum in summis corporis, & animi doloribus carmina ad uxorem, & amicos fudisse.

Liber hic Canonicus, & divino afflatu conscriptus semper habitus est. Qua de de re ponitur

CONCLUSIO.

Liber Jobi nomine inscriptus est Ca- 361
nonicus, & divinæ auctoritatis.

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura, ac inprimis ex ipso Jobi libro, ut qui nihil nisi sanctum, & divinum spiret, imò magna Dei miracula contineat, vel potiùs

(*y*) Hist. Job. c. 13. (*z*) Loc. cit. in Job. (*a*) In Babathra. c. 1. (*b*) Cod. 225. (*c*) In catena in Job. (*d*) Ep. ad Paulin. (*e*) Loc. cit.

potiùs nonnisi unicum ingens sit miraculum.

2do. Ex libro Tobiæ, ubi. c. 2. v. 12. & 15. hæc leguntur : *Hanc autem tentationem* (cæcitatis) *ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ipsius, sicut & sancti Job. . . . . Nam sicut beato Job insultabant Reges, ita isti* (Tobiæ) *parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus. &c.*

3tio. Ex Ezechielis c. 14. v. 14. ubi etiam hæc leguntur : *Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus* (id est terræ) *Noë, Daniel, & Job, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.*

4to. Plurima ex eo libro transumpta cæteri Scriptores sacri in sua volumina transtulerunt. Ut Jerem. c. 20. v. 14. ex Job, c. 3. v. 2. Psalm 8. v. 5. ex Job, cap. 7. v. 19. Psalm. 143. v. 4. ex Job, c. 15. v. 9. Thren. 3. v. 8. & 9. ex Job, c. 19. v. 7. & 8. Psalm. 31. v. 12. & 13. ex Job, c. 19. v. 13. 14. & 18. Psalm. 107. v. 42. ex Job, 22. v. 19. Jerem. 12. v. 1. & seq. ex Job, 21. v. 7. & seq. Sapient. 7. v. 9. & seq. ex Job, 28. v. 15. & seq. Psalm. 110. v. 10. Prov. c. 1. v. 7. & c. 9. v. 10. ex Job, c. 28. v. 28. Sap. 6. v. 8. ex Job, c. 34. v. 19. Prov. 8. v. 29. ex Job, 38. v. 10. & 11. Psal. 146. v. 9. ex Job, c. 38. v. 41.

5to. Testimonium libri Job tanquam sancti, & canonici adducit Paulus Apostolus scribens ad Corinthios ubi, *Sapientia*, inquit (*f*), *hujus mundi stultitia est apud Deum, scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Atqui hoc scriptum invenitur Jobi c. 5. v. 13. ubi ipse hæc de Deo eloquitur : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum.*

6to. S. Jacobus in sua Catholica Epistola c. 5. v. 11. ex Jobi libro petit. exemplum his verbis : *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, & miserator.*

Atqui hi sacri Scriptores omnes Jobi tanquam viri sancti non meminissent, nec ex libro, qui nomen illius præfert, sententias in suas Scriptiones transtulissent, nec illum velut divinum citassent, nec denique testimonia, & eximiæ pietatis & patientiæ, Deique miserationis exempla ex illo petivissent, nisi ipsius historiam veram, proindeque librum, quo ipsa continetur, sanctum, & canonicum reputassent. Ergo &c.

Prob. 2do. ex Traditione Judæorum. 362
1mo. Certum est, librum hunc Esdrino Canoni insertum fuisse, idque etiamnum testantur omnes Scriptores tam Hebræi, quàm Christiani. 2do. Aristæas, qui tempore Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti scripsisse fertur, in suo de Judæis commentario (*g*) hujus libri tanquam sancti meminit. 3tio. Septuaginta Interpretes illum Græcæ suæ Versioni velut sacrum, & Canonicum intexuêre. 4to. Josephus eum etiam inter libros Canonicos recenset. (*h*) Ergo &c.

Prob. 3tio. ex Traditione Ecclesiæ. 363
Ab Apostolis, ut primùm vidimus, tanquam divinus adducitur, eaque, quam de Jobo continet, historia velut sancta laudatur. Post ipsos librum hunc SS. Patres, & Concilia, quorum testimonia suprà ad libros Tobiæ, Judith, & Esther retulimus, tanquam Sanctum & Canonicum celebrant, &c.

Solvuntur Objectiones. 364

Ob. 1mo. Josephus in Antiquitatibus Judæorum versatissimus, easdem referens, Jobi historiam altô prætermittit silentiô. Atqui utique illam non prætermisisset, si veram arbitratus fuisset. Ergo

(*f*) 1. Cor. c. 3. v. 19. (*g*) Apud Euseb. lib. 9. c. 25. Præparat Evang. (*h*) Lib. 1. cont. Appion.

Ergo vera non est, sed tanquam fabulosa est rejicienda.

Resp. Etsi Josephus lib. de Antiq. Judaicis Jobi historiæ, ut & libri ipsius non meminerit, meminit tamen lib. cant. Appion. Ubi illum inter libros Canonicos veteris Testamenti collocat; quod sufficit, ut ipse dicatur illius meminisse. Certè constat, eundem Josephum in suo de Antiq. Jud. libro multa ad historiam sacram spectantia aut de industria omisisse, aut interpolasse, prout demonstrat Dandillius. (*i*) Et sanè, cùm Josephus in hoc Opere Gentis suæ duntaxat historiam concinnandi provinciam susceperit, ad quam hæc Jobi, utpotè extranei, & Gentilis, historia nihil conferre poterat; mirum non est, quòd de ea ibidem siluerit.

365 Ob. 2do. Liber iste videtur esse Tragicomœdia aliqua Hebræorum, hoc est, fabula partim secundùm Comœdiæ, partim secundùm Tragœdiæ leges conficta, 1mo. Quia in principio ipsius historiæ cædes filiorum, ac filiarum Jobi, quod in Tragœdiis usu venit, referuntur, in fine verò, quod Comœdiæ proprium est, felices Jobi eventus ponuntur. 2do. Quia nec de personis, nec de loco, nec de tempore, nec de auctore hujus historiæ quidquam certi haberi potest, dissidentibus inter se non minùs hebræis, quàm græcis, & latinis Scriptoribus. 3tio. In eodem libro fit mentio Concilii Angelorum, cui ipsemet Deus præfuit; colloquii Sathanæ cum Deo; variarum quæstionum Diabolo factarum à Deo, responsionum Diaboli &c. quæ omnia apertè fabulam redolent. 4to. Hujus historiæ Auctor in ipso narrationis contextu à sibi proposito argumenti scopo multum aberrare videtur; cùm enim instituisset effingere personam hominis perfecti, ac inprimis tolerantissimi, quem nec fecunda, & prospera in superbiam eveherent, nec adversa, & calamitosa in desperationem deprimerent: tamen in ipso narrationis cursu, contra instituti sui ordinem, & contra omnes patientiæ leges, patientissimum virum illum in crimen impatientiæ, & blasphemiæ, atque etiamnum desperationis sæpiùs trahit. Ergo &c.

Resp. 1mo. Hæc omnia veritatem historiæ Jobi ejusque existentiæ neutiquam infirmare posse; ut quæ omnium ætatum Auctorum, imò ipsorum sacrorum Scriptorum testimoniò tam apertè firmata sit. Unde negatur ant.

Resp. 2do. ad singula. Ad 1mum. Ex eo duntaxat eruitur, historiam hanc quidem materiam subministrare præstanti cuidam Tragicomœdiæ exhibendæ, non verò eandem esse meram fabulam.

Ad 2dum. neg. propositionem. Nam 1mo. de persona Jobi, & loco, ubi habitavit, atque universim de ipsius historia certum habemus ex ipsomet Jobi libro, & ex omnium ætatum tam sacris, quàm profanis Scriptoribus testimonium; quamvis de ætate, qua vixerit, ob veteris Chronologiæ confusionem, & obscuritatem non satis apertè constet; tamen præstantiores S. Scripturæ Interpretes, & Chronologi probabiliùs illum paulò ante egressum filiorum Israël ex Ægypto floruisse censent, atque Moysi fuisse coævum.

Ad 3tium. neg. hæc fabulam redolere. Advertendum quippe est, in historia Jobi, non omnia in sensu litterali esse accipienda, sed quædam etiamnum in sensu figurato, qualia sunt ea, quæ de Concilio Angelorum, &c. &c. ibidem memorantur: hujusmodi autem sensum sæpiùs alii Scripturæ sacræ libri usurpant, ut eos evolventi patet, nec tamen proptereà in fabularum censum venire possunt.

Ad

(*i*) D'andilli in sua gallica Operum Josephi versione.

Ad 4tum. Quæ fortè paulò duriùs à Jobo prolata in ejus libro leguntur, optimam semper patiuntur interpretationem, eaque sunt admodùm pauca, necnon doloris vi expressa, quæ, ut supra animadvertimus, nec Deus ipse probavit. Cæterùm ubique summæ patientiæ, pietatis, spei, & resignationis in Deum monumenta prodit Job; prout ipsa libri lectio declarat.

366 Ob. 3tio. Job à nobis dicitur fuisse genere Idumæus. Atqui Idumæi Ethnicorum Religioni semper addicti fuerunt usque ad tempora Joannis Hircani Judæorum Pontificis, & Regis, qui primùm circa annum mundi 3871. Judæis imperare cœpit, atque circa an. m. 3875. Idumæos devicit, necnon circumcisionem suscipere coegit. Job autem *fuit vir timens Deum*, prout ipse illius liber loquitur. Ergo &c.

Resp. neg. min. Nam Idumæi, qui ab Esau Patriarchæ Isaac primogenito originem ducunt, per certum aliquod tempus sincerum, & verum Dei cultum retinuerunt, & eo adhuc tempore, quo in Idumæa ortus est Job. Nec enim credibile est, Idumæos, qui veram Dei Religionem ab Esau acceperant, tam citò ab ea defecisse, ut sub Jobo ipsius pronepote jam idola coluerint. Idumæi ergo tunc verum Deum colebant.

367 Ob. 4to. Libri hujus c. 7. v. 20. Job dicit: *Peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum?* Et tamen cap. 27. v. 6. ait: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Atqui hæc sunt contradictoria. Ergo saltem liber iste non est divinæ auctoritatis.

Resp. neg. min. Nam cùm priori locô Job dicit: *Peccavi*, loquitur de levi aliquo peccato ante calamitatem suam commisso; at contrà quando dicit: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*, loquitur de gravibus illis peccatis sibi ab amicis suis objectis, seu de gravibus illis peccatis, quæ conscientiam stimulant &c.

Ob. 5to. Ibid. c. 40. v. 14. dicitur: *Ipse Elephas est principium viarum Dei.* Atqui Genesis c. 1. multa alia recensentur ante Elephantem, cæteraque animalia à Deo producta. Ergo &c. 368

Resp. cùm cit. c. 40. dicitur Elephas *principium viarum Dei*, id in eo sensu intelligendum non est, quasi Elephas esset prima creatura à Deo producta, sed solùm quòd sit præcipuum omnium operum, animaliumque terrestrium, tum ratione magnitudinis, tum ratione fortitudinis, tum ratione docilitatis, & quasi prudentiæ naturalis, qua & sui heri, ac rectoris linguam intelligit, & plura alia ferè incredibilia præstat. De animalibus ergo hîc loquitur duntaxat Job, atque inter illa præcipuum esse Elephantem arbitratur.

De libris Machabæorum. 369

Variæ apud sacræ Scripturæ Tractatores sunt hujus nominis *Machabæus* Etymologiæ; communiter tamen autumant, viros quosdam Judæos hoc nomine fuisse insignitos, quòd avitæ in Deum religionis indiciô in suis insignibus has quatuor hebraicas litteras inscriptas habuerint, *Mem*, *Caph*, *Beth*, *Jod*, quibus hæc sententia per compendium exprimitur: *Mi Camoca BeElohim*, *Jehova*, id est, *Quis similis tui in Diis Domine?* quod ab Exodo desumptum est (*k*): Quo etiam artificio Romani litteras *S. P. Q. R.* in insignibus suis inscribebant, quibus hæc sententia exprimebatur: *Senatus*, *Populusque*, *Romanus*.

Verùm quæcunque demum sit hujus nominis etymologia, profectò constat, nomen hoc Assamonæis, ac primùm Judæ filio Mattathiæ, cujus proavus, vel pater teste 370

(*k*) Exod. c. 12. v. 11.

teste Josepho (*l*), Assamonæus vocabatur, inditum fuisse, à quo in fratres suos Simonem, & Jonatham, qui sub finem sextæ mundi ætatis pro tuenda, & recuperanda populi Judaici libertate strenuam navarûnt operam contra Ægypti & Syriæ Reges, quibus famosi hi Judæorum Duces, divinæ legis fervore accensi, arreptis armis constanter restiterunt, bella feliciter confecerunt, hisque Regibus iterum iterumque devictis, ac profligatis, populum Judaicum in libertatem vindicarûnt.

371 Porrò nomen istud in illos omnes etiam derivatum est, qui sui in legem studii, suæque, in defendenda patria, & avita Religione servanda sub Antiocho Epiphane, virtutis præclara reliquêre monumenta. Hinc septem Fratres, qui unacum matre sua pro defensione legis martyrium sub impio Rege isto fortiter subiêre, eo nomine donati sunt.

371 Eodem quoque nomine libri illi inscribuntur, qui illorum temporum historiam complectuntur; prout & ille, in quo Ptolemæi Philopatoris in Judæos Ægyptios diu ante Antiochum Epiphanem Syriæ Regem persecutio describitur. Enimverò persecutio Ptolemæi cœpit an. m. 3787. ante Chr. 213. ant. ær. 217. Antiochi autem Epiphanis an. m. 3839. ant. Christ. 131. ante ær. 135. adeo ut inter hanc & illam quinquaginta circiter effluxerint anni.

372 Quatuor circumferuntur hujus nominis libri, ex quibus duo priores Canonici, posteriores verò duo apocryphi habentur ab Ecclesia Catholica.

Si Chronologiæ ordo servetur, tertius Machabæorum liber ante primum, primus post secundum recenseri debent.

373 Primum Hebraicâ, seu Syriacâ, aut Jerosolymitanâ linguâ, eâ nempe, quæ illis temporibus inter Judæos patrium solum incolentes jam inde à soluta captivitate Babylonica in usu erat, scriptum testatur Hieronymus (*m*); habeturque ex titulo olim huic libro præposito, quem refert Origenes his verbis (*n*): *Sarbet Sar-bane el*; nempe *sceptrum Principis filiorum Dei*, sive *rebellantium in Deum*. Machabæi enim sceptrum Domini in Israël contra Adversarios sustinuerunt.

A pluribus tamen jam sæculis Hebraicus hic textus excidit, undè illius locô græca versio pro Originali habetur, ex qua etiam latina decretô Concilii Tridentini probata versio adornata est.

Ejus Auctor latet; oportet tamen ut post Joannem Hircanum summum Sacerdotem scripserit, quippe cujus exarata monumenta laudat, & ad quæ lectorem suum remittit (*o*); unde ex iis collectus liber hic videtur. 374

Historiam 40. annorum 16. Capitibus complectitur, à regno scilicet Antiochi Epiphanis, usque ad Simonis Sacerdotis obitum, ab an. m. videlicet 3829. ante Chr. 171. usque ad an. m. 3869. ante Chr. 131. ante ær. 135. Atque varias hujus Regis persecutiones, egregiaque Machabæorum gesta recenset; fœdus ab ipsis cum Romanis initum, &c. 375

Supputationes item annorum à Mense *Nisan*, qui primus anni sacri mensis est, atque Martio nostro respondet, juxta Hebræorum morem exorditur; cùm tamen Syri seu Græci in Syria regnantes nonnisi post sex à mense Nisan menses, nempe circà Octobris initium annum auspicentur.

Secundus Machabæorum liber majoris Operis à Jasone quodam Græco de Epiphanis, & Eupatoris in Hebræos persecutione scripti, quod nostra ætate intercidit, Summa est, & epitome ab ignoto etiam græco Auctore compilata. (*p*) Unde 376

(*l*) Antiq. lib. 12. c. 8. (*m*) In Prolog. galeat. (*n*) Apud Euseb. lib. 6. Hist. cap. ult. (*o*) 1. Machab. 16. v. ult. (*p*) 2. Machab. c. 2. v. 20.

Unde non mirum, quòd, contrà quàm faciat primi Machabæorum libri Auctor, iste annorum supputationem Syrorum, seu Græcorum in Syria regnantium more circa Octobrem exordiatur.

377 Seleucidarum quoque supputationem uterque liber sequitur, nempe juxta annos Græcorum, quibus in Syria regnare cœperunt, atque non quidem ab Alexandro magno, sed à Seleuco, qui primùm post illum in Syria imperium tenuit, annos numerare incipiunt.

Duo postrema illius capita stylò planè à cæteris diversò exarata, adeò ut alium Auctorem præ se ferre videantur, gesta sub Demetrio Sotero Eupatoris successore complectuntur.

Totum opus 15. Capitibus totidem annorum historiam prosequitur, quot nimirùm à tentata per Heliodorum jussu Seleuci primi post Alexandrum Magnum Syriæ Regis expilatione sacri ærarii usque ad Nicanorem à Juda Machabæo devictum intercessêre, id est, ab an. m. 3828. ant. Chr. 162. ant. ær. 166. usque ad an. m. 3843. ant. Chr. 157. ante ær. 161.

378 Tertius Machabæorum nomine temerè inscriptus liber est, quòd nec ad Judam, & fratres ejus Machabæos, neque ad Epiphanis persecutionem spectet; quin potiùs historiam persecutionis 50. ante annis adversùs Judæos Ægyptios à Ptolemæo Philopatore Rege Ægypti motæ describit, ac prosequitur, usque ad illius finem, qui incidit in an. m. 3787. ant. Chr. 213 ante ær. 217. At Epiphanis edictum adversùs Judæos datum est primùm an. m. 3837. ante Christ. 153. ante ær. 157. Sed fortè Machabæorum nomine etiam, ut diximus, insignitus est, ob similitudinem nempè studii in legem, & avitam Religionem, quod Judæi Ægyptii non secùs ac Jerosolymitani diversis locorum, temporumque circumstantiis exhibuerunt. Tertium eum dici autumat Grotius, quòd primùm post duos priores scriptus fuerit, quamvis anteriora gesta contineat.

Quartus Machabæorum nomine insignitus liber in eo totus versatur, ut quæ in secundo cap. 6. v. 7. de Eleazari primùm, deinde de septem fratrum martyrio per compendium referuntur, proli- 379
xiùs exhibeat. Pluribus scatet erroribus, atque inter Opera Josephi Historici, cujus nomen præfert, cùm in pluribus Manuscriptis, tùm in nonnullis impressis exemplaribus, recenseri solet, quanquam ab ipsius stylo, & historia plurimùm discrepare videatur.

Hos duos posteriores Machabæorum 380
libros Ecclesia Catholica velut apocryphos rejicit, quanquam olim quidam Patres Græci tertium velut Scripturam sacram habuerint. Theodoretus (q), Pseudo-Athanasius (r), necnon Nicephorus in calce suæ Chronologiæ illum unacum prioribus duobus inter eos Scripturæ libros, quibus nonnulli refragantur, enumerant.

Duos verò priores, ut jam diximus, inter Canonicos sacræ Scripturæ libros recenset Ecclesia Catholica. Obnituntur Acatholici, eosque unacum duobus posterioribus velut apocryphos rejiciunt, contra quos proindè ponitur

CONCLUSIO. 381

Duo priores Machabæorum libri meritò ab Ecclesia Catholica inter Canonicos, & divinos recensentur.

Prob. Conclusio 1mo. ex S. Scriptura. 1mo. Quia in his libris completa exhibentur ea, quæ longè priùs à Prophetis prædicta fuerunt: ut, quod Daniel c. 9. de abominatione in Templo futura prævidit, hi libri indicant in Antiocho fuisse completum, qui abominandum idolum desolationis, nempe propriam statuam suam posuit super Altare Dei in Templo, &

(q) In Daniel. c. 11. v. 7. (r) In Synopsi.

& libros legis combussit, aliaque indigna perpetravit, quæ in præsenti historia cemmemorantur. (*s*)

Item, quod Deus per Zachariam prædixit (*t*), *visitaturum se super hircos, & ex Israële egressuros, qui exigerent, ac debellarent hircos illos in gloria magna.* Hieronymus Hebræorum non improbans sententiam in Machabæis completum exponit (*u*), qui contra hircos, hoc est, contra Antiochum, Demetrium, Gorgiam, & Nicanorem, qui per hircos à Zacharia in regno Græcorum designantur, fortiter prævaluerunt. Ergo congruum est, ut hi libri, quippè qui Prophetiarum complementa continent, eandem ac volumina illa, in quibus hæ Prophetiæ exaratæ sunt, sortiantur auctoritatem, scilicet divinam. Ejusdem enim rationis sunt Prophetia, & illius complemẽtum, & qui prioris est Auctor, etiam posterius sacro Scriptori dictasse censendus est.

2do. Joannis c. 10. v. 22. testimonium inducitur de festo Encæniorum, id est, renovationis Templi. Atqui illud desumptum est ex 1mo. & 2do. Machabæorum libris, utpote in quibus de hujus festi institutione primùm agitur. (*x*) Ergo & jam tunc libri isti ab ipso Joanne Evangelista velut sacri habiti fuerunt, imò jam priùs ab Hebræis, ut qui festum Encæniorum in illis libris institutum singulis semper annis celebrârint.

3tio. Paulus ad Hebræos scribens in hæc verba (*y*): *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem &c.* Septem fratres Machabæos illos, quorum Martyrium narratur lib. 2. Machab. c. 7. clarè videtur intellexisse, quemadmodùm gravissimi Auctores cum Theodoreto Cyrensi Episcopo tuentur: hæc enim verba nemini magis conveniunt, quàm septem illis fratribus absque ulla pœnarum remissione per omnia tormentorum genera distractis. Ergo & Paulus Apostolus libros hos divinos reputavit; ut qui ex iis veræ fidei tuendæ exempla proferat.

Prob. 2do. Conclusio ex Traditione, & 382
praxi Ecclesiæ, quæ, quamvis multi fuerint in veteri Testamento justi, singulari tamen privilegio quodam, ut ait S. Bernardus (*z*), his solis ex omnibus antiquis justis annuam solemnitatem decrevit. Atque etiam ex antiquissima consuetudine in sacris mysteriis, quæ pro mortuis aguntur, historiam Judæ Machabæi donaria pro peccatis mortuorum offerentis ex 2do. Machabæorũ libro desumptam (*a*) recitat. Ergo ex antiqua Ecclesiæ traditione & praxi hi libri pro Canonicis habentur.

Prob. 3tio. Ex Conciliis. Carthaginen- 383
si III. Can. 47. Romano 70. Episcoporum sub Gelasio I. Florentino sub Eugenio IV. ac denique Tridentino, quæ hos duos priores libros & Canonicos, & divinos esse declarant, & statuunt.

Prob. 4to. Ex SS. Patribus. Ex Inno- 384
centio I. Papa Ep. ad Exuperium, ubi eos sacris, & Canonicis libris adnumerat. Ex Origene, in c. 5. Ep. ad Rom. Ex Eusebio Cæsariensi, lib. 12. Præpar. Evang. qui ambo horum librorum auctoritate utuntur ad confutandos hæreticos. Ex S. Cypriano, lib. de exhort. Martyrii c. 11. Ex lib. 1. Ep. 3. ad Cornelium. Ex S. Greg. Nazianz. in Oratione de Machabæis. Ex S. Ambrosio, lib. 1. Offic. & lib. 2. de Jacob. c. 10. 11. & 12. Ex S. Augustino, lib. 18. de Civit. c. 36. & lib. 2. cont. Epist. Gaudentii c. 23. Ex S. Hieronymo sup. citato. Ex S. Isidoro lib. 6. etymolog. Qui omnes libros hos & divinos, & Canonicos declarant, ac tuentur.

Prob. 5to. Ratione Theologica. 1mo. 385
Quia hi libri sunt vehementer utiles, imò necessarii ad confutandas nostrorum præcipuè

(*s*) Hieronym. in c. 9. Daniel. (*t*) Zachar. 10. v. 3. 4. & 5. (*u*) In c. 24. Matth. (*x*) 1. Mach. c. 4. v. 56. & 59. 2. Machab. c. 1. v. 18. & c. 10. v. 3. 5. & 8. (*y*) Heb. 11. v. 35. (*z*) Epist. [illegible] (*a*) 2. Machab. c. 12.

cipuè temporum hæreses. 2do. Quia ad pietatem, & ad omnes virtutes plurimùm conferunt, nosque provocant ad fortitudinem, patientiam, ac spem in afflictionibus, & ad mortem, si opus fuerit, pro pietate sustinendam. 3tio. Certitudinem, & confirmationem faciunt multarum rerum, quæ in aliis sacræ Scripturæ libris leguntur. Permulta enim, prout suprà argumentô primô indicavimus, anteà à Prophetis fuerunt prædicta, quæ in his libris verissimè completa narrantur. Meritò ergo sacris Scripturæ libris ab Ecclesia adnumerantur.

386 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mum. Machabæorum librum. Hujus lib. c. 1. v. 1. dicitur Alexander Magnus primus regnasse in Græcia, cùm tamen ante illum multi fuerint in ea Regione Reges; ut Lacedæmoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Atheniensium, &c. (*b*) Ergo &c.

Resp. quòd, cùm ibidem dicitur Alexander in Græcia primus regnasse, non de regno quocunque, sed de Monarchia Græcorum in Asia sit sermo, quam primus obtinuit Alexander.

387 Ob. 2do. Ibid. v. 7. dicitur Alexander Regnum suum, dum adhuc viveret, divisisse inter familiares suos. At Cornelius Nepos hanc divisionem primùm post ejus mortem factam fuisse testatur. Ergo &c.

Resp. Alexandrum Regnum suum non divisisse in Principatus absolutos, sed Satrapias tantùm: vel sub conditione duntaxat, si nempè liberos non esset relicturus. Prævia ergo tantùm fuit hæc Alexandri divisio, non absoluta; quæ demum post ipsius mortem, atque sine liberis obitum, effectum suum est sortita.

388 Ob. 3tio. Ibid. v. 9. Hi Alexandri familiares dicuntur sibi post mortem ipsius omnes imposuisse diademata. At id longè post ipsius obitum factum fuisse idem Cornelius Nepos testatur. Ergo &c.

Resp. Quòd ibi non dicatur, quasi statim post mortem Alexandri memorati Principes sibi diademata imposuerint, sed simpliciter, *post ipsius mortem*, quod longè post ab eo tempore fieri potuit.

Ob. 4to. Ibid. v. 11. Antiochus Illustris 389 regnasse dicitur anno Græcorum Regni 137mo cùm tamen constet ex Euseb. (*c*), Antiochum I. an. 156. regnasse: tot enim effluxêre anni à primo Monarchiæ Græcorum annô, usque ad Antiochum.

Resp. Ibi non numerari annos ab Alexandro, qui primus in tota Asia, adeoque & Syria, quæ pars Asiæ est, regnavit, sed à Seleuco, qui primus duntaxat post Alexandrum in Syria regnavit, prout monet Eusebius. (*d*) Cùm enim Judæa esset pars Syriæ, Judæi à primo Syriæ Rege annos numerabant. A Seleuco autem, qui primus post Alexandrum soli Syriæ imperavit, usque ad Antioch. numerantur anni 137. quibus si addas annos novemdecim, qui sunt ab Alexandro ad Seleucum, habebuntur an. 156. Unde nec Auctor lib. 1. Mach. nec Eusebius falsum proferunt, sed tantùm varium supputationis annorum sumunt initium; hic ab Alexandro Magno, ille verò Judæorum more à Seleuco.

Ob. 5to. Ib. c. 8. v. 7. dicitur Antiochus 390 à Romanis captus, quod tamen est contrà omnium historicorum fidem. Ergo &c.

Resp. Hoc non absolutè de captivitate propriè dicta intelligendum esse, sed tantùm, quòd Romanorum jugum suscipere coactus fuerit, quod verum est.

Ob. 6to. Ib. v. 8. dicitur, quòd Romani 391 Indiam, & Mediam Eumeni tradiderint; at certum est, has provincias nec sub potestate Romanorum, nec ab Eumene gubernatas fuisse. Ergo &c.

Resp. Hîc esse errorem librariorum, ac pro *India Myndiam*, & pro *Media Mysiam* substitui debere. Sicque tollitur difficultas.

Ob. 7mo. Eodem c. 8. v. 15. memorantur 320. viri, quos quotidie Romani con- 392

(*b*) Apud Euseb. in Chron. (*c*) Loc. cit. (*d*) In Chron.

ſulebant &c. cùm tamen Romæ nunquam ultra 300. Senatores fuerint.

Reſp. 1mo. Ab aliis numerum rotundum fuiſſe obſervatum, adeoque in Vulgata noſtra locô 320. legendum eſſe 300. Reſp. 2do. Cùm 320. viri illi, quos quotidie conſuluiſſe Romani ab Auctore lib. 1. Machab. memorantur, non dicantur ab eo fuiſſe Senatores, alii præter Senatores è Magiſtratu etiam ad conſilium vocati fuiſſe dici poſſunt.

393 Ob. 8vo. Ibid. v. 16. Romaní dicuntur ſingulis annis committere uni viro Magiſtratum ſuum, & omnes uni obedire; cùm tamen certùm ſit, tùm temporis ab iis duos fuiſſe creatos Conſules. Ergo &c.

Reſp. Etſi tunc temporis duo crearentur Conſules, non ſimul tamen, ſed alternis diebus hi imperabant. Hujus rei teſtimonium facit infelix pugnæ Caunenſis exitus, cujus cauſa fuit alterius Conſulis, penes quem eo die imperium erat, temeritas. Itaque licèt duo Conſules eſſent, unus tamen tantùm imperabat, *ne videlicet*, inquit Titus Livius (*e*), *ſi duo ſimul imperarent Conſules, Regibus exactis, non remotus, ſed duplicatus terror videretur.*

394 Ob. 9no. Ibid. c. 10. v. 1. Alexander dicitur Antiochi filius, quod apertè falſum eſt. Ergo &c.

Reſp. Alexander ille, de quo hîc fit mentio, cognomento Balas, homo fuit ignotus, & incertæ ſtirpis teſte Liviô (*f*), Antiochi ſe eſſe filiùm falſô dictitans, ut ait Sulpitius Severus. Quia ergo ſe ipſum Antiochi filium dicebat, hæcque eſſet vulgi opinio, meritò illum etiam ita nuncupat Auctor lib. 1. Machab.

395 Ob. 10mo. Ib. c. 12. v. 7. Darius dicitur Lacedæmoniorum, ſeu Spartiatarum Rex; quod falſum eſt. Ergo &c.

Reſp. Hîc librariorum errorem irrepſiſſe, & pro Dario ponendum eſſe *Arium*, prout legitur c. 1. & 20. necnon alibi &c. Verùm poſt Romanam correctionem hoc loco *Darius* expunctus eſt, & ejus locô poſitus *Arius*.

Ob. 11mo. Contra 2dum Machabæorum librum. Hujus lib. c. 1. v. 16. dicitur Antiochus Illuſtris, ſeu Epiphanes, in Templo Naneæ cum multis ex ſuis membratim cæſus fuiſſe. At contrà priùs, nempe lib. 1. c. 6. v. 16. dicitur mortuus Babylone in lecto ſuo præ animi dolore. Imò eodem lib. 2. c. 9. v. 5. 7. & 28. dicitur idem Antiochus à Deo percuſſus inſanabili, & inviſibili plagâ, ac tum diro viſcerum dolore, tum quia de curru in itinere cadens gravi corporis colliſione membra ipſius vexata fuerunt, miſerabili obitu defunctus eſſe. Ergo &c. 396

Reſp. Ubique eſſe eundem Antiochum Epiphanem, ſeu Illuſtrem: potuit enim corripi viſcerum dolore, & inſuper cadere ex curru, atque ſic æger deferri Babylonem, atque ibi, addito animi mœrore ex allato rei malè à ſuis in Judæa geſtæ nuntio contabuiſſe. Et quamvis c. 1. hujus libri 2. dicatur cecidiſſe in Templo Naneæ, atque fuiſſe percuſſus, necnon multi ex ſuis membratim cæſi fuerint, non tamen ſequitur, quòd ibi membratim cæſus interierit, neque id de eo aſſerit ſacer textus, ſed de ſociis ipſius tantùm; cæſis quidem, ac membratim cæſi ipſius ſocii, ipſeque cecidiſſe dici poteſt, quòd unà cum iis, quorum multi occiſi ſunt, fuſus, fugatusque fuerit; quemadmodùm Scriptura Geneſ. 4. narrat Regem Sodomorum in prælio cecidiſſe, quem tamen paulo poſt viventem, & Abrahæ occurrentem introducit. Itaque Antiochus in eo ſenſu cecidiſſe dicitur, quoniam ipſius milites cæſi, & percuſſi fuerunt, ipſeque turpi fugâ elapſus, fortè etiam vulneratus, in ipſo itinere è curru cecidit, & paulo poſt mortuus eſt. Profectò quod dicitur hoc libro 2. c. 9. v. 1. & 2. de eodem Antiocho, quòd nempe in Perſide Templum ſpoliare volue-

(*e*) Lib. 2. (*f*) Epitom.

voluerit, ac turpiter fugatus sit, omninò convenit cum iis, quæ eiusdem libri c. 1. v. 16. de illo narrantur, quòd videlicet in Templo Naneæ ceciderit, & percussus fuerit, ac quòd multi ex ipsius militibus membratim cæsi fuerint.

397 Ob. 12mo. Ib. c. 1. v. 10. Judas scripsisse epistolam dicitur anno 188. cùm tamen priùs nempe lib. 1. c. 9. v. 3. & 8. dictus fuerit obiisse in prælio contra Bachidem annô 152. Ergo &c.

Resp. Verba hæc: *Annô centesimô octogesimô octavô*, quæ habentur lib. 2. c. 1. v. 10. non esse principium Epistolæ sequentis à Juda & sociis scriptæ, quæ ab Auctore libri 1mi prætermissa duntaxat, hîc inseritur, sed finem præcedentis, quæ scripta fuit à toto Judæorum populo duce Joanne Hircano. Id apertè indicant græci Codices, qui post adducta verba *Anno &c.* distinctionem constituunt. Et profectò id exigere videtur ipsa ratio, ut quia verba hæc posita sunt inter initium unius Epistolæ, & finem alterius, numerusque annorum potiùs in fine, quàm in principio Epistolæ alicujus poni soleat, ea verba ad præcedentem potiùs quàm subsequentem Epistolam referantur.

Alii dicunt, Judam, qui initiô Epistolæ ad Aristobulum & Judæos in Ægypto commorantes scriptæ, necnon c. 1. lib. 2. Machab. recensitæ memoratur, non esse Judam Machabæum jam antequam hæc epistola scriberetur, spatiô 36. annorum vitâ functum; sed Judam illum Essenum, quem Antigoni cædem prædixisse, neque in vaticiniis suis falli unquam solitum fuisse refert Josephus. Hac ratione difficultas momentô solvitur.

398 Ob. 13tio. Ibid. v. 19. dicuntur Israëlitæ in Persidem captivi fuisse abducti; at certum est, non in Persidem sed Babylonem abductos eos fuisse abductos. Ergo &c.

Resp. Hujus libri Auctor Persidem vocat non solùm eam Regionem, quæ propriè Persis dicitur, sed etiam alias finitimas, prout patet ex lib. 1. Machab. c. 6. v. 5. ubi nuntius, qui venit Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse ad eum in Persidem. Unde etiam S. Chrysostomus Judæos ex captivitate Persica liberatos fuisse dicit. (*g*) Persis enim tunc celeberrima erat, Chaldæa verò satis obscura.

Ob. 14to. Eodem lib. c. 2. v. 5. & 7. 399
dicitur, quòd Jeremias, dum spoliaretur & incenderetur à Chaldæis Urbs Jerusalem, & Templum ejus, absconderit Tabernaculum, & Arcam fœderis in spelunca quadam montis Nebo, & dixerit, locum illum fore occultum, donec Deus iterum congreget populum suum. At 1mo. Jeremias, antequam Urbs ista à Chaldæis caperetur, semper fuit in carcere, atque in Jerusalem penè omnibus erat invisus. (*h*) Capta autem urbe Chaldæi omnia diripuêre (*i*), nec quidquam remansisse videtur, quod Jeremias absconderet. 2do. Falsum est, quòd iterum revertentes à captivitate essent Arcam, & Tabernaculum habituri; neque enim posteà unquam habuerunt. Ergo &c.

Resp. ad 1mum quòd Nabuchodonosor ter in Judæam venerit; 1mo tempore quidem Eliacim aliàs Joachim (*k*), 2do sub Joachim Rege (*l*), & 3tio tempore Sedeciæ. (*m*) Jeremias sub Sedecia quidem semper fuit in carcere, at sub Joachim liber erat, ac in magna auctoritate; adeoque tunc potuit & Tabernaculum, & Arcam asportare; potuit & id capta jam civitate, utpotè qui apud Nabuchodonosorem multùm valebat (*n*); & certè cùm Jeremias ipse omnia enumerat, quæ ex Templo Domini Chaldæi abstulerunt, omninò de Arca & Tabernaculo silet. (*o*)

Ad

(*g*) Hom. 6. in Matth. (*h*) Jerem. c. 37. v. 38. (*i*) 4. Reg. c. ult. (*k*) 2. Paralip. c. ult. (*l*) 4. Reg. c. 24. (*m*) Ib. c. 25. (*n*) Ierem. c. 39. (*o*) Ibid. c. 52.

Ad 2dum concedimus, Judæos non ampliùs recepisse Arcam; neque enim cit. c. 2. v. 7. & 8. locutus fuisse dicitur Jeremias de illa reversione, seu congregatione populi, quæ contigit tempore Cyri; sed vel de tempore novissimo, quod proximè extremi judicii diem præcedet, ut vult Epiphanius (*p*); vel mysticè id intelligendum est, Arcam videlicet apparituram, nempe Christum in carne venturum in nova populi congregatione, ut exponit Rupertus. (*q*) Hæc omninò ita intelligi debere vel ipse textus innuit, sic enim habet. (*r*) *Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos dixit, quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit Majestas Domini &c.*

400 Ob. 15to Ib. c. 10. v. 3. dicitur Judas purgasse Templum bienniô post mortem Antiochi. At lib. 1. c. 4. v. 43. legitur, quòd Judas illud purgaverit anno 148. id est, unô annô ante obitum Antiochi, qui obiit annô 149. (*s*) Ergo &c.

Resp. cit. lib. 2. c. 10. narrari quidem, post mortem Antiochi repurgationem Templi factam esse, at non asseritur, eam factam esse post illius obitum; voluit enim Auctor absolvere ea, quæ de Antiocho dicturus erat, & tum redire ad Judam, & Templi purgationem. Cùm autem hæc post biennium facta dicitur, non significatur post biennium à morte Antiochi, sed post biennium à profanatione hujus Templi. Nam profanatum fuit Templum anno 145. ut dicitur lib. 1. c. 4. Unde rectè Eusebius in Chronico post Josephum (*t*), Templum repurgatum fuisse tertiò à profanatione annô, id est, post biennium exactum, ait.

Quidam volunt, hanc Templi repurgationem non post biennium ab ipsius profanatione factam fuisse, sed bienniô postquam Judas patri suo Matthatiæ in Principatu successerat. Nam Templum jam ante justum triennium profanatum fuisse, atque in eo à Gentibus sacrificari cœptum tuentur, cùm jam sex mensibus ante hoc triennium etiam Sancta violassent, quæ à Judæis mundata dicuntur lib. 1. c. 4. v. 43.

Ob. 16to. Ib. c. 12. v. 43. dicitur Judas pro mortuis Sacrificium offerri jussisse. Atqui præposterus est zelus iste & superstitiosus. Ergo &c. 401

Resp. Neg. min. Nam orare pro mortuis, quos in cœlo esse certum non est, pium & religiosum esse tuemur, idque suô locô demonstrabimus. Interim Adversariis hìc sufficiat auctoritas S. Augustini, qui ex adducto 2. Machab. c. 12. textu probat pium esse orare pro mortuis. (*u*)

Inst. Sed illi, pro quibus Judas orare jussit, decesserant lethali crimine obligati. Atqui pro talibus orare non licet. Ergo &c. 402

Resp. Judas piè existimavit, eos in articulo mortis dolorem de peccato suo coram Deo concepisse, & misericordiam apud Deum invenisse, quod hæc verba ibidem subjuncta significare videntur (*x*): *Quia considerabat* (Judas) *quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.*

Ob. 17mo. Hujus libri Auctor c. ult. v. 39. veniam petit erratorum. Atqui id nullus sacer Scriptor dicere potest; nisi quis dicere malit, Spiritum sanctum errori esse obnoxium; eo enim inspirante, & dictante scripserunt sacri Auctores. Ergo &c. 403

Resp. Neg. min. Ratio habetur ex dictis supra part. 1. c. 4. à pag. 28. ubi demonstravimus, quosdam sacros Scriptores, etsi quoad res ipsas, illarumque sensum à Deo fuerint inspirati, tamen quantùm ad verborum compositionem, & stylum sibi ipsis

(*p*) In vita Jerem. (*q*) Lib. de vict. verb. c. 21 (*r*) Lib 2. Machab. c. 2. v. 7. & 8. (*s*) Lib. 1. Machab. c. 16. (*t*) Lib. 12. Antiq. c. 10. (*u*) Epist ad Dulcitium. Item lib. 1. de moribus Eccles. Et lib. de curâ pro mortuis c. 1. (*x*) 2. Machab. c. 12. v. 45.

ipsis interdum fuisse relictos, prout sibi ipsi hoc sensu & ratione relictus fuit Auctor libri hujus; ergo quantùm spectat ad verborum compositionem, & orationis suæ stylum veniam rogat, si quid minùs concinnè locutus fuit; non verò quantùm ad sententias, seu res, ipsarumque sensum, quæ omnia ex Spiritûs S. speciali assistentia, & inspiratione exaravit.

404 Ob. 18vo. Hi duo priores Machabæorum libri in Canone Hebræorum desiderantur. Ergo nec nos in Canonem Scripturarum sacrarum illos referre possumus, aut debemus.

Resp. neg. conf. Huic objectioni jam alibi passim, ubi nobis sermo fuit de sacræ Scripturæ libris illis, quos Adversarii è Canone excludendos esse arbitrantur, satisfecimus. Cùm hi duo libri tunc primùm scripti fuerint, ubi Hebræorum Canon jam diu antè clausus fuerat, mirum non est, quòd in eum relati non fuerint; quo etiam factum, ut Veteres quidam, qui sacrorum librorum Canonem ad normam Canonis Hebræorum duxerunt, illos etiam omiserint; quin tamen inde sequatur, quasi illos tanquam sacros non habuerint, præsertim cùm apud cæteros veteres Patres veluti sacri, & divini haberentur. Et profectò Judæi ipsi, quanquam ex allata ratione Canoni ipsorum adscripti non essent, illos tanquam sacros legerunt, &c.

405 CAPUT III.

De libris Sapientialibus veteris Testamenti.

Libri Sapientales, seu Morales veteris Testamenti, prout suprà part. 1. c. 1. dictum, quinque numerantur: scilicet Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, & Ecclesiasticus. De quibus singulis breviter agendum.

De libro Proverbiorum. 406

Proverbiorum nomen apud Hebræos parabolæ, similitudines, sententiæ morales, axiomata, comparationes, ænigmata, poëticô stylô, brevi, figuratô, & gravi proposita censentur.

Liber, qui in sacra Sriptura eo nomine venit, cujuscunque conditionis hominibus instituendis regulas aptissimas præscribit; Regibus scilicet, Aulicis, rebus gerendis implicitis viris, Heris, servis, parentibus, & filiis. Dignus proinde, qui ab omnibus diligenter, & frequenter evolvatur. Triginta & unum sunt illius capita.

An solum Salomonem habuerit Auctorem aliqui dubitarûnt, ut Grotius, sed contra omnium Patrum sententiam. Fatendum tamen, varium stylum, variamque methodum in hoc Opere reperiri: Novem enim priora illius capita, quorum fronti inscriptus legitur hic titulus, *Parabola Salomonis*, continenti stylô descripta, totius libri præfationem constituunt. Caput 10mum novô titulô instituitur, sed etiam sub Salomonis nomine, cujus & subsequentium capitum usque ad 24. v. 22. etiam alius est stylus brevioribus sententiis vix mutuò cohærentibus, & per antitheses ferè dispositis intercisus. Novus inde titulus: *Hæc quoque sapientibus*, id est, *En alias sapientum sententias*, novusque stylus concisus, & gravis. Iterum initiô capitis 25. hæc habentur: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda.* Rursùs initiô cap. 30. *Verba Agur filii Jake*, prout habet texus hebraicus, quod latinus Interpres vertit: *Verba congregantis filii vomentis.* Tandem cap. 31. omnium postremus inscribitur titulus: *Verba Lamuelis Regis*; quod ita ex hebraico latinè reddi potest: *Verba ejus, qui Dei est, vel qui à Deo possidetur.* Videtur idem esse Salomon, idque nomen illi à matre inditum, ut illum Deo à se dicatum significaret.

Ex his omnibus non obscurè tenemus, huic Operi, quale nunc extat, adornando

407 (margin, beside "An solum Salomonem habuerit Aucto-")

variis collectis Salomonis parabolis plures Scriptores operam contulisse. Ex quo tamen nulla ratione inferri potest, Salomonis Opus non esse. Cùm enim Princeps iste divino Spiritu sapiens 3000. parabolarum dictasse dicatur (y), fieri utique potuit, ut ex illis quædam excerptæ fuerint à nonnullis, putà ab Ezechia (z), ab Agur, (nisi nomen istud symbolicè ipsum Salomonem denotet) ab Isaia, ab Esdra, &c. atque ita excerptæ librum tandem conficerent. Nullibi sanè liber iste, prout nunc extat, à Salomone scriptus fuisse proditur, titulusque *Parabolæ Salomonis* Auctorem potiùs, seu prolatorem, quàm Collectorem indicat.

Vulgò docent Rabbini (a), Regem Ezechiam, ut populum Salomonis Operibus, iis maximè, quæ de plantis, & fetis naturæ scripsit, abutentem averteret, pluribus illius suppressis scriptionibus, eas tantùm reliquisse, atque litteris commendasse, aut commendari curasse, quæ adhuc supersunt.

408 Hic Proverbiorum liber velut Canonicus ab omnibus semper habitus est, si ex Veteribus Theodorum Mopsuestenum excipias. (b) Ex recentioribus verò Auctorem Epistolæ insertæ collectioni de placitis quorumdam Hollandiæ Theologorum, qui Salomonem humanô fretum ingeniô Opus istud dictasse autumat. At horum duorum duntaxat auctoritas tanta apud nos esse non debet, ut ejus gratiâ omnium aliorum Auctorum & Ecclesiarum sententiam deferere possimus, vel audeamus.

409 Unicum hîc objicitur. C. 26. v. 4. dicitur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Et v. 5. immediatè sequenti contrà dicitur: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Atqui hæc sunt apertè contradictoria. Ergo &c.

Resp. Docent quidem hi duo textus stulto respondendum esse, & non respondendum, sed non in eodem sensu, iisdemque circumstantiis; prior enim sic intelligendus est, ut doceat, non imprudenter respondendum esse stulto, verbis scilicet reciprocis, hoc est, spurca, & probrosa ab illo prolata verba in ipsum regerendo; quia id frustra fieret, idque esset eum imitari eique similem fieri. Posterior verò docet, stulto interdum tamen esse respondendum, maximè quando ejus stultitia vergit in Dei offensam, non quidem verbis, sed locô verborum reponendo verbera, puniendo scilicet, & corrigendo eum, non zelô vindictæ, sed justitiæ, vel charitatis; ne si fortè impunitus abeat, deterior, & petulantior evadat.

De libro Ecclesiastis. 410

Liber hic in Hebræo inscribitur *Cobeleth*, fœmini generis nomen, significans illam, quæ publicè verba facit, seu quæ cœtum indicit. A Græcis, & Latinis neglecto fœminino genere *Ecclesiastes*, id est, *Concionator* dictus est.

Duodecim capitibus liber absolvitur, 411 quibus ea argumenta, quæ postmodùm Saducæi, & Epicurei protulerunt, per antecessum sedulò proponuntur, & dissolvuntur. Rerum hujus mundi vanitas, humanorum negotiorum futilitas, atque scientiarum incertitudo detegitur. Objectionum adversùs animæ immortalitatem vis exponitur, ac diluitur. Demum disputationem suam hisce claudit Auctor: *finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus observa.* Hæc quippe est munerum hominis summa, & unica ad felicitatem via.

Salomoni etiam Opus istud tribuitur; 412 nec immeritò, se ipsum quippe statim libri initiô prodere videtur his verbis (c): *Verba Cobeleth*, seu *Ecclesiastæ filii David Regis Israël.* Deinde ibid. v. 12. ait se fuisse Regem in Israël, & v. 16. se omnium prædecesso-

(y) 3. Reg. c. 4. v. 32. (z) Prov. 25. (a) Apud Calmet dict. Bibl. Verb. *Proverbia.* (b) Conc. Constantinop. IV. Collat. 4. Art. 63. (c) C. 1. v. 1.

decessorum suorum, qui Jerosolymæ regnarunt, sapientissimum ac felicissimum fuisse. C. 2. v. 4. &c. Opera sua, divitias, & delicias suas commemorat. tum c. 12. v. 9. Parabolas quas composuit &c. Quæ omnia nonnisi Salomoni ipsi convenire possunt.

Nonnulli tamen viri eruditi Opus istud Salomoni abjudicarûnt. Grotius (*d*) diu post Salomonem concinnatum putat à Zorobabele, cùm in gratiam filii sui Abiud, tùm ut æternum pœnitentiæ Salomonis monumentum extaret.

413 Auctor placitorum quorumdam Hollandiæ Theologorum autumat, librum istum esse Dialogum inter virum Religiosum, & impium Saducæum: (*e*) In eo siquidem plura invicem repugnantia, quæ uni eidemque personæ convenire non possint, sibi visus est animadvertisse.

Verùm nec de Zorobabele ulla est probabilis conjectura, nec Dialogi alicujus vestigium quoddam in hoc libro deprehendimus; repugnantes quippe inter se se propositiones, & sententiæ ejusdem sunt Salomonis, qui de rebus in utramque partem disputat, atque Saducæorum argumenta dissolvit.

414 Verùm objici potest, quòd c. 2. v. 8. de se ipso dicat Auctor: *Ego os Regis observo.* quod de se Salomon proferre non potuit, quippe qui ipsemet Rex fuit, nec ullum Regem observandum habuit. Ergo non videtur liber iste esse Salomonis Opus.

Respondet S. Hieronymus, hic non alium Regem, quàm Deum ipsum significari.

Sed dicimus nos, sententiam hanc in Vulgata nostra esse mendosam, legendumque esse, *Os Regis observa*, in imperativo, prout legunt Septuaginta Interpretes, Targum, textus Syrus, & Arabs.

Dum hæc scriberet Salomon resipuisse jam, atque pristinos errores suos, rerumque terrenarum fucum, labente jam ætate, in eo libro deflevisse, S. Hieronymus, plurimique Commentatores cum Judæis asserunt; ejusdemque resipiscentiæ non obscura indicia in ipso opere exhiberi: fatetur enim, se nihil eorum, quæ sensibus adblandiuntur, inexpertum reliquisse, nihil tamen unquam invenisse, in quo non fucus magis, quàm veritas inesset. Hæ tamen rationes tanti roboris non sunt, ut Salomonis salutem extra omnem controversiam ponant; qua de re adhuc in utramque partem disceptatur. 415

Qui Scripturarum Canonem post captivitatem Babylonicam confecerunt, testantibus Rabbinis, & S. Hieronymo, diu multumque de Ecclesiaste hæsitarûnt, num in illum esset referendus. Res enim plena periculi videbatur, si legendus liber traderetur, in quo plures periculosæ sententiæ, phrasesque de animæ immortalitate scrupulum injicientes occurrunt. Cùm igitur ea de re deliberarent, tandem animadversis iis, quæ de timore Dei, atque legis custodia Auctor in eo differit (*f*), ad illum probandum inclinarûnt: ad quam sententiam Judæi omnes & Christiani accessêre, uno tamen excepto Theodoro Mopsuesteno (*g*), qui Salomonem nullo Dei Spiritu afflatum hæc scripsisse ausus est asserere. 416

Fuêre etiam Hæretici apud Philastrium (*h*), qui idem Opus velut Epicureis (*i*) favens rejiciebant, qui ob id ab Ecclesia damnati fuerunt. 417

Ob. Ecclesiastis c. 3. v. 19. dicitur: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter*

spirant

(*d*) Præfat. in Ecclef. & c. 12. v. 11 & 12. (*e*) Saducæi à Sadoc Magistro suo, qui in sexta mundi ætate circa annum mundi 3740. ante Christ. 260. ante æram 264 vixit, sic dicti, eam apud Hebræos Sectam constituerunt, ut negarent animæ immortalitatem, & nihil proinde præmii, aut pœnæ in altera vita esse expectandum, ut quæ nulla sit &c. (*f*) C. 12. (*g*) Conc. Const. V. Act. 4. (*h*) In Catalog. Hær. c. 131 (*i*) Epicurei ab Epicuro Philosopho sic dicti, summam beatitudinem in corporis voluptatibus collocasse dicuntur.

ſpirant omnia, *& nihil habet homo jumentô ampliùs.... Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſursùm, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorsùm?* Et tamen ibid. c. 12. v. 7. dicitur: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Reſp. Scripturam in priori textu loqui in perſona, & ſententia hominum impiorum, qui putant, non aliam poſt mortem ſupereſſe vitam, morique homines ſicut bruta etiam quoad animam. In poſteriori verò loqui in perſona, atque ſententia hominum verè fidelium, pieque ac verè de animæ immortalitate, & de altera poſt mortem futura vita ſentientium, ſicque perfectè conciliantur hi duo textus. Et eadem ratione reſpondetur ad hujusmodi contrarios textus frequenter in libro hoc occurrentes. Nam plerumque in eo primùm impiorum hominum argumenta proponuntur, quæ poſteà gravi & conciſa oratione ſolvuntur.

418 *De libro Canticorum.*

Ex 5000. Canticis, quæ Salomon dictaſſe dicitur (*k*), ſolùm ſupereſt liber *Cantici Canticorum*, ſic per excellentiam nuncupatus, Hebræis *Schir Aſchirim* dictus, id eſt, *Excellentiſſimum Canticum.*

Compoſitum à Salomone creditur, in ſuis cum filia Regis Ægypti nuptiis. Eſt enim, ait Origenes (*l*), Epitalamium, ſeu nuptiale carmen in modum dramatis conſcriptum. Octo ſunt illius capita, in quibus ſeptem dierum, & totidem noctium fit mentio, quod ex more Hebræorum nuptias per ſeptem dies celebrandi deſumptum eſt. (*m*)

Ea, quæ his ſeptem nuptiarum diebus 419
contigerunt, ſtylò adeò florenti, & ab hiſtorico ita diſcrepante conſcripta ſunt, ut Hebræi, veriti, ne nimis ad litteram intelligerentur, libri hujus lectionem ante annum ætatis trigeſimum prohibuerint (*n*); quod & Chriſtiani ſervarûnt, inter quos plerique haud contemnendi nominis Expoſitores exiſtimarûnt, explanationem illius in juventute etiamnum non eſſe attingendam, ſed in ſolatium Chriſtianæ ſenectutis, ac ſanctæ migrationis viaticum reſervandam, exemplô ſanctorum virorum Bernardi Clarevallenſis, Gilberti Hollandi, Thomæ Aquinatis, & Gerſonii, quibus in meditatione, & expoſitione hujus operis mortalitatem feliciter exuere contigit. (*o*) Certè hominibus carnalia tantùm ſapientibus liber iſte nocumento eſſe poteſt, ut quibus de contemnendis ſacræ Scripturæ libris, ne quid ampliùs dicamus, cogitationem injicere poſſit.

Non ergo ad litteram, ſeu carnem, 420
& ſanguinem, ſed ſecundùm Spiritum hujus Libri myſteria ſunt rimanda. Id ipſa illius verba demonſtrant, quæ ſe juxta litteram exponi non patiuntur; ſimilitudines enim, quibus adamatam ſponſam illam deſcribunt, ſecundùm exteriorem vocis ſonum intellectæ, magis eam deformant ac deturpant, quàm illuſtrent, & exornent. Quid enim ineptiùs dici aut fingi poteſt, quàm quæ hic de Sponſa referuntur? videlicet, quòd habeat amplum caput inſtar montis Carmeli; oculos ſimiles piſcinis magnis, quæ ſunt in Eſebon; naſum magnitudine ſua præ ſe ferentem turrim, quæ reſpicit contra Damaſcum; dentes ſicut greges ovium; collum ſicut arcem Sion, ex qua mille pendent clypei; manus tanquam

(*k*) 3. Reg. c. 4. v. 32. (*l*) Comment. in Cant. Cant. (*m*) Geneſ. 29. v. 22. Judic. 14. v. 12. 15. & 17. Tob. 8 v. 23. (*n*) Origen. & Theodoret. in Cant. Hieronym Præfat in Ezech el (*o*) *R. P. Germanus Cartier hujas Profeſſor an. ætatis ſuæ 52. opus iſtud per modum meditationum ſatis feliciter expoſuit. Extant adhuc MSS.*

quam sphæras aureas; crura sicut columnas marmoreas supra bases aureas erectas; quòd sit decora sicut Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata; &c. Quæ omnia nimis rudia, agrestia, & incondita sunt, quàm ut de filia Regis Ægypti, vel Sulamite intelligi possint, aut debeant.

421 Oportet igitur, si Salomonem omnium hominum sapientissimum, ut par est, ineptiæ notâ liberare velimus, verba Cantici hujus à carnali ad spiritualem, ad mysticum sensum, & intelligentiam revocare, ac in eo castas mystici Sponsi Christi ac Sponsæ ejus Ecclesiæ, vel animæ nuptias à Salomone, Deo inspirante, hoc volumine, velut Epitalamiô, adumbratas, & decantatas intelligere. *Epitalamium libellus iste videtur*, inquit Origenes (*p*), *à Salomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis Sponsæ, & erga Sponsum suum, qui est sermo Dei cælesti amore flagrantis. Adamavit enim eum, sive anima, quæ ad ejus imaginem facta est, sive Ecclesia. Sed & magnificus hic ipse, atque perfectus Sponsus, quibus verbis usus sit ad conjunctam sibi animam, vel Ecclesiam, hæc ipsa Scriptura nos docet. Sodales quoque Sponsæ adolescentulæ cum ipsa Sponsa positæ, quæ dixerint, quæque etiam amici ac Sodales Sponsi ex eodem libro, qui Canticum Canticorum adtitulatur cognoscimus.* Hæc Origenes; ex quibus evidentissimum est, per unicam Salomonis amicam, Sponsam, & columbam, significari Ecclesiam, quæ Christi Sponsa est; & per Reginas, & concubinas, sanctas animas Christo per charitatem conjunctas, sicut per Salomonem, hoc est, *pacificum* (sic enim nomen istud interpretatur) Christus verè pacificus designatur.

422 Ut ergo verum hujus libri sensum, & mysteria assequamur, non ad carnem, & sanguinem, ut jam diximus, sed ad Christi cum humana natura, cum Ecclesia, & cum anima Justi nuptias spirituales omnia sunt referenda; hac veluti clavi ea, quæ in hoc libro dicta videntur de nuptiis humanis, de supernaturali, & divino connubio dicta esse intelligemus.

Librum hunc cùm Synagoga, tùm 423
Ecclesia inter Canonicos sacræ Scripturæ Codices semper habuêre. Ex antiquis solus Theodorus Mopsuestenus, & fortè quidam Anonymi apud Philastrium illum rejecerunt. Nonnulli ex Rabbinis de ejus inspiratione divina dubitare visi sunt; Anabaptistæ verò tanquam perniciosum librum eum repudiant, quos sequi videtur Castalio, dum ait (*q*), Canticum istud esse colloquium Salomonis cum amica sua quadam Sulamite, ad cujus porrò Aulicas fœminas Salomon etiam interdùm sermonem dirigit, & ipsæ quoque vicissim ad illum, & illam. Lutherus verò paulò mitiùs de eo loquitur, ait enim (*r*), Libellum hunc esse familiare colloquium Salomonem inter & Rempublicam Judæorum invitantem Salomonem dilectum suum ad regnandum super eam.

Sed his omnibus prævalere debet Ecclesiæ, & Synagogæ auctoritas pro spirituali & mystico illius sensu, & inspiratione divina testimonium unanime ferentium.

Ob. quidem 1mo. Liber hic nihil di- 424
vinum præ se fert, sed est obscœna impudici amoris cantilena, seu garritus conjugum inter se, seu inter Salomonem, & filiam Regis Ægypti, quam uxorem duxerat. Ergo nullo pacto inter Divinos, & Canonicos libros recenseri potest, aut debet; quin potiùs ab illius libri lectione omnes arceantur, necesse est, ne inter legendum illum ad amorem profanum alliciantur.

T 3 Resp.

(*p*) In Cant. Cant. (*q*) In annot. ad hunc lib. (*r*) In annot. ad Cant. Cant.

Resp. neg. ant. Primùm exposuimus, quonam sensu sententiæ & verba libri hujus etiamnum ab ipso Salomone fuerint intellecta, non carnali videlicet, sed spirituali. Secùs enim nec Synagoga, omnesque Judæi, nec ipsa Ecclesia, omnesque sancti Patres, & sacræ Scripturæ Interpretes illum tanquam divino afflatu conscriptum, & canonicum suspexissent. Canticum ergo istud non est colloquium Salomonis cum filia Pharaonis aut Sulamite aliqua, sed Christi, quod vel cum Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, quamque sibi, media Incarnatione sua, desponsavit; vel cum anima, quam per fidem sibi copulatam imbuit sanctitatis doctrinâ, & vitæ spiritualis perfectione, per Metaphoras, similitudines, & parabolas instituit.

425 Ob. 2do. Librum hunc nec Christus, nec Apostoli unquam laudarûnt; nec etiam in eo vel semel tantùm fit de Deo mentio. Ergo nec divinus est censendus.

Resp. neg. conf. Multi sunt alii sacræ Scripturæ libri, quos nec Christus, nec Apostoli laudarûnt, qui nihilominùs sacri sunt & divini. Quòd autem in eo nulla fiat de Deo mentio, in causa est, quia ipsemet Dei filius sub Sponsi allegoria in eo inducitur; debuit proinde juxtà allegoriæ leges ejus nomen sileri, & Sponsus induci. Certè etiam in libro Esther nulla fit de Deo mentio; illum tamen velut Spiritûs sancti Opus omnes cùm Judæi, tùm Christiani venerantur.

426 *De libro Sapientiæ.*

Liber Sapientiæ, seu juxta Græcos, *Sapientia Salomonis*, apud quosdam veteres *Panaretos*, id est, collectio omnis virtutis, sive institutionis ad virtutem dictus est.

Novemdecim sunt illius Capita, in quibus Auctor Regibus, Principibus, & Judicibus instituendis potissimùm versatur: illos enim alloquens cap. 6. omnes suas sententias ad hunc scopum dirigit. Vias ad veram Sapientiam indicat, easque planiores, & minùs arduas esse, quàm vulgi ferat opinio, demonstrat. Judiciorum Dei metu iniquos urget, qui etiam visô justorum in altera vita præmiô miserè invidiâ discrutiabuntur. Sapientiæ autem inter homines commoda, & utilitates exaggerat; tùm hujus hominum Sapientiæ virtutem, sicut & æternam Sapientiam præclaris elogiis prosequitur. Nullus quoque in S. Scriptura liber invenitur, in quo Numinis supremi idea magnificentiùs exprimatur.

Græcum, quem habemus, hujus libri textum, & ex quo latina Versio prodiit, ex Hebraico archetypo vel conversum, vel collectum vult Huetius (*s*), quòd in eo Hebraismi occurrant. Carmine illum fuisse adstrictum, perinde ac reliquos Salomonis libros, & Jobum, necnon Psalmos, nonnulli è Veteribus memoriæ prodiderunt. 427

Ab aliis tamen Originalis ejus textus Græcus creditur; neque enim, contrà quàm sentiat Huetius, Hebraismos, aut barbarismos ullos in eo deprehendi ajunt. Profectò illius Scriptor cultissimô stylô utitur, nec tantùm à limine Platonis & græcorum Poëtarum Opera salutasse videtur, cùm ex eisdem Poëtis phrases sæpè mutuari eum non obscurè appareat, ut quando *Ambrosiam*, quod Vulgata *bonam escam* vertit (*t*), *amnem oblivionis* (*u*), *Regnum Plutonis*, sive *Adoci*, quod Vulgata *Regnum inferorum* interpretatur (*x*), & alia plura commemorat. Epithetis autem refertus, rotundus quidem, tumensque, sed turbidus ac poeticus fluit. Judæis Auctoribus etiam ignotus

(*s*) Præpol. 4. de lib. Sapient n. 2. (*t*) C. 19. v. 20. (*u*) C. 7. v. 13. (*x*) C. [illegible]

ignotus non fuit; ex illo quippe non semel adducunt testimonia, ex Græco textu tamen semper deprompta.

428 Latina hujus libri Versio non est S. Hieronymi, quod ipsemet fatetur (*y*), sed ex vulgata veteris Ecclesiæ Scriptura juxta Græcum ante Hieronymum adornata superest. Hujus latinæ Versionis vetustissimus Auctor textui constanter adhæret, qui licet aureis latinæ linguæ temporibus floruerit, vocibus tamen minùs selectis quandoque utitur; v. 9. pro *divitiis* habet *honestatem; pro locuplete honestum;* Dei in impios adnimadversionem designat nomine *respectûs*, *visitationis;* Gloriolæ fucus, & jactantia, *supervacuitas* ab ipso dicitur; animalia noxia, & perniciosa vocat ***animalia supervacua.***

429 Quis autem libri istius Auctor sit inter eruditos lis est. S. Hieronymus ait (*z*), nonnullos veteres Scriptores librum hunc Philoni Judæo tribuisse. Tres porrò fuêre Philones, quorum apud Scriptores frequentior fit mentio. Primus sub Ptolemæo Philadelpho floruisse dicitur, vel potiùs fingitur, de quo tamen apud Veteres nihil. Alter, Philo Biblicus, hic fuit Ethnicus, eumque Josephus, & Eusebius laudant: Tertius denique fuit Philo Judæus, qui sub Cajo Imperatore, Christi Sæculô 1mô floruit.

Sed neque primus, utpotè facilè suppostitius, & de quo, ut dictum, nihil apud Veteres; neque secundus, utpotè Religione Ethnicus; sed & nec tertius, licèt omnium notissimus, libri Sapientiæ Auctor constitui potest; cùm inter sacros Scriptores nunquam reputatus fuerit; quippe qui à vera Religione alienus fuerit, nempe Christiana, quæ illius ætate jam latè diffusa erat, atque etiamnum ab ipso laudata fuit; nec liber iste hujus Philonis stylum referat; neque ullus sive ante, sive post S. Hieronymum Scriptor, neque ipse Hieronymus hunc Philonem libri Sapientiæ Auctorem esse prodat.

Grotius Judæo Scriptori vernaculo sermone scribenti post Esdram, & ante summum Pontificem Simonem, qui in sexta mundi ætate circa an. m. 3785. floruit, hunc librum adscribit; hinc eum Ecclesiastici Librum ordine præcedere ait; necnon ejusdem Operis versionem adornatam fuisse ab Auctore quodam Christiano græcis Litteris excultissimo, qui sanè in eo vertendo quandoque latiùs sit exspatiatus, nec originalem litteram semper secutus fuerit; quin & nonnulla è medio fidei Christianæ deprompta adjecerit, eaque deduxerit, quæ ad Judicium generale, Justorum felicitatem, impiorum pœnas apertiùs, quàm in cæteris veteribus Hebræorum libris, spectant. Hæc Grotius, qui tamen suæ opinionis argumenta, rationesve ullas haud affert, ut proinde ipsius solius testimoniô in singulari hujusmodi sententia standum esse non videatur. 430

Plerique librum istum à Salomone Hebraicè primùm scriptum fuisse tuentur, ex quo Versio græca adornata, intercidente interim Originali textu, manserit; idque multa suadere ajunt, 1mo. Ipse libri titulus, qui in Græca, Syriaca, & Arabica interpretatione Salomonis nomen præfert, his verbis: *Sapientia Salomonis.* 2do. Magna Christianorum Scriptorũ pars, inter quos facilè præcipui sunt Irenæus, Egesippus, apud Eusebium lib. 4. Hist. c. 22. Tertullianus, de Præscript. Cyprianus, de Mortalit. Hilarius, in Psal. 127. Ambrosius, Serm. 8. in. Psal. Basilius, lib. 5. cont. Eunom. Epiphanius, Hæres. Amonæor. &c. necnon aliquot Rabbini, qui hujus libri Auctorem Salomonem appellant. 3tio. Quòd apertis verbis Salomon ipse se hujus libri Auctorem esse prodat 431

(*y*) Præfat. in libros Salom. (*z*) In Prolog. galeat.

prodat his verbis (*a*): *Tu elegisti me Regem populo tuo, & Judicem filiorum tuorum, & filiarum, & dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ Altare, similitudinem Tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.* Et iterum (*b*): *Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ: timebunt me audientes Reges horrendi.* Tum (*c*): *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Deinde (*d*): *Adii Dominum, & deprecatus sum illum..... Deus Patrum meorum..... Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Denique (*e*), *Disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium Patris mei.* Quæ omnia Salomoni, & nulli alii conveniunt; & sanè Opus istud sapientissimo Principe, qualis utique fuit Salomon, non indignum est.

432 Hæc sententia nobis probabilior videtur; eam tamen sic limitari posse arbitramur, ut *Sapientiæ Salomonis* liber iste, prout nunc extat, à quodam Scriptore Spiritu Dei afflato, putà ab Esdra, vel alio aliquo ex variis Salomonis sententiis hàc illácque forsitan dispersis collectus, conflatus, ac compilatus fuisse dicatur.

Illum extra sacrarum Scripturarum Canonem esse volunt Acatholici, vanis quibusdam, & futilibus ad id inducti rationibus, contra quos proinde ponitur

433 CONCLUSIO.

Liber Sapientiæ meritò ab Ecclesia inter Canonicos, & divinos sacræ Scripturæ libros recensetur.

Probatur Conclusio 1mo. Auctoritate S. Scripturæ. Et quidem sanctitatem suam liber hic ipsemet prodit, quippe qui nonnisi sacra, & divina, atque ad Deum, necnon æternam felicitatem ducentia tractet; prout suprà declaravimus. Insuper apertum de Christi Passione vaticinium continet his verbis in Judæorum persona prolatis (*f*): *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit, se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat.... Videamus ergo, si sermones illius veri sunt, & tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus, quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ, & tormentô interrogemus eum..... Morte turpissima condemnemus eum.* Quæ omnia impleta & à Judæis in Christum perpetrata fuisse narrant Evangelistæ, præsertim Matthæus. (*g*)

Adde, quòd sacri Scriptores Salomone posteriores ex hoc libro varias sententias in suos transtulerint: ut illud Isaiæ 56. v. 4. ex Sap. 2. v. 6. Ibid. cap. 40. v. 13. ex Sap. 9. v. 13. Non aliter etiam idolorum fabricationem & cultum derident Isaias c. 44. v. 13. & seq. & Jeremias c. 10. v. 3. ac derisum viderant Sap. c. 13. v. 10. & seq. item c. 14. v. 11. Illud Tobiæ 13. v. 1. & 2. ex Sap. 16. v. 13. Illud Ecclesiastici cap. 17. v. 1. ex Sap. 2. v. 23.

Et ut etiam ad sacros novi Testamenti Scriptores transeamus; Illud Matth. 13. v. 43. ex Sap. 3. v. 7. Illud 1. Cor. 6. v. 2. ex Sap. 3. v. 8. mutuatus est Paulus, ut & illud Heb. 11. v. 5. ex Sap. 4. v. 10. Illud autem Ephes. 6. v. 17. ex Sap. 5. v. 19. Illud quoque, ut cætera quamplurima omittamus, Rom. 9. v. 21. ex Sap. 15. v. 7. Atqui liber, qui sancta, & divina, qui vaticinia, & prophetias eventu suo comprobatas continet, & denique ex quo alii Scriptores sacri sententias suas mutuarunt, & transcripserunt, meritò

(*a*) C. 9. v. 7. & 8 (*b*) C. 8. v. 14. & 15. (*c*) C. 8. v. 19. (*d*) Ibid. v. 21. & c. 9. v. 1. & 4. (*e*) C. 9. v. 12. (*f*) C. 2. v. 12 & seq. (*g*) C. 27.

meritò sacer, & inspiratus, adeoque Canonicus reputatur. Ergo liber Sapientiæ ut talis meritò censetur.

434 Prob. 2do. Auctoritate, & Traditione Ecclesiæ, & veterum Patrum. 1mo. Auctor Epistolæ, quæ Barnabæ Apostolo tribuitur, hanc è libro Sapientiæ c. 2. v. 12. affert sententiam, *Væ animæ iniquorum, qui dicunt inter se: circumveniamus justum, quia insuavis est nobis.* 2do. Clemens Papa I. Ep. ad Corinth. hæc ex libro Sapientiæ c. 11. v. 22. deprompta scribit: *Quis dicet, quid fecisti? aut quis resistet robori potentiæ ipsius?* In Constitutionibus quoque Apostolorum, ejusdem Clementis nomine inscriptis, lib. 6. c. 30. hæc sententia ex libro Sapientiæ c. 3. v. 1. exscripta legitur: *Justorum animæ in manu Dei.* 3tio. S. Dionysius, vulgò Areopagita dictus, lib. de divin. nomin. 1. part. c. 4. ex libro Sapientiæ testimonium profert dicens: in primis Scripturarum sacrarum institutionibus, quemdam de Divina Sapientia dixisse copiosiùs: *Amator factus sum formæ illius.* (*b*) 4to. *Egesippus, & Irenæus, & omnis antiquorum chorus librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt*, inquit Eusebius, lib. 4. Hist. c. 22. 5to. Epiphanius lib. de pond. & mensur. librum Sapientiæ, *Panareton*, ab omni virtute, quæ in eo continetur, appellatum Salomoni tribuit, atque inter sacros & divinos libros recenset. 6to. S. Joannes Damascenus, librum istum omni virtutum doctrinâ refertum esse ait, lib. 4. c. 8. Et lib. 4. de Fide, illum virtuosum, & bonum esse, atque inter fideles maximæ auctoritatis haberi, asserit. 7mo. S. Ambrosius illum etiam Salomoni tribuit, lib. 4. de difficil. quæst. 8vo. S. Augustinus lib. 2. Retract. c. 4 & lib. 2. de Doct. Christ. ait, librum Sapientiæ inter libros Propheticos esse numerandum. Et lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 14. asserit, *egregios tractatores Apostolorum temporibus proximos, qui librum hunc testem adhibuerunt, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium credidisse, illius proindè non debere repudiari sententiam, ut qui meruit in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos Laicos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.* 9no. Melito Asianus, Ep. ad Onesim. Eum in Catalogo sacrarum Scripturarum collocat. 10mo. S. Cyprianus illum divinam Scripturam nuncupat, lib. de habit. Virg. 11mo. Idem præstat Cyrillus, lib. 2. in Julian. ultra medium. 12mo. Innocentius I. Ep. ad Exuperium librum istum sacris & Canonicis Scripturæ libris adnumerat. 13tio. Concilia Sardicense, Epist. ad omnes Episcopos (*i*), ex c. 7. hujus libri probat filium Dei esse rerum omnium effectorem. Toletanum II. p. 1. Carthaginense III. Concilium Magnum Lateranense. Concilium Romanum sub Gelasio I. Papa, in Catalogo sacror. libror. Florentinum sub Eugenio IV. Et denique Tridentinum, librum hunc in Canonem sacrarũ Scripturarum referunt. Ipsa quoque Ecclesia Catholica quotannis feriâ 4tâ. Pentecostes in sacrosanctis mysteriis primam hujus libri Sententiam decantat, dicens: *Dixit Salomon filiis suis: diligite justitiam, qui judicatis terram.*

Cùm igitur & Salomoni ab his omnibus ipsaque Ecclesia tribuatur, atque inter sacros, & Canonicos Scripturæ libros recenseatur, immeritò, & sine ratione ulla ab Acatholicis repudiatur.

Solvuntur Objectiones. 435

Ob. 1mo. Liber Sapientiæ à Synagoga magna, seu ab Esdra in sacrorum voluminum Canonem relatus non est. Ergo nec

(*b*) Sap. 8. v. 2. (*i*) Apud Theodoret. lib. 2. hist. c. 8.

nec Canonicus dici debet, nec Salomoni tanquam Auctori tribui potest. Si enim librum hunc illius esse censuisset Esdras, aut Synagoga magna, utique illum à Canone non exclusisset.

Respondet Rabbi Azarias (*k*), Librum hunc quidem non reperiri in Canone Hebræorum, quòd sententiarum, quibus totus constat, compilationes, & collectiones, etsi è genuinis Salomonis scriptionibus provenirent, totæque Salomonicis segminibus contextæ essent, non tamen ut meræ Salomonis scriptiones haberentur, utpotè quas privati homines pro arbitrio, & captu digessissent. Ut ergo hominum illorum haudquaquam par erat auctoritas, ita nec eadem fuerit collectionum harum existimatio: imò aliquarum etiam potuerint ignorari concinnatores, propttereaque ut dubiæ, & incertæ fidei repudiari. Notari prætereà vult, persuasum esse Judæis, admissos ab Esdra, & Synagoga in Canonem eos tantùm libros, qui compositi essent per hujusmodi afflatum, quem Spiritum sanctum appellabant; cujus generis tum temporis ab illis non reputatus fuerit liber Sapientiæ, unde nec ab eis in Canonem relatus.

Respondemus Nos. Post obsignatum jam, & clausum à Synagoga magna Canonem repertæ fortassis primùm fuerunt aliquæ, quas diximus, ex Salomonicis compilationibus, ac idcirco ab eo exclusæ; unde tamen sequenti ævô nonnullæ emerserint, quæ & auctoritatem apud Hellenistas, ac locum in Canone tandem adeptæ sint, inter quas, & ea, quæ *Sapientia* inscribitur, & quæ primùm celebrari cœpisse videtur, postquam Græcè exposita est.

136 Ob. 2do. Augustinus, lib. 2. de Doct. Chr. c. 8. & lib. 17. de Civ. c. 20. Et S. Hieronymus, in Prolog. galeat. Et in Prolog. in lib. Salomon. librum hunc Salomoni abjudicant, hic verô, nec Canonicum esse testatur. Idem ait Epiphanius, lib. de pond. & mens. Neque etiam Gregorius cognomentô Theologus, neque Origenes, neque Eusebius, neque ullus Veterum, illum in Catalogo divinorum voluminum recensent. Ergo &c.

Resp. neg. conf. S. Augustinus opinionem suam retractavit, lib. 2. Retract. c. 4. S. Hieronymus verò hunc librum Salomonis non esse haud asserit, sed Veterum aliquorum opinionem, illum Philoni cuidam tribuentium refert duntaxat. Quòd autem dicat, eum in Canone ab Ecclesia non recipi, de Ecclesia sui temporis id intellexit, cui cùm nondum satis apertè constaret de hujus libri auctoritate, noluit eum ad dogmatum probationem in Canonem recipere; At paulò post plenius à Spiritu sancto edocta, in Concilio Carthaginensi an. 397. celebrato illum recepit, ac deinceps subsecuta Concilia in sacrorum librorum Catalogis eum numerant.

Quòd si etiam Origenes, necnon alii quidam è Veteribus hunc librum è Canone excluserunt, non inde tamen sequitur, eum nullo modo esse Canonicum, sed non esse de numero Scripturarum duntaxat, quæ ad primum Canonis ordinem pertinent, seu Proto-Canonicæ sunt, & de quibus à nemine unquam dubitatum fuit. Nec id nos inficiamur, ut qui librum hunc ad secundum Canonis ordinem collocamus, atque Deuterocanonicum vocamus, quòd primùm temporum serie auctoritatem obtinuerit, postquam nempè Ecclesia illum tanquam divinum suscepit, &c.

Prætereà videntur hi Veteres de sententia Judæorum duntaxat loqui, non Christianorum, &c.

De

(*k*) Apud Huet. loc. cit. de lib. Sap.

437 *De libro Ecclesiastici.*

Liber hi latinè *Ecclesiasticus* inscribitur, sive ut ab Ecclesiaste discernatur, sive quia non secùs ac ille præcepta & monita ad virtutem & sapientiam tradit. Græcè inscribitur *Sapientia*, seu *Panaretos JEsu filii Syrach*, quod ut supra de libro *Sapientiæ* dictum est, omnium virtutum cumulum significat; quippe in quo omnium ætatum, & generum hominibus ad benè vivendum regulæ præscribantur. 51. illius numerantur Capita.

438 Auctor illius esse dignoscitur *JEsus filius Syrach*, cujus nomen, ut mox dictum, Græcum exemplar præfert, qui eum ex variis Salomonis sententiis ab ipsius Operibus excerptis, & in ordine digestis, concinnavit. Quamplurimas enim Salomonis sententias ex libris Proverbiorum, Ecclesiastis, & Sapientiæ in istum librum translatas fuisse luculenter demonstrant Drusius lib. 1. Observat, & Huetius, Demonst. Evang. Propos. 4 de lib. Ecclesiastici. Unde factum, ut, quemadmodum notat S. Augustinus (*l*), apud plerosque Veteres Salomonis appellatione vocaretur, nempe quia ex ipsius sententiis collectus esset, vel saltem ipso non videretur indignus.

439 At illum non esse Salomonis, vel ex eo constat, quòd plurium, qui post Salomonem vixerunt, mentionem faciat. Imò Auctor ipse se nomine prodit his verbis (*m*): *Doctrinam Sapientiæ, & disciplinæ scripsit in Codice isto JEsus filius Syrach Jerosolymita.* Et initiò cap. 51. hæc leguntur: *Oratio JEsu filii Syrach.* Necnon sententiis Salomonis in suum librum transcriptis suas quoque eum adjecisse testatur Græcus illius Interpres in Prologo hujus Libri his verbis: *Avus meus JEsus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis Legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid borum, quæ ad doctrinam, & sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, & illorum periti facti, magis magisque attendant animò, & confirmentur ad legitimam vitam.* Addit prætereà eundem avum suum Opus istud Hebræo sermone exarasse.

Hujus Auctoris ætas certò definiri non 440 potest. Quamvis enim Simonis summi Pontificis velut jam defuncti elogium texere videatur, c. 50. attamen inter plures hujus nominis Sacerdotes, quisnam Simon iste fuerit, est incertum. Verisimile est, hoc loco agi de Simone secundo Oniæ secundi filio, qui Judæorum rebus præfuit ab an. m. 3785. ant. Chr. 215 ant. ær. 219. usque ad an. m. 3805. ant. Chr. 195. ant. ær. 199. post cujus obitum eæ calamitates Judæos oppresserunt, quas Auctor innuere videtur c. 36. v. 50.

Istius libri Interpres verò annô ætatis 441 suæ 38vô. sub Regno Ptolemæi Evergetis circa an. m. 3873. ant. Chr. 131. ant. ær. 135. in Ægyptum venit, prout ipsemet in præfatione testatur. Latinâ interpretationem, satisque rudem eandē habemus, quâ veteres Patres usurpârunt: neque enim S. Hieronym. quidquam ad illam contulit.

Acatholici, quamvis non habeant, quod cum judicio & ratione contra illum moveant, tamen extra Canonem esse eum volunt. Contra quos proindè ponitur

CONCLUSIO. 442

Liber Ecclesiastici non secùs ac cæteri, qui Salomoni adscribuntur, libri, meritò ab Ecclesia inter sacros, & Canonicos recensetur.

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura. 1mo. Quia nihil nisi sanctum spirat liber iste, atque omnium ætatum, & conditionum hominibus regulas piè, & sanctè vivendi præscribit. 2do. Quia, ut jam suprà annotavimus, continet sententias plerumque ex libris Salomonis, qui velut

 sacri,

(*l*) De Civit. (*m*) C. 50. v. 29.

ſacri, & Canonici ab omnibus habentur, excerptas, prout libri hujus Interpres à nobis ſuprà relatus, non obſcurè innuit; unde Auctor Synopſis, quæ Athanaſio vulgò tribuitur, illius Scriptorem *Salomonis aſſeclam* appellat. 3tio. Quia uterque Apoſtolus Petrus, & Jacobus c. 1. ſuarum Epiſtolarum, hic v. 10. ille autem v. 24. ex c. 18. v. 18. libri hujus teſtimonia proferunt.

Ergò cùm nihil niſi ſanctum, & ad mores piè conformandos, non ſecùs ac cæteri libri Morales Canonici, contineat. Cùm plerúmque ex tranſcriptis aliorum ſacrorum librorum ſententiis compilatus ſit. Et cùm denique ab Apoſtolis ipſis laudetur, ut qui ex ipſo teſtimonia repetunt; meritò etiam ab Eccleſia inter ſacros & Canonicos libros recenſetur.

Prob. 2do. Ex Traditione Judæorum,
443 qui illum, quamvis in Esdrino Canone non recenſeatur, quòd illo jam clauſo primùm prodierit, in ſummo ſemper pretio habuerunt, ac velut ſanctum ſuſpexerunt, prout paſſim apud hebræos Auctores videre eſt.

444 Prob. 3tio. Ex Traditione, & Auctoritate veterum Eccleſiæ Patrum, & Conciliorum, qui librum hunc & divinum, & Canonicum declarant, & definiunt. Ut Clemens Alexandrinus, lib. 7. Strom. Cyprianus, lib. 3. Epiſt. 9. Epiphanius, in hæreſ. Amonæor. Ambroſius, lib. 4. de Fide c. 4. & in c. 7. 1. ad Cor. Joannes Damaſcenus, lib. 4. de Fide. Auguſtinus, lib. ad Oroſ. cont. Priſcillianiſt. Item lib. 2. de Doct. Chr. c. 8. Denique, ut plures alios prætermittamus, teſtatur S. Athanaſius, in Epiſtol. feſtali, libros Sapientiæ, & Eccleſiaſtici fuiſſe in antiqua Eccleſia Cathecumenis præ cæteris aliis Scripturæ ſacræ libris prælectos, utpotè faciliores, & efformandis moribus magis idoneos.

Concilia item Laodicenum, Carthaginenſe III. Romanum ſub Gelaſio I. Magnum Lateranenſe, & Tridentinum. Atque Innocentius I. Ep. ad Exuperium, illum inter ſacros, & Canonicos Scripturæ libros numerant. Ergò & Canonicus meritò cenſendus eſt, & ab iis duntaxat rejicitur, quos odium, & livor dementavit, vel ſaltem contradictionis duntaxat ſpiritu aguntur.

Solvuntur Objectiones. 445

Ob. 1mo. Hujus lib. c. 40. v. 29. dicitur: *Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius eſt enim mori, quàm indigere.* Atqui hic textus apertè pugnat cum iſto Chriſti apud Matth. c. 19. v. 21. dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Ergo &c. &c.

Reſp. priori libri Eccleſiaſtici textu ſolam damnari otioſi hominis inertiam, quæ illum ad egeſtatem, & mendicitatem redigat, non autem Evangelicam paupertatem, quam Chriſtus in poſteriori textu hominibus ad perfectionem aſpirantibus ſuadet, & inſpirat.

Ob. 2do. Ib. c. 49. v. 5. dicitur: *Præter* 446
David, & Ezechiam, & Joſiam omnes peccatum commiſerunt. Atqui conſtat, Davidem & adulterium, & homicidium perpetraſſe. Ergo &c.

Reſp. Hîc per antonomaſiam (*n*) Scriptori ſacro ſermonem eſſe de peccato idololatriæ, & fœderis cum Idololatris, à quo tres iſti duntaxat Reges Judæ fuerunt immunes, non de alio quocunque peccato.

Inſt. Atqui Aſa, & Joſaphat Reges Juda 447
etiam ab Idololatriæ peccato fuerunt immunes, prout ipſa Scriptura teſtatur. Ergo.

Reſp. Id quidem abſolutè verum eſſe, ſed tamen utrumque peccaſſe peccatô idololatriæ annexô, & vicinô, quia patienter tulerunt, ſeu non abſtulerunt *Excelſa*, hoc eſt, Templa, & Altaria in excelſis locis, vel montibus erecta, & à Deo vetita; atque inſuper cum Regis Iſraël Achab, Ochozia, & Joram idololatris amicitias, & fœdera junxerunt, ſicque illorum idololatriam indirectè ſaltem foverunt, & roboraverunt, quod utique etiam fuit peccatum.

CAPUT

(*n*) *Antonomaſia* figura Rethorices, quæ nomen appellativum pro proprio ponitur.

448 # Caput IV.

De libris Propheticis veteris Testamenti.

Octodecim numerari libros Propheticos veteris Testamenti supra part. 1. c. 1. jam indicavimus, videlicet, Psalterium Davidis nomine inscriptum, Isaiam, Jeremiam cum Baruch, Ezechielem, Danielem, & alios duodecim Prophetas minores; nimirum Osëe, Joël, Amos, Abdiam, Jonam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, & Malachiam. De quibus singulis præsenti Capite agemus.

449 ### *De Psalterio.*

Liber Psalmorum hebraicè *Sepher Tehillim*, id est, *liber Hymnorum* veluti totius Scripturæ sacræ epitome habetur; omnia quippe in cæteris illius libris latè deducta velut compendiô exhibet. *Psalmorum liber*, inquit S. Augustinus (*o*), *quæcunque utilia sunt, ex omnibus continet. Historia sacra*, ait etiam S. Ambrosius (*p*), *nos instruit, Prophetia de futuris præmonet; minæ impios coercent; moralis suadet; omnia æquè in Psalmis præstantur.*

450 Totum Psalterium Hebræi in quinque libros dispescunt; quam divisionem plures Patres, vetustissimam rati, sequuntur. Eam tamen velut novi Testamenti Scripturæ contrariam improbavêre Hilarius, Præfat. in Psal. Hieronymus, Præf. in Ps. & Augustinus, in Psal. 150.

451 Quidam Commentatores collectionis, & divisionis Psalmorum eosdem fuisse Auctores arbitrantur; alii verò recentiori manu post Apostolorum ætatem hanc divisionem fuisse invectam contendunt. Eam tamen vetustissimam, & à pristinis Psalmorum Collectoribus factam persuaderi videtur ex eo, quòd in fine cujuscunque libri eadem verba legantur, quæ quidem ab Esdra, sive ab iis, qui post captivitatem Babylonicam Bibliorum collectioni adlaborârunt, adjecta creduntur. Attamen certissimum est, in recensione S. Scripturæ librorum Psalterium apud Hebræos, & Christianos unius libri locô semper habitum fuisse.

Primus Psalterii liber apud Hebræos Psalmô apud nos 40mô clauditur; Secundus 70mô. Tertius 80mô. Quartus 105tô. Quintus denique Psalmo 150mô. Quatuor priores libros hæ voces in Hebræo finiunt, *Amen, Amen;* in Latino autem, *Fiat, Fiat.* Quintum in Hebræo, & Latino terminat, *Alleluja.* 452

Numerus Psalmorum Canonicorum apud Judæos, & Christianos certus semper, fixusque fuit, nempe 150. Psalmorum. Psalmus ille, qui in Græco superadditur, extra Canonem semper fuit. 453

Eorum divisio non eadem apud omnes servatur. Nonus Psalmus apud Judæos versu 21mô absolvitur; reliqui versus Psalmum 10mum constituunt à versu *Ut quid Domine recessisti longe?* usque ad versum, *Judicate pupillo, & humili &c.* Indeque usque ad Psalmum 113tium Psalmi apud illos nostris & Græcorum Psalmis unô præcurrunt. Psalmum 113tium *In exitu Israël &c.* in duos distribuunt, ita ut Psalmus 114tus apud illos incipiat à versu *Non nobis Domine &c.* Atque cum eo, qui apud nos est 113tius claudatur; sicque à nostro & Græcorum ordine duplici Psalmô recedunt, ad quem junctis duobus Psalmis 114tô videlicet *Dilexi quoniam &c.* & 115tô nempe *Credidi propter quod &c.* unô propiùs accedunt, donec Psalmos 146tum *Laudate Dominum quoniam bonus &c.* & 147mum *Lauda Jerusalem &c.* denuò simul jungentes demùm quoad 454

(*o*) Præfat. in Psal. (*p*) Præfat. in Psal.

quoad reliquorum ordinem nobiscum conveniant.

Protestantes, ne vel etiam in minutiis nobis consentire videantur, Hebræorum divisionem circa Psalmos sequuntur.

456 Discrepant etiam nonnihil vetera Græcorum, & Latinorum exemplaria in primi, & secundi Psalmi divisione: in quibusdam enim distinguuntur, in aliis junguntur. Illud planè constat, non adeò antiquam esse Psalmorum divisionem, sæpeque, ut Psalmis suus constet sensus, alterum alteri jungendum, vel eundem in duas partes distinguendum esse.

457 S. Hilarii ætate Psalmorum divisio apud Hebræos necdum certa, & firma habebatur; alii enim aliam probabant. (q) Idem testatur Origenes (r), aitque, Psalmos ab Hebræis nullis præscriptis numeris, quibus in certo constituantur loco, legi. Id ipsum adhuc sæculô 12mô servabant, prout produnt Genebrardus, in Psal. 9. v. 23. seu Psal. 10. in Hebræo; & Rabbi Kimchi.

458 Recepta apud Hebræos, & Christianos Traditione vulgatum est, Psalmorum collectionem, quam habemus, Esdræ tribuendam esse. Ab ipso factam tradunt Eusebius, Hilarius, Theodoretus, Auctor Synopsis, Beda, & alii. Philastrius ait (s), Judæorum eruditissimos collectionem Psalmorum adornasse, & eodem ordine, quem à priscis, qui Psalmos de manibus hostium vindicaverant, acceperunt, singulos recensuisse.

459 Porrò Psalmorum illorum, qui sunt Davidis, collectionem Ezechiâ Rege Judâ antiquiorem fuisse, inde apertum videtur, quòd ipse pristinum Dei cultum restituens, Psalmos David in Templo decantari jusserit, prout legitur 2. Paralip. c. 19. v. 25. &c.

460 Qui speculationibus delectantur, in ipso Psalmorum ordine consilium, & mysterium deprehendere sibi videntur. Hilario, Prolog. in Psal. Ambrosio, Apolog. David. c. 8. & Origeni, in Ep. ad Rom. lib. 3. c. 3. vitæ Davidis series exhiberi videtur. Euthymio, Prolog. in Psal. iis ordinem solemnitatum, quæ in Templo celebrantur, spectatum videtur.

Primorum Psalmorum tristiùs ferè argumentum esse, subsequentium verò lætum S. Chrysostomus animadvertit. (t)

Hujus ordinis mysterium se nondum assecutum fuisse fatetur S. Augustinus (u), videri tamen sibi, ait, tres illas Psalmorum quinquagenas ad vocationem, justificationem, & glorificationem Sanctorum non incongruè pertinere; Quinquagesimi enim argumentum pœnitentiam, centesimi misericordiam, & denique centesimi quinquagesimi, seu ultimi laudem Dei in Sanctis respicit.

Verùm, teste S. Hieronymo (x), frustrà in Psalmis Chronologicus ordo ad certæ historiæ seriem relatus quæritur; hunc enim ordinem lyrici Auctores negligere consueverunt.

Si quis autem attentè Psalmorum textum & sensum considerare velit, intelliget profectò, Collectores sacros religiosam quidem adhibuisse curam, ut nullum negligerent; quem verò ordinem in illis disponendis sequerentur, contempsisse, nihilque curasse, modò nullum omitterent, an mancus aliquis, & à suis partibus avulsus, an cum aliis per incuriam confusus, an bis repetitus irrepsisset; cujus rei curam Psalmorum intelligentiæ studentibus integram reliquerunt.

De Auctore, seu potiùs Auctoribus 461 Psalmorum non consentiunt Doctores. Chrysostomus, in Psal. 50. Ambrosius, Præfat. in Psal. Augustinus, lib. 17. de Civ. c. 14. Theodoretus, Præfat. in Psal. Cassiodorus, Prolog. in Psal. Euthymius, Præfat. in Psal. Philastrius, Hæres. 70. quos

(q) Hilar. prolog. in Psalter. (r) In Psal. 2. (s) Hæres. 77. (t) In Psal. 51. (u) In Psal. 50. (x) In Jerem. c. 25.

quos non pauci Recentiores sequuntur, unum Davidem Psalmorum Auctorem agnoscunt, atque his potissimùm argumentis ducuntur, 1mo. Quia hoc ipsum de se ipso prodere videtur David his verbis (*y*): *Dixit David filius Isai, egregius Psaltes Israel: Spiritus Dei locutus est per me, &c.* 2do. Quia in omnibus cæremoniis, in quibus Cantica præscribuntur, semper cautum est, ut Davidis Psalmi canantur; nam in Dedicatione Templi sub Salomone Levitæ Cantica à Davide composita concinnebant. (*z*) Et cùm Ezechias cultum Domini in Templo restituit, Levitis injunctum fuit, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph videntis. (*a*) Sub Davide autem Præfectus Musicæ unus erat, cui Rex iste quamplures Psalmos musicis notis mandandos, sive concinnendos præscripsit. Denique in Dedicatione Templi post Judæorum è captivitate Babylonica regressum laudes Domini Canticis Davidicis in coetibus insonabant. (*b*) 3tio. Psalmos Davidis Nehemias collocavit in Bibliotheca. (*c*) 4to. Auctor Ecclesiastici Davidis studium in pangendis Hymnis, & Canticis Domini elogiô prosequitur. (*d*) 5to. In novo Testamento Christus, & Apostoli Psalmos Davidis nomine semper laudant (*e*), nec tantùm eos, qui ejus nomine sunt inscripti, sed omnes passim, nullo alioqui titulo insignitos, quod de Psalmo 2. à S. Petro factum est, Act. 4. v. 25.

462 Nihilominus complures alii eruditi viri potiorem Psalmorum partem Davidi abjudicarunt, ut Athanasius, in Psalm. Auctor Synopsis. Eusebius, Præfat. in Psal. & Comment. in Psal. 131. Hieronymus Præfat. in Psal. Davidi 72. duos Psalmos tantùm, qui scilicet nomine ipsius sunt inscripti, tribuentes, reliquos iis, quorum nomina præ se ferunt, adscripserunt. Imò Commentatores quamplurimi Psalmos quosdam deprehendisse sibi visi sunt recentioris, quàm Davidis, Auctoris Opus esse, cùm in illis & de captivitate Babylonica, quæ longè post Davidem contigit, & de aliis similibus sermo inducatur. Quòd autem universum Psalterium Davidis nomen exhibeat, id inde provenire præcipuè videtur, quia ipse primus Psalmorum in Choro modulis, & alternantibus vocibus canendorum Auctor fuit.

Præter 150. Psalmos alius in Hebræo, 463
Chaldæo, & Vulgata omissus, legitur in Syriaco, in omnibus fermè græcis exemplaribus, in Arabico, in Versione Anglo-Saxonica, in Euchologiis Græcorum, in S. Athanasio, Euthymio, Vigilio Thapsensi, Epistolis interpolatis S. Ignatii Martyris, S. Chrysostomus ad illum alludere etiam videtur, Hom. 17. ad popul. Antioch. Hujus Psalmi titulus est iste: *Psalmus gratiarum actionis, cùm Goliath vicisset.* Incipit autem his verbis: *Primus eram inter fratres meos, & adolescentior in domo Patris mei.* Verùm, ut supra jam diximus, ab Ecclesia Psalmus iste extra Canonem esse jubetur.

Auctor Synopsis tradit, inter 3000. 464
Psalmos à Davide dictatos, Regem Ezechiam hosce 150. selegisse, suppressis cæteris; quod quidem se ex Paralipomenon libris accepisse significat, sed frustrà ibidem hoc quæsieris. Idem narrat Josephus Christianus græcus Auctor, in Hypomnestico MS. lib. 2. Michael Glycas verò ex Psello ait, Esdram 150. Psalmos, quos in Bibliis modò legimus, ex 300. Psalmis selegisse.

Auctor Versionis Syriacæ observat, apud quosdam inveniri 12. Psalmos aliis additos, quos ipse tamen velut apocryphos censet rejiciendos esse.

Inter

(*y*) 2. Reg. c. 22. v. 1. (*z*) 2. Reg. c. 7. v. 6. & 2. Paralip. c. 25. v. 5. (*a*) 2. Paralip. c. 29. v. 30. (*b*) Lib. 1. Esd. c. 3. v. 30. (*c*) 2. Mach. c. 2. v. 13. (*d*) C. 47. v. 10. (*e*) Matth. 22. v. 42. Lucæ 20. v. 41. Marc. 12. v. 36.

Inter 150. Psalmos istos, repeṙiuntur quindecim, à Psalmo videlicet 119. usque ad 133. inclusivè, quos hebræus textus *Canticum ascensionum*, Latinus verò, dictione ex Hebræo desumpta, *Psalmos graduales*, appellat. *Canticum ascensionis* autem idem hîc significare videtur, ac *Canticum regressûs è captivitate Babylonica.* Scriptura enim agens de egressu populi ex captivitate ista, verbo *ascendere* frequentissimè utitur, ut 1. Esd. c. 1. v. 3. 5. & 11. item c. 2. v. 1. Et c. 7. v. 9. 2. Esd. c. 7. v. 5. & 6. In Psalmo 121. graduali 3tio *Tribus ascenderunt in Jerusalem.* Ac denique Ezechiel. c. 39. v. 2. *Et ascendere te faciam de lateribus Aquilonis.*

466 Ex his planè intelligimus, Judæos, quoties de itinere Babylone Jerosolymam agendum esset, verbô *ascendere* frequenter uti consuevisse; quippe quòd è Babylone in planitie sita in Judæam montuosam regionem ascendendo iter pateret. *Cantica* igitur *ascensionum*, seu *Psalmi graduales* facilè credimus ea occasione fuisse concinnata, ob agendas fortè ea de re gratias. Et hoc potissimùm esse Psalmorum gradualium argumentum observamus: in illis etiam non rara receptæ à populo libertatis mentio. Hos graduales Psalmos Ecclesia quoque in suum usum sumpsit, eosque recitandos singulis Quadragesimæ feriis 4tis præscribit.

467 De Psalmorum titulis varia sentiunt Interpretes. Sunt, qui iisdem Canonicam auctoritatem deferri debere contendunt; alii, quia aliena manu adjectos arbitrantur, tanquam spurios rejiciunt: nonnullis titulus totius Psalmi clavis esse videtur; alii verò nihil ad explorandum textum eum plerumque conferre credunt, quippe qui fortuitò, & recenti manu sit adjectus, & ex quo, ut plurimùm obscurissimo nec ulli unquam Interpretum satis cognito, nihil utilitatis expectari possit. *Parum est damni*, inquit Muisius (*f*), *in hujus vocis Haggitthith ignoratione, cùm illa, ut & aliæ similes, quæ passim occurrunt in titulis Psalmorum, ad argumentum, & materiam carminis nihil pertineant.* Attamen Psalmorum titulos omnes omninò contemnere non decet, cùm inter illos aliqui sint, qui Canonicam habent auctoritatem, illi nempe, qui à primis Auctoribus, sive ab Esdra ducunt originem, hi namque sunt Canonici. At ii, qui sive ante, sive post Esdram aliena manu, vel græca, vel hebræa adjecti, nec historiæ, nec Psalmo ipsi, cui præfiguntur, congruunt, abjiciendi videntur.

Neque profectò Patribus illis, qui Psalmorum titulis auctoritatem canonicam tribuere visi sunt, alia mens esse potuit, quàm quòd tituli illi in originali textu probandi essent, quos Esdras, aut Prophetarum aliquis apposuisset. Eos prætereà nusquam Ecclesia in officio legit; & Concilium Tridentinum, cùm textui Vulgatæ Canonicam auctoritatem asseruit, titulos sacrorum librorum in medio reliquit, prout omnes fatentur.

Cæterùm Psalmorum obscuritatem nihil magis prodere videtur, quàm in immensum propè auctus Commentariorum numerus, quorum P. le Long 630. recenset (*g*), non enumeratis iis, qui in tota Biblia, vel in partem Psalmorum tantùm Commentaria scripsêre, quibus omnibus collectis, & enumeratis, ultrà 1000. in Psalmos Scriptores afferri possent. Sensum autem Psalmorum obvolvunt 1mo textûs hebraici abstrusa dictio, quæ sanè in Psalmis, utpotè poëticô stylô exaratis, magis quàm in aliis prosâ exaratis libris se se prodit. 2do. Stylus sublimis, eoque magis à nostra scribendi methodo, nostrisque phrasibus discrepans, quem Amanuenses minùs assecuti, librum tamen frequentiùs describentes, crebrioribus mendis deformarûnt, quæ menda profectò ex collatione versionis Septuaginta Interpretum Syriacæ, & S. Hiero- 468

(*f*) In Psal. 8. v. 1. (*g*) Bibliothecæ Sac. Tom. 2.

Hieronymi cum textu hebraico nostræ ætatis ultrò se se produnt. Indè ortæ etiam apud pios, religiososque viros, qui ex vitæ instituto, quod amplexi sunt, Psalmis recitandis, & decantandis sunt deputati, tam frequentes in hisce divinis laudibus celebrandis distractiones, quod incommodum satis feliciter levavit noster R. P. Germanus Cartier, suô, quem lucis publicæ fecit, succinctô, & perspicuô in Psalmos Commentariô, ipsi textui superpositô, quem eo ordine digessit, quo Psalmi in Officio divino Benedictino solent recitari.

469 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Multa in Psalmis leguntur Deô indigna, adeò ut sine injuria afflanti Spiritui divino adscribi non possint, ut sunt dira illa, quæ Auctor in suos Adversarios interdum precatur. Ergo &c.

Resp. huic objectioni jam à nobis satisfactum esse sup. part. 1. c. 3. pap. 32. SS. Patres, & Interpretes communiter observant, non animo optante expressa, sed futura prævidentis oraculo à Propheta fuisse prolata: vel saltem adversarios, & peccatores eo sensu perdendos illum prænuntiare, nisi scilicet resipuerint; ac si diceret: *Sanè peribunt, vel pereant, nisi in ordinem redigantur.*

S. Chrysostomus asserit (*b*), Prophetam ibi aliorum, non suos sensus expressisse. S. Athanasius verò (*i*), Dæmones hostes invisibiles maledictis à Propheta proscindi autumat.

470 Ob. 2do. Psalm. 31. v. 3. dicit Propheta: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Si tacuit, quomodò clamavit? si clamavit, quomodo tacuit? Ergo.

Resp. Prophetam Regium non eodem sensu, nec de eodem tacuisse, & clamasse: tacuit enim, cum delicti sui, adulterii videlicet cum uxore Uriæ commissi, quod per novem menses silentii velamine texit, & homicidii Uriæ viri ejus veniam implorare à Deo neglexit, atque peccatum confiteri distulit, donec publicè fuerit à Propheta increpatus; tunc demùm dolere, gemere, & affligi incepit, ac præ nimio dolere gemitu & afflictione demum ossa sua exaruisse, seu vires consumptas fuisse fatetur.

Ob. 3tio. Psalmo 70. v. 5. idem Propheta ait: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* Et tamen Psalmô 118. v. 99. ait: *Super omnes docentes me intellexi.* Ergo &c. 471

Resp. Cùm David ait, se litteraturam non cognoscere, intelligendus est loqui de sapientia sæculi, seu profana, & humana scientia, vel eloquentia; in qua se haud versatum esse, ultrò fatetur. At cùm è contra dicit, se super omnes docentes se intellexisse, intelligendus est loqui de scientia salutis, sive de necessariis ad Deum laudandum, & colendum, in qua magis profecisse, & scire se ait, quàm omnes Magistri sui, qui eum docuerunt, sciant; quid nempe necessariò agendum sit, & ad salutem expediat, &c.

Ob. 4to. Psalm. 115. v. 2. ait idem Propheta: *Omnis homo mendax*, si omnis homo mendax, ergo & ipse. 472

Resp. 1mo. Notandum cum sancto Juliano Toletano Episcopo quid præmittat Propheta: ait enim paulo ante: *Ego dixi in excessu meo*, id est, in excessu mentis meæ, seu in elevatione mentis supra hominem dixi, *omnis homo mendax*; ego autem in quantum homo sum, mendax sum sicut cæteri, sed in quantùm per excessum mentis supra hominem fui, non sum mendax, ac proinde, dum hæc dixi, verum dixi, nec ullatenus mihi ipsi contradixi.

(*b*) In Psal. 136. v. 11. (*i*) In Psal. 72.

Resp. 2do. Hæc non tam strictè ad litteram sumi debere, ita ut reipsa David sensisse dicatur, omnes homines esse mendaces, sed ad mendacium proclives duntaxat, fragiles, infirmos, inopes, & labiles ex se, quo sensu intelligunt Theologi illa verba S. Augustini (k); *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum.*

473 *De libro Isaiæ.*

Isaiam quatuor majorum Prophetarum primum, ex Tribu Juda regali ortum sanguine ferunt, ut qui filius fuerit Amos filii Regis Joas, & frater Amasiæ Regis Juda.

Propheticum munus, quod statim post Oziæ Regis Juda mortem an. m. 3246. ante Chr. 754. exorsus fertur, usque ad an. m. 3306. ant. Chr. 694. ante ær. 698. Atque adeò usque ad initium Regni Manassis Regis Juda, & ultrà protendit, à quo deinde, prout constans & Hebræorum, & Christianorum traditio est, serrâ dissectus fuit.

Illius corpus propè Jerosolymam tumulatum fuisse ajunt sub quercu fullonis, propè fontem Siloë, unde Paneadem ad Jordanis fontes, inde Constantinopolim imperante Theodosio juniore an. Christ. 442. translatum fuit.

Diu prophetavit, & qui vaticiniorum ipsius initium annô 25. Oziæ Regis Juda statuunt, 85. annos prophetiæ illi tribuunt. At nos, cùm ipsius ministerii initium exordiô Regis Joathan ponamus, non plures ei, quàm 60. annos prophetiæ damus.

474 Ipsius liber 66. Capitibus absolvitur, & in tres partes dividi potest. Primam sex priora capita constituunt, ubi agitur de Regno Joathan. Secunda sex mox sequentibus Capitibus comprehenditur, ubi Propheta de Regno Achaz disserit. Tertia denique reliquis totius libri Capitibus, quæ Ezechiam respiciunt, concluditur.

Vaticiniis suis Isaias Babylonicam captivitatem, ab ea reditum, Regnumque Messiæ sibi præcipuè proponit. Hinc fit, teste S. Augustino (l), ut novi Testamenti Scriptores frequentiùs ex Isaia, quàm ex aliis Prophetis testimonia adducant; necnon Patres aliqui eum Evangelistam potiùs, quàm Prophetam nuncupent.

Liber iste tanquam Canonicus & di- 475
vinus ab omnibus semper est habitus.

Sed præter illum scripsit adhuc Isaias Oziæ Acta, quæ nunc deperdita sunt. Alium librum *Ascensionem Isaiæ* inscriptum citant Origenes, in Matth. 23. & Epist. ad African. S. Epiphanius, Hæref. 40. & 67. & S. Hieronymus, in Isaiæ cap. 64.

Prophetarum eloquentissimus habe- 476
tur, ejusque Scripta *pulcherrimarum cognitionum compendium esse*, testatur idem S. Hieronymus. (m) Illius elogium breviter hisce ponit Ecclesiasticus c. 48. v. 25. *Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei. In diebus ipsius retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam. Spiritu magno vidit ultima* (temporum) *& consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura, & abscondita, antequam evenirent.*

Ob. 1mo. Hic Propheta c. 38. v. 1. 477
Ezechiæ Regi prædicit mortem in crastinum futuram: *Dispone*, inquit, *domui tuæ, cras enim morieris & non vives.* Et tamen non mortuus est, sed ultra crastinum vixit. Ergo verum eidem non prædixit Isaias, &c.

Resp. Prophetiam hanc non absolutam fuisse, sed comminatoriam tantùm, seu potiùs conditionalem, id est, nisi Deus naturæ cursum sisteret. Cùm ergo Isaias Ezechiæ dixit, *Morieris tu &c.* idem est, ac

(k) Tract. 3. in Joan. (l) Lib. 18. de Civ. c. 29. (m) Præfat. in Isai.

ac si dixisset, si natura, & naturales causæ spectentur, morbus tuus est lethalis, & nisi Deus per miraculum te sanet, morieris ex eo. Est enim duplex vitæ nostræ periodus, una à natura, altera à Deo constituta, hæc semper certa est, & fixa, nec augeri, aut minui potest; illa verò à Deo breviari, vel ampliari potest; & reipsa in Ezechia ampliata fuit, & mors ejus dilata, licèt secundùm causas inferiores futura.

478 Ob. 2do. Ibid. c. 58. v. 1. dicit Isaias: *Clamas ne cesses.* At contrà Paulus Ephes. c. 4. v. 31. clamorem prohibet. Ergo &c.

Resp. Isaiam jubere clamorem prædicationis, & postulationis veniæ; Apostolus verò prohibet illum, qui ab ira procedit.

479 *De libro Jeremiæ.*

Jeremias filius Helciæ ex genere Sacerdotali prognatus in Anatoth vico Tribus Benjamin, in ipso matris utero Propheta à Deo jam destinatus fuit. (*n*) 14tô. ætatis suæ annô, mundi verò 3377. ante Christ. 623. ante ær. 627. primò Deum alloquentem se, ac sibi præcipientem audivit (*o*), ut ad Reges, Principes, & Sacerdotes sua jussa deferret; quod munus ipse objecta ætatis, & linguæ imbecillitate nequicquam deprecatus est. Ab eo tempore, usque ad eversionem Urbis Jerosolymæ, & Templi ejus, quæ facta est à Chaldæis an. m. 3416. ant. Chr. 584. ant. ær. 588. non modò, sed etiam ultra prophetavit: duobus enim primùm post hanc eversionem annis, an. m. 3418. ante Christ. 582. ante ær. 586. videlicet finem vitæ suæ imposuit, sive, quòd naturali morte in Babylone, quò à Gentilibus suis unacum Baruch discipulo suo invitus fuerat abductus, obierit, prout quidam Rabbini putant; sive quòd lapidibus in Taphnis à Judæis ejus minas, atque loquendi libertatem impatienter ferentibus fuerit obrutus, ut est Hebræorum traditio, necnon complures antiqui testantur, ut Tertullianus, advers. Gnostic. cap. 8. Hieronymus, cont. Jovinian. lib. 2. Epiphanius, de vita, & morte Prophet. Dorotheus, in Synopsi. Atque de ipso intelligunt illud Apostoli (*p*), *Lapidati sunt.* Nonnulli tamen ex Veteribus, apud Hilariũ(*q*), autumât illum adhuc superstitê manere, quemadmodùm Elias, quòd de ejus obitu nihil memoret Scriptura, Christusque à Judæis creditus fuerit vel Elias, vel Jeremias. (*r*) At Theologi communiter censent, eum diem suum obiisse, & statuta die resurrecturum fore.

Ejus liber 52. Capitibus absolvitur, 480
quibus alia 5. Capita subjunguntur, quæ Threnos, seu Lamentationes, & orationem ipsius continent.

Prophetias in eo contentas primùm scripto mandare cœpit Jerem. an. 4tô. Joakim Regis Juda, cùm antea tantùm viva voce prædicasset. Sub initium libri (*s*) contra scelera Regni Juda invehitur, quæ quidem eo tempore, primis nempe Josiæ Regis annis, summa fuêre, donec Rex ipse 18vô Regni sui annô populum ad saniora reduxit. (*t*) Toto illo tempore Judæi plurima mala Jeremiæ intulerunt. (*u*) Cognati, & populares ipsius ex Anatoth mortem ei minitati sunt, nisi à vaticinando desisteret; quibus ille vicissim mortem gladio & fame prædixit. Ea occasione queritur apud Deum, quòd impii lætos dies agant, justi verò affligantur. Eo tempore regionem ultio divina fame vexabat; & paulò post Deus ipsi inhibuit, ne uxorem duceret, atque filios enutriret Jerosolymis, neve domum luctus ad solandos lugentes ingrederetur; quo quidem

X 2

(*n*) Jerem. c. 1. (*o*) Ibid. (*p*) Heb. c. 11. v. 37. (*q*) In Matth. 20. (*r*) Matth. 16. v. 14. (*s*) C. 2. & seq. (*t*) 4. Reg. c. 23. v. 4. 5. & seq. (*u*) C. 12. & seq.

dem judicio mox populo pax, lætitia, & solatium subtrahenda portendebantur. (*x*) Deinde in domum figuli alicujus se conferens, vas fictile observavit, quo in manu artificis confracto, ejusdem operâ ex eadem argilla alterum efformatum est; ad cujus rei similitudinem Deum reprobaturum Judæos, ac alterum pro illis populum fidelem suscitaturum prænuntiavit. Hæc in Templo prædicans, ac prædicens ibidem carceri mancipatur, ubi ad alteram usque diem detentus fuit. (*y*) Posteà Joakim Regem, ut Deo adhæreat, admonuit, sed monitis non obtemperanti exitum tristem prædixit. Cap. 23. Jechoniæ Joakim fratri captivitatem apud Chaldæos, & omne genus ipsius à regno excludendum fore prænuntiat Cap. 26. Eversionem Templi prædicit. Capitibus 45. 46. & 47. &c. finitimis Judææ populis, Ægyptiis nempè, Philistæis, Tyriis, Phœnicibus, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, populis Damasci, Cedar, & Asor, &c. calicem iræ Dei se præbiturum minitatur; quòd eversione Templi à Chaldæis facta impletum est, quam cap. 25. clarè prænuntiavit. Cap. 36. in carcere detentus Deo jubente Barucho Discipulo suo prophetias suas, factô ab an. 13tiô. Josiæ Regis initiô, dictavit, quas coram frequenti populo postea Baruch ipse legeret. Hæc & alia Jeremiæ liber continet.

481 Ei, ut dictum, Lamentationes, seu Threni ipsius Prophetæ subjunguntur, 5. Capitibus comprehensæ; suntque lugubres ipsius querimoniæ de miserabili statu Judæorum, & de vastitate Jerosolymæ, sive eam intelligamus, quam passa est ab interitu Josiæ, ut volunt Hebræi, Chaldæus, & alii: sive eam, quam à captivitate Jechoniæ sustinuit, ut vult Eusebius: sive potiùs illam accipiamus, quam intulit Nabuchodonosor sub Sedecia Rege, cùm Urbs eversa est, & Templum incensum, ut censent Origenes, ac Theodoretus, necnon græci Interpretes: sive etiam ad illam direptionem respiciamus, quam fecit Titus Vespasianus, quæ ex mente Hieronymi, veluti complementum est hujus Prophetiæ.

Porrò liber hic ab omnibus, velut Canonicus semper habitus est. Id in eo difficultatem aliquam parere videtur, quòd cap. 36. v. 30. Jeremias contra Regem Joakim hæc vaticinetur, ac dicat: *Non erit ex eo, qui sedeat super solium David*, cùm tamen lib. 4. Reg. cap. 24. v. 5. dicatur: *Et dormivit Joakim cum patribus suis: & regnavit Joachin filius ejus pro eo.* 482

Sed respond. Quòd, etsi solium David conscendere tentaverit Joachin filius Joakim, per tres circiter menses, jure ad se Sceptrô devolutô: tamen, quia pacificè in eo non sedit, sed cum universa familia sua post tres, ut dictum, menses abductus Babylonem fuit, ideò non dicendus sit sedisse. Posteri verò ejus verè Reges non fuêre, sed ad summum quasi Duces, vel Regibus Persarum tributarii Principes.

De libro Baruch. 483

Baruch filius Neriæ, Maasiæ Nepos ex illustri progenie in Tribu Juda ortum duxit. Ejus frater Saraias apud Sedeciam Regem nobilissimo fungebatur munere, ipse autem Jeremiæ Prophetæ adhæsit, cujus & Discipulus, & à secretis, seu Amanuensis, quoadusque vixit hic Propheta, perseveravit, nec nisi mortuum reliquit. Cum ipso, post captam jam à Nabuzardan Jerosolymorum Urbem, in Ægyptum perrexit. Ibi, quod ferunt plerique, Jeremias occubuit; Baruch etiam

(*x*) C. 18. (*y*) C. 22.

etiam duodecimò captivitatis annô Babylone obiisse dicitur à Rabbinis.

484 Ejus liber, qui Græcè tantùm superest, ut plurimùm Jeremiæ libro ad calcem inferitur, nec pluribus, quàm sex, constat Capitibus, in quibus Judæi inducuntur velut peccata sua, & scelera lugentes, Deique misericordiam implorantes. Cap. 3. v. 38. de Christo, ejusque in carne adventu vaticinatur Baruch. Cap. 5. prædicit Judæos à captivitate liberandos, atque cum gloria in patriam reducendos. Cap. 6tum. continet Epistolam Jeremiæ ad Judæos in Babylone captivos, qua ipsis Propheta vaticinatur, eos post septem generationes fore liberandos. Hæc libri hujus epitome, quem Baruch se scripsisse ait c. 1. v. 1. & 2. in anno 5to post Hierosolymitanum excidium Babylone.

Extra Canonem illum esse volunt ex Catholicis Joannes Driedo, lib. 1. de Scripturis & Dogmat. Eccles. cap. ult. Et ex Acatholicis Calvinus, lib. 3. Institut. c. 20. §. 5. Atque Chemnitius, in exam. Conc. Trid. Sess. 4. sed immeritò, contra quos proinde ponitur

485 CONCLUSIO.

Liber Baruch meritò inter libros Canonicos S. Scripturæ recensetur.

Prob. Conclusio 1mo. Ex ipso libri hujus contextu, qui nihil nisi sanctum, & pium spirat, ut suprà memoravimus; insuper vaticinia de Christo, de liberatione Judæorum à captivitate continet, eventu suo comprobata; cujus sententias posteriores Prophetæ Daniel, & Nehemias scilicet in suas scriptiones, quæ velut canonicæ ab omnibus habentur, transtulerunt, ut Daniel. cap. 9. v. 13. & seq. ex Baruch c. 2. v. 7. & seq. Daniel. ibid. v. 5. & 15. Item 2. Esdræ c. 9. v. 10. ex Baruch cap. 2. v. 11. & seq. Iterum Daniel. ibid. v. 19. ex Baruch c. 2. v. 15. Daniel. ibid. v. 18. ex Baruch c. 2. v. 19. Illius denique cap. 6tum. quo Epistola Jeremiæ continetur, tanquam Jeremiæ scriptionem citat Auctor lib. 2. Machab. c. 2. v. 1. & 2.

Atqui liber, qui nihil nisi sanctum, & pium spirat, qui vaticinia tum de Christi in carne adventu, tum de liberatione populi Israëlitici è captivitate; quem alii Scriptores sacri transcripsisse, atque citasse videntur, meritò velut sacer, & Canonicus haberi debet. Ergo &c.

Prob. 2do. Auctoritae Ecclesiæ, quæ, 486
ex antiqua traditione, in profesto Pentecostes palam, & publicè lectionem ex libro Baruch cum lectionibus aliorum sacrorum Librorum legi jubet. Concilia item Florentinum, & Tridentinum eum inter sacros & Canonicos libros recensent.

Prob. 3tio. Auctoritate veterum Pa- 487
trum, qui vel sub proprio Baruch, vel sub Jeremiæ nomine illum citarûnt, velut divinum, atque ex eo textus adduxerunt: ut Cyprianus, lib. 2. cont. Jud. c. 5. *Item apud Baruch*, inquit, *hic est Deus noster*, *&c.* Et Serm. de Orat. Dom. Epistolam Jeremiæ, quæ est ultimum Caput libri Baruch, velut à Spiritu sancto dictatam citat. S. Hilarius nominatim ponit in Canone Epistolam Jeremiæ, Præfat. Comment. in Psalm. S. Cyrillus etiam nominatim citat Baruch, lib. 10. in Julian. Clemens Alexandrinus illum sacram Scripturam vocat, lib. 2. Pædagogi, cap. 3. ut & S. Ambrosius, lib. 1. de Fide, cap. 2. Theodoretus totum librum exponit, eumque divinam Scripturam apertè nuncupat, in Baruch. Cap. 2. Idem asserit Eusebius, lib. 6. Demonst. Evang. c. 19.

Passim etiam Veteres sub nomine Jeremiæ librum hunc allegant, propterea, quòd Baruch notarius, seu scriba, & Discipu-

Discipulus fuerit Jeremiæ (z), quæ causa fuit, cur antiqua Concilia, & Patres aliqui illum nominatim in Canone non posuerint, quia nimirum eum partem esse Jeremiæ vaticiniorum judicabant. Certè Clemens Alexandrinus sub nomine Jeremiæ citat illud Baruchi c. 3. v. 9. & illud c. 4. v. 4. (a) S. Ambrosius, lib. 1. de pœnit. c. 8. nomine Jeremiæ recitat quædam c. 3. & ex c. 5. libri hujus, ut & lib. 3. Hexamer. c. 14. ex c. 4. S. Basilius, lib. 4. in Eunom. non procul à fine, & S. Chrysostomus, in Orat. *quòd Christus sit Deus*, cont. Gent. adducunt illud Baruchi c. 3. v. 36. *Hic est Deus noster* sub nomine Jer. S. Augustinus lib. 18. de civit. c. 33. eundem locum dicit ab aliquibus citari nomine Baruch, sed à pluribus nomine Jeremiæ.

Denique eundem locum sub nomine Jeremiæ adducunt Sixtus I. Ep. ad omnes fideles. Felix IV. Ep. ad Petrum Antioch. & Pelagius I. Ep. ad Vigilium. Imò hucusque usus in Ecclesia etiam invaluit, ut, quoties librô Baruch utitur in horis Canonicis, illum sub nomine Jeremiæ referat. Ergo liber iste meritò Canonicus, & Divinus reputari debet, vel etiam liber Jeremiæ à Canone removeri debet, quippe sub cujus nomine prior à Patribus citatur. At de libro Jeremiæ nulla unquam fuit apud Veteres controversia, ergo nec de libro Baruch, adeoque divinus est, & Canonicus.

488 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Liber iste à Canone Judæorum excluditur. Ergo non videtur, qua ratione ab Ecclesia in Canone collocari possit.

Resp. 1mo. transf. ant. neg. conf. Non est minor Ecclesiæ auctoritas, quàm olim Synagogæ fuerit, prout alibi jam sæpiùs inculcavimus: potuit ergo Ecclesia, neglecta Synagogæ & Judæorum opinione, post examinatam libri Baruch dignitatem, illum in Canonem recipere &c. Igitur Judæorum mos, qui librum Baruch à Canone excludunt, non satis validum est argumentum, ut & à nobis rejiciatur, cùm & alios libros, quos ipsi non admittunt, nos inter Canonicos recenseamus.

Resp. 2do. Quòd liber iste in Judæorum Canone non recenseatur, id ex multorum consuetudine factum est, qui inter Jeremiæ scriptiones librum hunc collocabant. Atque ea consuetudo à prima Ecclesiæ ætate prodita, à vetustis Patribus servata est, ut supra ostendimus. Unde minime dubitandum, quin sub Jeremiæ scilicet nomine in Canonem à Synagoga magna, seu Esdra relatus fuerit.

Inst. 1mo. Liber iste nunquam hebraicè scriptus fuit, & nonnisi ex Græco ad nos perlatus est. Ergo minimè potuit ab Esdra, seu Synagoga magna in Canonem referri, quæ nonnisi hebraico sermone conscriptos libros in illum retulit, nec alios referre potuit, ut qui nondum græcè exarati fuerint. 489

Reg. neg. ant. Quamvis enim liber Baruch græcè tantùm supersit, minimè tamen dubitandum, quin primò ab ipsô Baruch hebraicè exaratus fuerit, quod hebraicum exemplar postmodùm intercideri ex ratione, quia inter Jeremiæ scriptiones omisso Baruch nomine liber hic positus fuit; unde cum librarii sacra volumina exscribentes, in eorum indice Baruch nomen non reperirent, ut qui sub Jeremiæ titulo contineretur, librum quoque ejus inde amovendum censuerunt, cujus nomen in titulo non comparebat. Et profectò græcam hujus libri interpretationem ex hebraico exemplari derivatam esse evincunt complures hebraismi, quibus totum Opus perspersum est, iisque tam crebris, ut

(z) C. 36. v. 4. (a) Lib. 1. pædag. C. 10.

ut apertum sit, librum hunc esse originis hebraicæ Opus.

490 Inst. 2do. Hebraismi in hoc libro contenti id duntaxat evincunt, illum nempe scriptum fuisse ab Hellenista quodam, seu Hebræo græcâ linguâ utente, minimè verò quòd hebraicæ originis fuerit, & ab ea lingua primùm in græcum sermonem translatus fuerit. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Neque enim verisimile est, hominem græcum, aut Hellenistam græcè scribentem tantum hebraici coloris huic libro allinire potuisse, nisi præeunte ipso exemplari, cujus sententias, & dictiones hebraicas fidus Interpres sequebatur.

491 Inst. 3tio. Homini hebraicæ linguæ perito facile fuit, etiam cùm græcè scriberet, hebraicæ linguæ saporem retinere, & crebros ubique hebraismos aspergere. Ergo &c.

Resp. transf. ant. neg. cons. Mirum enim profectò videtur, quòd vir hebraicæ linguæ peritus, sub Baruch hominis hebræi nomine Opus confingere, & supponere voluerit, nec tamen hebraicam, sed græcam orationem adhibuerit.

492 Ob. 2do. Liber iste in veteribus Bibliorum Catalogis, quorum Patres, & Concilia meminerunt, neutiquam legitur. Ergo &c.

Resp. neg. cons. 1mo. Non omnes libri Canonici simul ab universa Ecclesia recepti fuerunt, & fieri potuit, ut quos priora Concilia, prioresque Patres minimè recepissent, eos posteriores Synodi, Patres, & Pontifices confirmarent, prout de libro Baruch factum perhibetur. 2do. Ideo librum hunc veteres Ecclesiæ tabulæ non referunt, quia passim sub Jeremiæ nomine continebatur, prout suprà ostendimus; unde factum, ut hucusque usus in Ecclesia invaluerit, ut quoties ipsa librô Baruch in officio Ecclesiastico utitur, illum sub Jeremiæ nomine referat. Minimè proinde dubitandum, quin Patres, & Concilia, qui sacrorum librorum Canonem edentes, Jeremiæ volumen haud omiserunt, Baruch quoque librum, qui sub prioris Prophetæ nomine apud ipsos veniebat, intelligerent.

Ob. 3tio. Cùm reliquos omnes Prophetas Hieronymus commentariis suis illustrasset, in hunc nihil prorsùs commentatus est, quòd, ut ait (*b*), ab Hebræis non legatur, & insuper Epistolam falsò Jeremiæ adscriptam contineat. Ergo &c. 493

Resp. Ex hoc Hieronymi testimonio, quod ex iis, quæ hactenus disseruimus, penitus enervatur, id ad summum duntaxat colligitur, scilicet suo tempore librum Baruch non omnimodam in Ecclesia obtinuisse auctoritatem, & fortè à quibusdam receptum non fuisse, quod non officit, quin posteà, ponderatis, quæ pro illo militant, auctoritatibus & momentis, Ecclesia illum sacrorum librorum Canoni meritò adscripserit.

Porrò eidem Hieronymo Epistolam Jeremiæ, quæ c. 6. libri Baruch legitur, falsi postulanti opponimus inter alios Cyprianum, de Orat Dom. & Hilarium Prolog. Explan. in Psal. qui hanc Epistolam velut Canonicam, & à Jeremia exaratam suscipiunt, atque eam unum è Canonicis libris efficere docet Hilarius. Cujus rei ignari plerique, eam propter exiguitatem suam facilè delitescentem, inter Canonica scripta non posuerunt; hinc fortè etiam factum, ut librariorum hebræos Codices describentium diligentiam fugerit: imò è græcis quibusdam exemplaribus eam excidisse notum est, cujus, ut diximus, causa fuit libelli exiguitas, tùm etiam situs illius diversitas, cùm interdum Threnis, nonnunquam Baruch Prophetiæ subjungeretur. Fieri enim potuit, ut cùm Threnos descripsisset librarius ex uno Codice, in quo Epistola Jeremiæ subnexa erat Prophetiæ Baruchi,

(*b*) Præf. Comment. in Jerem.

Baruchi, à Threnis una serie ad Baruchum describendum progressus sit; deinde verò cùm Baruchum describeret ex altero Codice, in quo Threnos excipiebat Jeremiæ Epistola, ab incauto, & parùm attento librario prætermissa fit.

494 Ob. 4to. c. 1. v. 1. & 2. librum suum scripsisse Baruch ait annô 5tô post captam, & unacum Templo succensam à Chaldæis Urbem Jerusalem: & tamen eodem c. 1. v. 7. 10. & 14. item c. 2. v. 16. fit mentio Domûs Domini, seu Templi, & Altaris Domini veluti adhuc starent, nec diruta fuissent. Atqui hæc sunt contradictoria. Ergo &c.

Resp. neg. min. Non enim Urbs unacum Templo ita vastata, & igne consumpta fuit, quin cùm illius, tùm Templi reliquiæ aliquæ, scilicet parietes, & rudera remanserint, quæ intra illud quinquennium, quod, antequam Jerosolymam liber Baruch mitteretur, effluxit, refici, & aptari potuerunt ab iis, qui tum in civitate, tum in ejus vicinia remanserant, ita ut velut in tuguriis se recipere potuerint, atque intra Templi rudera super Altare, quod fortè quodammodò ab incendio servatum, vel ab ipsis restauratum fuerat Deo sacrificia offerre potuerint, prout memoratis v. 7. 10. & 14. c. 1. dicitur, &c.

495 *De libro Ezechielis.*

Ezechiel filius Buzi, è Sacerdotali genere (*c*) à Nabuchodonosore, qui Joakim Regem Juda jugum, quod priùs subire coactus fuerat, excutientem, in Judæam rediens, ceperat, & occiderat annô mundi 3405. ante Chr. 595. ante ærem 599. captivus Babylonem ductus est.

496 Verisimilius est, eum, cùm captivus detineretur, primùm divino afflatum Spiritu oracula sua fundere cœpisse annô mundi videlicet 3410. ante Chr. 590. ante ær. 594. siquidem ante suum in Chaldæam adventum nunquam Prophetam egisse legitur.

Vaticinari igitur cœpit annô ætatis suæ 30mô (*d*), ut nonnullis videtur, seu potiùs annô 30mô ab innovato cum Domino fœdere sub Josia Rege Juda; necnon prophetare perrexit usque ad annum mundi 3430. ante Chr. 570. ante æram 574. qui fuit 14tus à Jerosolimæ urbis excidio, quod in Jerusalem regnante Sedecia accidit anno mundi 3416. ante Chr. 584. ante æram 588. adeoque per 20. annos vaticinia sua fudit.

Jeremiam, & Ezechielem eodem simul tempore, hunc trans Euphratem, alterum Jerosolymæ ante urbis excidium, oracula fundentes sibi invicem Prophetias suas communicasse, ut Judæi exules animis confirmarentur, Hieronymus autumavit. (*e*)

Ezechielem à Principe populi sui, quem ab idololatria revocare conabatur, interfectum tradunt. Sed quis ad amnem Chobar, ubi in captivitatem abductus Propheta resederat, Judæorum Princeps fuerit, non facilè rescieris. Alii alia de illius morte tradunt, quæ hucusque pro incertis habita sunt. 497

Ipsius liber 48. Capitibus absolvitur. Prioribus calamitates Judæorum, & obsidionem urbis Jerusalem præfigurat. Cap. 11. prænuntiat reliquias Israël à Deo in patriam reducendas fore, quibus daturus esset cor carneum, ut eum colant, & timeant. Cap. 14. & 17. Pseudoprophetas ac Pseudoprophetides, eorumque clientes gravibus verbis redarguit, quòd ex cerebro vaticinantes falsam pacem populo promitterent. Sequentibus capitibus variis figuris, & parabolis denuò varias, easque graves Regum Israël & Judæ calamitates designat. A cap. 25. usque ad 32. Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Palestinæ, Tyriis, & Ægypto exitium prædicit. 498

(*c*) C. 1. v. 3. (*d*) C. 1. v. 1. (*e*) In Ezechiel c. 12.

est. (*f*) Cap. 34. prænuntiat, Deum oves suas liberaturum, & super eas Pastorem unum (Christum nempe) constituturum, quem nomine *Davidis* præfigurat, sub quo in omni ubertate terræ pascantur. Eadem repetit cap. 36. & 37. Cætera, quæ sequentibus Capitibus vaticinatur, obscura admodùm sunt.

499 Hujus libri auctoritas absque controversia omnium Sæculorum assensu comprobata est. Narrant tamen Judæi, diutiùs in Synedrio ea de re fuisse disceptatum; Ipsius enim initium & finis obscuriora videbantur (*g*); unde apud ipsos nonnisi post 30mum ætatis annum illius lectio permittitur. Nihilominus binæ in illo occurunt difficultates quæ à nobis solvi debent. Unde

500 Ob. 1mo. Cap. 1. v. 12. libri hujus, hæc de quatuor animalibus ab Ezechiele visis leguntur: *Illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent*, & è contrà ibid. v. 14. de iisdem asseritur: *Et animalia ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* Atqui, &c. Ergo, &c.

Resp. In priori textu significatur tantùm, hæc animalia ita fuisse ad obediendum suo aurigæ Deo parata, ut illùc rectà pergerent, quò ducebantur, quin retrocederent, vel usquam deviarent, prout interdum faciunt in loco declivi equi nimis oneratum currum trahentes, vel protervi, aut fræni impatientes. In posteriori verò textu solùm indicatur, eadem animalia eo ipso impetu, quo præscriptam sibi cursus metam attingerent, eademque velocitate reverti solita fuisse, ad aliò pergendum, quocunque ea ducere vellet auriga Deus.

501 Ob. 2do. Ibid. cap. 14. v. 9. Dicit Deus se Prophetam, cùm locutus fuisset verbum, decepisse; adeoque per illum fuisse mentitum. Ergo &c.

Resp. Deum non positivè Prophetam illum decepisse, sed permissivè duntaxat: nullus enim Propheta, quamvis falsus, positivè à Deo decipitur, sed permissivè tantùm, quatenùs sinit, ut in deceptionis occasiones incidat, & homines interdum fallat in eorum peccati pœnam, vel aliis justis de causis. Sic Paulus loquens de adventu Antichristi in pœnam præcedentium peccatorum hominum ordinato ait (*h*): *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Id est, ideò sinet eos ab Antichristo decipi, & in errorem induci. Sic lib. 3. Reg. c. 22. v. 22. Dæmoni loquenti de Achab, & ejus quadringentis falsis Prophetis atque ad Deum dicenti: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*, dixit Deus, *decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita*; non quod præcipiat Deus, ut decipiat, sed solùm permittat, dicens: *Egredere, & fac ita*, id est, egredere, per me licet, non impediam, sicut non impedio peccatum.

De libro Danielis. 502

Daniel Propheta Domini è familia David, qui, cùm teneræ adhuc esset ætatis (duodecim annos natum ferunt) captivus Babylonem annô 4tô Joakim Regis Juda, an. m. 3398. ante Christ. 602. ante ær. 606. abductus est. Regis Nabuchodonosoris unacum tribus sociis Anania, Azaria, & Misaële obsequio in Regia destinatus fuit. (*i*) Atque hi quatuor eâ curâ educati fuêre, quæ tali ministerio competeret, necnon omni Chaldaicâ litteraturâ imbuti.

(*f*) Vaticinium de Christo. (*g*) Hieronym. Præfat. in Ezechiel. (*h*) 2. Thessal. 2. v. 10.
(*i*) Daniel. c. 1.

503 Hæc porrò Danielis ejusque libri, qui 14. Capitibus constat, Chronologia & ordo. Ductus est Babylonem annos natus fortasse duodecim an. m. 3398. (*k*) Historia Susannæ anno mundi 3401. (*l*) Somnium statuæ an. m. 3402. necnon vaticinium de Regno Christi. (*m*) Erigitur à Nabuchodonosore statua aurea, quam tres pueri Ananias, Azarias, & Misaël adorare renuentes missi sunt in fornacem ignis ardentis, unde illæsi egrediuntur, an. m. 3417. (*n*) Somnium Nabuchodonosoris de Arbore, an. m. 3434. (*o*) Phrenesis ejusdem, an. m. 3435. (*p*) Regno restituitur, annô m. 3443. (*q*) Visio quatuor animalium sub exordium Regni Balthasaris, annô m. 3445. Item vaticinium de adventu Christi, quem nomine filii hominis designat. (*r*) Altera visio arietis, & hirci, an. m. 3448. (*s*) Sacrilegum Balthasaris convivium: interpretatio scripturæ ad parietem exaratæ facta à Daniele: occisio impii Regis Balthasaris, cui succedit Darius Medus, an. m. 3448. ante Christ. 552. (*t*) Initiô imperii Darii Medi visio septuaginta hebdomadum, quæ apertam de Christi adventu prophetiam continet, an. m. 3449. ante Christ. 551. ante ær. 555. (*u*) Darius latô editô, neminem præter se unum, nec hominem nec Deum triginta dierum spatiô coli ab omnibus, præcipit: Daniel, quòd contra Regis mandatum, nihilominus Deum colere, & adorare pergeret, in foveam leonum immittitur, è qua die altera illæsus educitur, an. m. 3450. ante Christ. 550. ant. ær. 554. (*x*) Visio de viro lineis vestito, de resistente Principe Persarum, de Regni Græcorum Principe, & de Michaële Principe Judæorum, annô m. 3458. ant. Chr. 542. ant. ær. 546. (*y*) Vaticinium de Regibus Persarum, & Rege Græcorum &c. Eodem anno. (*z*) Vaticinium de salvatione reliquiarum Judæorum, de resurrectione quorumdam ex mortuis ad vitam, & quorumdam ad opprobrium; de gloria Doctorum, & completione Prophetiæ post statutum tempus, eodem anno. (*a*) Historia Beli (*b*) & Draconis à Daniele occisi; ob facinus istud, urgentibus Babyloniis, permittente Cyro Rege, mittitur in lacum leonum, ubi per sex dies inclusus ab Habacuc Propheta pastus est, septimo autem die incolumis inde extrahitur, an. m. 3458. ante Chr. 542. ant. ær. 546. (*c*) Sunt, qui non improbabiliter, imò probabiliùs fortè, hanc historiam ad Regnum Evilmerodach, qui annô m. 3445. ante Christ. 555. ant. ær. 559. Babyloniæ Regnum obtinuit, atque eodem anno amisit, referri debere autumant. Nam Cyrus Belum, primum Babylonis Regem, cui post mortem divinos honores exhibebant Babylonii, non colebat, sed Solem. Neque ausi fuissent Babylonii, utpote à Cyro subacti, eidem mortem, nisi Danielem in leonum foveam mitti permitteret, minitare, prout tamen minitant. (*d*) Hæc historiæ & libri Danielis epitome, & Chronologia. Tempus, quo mortuus est, ignoratur.

Librum ipsius velut Canonicum, & divinum Ecclesia Catholica agnoscit, sit ergo cum illa

CONCLUSIO. 504

Liber Danielis Canonicus est, & divinus.

Prob. 1mô ex hoc ipso Danielis libro. In quo nempe earum rerum, quas multis, antequam evenirent, sæculis, prædixit,

(*k*) Cap. 1. (*l*) C. 13. (*m*) C. 2. (*n*) C. 3. (*o*) C. 4. (*p*) Ibid. (*q*) Ibid. (*r*) C. 7. (*s*) Cap. 8. (*t*) C. 5. (*u*) C. 9. (*x*) C. 6. (*y*) C. 10. (*z*) C. 11. (*a*) Cap. 12. (*b*) Bel vel Baal idem ac *Dominus* apud Ægyptios *Bel* idem erat ac apud Latinos *Jupiter*. Hic *Belus* indicari videtur primus Babyloniorum Rex. (*c*) C. 14. & ult. (*d*) C. 14. v. 28.

dixit, infallibiles, & certissimi eventus inveniuntur. Imò non solùm futura prædixit in suo libro Daniel, quod omnibus Prophetis commune est, sed etiam quo tempore, & sub quibus Regibus, numeratis per ordinem annis, ea venire debuerant, certissimè prævidit, & prædixit, adeò ut non tam e videatur futura prædixisse, quàm præterita narrasse; Nihil ferè enim de quatuor Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum Monarchiis in Gentium historiis continetur, quod in libro Danielis ante plura sæcula ab ipso prænuntiatum non legatur.

His accedit consensus sacrorum voluminum tam veteris, quàm novi Testamenti de Danielis Prophetia testimonium ferentium. In 1mo. Machab. libro c. 2. Matthatias morti proximus filios suos hortatur ad Legis observantiam, & ærumnarum tolerantiam, acceptis ex hoc Danielis libro exemplis trium puerorum è camino ignis liberatorum, & Danielis, qui de ore leonum liberatus est. Christus quoque apud Matthæum c. 24. ex hoc libro excidium Urbis Jerosolymæ, & ejus Templi abominationem à Daniele Propheta prædictam denuntiat. Paulus item ad Hebræos scribens. c. 11. meminit historiæ trium puerorum & Danielis in lacu leonum, cùm ait: *Extinxerunt impetum ignis, obturaverunt ora leonum. &c.*

Atqui liber, cujus contenta vaticinia certus, & infallibilis eventus confirmavit, qui à sacris Scriptoribus, ipsoque Christo Domino adducitur, in eorum, quæ proferunt, testimonium &c., verè propheticus, adeoque divinus, ac proinde Canonicus dici, & reputari debet. Ergo &c.

505 Prob. 2dô. ex Traditione Judæorum, qui librum Danielis inter Agiographa, seu inter sacros, & Canonicos libros ponunt, atque Danielem unum è maximis Prophetis, qui cum Deo habuerit colloquia, nuncupant, eumque non solùm futura prædicasse, sicut alii Prophetæ, sed & tempus, quo hæc eventura erant, determinasse fatentur. (*e*) Imò Thalmudistarum sententia est, librum Danielis à viris Synagogæ Magnæ fuisse elaboratum, quam alii Rabbini sequuntur. Nos autem id ita intelligendum volumus, ut Synagoga Magna librum hunc è Chaldaico, quo sermone à Daniele scriptus fuerat, in Hebraicum transtulerit. Ergo &c.

Prob. 3tiô. ex Traditione Ecclesiæ, 506
quæ, testibus Ruffino lib. 2. cont. Hieronym. & S. Augustino Serm. 47. de Sanctis, jam à 1300. & quod excurrit annis, tam in Missa, quàm aliàs in Officio varias hujus libri partes recitat, ut in Missa Sabbati quatuor temporum, & in laudibus, quæ non sunt de feria, Hymnum trium puerorum. In Missa Sabbati ant. Dom. 4. Quadragesimæ, Historiam Susañæ. In Missa Feriæ 3. post Dom. 5. Quadrages. Historiam Draconis interfecti, &c.

Accedunt 4tô Concilia, & Patres, à 507
quibus totus Danielis liber velut Canonicus & divinus semper habitus est. Canonicis Scripturis deputatur à Conciliis Laodiceno Sæculô 4tô. celebrato, & Carthaginensi III. annô 397. sub Siricio Papa, & aliis. Atque omnes sacrorum librorum Catalogi illum referunt per omnes Ecclesiarum successiones tanquam veri Prophetæ librum.

Sancti Patres verò etiam illum tanquam divinum, & propheticum agnoscunt. Ut beatus Ignatius Martyr, Ep. ad Magnesian. Origenes, hom. in Levit. & Ep. ad Julian. Afric. Tertullianus, librô de corona militis. S. Cyprianus, lib. 1. Epist. 8. & lib. 4. Epist. 6. Item Serm. de

(*e*) Maimonides in More Nevochim. lib. 2. c. 45. Joseph. Antiq. lib. 10. cap. ult. Thalmudicus liber Megillah. c. 1.

de Orat. Dom. & ferm. de lapsis. S. Basilius, lib. de Spiritu sancto c. 3. S. Epiphanius, in Anchorato. S. Joan. Chrysostomus, Hom. 4. ad popul. Antioch. Theodoretus. Comment. in Daniel. S. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu sancto. S. Augustinus, lib de natura boni, & tract. 36. in Joan. Ergo &c. &c.

508 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Liber hic non est Danielis illius, qui inter viros sanctos, & Prophetas in quibusdam sacræ Scripturæ locis memoratur. Ergo fictitius est, & Danieli falsò adscriptus. Prob. ant. Ezechiel, qui, ut suprà, ubi de illius libro egimus, à nobis notatum est, annô mundi circiter 3410. oracula sua fundere cœpit, Danielis meminit velut olim jam defuncti, vel saltem jam provectæ ætatis, & multorum liberorum parentis; sic enim de eo, atque Noë & Job loquentem Dominum inducit, c. 14. v. 14. & v. 16. *Si fuerint tres viri isti Noë, Daniel, & Job in medio ejus* (terræ peccatricis scilicet) *vivo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt.* Atqui tunc Daniel noster ad summum erat 24. annorum, nec unquam filios habuit, aut filias, ut qui eunuchus fuerit, prout communiter tradunt Judæi, quibus assentiuntur Origenes, & Hieronymus. Ergo fictitius est liber, quem sub Danielis viri sancti, & Prophetæ nomine præ manibus habemus.

Resp. ad 1mum arg. neg. ant. ad ejus prob. neg. ant. Propheta Ezechiel adductô locô loquitur hypotheticè tantùm, non absolutè, & perindè ac si diceret, si Daniel filios haberet, eos non liberaret, quod patet ex eo, quia de Noë & Job, qui multis ante sæculis jam è vita excesserant, eadem ac de Daniele dicit Ezechiel: annumerat autem eum inter viros grandævos, quia quamvis adhuc juvenis esset, tamen notus erat populo, propter Susannæ liberationem, somniorum Regis interpretationem, & occisionem Presbyterorum Idoli Bel.

Ob. 2do. Liber iste partim Chaldai- 509
cè, partim Hebraicè, partimque Græcè scriptus proditur. Ergo à variis diversarum nationum Scriptoribus videtur esse malè digesta, & confuta historia.

Resp. Equidem primum hujus libri caput cum tribus primis versiculis sequentis capitis Hebraicè scriptum tenemus; sequentia usque ad caput octavum Chaldaicè exorata sunt, quæ postmodùm à Rabbi Levi ben Gerson Hebraicè reddita sunt; reliqua rursùm hebraicô sermone narrantur, præter orationem Azariæ, c. 3. v. 25. & seq. Hymnum trium puerorum, Ibid. v. 51. & seq. Susannæ & Beli, ac Dacronis historias, quæ tempore Hieronymi Græcè tantùm supererant. Non tamen dubitandum, quin liber iste primùm Chaldaicè fuerit ab ipso Daniele exoratus, qui Chaldaicâ linguâ jussu Regis Babyloniorum fuerat imbutus, & magnum linguæ hujus usum diutina inter Chaldæos commoratione comparaverat; deinde Hebraicè à Judæis reducibus in gratiam, & utilitatem suæ gentis; demùm etiam Græcè ab Auctore priscæ Interpretationis, ab Aquila, à Theodotione, à Symmacho, & aliis translatus; ita ut temporum injuriâ Chaldaicâ & Hebræâ illius editionibus malè mulctatis, ac detruncatis, vel, prout conjicit Origenes, ex hoc libro deditâ operâ à recentioris ævi Judæis suppressis iis, & expunctis, quæ Majorum suorum infamiam, scelerumque vestigia exhibebant, sola integra perstitit Græca versio.

Ob. 3tio. Ejusdem libri c. 1. v. 21. 510
hæc leguntur: *fuit autem Daniel, usque ad annum primum Cyri Regis.* Item c. 6. v. 28. *Porrò Daniel perseveravit usque ad Regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.* Et tamen c. 10. v. 1. dicitur: *annô tertiô Cyri Regis Persarum, verbum revelatum est Danieli.* Atqui duo priores textus innuunt, Danielem obiisse primô Regni Cyri annô, & posterior è contrà ait, cum tertiô ejusdem

dem Cyri annô adhuc fuisse superstitem.

Resp. In duobus prioribus textibus significatur solùm, Danielem in Regis Aula, & maximo in honore ac gloria fuisse usque ad primum Cyri regnantis annum, hoc est, toto tempore captivitatis, & servitutis, necnon Babylonicæ Judæorum afflictionis, quod non excludit, eundem Danielem, relictâ aulâ Jerusalem reversum, privatam adhuc per duos annos egisse vitam, usque ad 3tium Cyri Regis annum, prout posterior indicat textus.

511 Ob. 4to. Ibid. c. 9. v. 1. Darius dicitur Assueri filius. Et tamen 1. Esd. c. 4. v. 6. & Esther c. 1. v. 6. Assuerus Dariô longè posterior fuisse dicitur. Ergo.

Resp. Cùm Darius Assueri filius vocatur, idem est, ac si dicatur filius magni Principis, seu Regis Medorum, nempe Astyagis; *Assuerus* enim non erat nomen proprium, sed commune Regis Medorum, sicut *Artaxerxes* Regis Persarum: unde est, quòd Cambyses, & Maritus Esther, aliique secundæ Monarchiæ Reges vocentur modò *Assueri*, modò *Artaxerxes* prout Medis, vel Persis, quibus utrisque imperabant, proprio gentium illarum nomine contingebat eos appellari.

512 Ob. 5to. Præter diversas hujus libri phrases, Auctor illius se Græcum fuisse prodit, cùm Danielem græcis allusionibus Presbyteris respondentem adducit c. 13. deductis verbo *Chisein* (f), hoc est scindere à dictione *chinu* (g), id est, *Lentiscô*; & verbô *prisein* (h), id est, *secare*, à nomine *prinu* (i) hoc est *Ilice*: quæ etymologiæ nec Hebræo, nec Chaldæo sermoni possunt adaptari. Ergo liber hic falsò adscribitur Danieli Prophetæ.

Resp. neg. ant. Phrases in libro hoc contentæ potiùs græcum translatorem, quàm Auctorem arguunt, quippe quæ hebraismum frequentissimè redoleant, prout ab eruditis viris jam diu observatum fuit. Fatemur etiam, Danielem in suo judicio, quo Susannam ab iniqua duorum Senum illorum accusatione vindicavit, ac liberavit, usum non esse his græcis vocibus, neque istis ad voces græcas allusionibus, sed alias Chaldaicas voces nobis ignotas adhibuisse, quibus tamen secundùm Chaldaicæ linguæ proprietatem aliqua verba *scindendi*, & *secandi* responderent. Græcus ergo Interpres non vertit ad verbum, sed ad sensum, utque allusiones servaret, alias arbores accepit, quibus in Græco responderent allusiones ad verba *scindendi*, & *secandi*; quod sanè in optimo interpretandi genere factitari solemne est.

Ob. 6to. Eodem c. 13. & in eadem Susannæ historia Daniel dicitur fuisse puer junior. At sup. c. 7. dicitur fuisse unus ex primis Satrapis Darii Medi, quo tempore utique puer ampliùs non erat. Atqui hæc sunt contradictoria. Ergo &c. 513

Resp. conc. maj. neg. min. Vulgata nostra non omnia eo ordine, quo re ipsa evenerunt, in Danielis libro recenset, sed interdùm priùs narrat ea, quæ primùm posteà facta sunt; unde in Græcorum Codicibus, in quibus historiæ ordo magis servatur, liber hic incipit ab historia Susannæ, quippe quæ primis captivitatis Danielis annis, & cùm adhuc 15. circiter annorum puer esset annô mundi 3401. ante Chr. 599. ante æram 603. contigisse perhibetur. Hanc autem historiam Hieronymus, qui librum hunc ex Hebræo in Latinum transtulit, & latinæ Ecclesiæ tradidit, ad illius calcem rejecit, ut intelligeremus, eam ex Hebræo intercidisse, atque, ut suprà ex Origene annotavimus, à Judæis recentioribus suppressam, & deletam fuisse.

Inst. Memoratum cap. 13. Danielis, quo historia Susannæ præcisè continetur, his verbis finitur: *Et Rex Astyages* (aliàs Darius 514

(f) σχίσει (g) σχῖνος (h) πρίσει (i) πρῖνος

Darius Medus (*k*)) *appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus;* quod evenit anno mundi 3456. Atqui hæc innuunt, hanc Susannæ historiam accidisse vel sub finem Imperii Astyagis, vel initiô Cyri. Ergo &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Quæ hîc de morte Astyagis, & principio Regni Cyri Persis dicuntur, perperam ab Interprete latino, seu potiùs librario & amanuensi ad calcem capitis 13. libri Danielis posita sunt, ut quæ ad historiam Susannæ proximè narratam non pertineant, sed constituant initium capitis 14ti & ultimi. Id liquidò patet ex contextu, & dispositione græcorum Codicum, præsertim editionis græcæ Sixti V. Papæ, in qua versus ille 65. & ult. cap. 13tii Vulgatæ nostræ connectitur cum cap. 14to illiusque initium constituit, non verò cum historia Susannæ, quæ longo tempore ea præcessit, quæ memoratô cap. 14tô narrantur.

515 Ob. 7mo. Josephus lib. 10. Antiquit. Historias Susannæ, Beli, & Draconis in Vulgata nostra recensitas c. 13. & 14. Danielis gesta perscribens tanquam fabulosas omittit. Hieronymus quoque eas fabulas appellavit, & velut lectu indignas obelo, seu veru jugulante transfixit, ac à reliquo Danielis volumine detruncavit, multisque argumentis confutavit, Præf. in Daniel. Item, Præf. in Comment. ejusdem. Ergo re ipsa sunt fabulæ.

Resp. transf. ant. nec enim secundùm omnia verum est. Neg. consf. Josephus lib. 10. Antiquit. c. 12. has & multas alias sacras historias se silentiô præteriisse fatetur, non quia eas narratione sua indignas censebat, sed quia in antiquis Hebræorum libris scriptæ non erant, quos solos sumpserat transferendos. Hieronymus autem Apolog. 2. cont. Ruffin. ait, se non quid sentiret explicuisse in citatis prologis, sed, quid Judæi dicerent, indicasse. Obelô verò has historias notavit, ut, quod jam supra memoravimus, sciremus, eas sua ætate non ampliùs in Hebræo fuisse.

Inst. Sed cur eas fabulas vocat, 516 nisi quia commentitias censuit? Ergo &c.

Resp. Eum fabulæ nomen non à fabulando, sed à fando hîc deduxisse (*l*): nam & qui vera narrant, communi gentium locutione fabulari dicuntur; sicut de duobus Discipulis, de morte Christi in itinere loquentibus, dixit Lucas c. ult. v. 15. *Et dum fabularentur ad invicem,* hoc est, colloquerentur.

De Osee Propheta, & ejus libro. 517

Osee duodecim minorum Prophetarum primus fuit filius Beeri (*m*), ex patria Belemoth in Tribu Isachar, quæ videtur eadem esse ac Beelmon in eadem Tribu sita versùs Esdrelon. Ejus patrem ferunt Rabbini fuisse Beerum (*n*), Tribûs Ruben Principem eo tempore, quo Theglatphalassar nonnullos ex Tribubus Israël in captivitatem abduxit an. m. 3245. ante Christ. 755. ante ær. 759. Quæ si vera sint, profectò dicere debebimus, Osee natum esse ex Tribu Ruben, & ex patria Beelmon ultrà Jordanem fuisse.

Vixit in Regno Samariæ, ejúsque Prophetiæ ut plurimùm id Regnum aspiciunt, licèt quædam ad Regnum Juda pertinentia etiam edisserat.

Liber

(*k*) Imperavit Babylone ab anno mundi 3448. usque ad annum 3456. (*l*) Certè si S. Hieronymus eas fabulas & fictitias censuisset, non utique in eas commentatus fuisset, prout tamen commentatus est, &c. (*m*) Epiph. lib. de vit. Prophet. (*n*) 1. Paralip.

518 Liber ipsius, qui 14. constat Capitibus in Vulgata nostra his verbis incipit (o): *Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, Regum Juda; & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israël.* Quod tamen comprobari nequit, nisi Osee plus æquô vixisse fateamur. Ab initio enim Regni Oziæ, quod cœpit an. m. 3194. ante Christ. 806. ante ær. 810. usque ad finem regni Ezechiæ, quod desiit anno mundi 3306. ante Chr. 694. ante ær. 698. anni 112. numerantur, quibus si addamus 20. aut 25. annos, quos natum Osee credimus, cùm vaticinari cœpit, anni 132. vel 137. complebuntur; quòd si autem decem, vel duodecim à regno Oziæ, & decem, vel tredecim à regno Ezechiæ, quibus Osee vaticinari non potuerit, annos demamus, adhuc tamen 112. vel 117. supererunt anni, quod diutinum prophetandi tempus ex ipso Osee nullibi colligitur. Cur etiam de regnis Regum, sub quorum Dominio minimè vixit, ipsius Prophetiæ sint inscriptæ, non videmus. Unde initium istud Prophetiæ Osee, seu versum 1. cap. 1. non ab ipso, sed ab aliquo veteri Scriba imperito quidem, appositum censemus; atque ejus Prophetiam à versu 2do seu ab his verbis, *Principium loquendi Domino in Osee &c.* incipiendam esse arbitramur. Sua igitur vaticinia aggressus est circa finem regni Jeroboami II. Regis Israël, an. m. 3222. ante Christ. 778. ante ær. 782.

519 Prophetarum omnium, quorum vaticinia supersunt à Hieronymo, in Osee; Basilio, in Isai. c. 1. Ruffino aliisque pluribus Osee vetustissimus habetur; attamen aliis Amos vetustior videtur, ut qui circa annum mundi 3215. prophetias suas fundere inceperit: sed de hoc posteà.

Eo vivente quatuor Tribus à Theglathphalassare primò in captivitatem abductæ fuerunt, & deinde eversum à Salmanassare Samariæ regnum; post cujus eversionem tamen adhuc stetisse vaticinium asserit Hieronymus.

Capitis 1. Prophetiæ hujus initium ad Zachariæ Regis Israël, Jeroboami II. filii mortem refertur. A 6to versiculo ejusdem Capitis usque ad c. 3. Israëlis captivitas, & post eam captivorum libertas prædicitur. In Regni decem Tribuum flagitia Osee vehementer insurgit, cujus etiam ætate non modò in Dan, Bethel, & Samaria, verùm etiam in Galgala cap. 4. v. 15. & cap. 9. v. 15. & cap. 12. v. 11. In Sichem c. 6. v. 9. In Bersabee; In montibus Thabor, c. 5. v. 1. In Galaad, cap. 5. v. 1. & cap. 6. v. 8. idolis cultus videtur fuisse exhibitus. Loquitur denique de Israëlitis, velut de populo ad scelus quodlibet parato, cujus flagitia defleri puidem possent, augeri non possent. Eorum vitulos aureos evertendos, conterendos; Israëlitas verò in Assyriam transferendos fore vaticinatur, cap. 8. v. 5. & cap. 10. v. 5. 520

Neque etiam scelera Judæ præterit, eosque in Galgala ad colenda idola pergentes increpat cap. 4. v. 15. Sennacherib adventum in regionem Judæ, cap. 8. v. 14. Judæ populos post decem Tribuum captivitatem suis domibus aliquamdiu adhuc fruituros, cap. 1. v. 7. Posteà tamen & ipsos ultra Euphratem captivos deducendos esse; indè etiam reducendos cap. 1. v. 10. pronuntiat.

Hujus Prophetæ stylus est admodùm obscurus; phrases sæpè difficiles, & intricatæ; ad quam obscuritatem vehementer conferunt ea, de quibus agit; cùm valde absint à nostra ætate, nósque eorum temporum historiam ad amussim non possideamus.

Plu-

(o) Cap. 1. v. 1.

521 Plures Interpretes Osee conjugium sibi à Deo (*p*) præceptum cum muliere prostituta parabolam duntaxat esse arbitrantur: attamen ex toto Osee textu satis superque patet, hoc conjugium verè contigisse, quamvis illud per figuram ea etiam expresserit, quæ deinde comprobavit eventus. Nec tamen culpandus est, inquit S. Hieronymus (*q*), quòd meretricem converterit ad pudicitiam, sed laudandus potiùs, quòd ex mala bonam fecerit ...... præsertim, cùm non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propria fecerit voluntate, sed Dei paruerit imperio; ut quod in illo carnaliter præstitum legimus, in Deo spiritualiter factum probaremus.

522 *De Joële ejusque Prophetia.*

Joël Phatuëlis filius inter duodecim minores Prophetas secundus, ex Tribu Ruben, & urbe Betharan oriundus, in regno Juda vaticinatus est post decem Tribuum captivitatem, ut credimus, & regni Israëlis eversionem. Quo tamen tempore vaticinari inceperit, & quo obierit, incertum. Maxima quidem annonæ caritate, & locustarum nube Judæam affligendam prænuntiat; at cùm eæ calamitates regionem illam sæpissimè afflixerint, neque singulæ in peculiares tabulas regestæ fuerint, nihil inde adduci potest, quo hujus Prophetiæ Epocha constitui valeat.

Hebræi Manasse in Jerusalem imperante, cujus regnum anno mundi 3306. ante Christ. 694. ante ær. 698. sumpsit initium, mors autem in an. m. 3361. ante Christ. 639. ante ær. 643. incidit, Joëlem vaticinatum ferunt: famem autem, quam ipse prænuntiat, eandem esse putant, ac eam, de qua Jeremias cap. 8. v. 13. Id si verum sit, profectò post Manassem Joël prophetasse dicendus est; eodem enim Jeremiæ locô propter præterita Manassis flagitia Hebræos se dispersurum minatur Dominus, ex quo Manasses è vivis jam demigrasse ostenditur. Quamobrem commodiùs sub Josia Rege Juda, eademque, qua Jeremias floruit, ætate Joël statuitur, scilicet circa annum mundi 3387. ante Chr. 619. ante æram 623.

Tribus duntaxat capitibus tota Joëlis Prophetia absolvitur. Cap. 1. hostilis instar exercitûs locustarum immensum agmen in Judæam irriturum minatur, quæ, bruchis interim, & aëris siccitate regionem populantibus maximam populis caritatem inferent; hortaturque omnes, & potissimùm Sacerdotes ad planctum, jejunium, & orationem, plangens & ipse vastitatem terræ populi sui. Cap. 2. Diem Domini, & ultionem de impiis à Deo sumendam vaticinatur. Agit prætereà de justitiæ Doctore à Deo in terris donando; de Spiritu sancto in homines effundendo; de cœlesti Jerusalem, quam per totam æternitatem justi incolent; de salute, quæ de Jerusalem egredietur, & quam is consequetur, qui nomen Domini in auxilium sibi advocaverit; quæ omnia ad novam Christi Ecclesiam referuntur. Denique cap. 3. minatur Dominus magnam afflictionem gentibus, quæ populum suum afflixerunt; & quòd omnes in valle Josaphat judicaturus sit, quod ad extremum judicii diem refertur. 523

De Amos ejusque Prophetia. 524

Amos inter Prophetas Minores ordine tertius, ovium Pastor, ex urbe Thecue in Tribu Juda quatuor leucis ab Jerusalem versûs meridiem ortum duxisse, nullo tamen satis firmo argumento, ferunt.

Ex urbe Bethel ditionis decem Tribuum, in qua sub Jeroboamo II. circa an. m. 3215. ante Christ. 785. ante ær. 789. prophetare cœpit; jussu Regis pulsus, ad Civita-

(*p*) Cap. 1. (*q*) Comment. in Osee cap. 1.

Civitatem Thecue se recepit, ubi & Prophetam egit; quare è Regno Israël originem duxisse, & Israëlitas potissimùm illius missio spectasse verisimilius.

Prophetare cœpit duobus annis, antequam terræ motus ille contingeret sub Ozia Rege (*r*), quem Josephus lib. 9. Antiquit. cap. 11. ac veteres, necnon recentiores Commentatores vulgò ad tempus illud referunt, quo Rex iste munus Sacerdotale offerendi incensi usurpare ausus est, circa annum mundi nempe 3221. ante Christ. 779. ante ær. 783. At id verum non erit, si, quod tradunt, Jonathas Oziæ filius eodem an. m. 3221. natus est; quandoquidem eo tempore, quo Ozias incensum obtulit, Jonathas ætatem regno aptam jam habuisse Scriptura prodit (*s*), unde ille terræ motus, de quo sermo est, priùs accidisse dici debet.

526 Novem Capitibus Prophetia ipsius absolvitur. Duo prima Capita impenduntur contra Damascum, Philistæos, Syrios, Idumæos, Ammonitas, & regna Juda, & Israël. Mala, quæ minatur, spectant tempora Salmanassar, Theglatphalassar, Sennacherib, & Nabuchodonosor, qui horum populorum provincias devastaverunt, atque Israëlitas, aliosque abduxerunt captivos. Prædicit calamitates regno Israël imminentes post mortem Jeroboami II. tum temporis regnantis; expeditiones Phul, & Theglatphalassaris contra Israëlitas; captivitatem, egressum decem Tribuum. Demum Israëlitarum vitia, luxum, avaritiam, maximè in pauperes, & immodica convivia castigat: nec remissiùs agit adversùs peregrinationes religionis causâ ab Israëlitis susceptas ad falsa numina in Bethel, Dan, Galgala, & Bersabee; necnon jurantes per Deos alienos. Tandem prædicit, Deum suscitaturum tabernaculum David, & captivitatem filiorum Israël conversurum cum magna ipsorum felicitate.

Quo mortis genere Amos obierit, 527
ignotum est. Cyrillus, Præfat. in eundem tradit, Amasiam vitulorum aureorum, qui in Bethel colebantur, Sacerdotem, quo instigante ea urbe pulsus fuit, dentes illi confringi jussisse, ut ad silendum adigeret. Epiphanius verò, de vit. Prophet. cap. 12. Isidorus, de vita, & morte Sanct. cap. 43. Dorotheus, in Synopsi, & alii narrant, Oseam, seu Oziam dicti Amasiæ Sacerdotis filium in tempora ei clavum infixisse, quo ictu pene exanimatus Thecuam translatus, ibidem brevi post diem clauserit, atque in sepulchro Patrum suorum contumulatus fuerit. Sed verisimilius est, Prophetam hunc, postquam solum vertere ab Amasia coactus fuit, diutiùs in urbe Thecue substitisse; nec gravius quidquam ab iniquo isto vitulorum Sacerdote accepisse, ex eo colligi potest, quòd nunquam ea de re conqueratur, id solùm cap. 7. v. 12. innuit, prohibitum scilicet se esse, ne ultrà in Bethel vaticinaretur.

Stylum hujus Prophetæ humiliorem esse censet S. Hieronymus (*t*), eumque omnes suas comparationes è re campestri trahere observat (*u*), pro more satis recepto, ut singuli de rebus suæ artis libentiùs agant; nam Armentarius erat, atque Sycomoros vellicans, seu compungens. (*x*)

S. Augustinus verò illum adducit (*y*), ut ostendat, Scriptores sacros genere quodam eloquentiæ uti adeò spiritum & prudentiam præ se ferente, necnon rebus, de quibus agunt, ita conveniente, ut qui ruditatem, & rusticitatem in illis carpunt, neque ipsimet magis aptum personis, & circumstantiis stylum eligere potuissent.

(*r*) 4. Reg. c. 15. v 5. (*s*) 2. Paralip. c. 26. (*t*) Prolog. Expos. In Amos. (*u*) In Amos cap. 1. v. 2. (*x*) Amos c. 7. v. 14. (*y*) Lib. 4. de Doct. Christ. c. 7.

te Rege, jumentis pabulum subtractum, ipsaque etiam saccô operta fuêre; necnon ita ingemuêre Ninivitæ, ut Deus pietate motus veniam indulserit dolentibus. Ergo Jonæ prophetia de illorum interitu conditionata duntaxat erat, nempe nisi pœnitentiam agerent; qua proinde peracta, placatus Deus illorum civitatis subversionem suspendit, non tamen sustulit: nam denuò ad scelera reversis misit Deus Nahum, qui illius subversionem iterùm post Jonam annuntiaret, atque tùm intentatum, & prædictum à Jona Ninivitis excidium inflixit.

Verùm ut ad Jonam revertamur (*k*), afflictus ipse, quòd vaticinium suum adversùs Ninivem non impleri cerneret, sibi ipsi interitum precatur; propterea à Deo corripitur, qui injustam ipsius indignationem ex eo convincit, quòd putaret, se rectè dolere ob arefactam hederam, sub cujus umbra resederat, & tamen noluerit, ut Dominus Ninive civitati maximæ parceret, in qua tamen erant plusquam duodecim hominum millia, qui non peccaverant.

533 Ubi, & quando Jonas obierit, incertum est. Fortè in Judæam regressus, ibidem mortem opetiit. Orientales in Mosul, quam Ninivem putant, ejus sepulchrum ostendunt. Tempore S. Hieronymi in Geth Palestinæ ipsius tumulus visebatur. (*l*)

534 *De Michæa, ejusque Prophetia.*

Michæas Marastitès, seu è Moresa prope Eleutheropolim in plaga Meridionali Judæ, sextus inter Prophetas minores recensetur.

Quinquaginta annorum spatiô sub Regibus Juda Joathan, Achaz, & Ezechia, ab an. m. circiter 3245. ante Chr. 755. ante ær. 759. quo Joathan regnum inivit, usque ad an. m. 3306. ante Christ. 694. ante ær. 698. quo Ezechias regnum suum absolvit, oracula fudit.

Pseudo-Dorotheus tradit, Michæam sepultum fuisse in cemeterio Enakim post actam Hebrone, & in vicinis locis vitam. Suppar fuit Isaiæ, cujus phrases quandoque in suis Scriptis usurpat, ut videre est Isa. c. 2. v. 2. ad Michææ c. 4. v. 1. & Isa. cap. 41. v. 15. ad Mich. cap. 4. v. 13.

Ejus Prophetia septem capitibus con- 535 cluditur. Cap. 1. ærumnas Samariæ, quam Salmanassar Rex Assyriorum captam evertit, recenset. Deinde oracula contra Judam profert, cujus regionem vastandam per Sennacherib sub Ezechia Rege prædicit. Inde iterum contra Samariam invehitur, captivitatem decem Tribuum minitatus, ac tandem regressum eorum vaticinatur. Cap. 2. Gravioribus post hæc verbis Principes Domûs Jacob, & Judices Domûs Israël (scilicet Optimates, ut arbitramur, Regni Juda, Judices, Magistratus, Sacerdotes, & Pseudo-Prophetas) castigat. Cap. 3. Exprobrat etiam eorum avaritiam, injustitiam, dolos; quibus iniquitatibus tandem factum iri ait, ut Jerusalem in ultimam desolationem, ac Templum ejus in desertum adducatur. Hanc prophetiam sub Ezechia Rege prolatam fuisse ex Jeremiæ c. 26. v. 18. intelligimus, qui eadem prænuntians, contra se decretum supplicium ideò evitavit, quòd similia ac Michæas prædixisset. (*m*) C. 4. prænuntiatis tristibus subinde ad lætiora conversus Michæas, regnum Messiæ, atque Ecclesiæ Christianæ exordium describit, à v. 1. usque ad 11. C. 5. v. 1. 2. 3. & 4. Messiam oriturum in Bethleem, imperiumque suum, quà latè patet orbis terrarum, propagaturum prædicit. v. 5. & 6. Suscitaturum dicit Deum septem Pastores, & octo Primates, qui regionem Assur, & terram Nemrod vi occupaturi sunt; quod nos de Dario Hystaspis filio, ac septem conjuratis suis, qui sublatô Magô Babyloniorum Rege, Persarum imperium, deletâ Cyri familiâ, in- vase-

(*k*) C. 4. (*l*) Prolog. in Jon. (*m*) Hoc capite 4to. & sequentibus vaticinia de Christo & ejus Ecclesia continentur.

vaserunt, intelligendum arbitramur. V. 7. & seq. Res Judæorum florentes post Darium, & Machabæos describit; identidem tamen quædam admiscet ad Ecclesiam Christi unicè pertinentia. Duo postrema capita longam contra iniquitates Samariæ querelam continent. Tandem Babylonis eversionem, restitutionem urbium Israël, ditionem Israëlitarum longè lateque propagatam, resque eorum sub Dei auspiciis florentes exaggerat, verbis tamen adeò magnificis, ut Ecclesiæ Christianæ statum præ oculis potissimùm habuisse videatur.

536 Defuncti hujus Prophetæ corpus in Morasthi tumulatum tradit Hieronym. (*n*); quod sepulchrum divinitùs revelatum Sebenno Eleutheropolis Episcopo, Theodosio magno imperante refert Sozomenus (*o*), addens nomen loci illius esse Berestatam, qui fortè locus idem est ac Morasthis, decem stadiis ab Eleutheropoli distans.

Pseudo-Epiphanius refert (*p*), hunc virum vitam Joram filii Achab liberiùs reprehendentem ejusdem Regis jussu in præceps actum fuisse: at Auctor iste hîc duos Michæas confundit, hunc nempe, & illum, qui fuit filius Jerulæ Ephraimitæ, de quo 3. Reg. cap. 20. v. 35. qui quamvis Propheta Domini fuerit, tamen ab eo, de quo nunc agimus, omninò diversus fuit.

537 *De Nahum, ejusque Prophetia.*

Nahum septimum inter duodecim Prophetas minores ortum duxisse vult Hieronymus ex urbe Elcesai minimo Galilææ pago, cujus reliquias adhuc sua ætate extasse asserit. (*q*) Sunt nihilominùs, qui putant, Elcesai ejus genitoris nomen fuisse, ipsius verò patriam Begabor trans Jordanem. (*r*)

Olim ejus sepulchrum in quodam pago, quem tunc temporis Bethogabrum, nunc Giblin appellant, propè Emaus videbatur. Chaldæus textus Nahum ex *Beth-Kosi*, seu *Beth-Ketsi* ortum dicit, cujus loci situs tamen, uti & Elcesai propriè adhuc latet.

Ejus Prophetiam tria capita constituunt, quibus excidium Ninives vehementibus adeò simulque tristibus verbis vaticinatur, ut non ventura duntaxat nuntiare, sed visa referre videatur. 538

De tempore, quo vaticinatus fuerit, non conveniunt Scriptores. Josephus putat (*s*), eum annis 115. ante Ninives excidium illius urbis prædixisse eversionem, unde dicendum foret, Nahum, Achaz regnante, floruisse. Judæi volunt (*t*), eum sub Manasse Rege vaticinatum fuisse. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. arbitratur, Nahum Ninives excidium prædixisse viventibus Daniele, & Ezechiele Prophetis, adeoque captivitatis tempore. Sed verisimiliùs censet Hieronymus, eum tempore Ezechiæ Regis vaticinia sua edidisse post bellum Sennacherib in Ægypto, de quo bello Berosus agit apud Josephum. (*u*) Certè Nahum de expugnatione Noammon urbis Ægypti apertè agit c. 3. v. 8. De Rabsacis audacia c. 2. v. 13. De clade Sennacherib, c. 2. v. 11. & c. 1. v. 9. Et ita hæc omnia recenset, ac si jam evenissent. Judæos adhuc in suis regionibus fuisse, dum hæc scribebat, suasque celebrasse solemnitates innuit. Captivitatis item, & dispersionis decem Tribuum meminit. 539

Cùm autem Ninives excidium, de quo Nahum agit, illud esse non possit, quod longè priùs sub Sardanapalo contigit, necesse est, ut ipsius vaticinium de secun-

(*n*) Ep. 27. seu Epitaph. Paulæ. (*o*) Lib. 7. hist. c. 29. (*p*) De vit. & mort Prophet. (*q*) Comment. in Nahum. (*r*) Epiph de vit. & mort. Proph. & alii apud Hieronym. Item Chron. Paschal. (*s*) Antiq lib 9. c. 11. (*t*) Sederolam apud Sixt. Senens. Grot. Vatab. Geneb. Mont. (*u*) Antiq. lib. 10. c. 1.

ſecunda hujus urbis obſidione intelligatur, qua eam Nabopolaſſar, & Aſtyages oppreſſerunt an. m. 3378. ant. Chr. 622. ante ær. 626. quod tempus reſpondet anno 16to. regni Joſiæ, quo regnante Ninivem everſam fuiſſe ſcribit S. Hieronymus. (*x*)

Tobias cap. 14. v. 16. græcæ editionis Nabopolaſſaro *Nabuchodonoſoris*, & Aſtyagi *Aſſueri* nomina tribuens Ninivem à Nabuchodonoſore, & Aſſuero captam memorat.

540 *De Habacuc, ejusque Prophetia.*

Habacuc octavus inter Prophetas minores, è Tribu Simeonis, & urbe Bethzacar oriundus fuit, ſi Pſeudo-Epiphanio, & Dorotheo fides adhibenda. (*y*)

Cùm Nabuchodonoſorem Jeroſolymæ apropinquantem cerneret, urbisque excidium prædiceret, Oſtracinam in Arabia propè lacum Sirbonidem confugit, ubi & aliquamdiu vixit. Captâ verò à Chaldæis Jeroſolymâ, hisque in patriam ſuam redeuntibus, Habacuc in Judæam reverſus eſt, cùm interim reliqui Judæi, qui Babylonem translati non fuerant, poſt mortem Godoliæ in Ægyptum ſecederent. Agrorum ſuorum cultu occupatus cùm die quadam meſſoribus ſuis prandium deferret, vocem audivit, quæ illum cibos ad Danielem in lacu leonum Babylone degentem deferre jubebat: renuens ipſe, quòd neque Danielem, neque Babylonem noſſet, ab Angelo capillis è terra evectus cum cibis Babylonem ad Danielem citiſſimè translatus eſt, oblatusque Danieli in leonum fovea dapibus, eadem manu in Judæam eſt reſtitutus; ubi & obiit, atque duobus ante captivitatis finem annis tumulatus eſt an. m. 3455. ante Chr. 545. ante ær. 549. Floruit igitur labente Regno Juda, eodemque, quo Jeremias, tempore.

Illius ſepulchrum, teſte Hieronymo, 541
in urbe Bethzacar, ſive Ceila, vel Echela, ſeu Gabbatha olim viſebatur; quæ quatuor nomina fortè eundem locum deſignant, vel, ſi diſtinctas urbes dicere malueris, profectò ſibi invicem proximæ fuerunt, & Eleutheropoli vicinæ. Ipſius corpus, Theodoſio ſeniore imperante, inventum dicit Sozomenus. (*z*)

Ipſius Prophetia tribus Capitibus con- 542
tinetur. C. 1. in Regni Juda ſcelera conceptis verbis invehitur, quorum terribilem ultionem Chaldæorum armis à Domino expetendam prævidet. Nabuchodonoſoris item victorias, metamorphoſim, & mortem prædicit. Infortunia etiam Chaldæis poſt Nabuchodonoſoris mortem ſuperventura prænuntiat. C. 2. conſilia omnia Joakim deſtruenda prænuntiat, atque in Regem quemdam (fortè Regem Tyri) ſanguine, & ſceleribus conſtructa ædificia molientem, invehitur. Alium etiam Regem accuſat, in amico ſuo ebrietatem procurantem, ut ejus pudenda detegat; quòd de Rege Ægypti Sedeciam Regem Juda, ut ſecum à Nabuchodonoſore deficeret, ſollicitante intelligunt Interpretes. Hæc omnia verſans animô Propheta cap. 3. canticum canit, in quo miſericordiam Dei, ejusque potentiam mirè deprædicat; necnon futuræ Incarnationis ipſius, & adventûs jam ante cap. 2. v. 3. ſibi promiſſi myſterium inſinuare videtur.

Suſannæ, Beli, Draconis, & ſuæ ab Angelo in Babylonem deportationis hiſtoriæ in Danielis libro exaratæ eidem ab aliquibus adſcribuntur, errore ſumpto ab inſcriptione quorumdam exemplarium græcorum, quæ ſic ſonat: *Prophetia Abacum Sacerdotis Juda ex Tribu Levi.* Sed hunc Abacum à noſtro Habacuc alienũ cenſent Salianus, in Annal. & Huetius, in Demonſt. Evang. Propoſ. 4. in Habac.

(*x*) Præfat. in Joan. (*y*) De vit. & mort. Prophet. (*z*) Lib. 1. Hiſt. c. 29.

543 *De Sophonia, ejusque Prophetia.*

Sophonias inter minores Prophetas nonus, fuit filius Chusi, & nepos Godoliæ è Tribu Simeonis, & juxta Epiphanium (*a*) ex monte Sarabata, cujus montis porrò Scriptura non meminit. Avos illius initio libri recensitos pari cum illo spiritu donatos fuisse Judæi autumarunt. (*b*) Ex illustri genere ortum aliqui crediderunt, sed temerè.

Ejus Gestorum & obitûs historia nulla superest. Sub Josia, qui regnum inivit an. m. 3363. ante Christ. 637. ante ær. 641. floruit. (*c*) Quantùm autem ex rerum Judaicarum quoad mores statu, quem deplorat, conjecturâ assequi valemus, illius prophetiæ tempus assignandum videtur ante 18vum Josiæ Regni annum, ex quo Rex iste corrigendis populorum sibi subditorum moribus operam dedit. (*d*) Eversionem Ninives etiam prædicit, quæ ante 16tum Josiæ annum poni non debet, si cum Beroso 22. Regni in Chaldæa annos Nabopolassaro tribuere velimus.

Igitur hujus Prophetæ Oracula tribus capitibus contenta sub Regni Josiæ initium consignanda videntur. Cap. 1. in omnes populos invehitur neci à Domino jam destinatos, in Judam nempè, & in eos, qui saliunt super limen, id est, Philistæos juxta illud 1. Reg. cap. 5. v. 5. *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur Templum ejus, super limen Dagon.* C. 2. in Moab, Ammon, Chus, Phœnices, & Assyrios vertitur; Ninivem evertendam prædicit, cujus excidium contigit, ut alibi jam dictum, anno mundi 3378. ante Christ. 622. ante ær. 626. Cap. 3. denique primùm minis, & verbis terret Jerosolymam, deinde facta spe solvendæ captivitatis, atque status felicioris illam solatur.

De Aggæo, ejusque Prophetia. 544

Aggæus decimus ex minoribus Prophetis Babylone natus creditur, unde cum Zorobabele rediit anno mundi 3457. ante Christ. 543. ante ær. 547. Post reditum à captivitate Judæis templi restaurationem, ut in eo sacrificia offerri possent, sollicitè incipientibus (*e*), hostium invidia, & iniquæ Aulicorum artes tantùm apud Cyrum potuerunt, ut datam Templi restaurandi facultatem revocaverit altero regni sui anno; idemque interdictum Cambyses Cyri filius, susceptô imperiô, confirmavit. Quare quatuordecim annorum spatiô nihil aliud Templo additum est, sed tectum solummodò Templum propriè dictum, sive Sanctum, & Sanctuarium, & nonnullæ fortassis circa Sacerdotum atrium porticus. Post mortem verò Cambysis Dario Hystaspis filio regnante, anno mundi videlicet 3483. ante Christ. 517. ante æram 521. Aggæus à Deo excitatus est, ut Zarobabelem Principem Juda, & Jesum filium Josedech Pontificem ad Templi restitutionem diu intermissam exhortaretur.

Propheta hic igitur libri sui, qui duobus comprehenditur capitibus, c. 1. eorum negligentiam redarguit, quòd magnificas domos anxiè sibi ædificarent, Domini Templum verò desertum, & sub ruinis suis sepultum relinquerent: mala proinde, quibus à Deo post reditum à sua captivitate vexabantur, famemque & sterilitatem terræ inde ortum ducere ajebat, quòd nempe Templi instaurationem minimè curarent. Aggæi monitis excitati Judæi annô secundô Darii, mundi 3484. ante Chr. 516.

(*a*) De vit. & mort. Proph. (*b*) Apud Hieronym. in Sophon. (*c*) Cap. 1. v. 1. (*d*) 4. Reg. c. 22. v. 3. 10. & 12. (*e*) 1. Esdr. c. 3. & seq.

516. ante æram 520. decimò sextò à reditu suo Babylonico manus instaurando Templo admovêre. Cap. 2. cuncta prospera, præcipuè autem Messiæ adventum apertè prænuntiat (*f*) &c.

De hujus Prophetæ morte nihil notum. Epiphanius (*g*) illum Jerosolymæ inter Sacerdotes sepultum ait, ex quo illum ex Aaronis stirpe fuisse progenitum colligi potest. Nihil tamen Aggæus ipse commemorat, quod hanc opinionem confirmet.

545 *De Zacharia, ejusque Prophetia.*

Zacharias minorum Prophetarum undecimus, Barachiæ filius, & nepos Addonis (*h*), è Tribu Levi Sacerdotali genere prognatus, jam grandis natu Babylone rediit cum Zorobabele, & annô 2dô Darii Hystaspis vaticinari cœpit annô mundi 3484. ante Chr. 516. ante æram 520. octavô anni sacri à Paschate incipientis, & duobus mensibus post initum ab Aggæo Prophetæ munus. Hic Propheta non secùs ac Aggæus, ut populus prætermissam ante annos aliquot Templi structuram reassumeret, hortatus est.

Quo loco aut tempore natus sit Zacharias, ignoratur. Alii Babylone captivitatis tempore; alii Jerosolymis ante translationem Tribuum Juda, & Benjamin, natum asserunt. Non tamen confundendus est cum illo Zacharia, de quo Christus ait (*i*), eum occisum fuisse inter Templum & Altare, qua de re fusiùs agemus infra sect. 2. cùm de Evangelio S. Matthæi disseremus.

Vaticinia sua 14. capitibus comprehensa Zacharias exorditur exhortans populum, ut convertatur, nec Patrum suorum perfidiam imitetur, c. 1. à v. 1. usque ad 7. Post tres menses Angelum equo insidentem in medio Myrtheti ad fluvii cujusdam ripas vidit, cui plures Angeli omnem circa regionem pace frui, & ab incolis frequentari nuntiarunt: ex quo ille Dominum rogandi occasionem arripuit, ut civitatum Juda misereretur, cui Dominus pacato sermone respondens postulata concessit. Tùm Prophetæ quatuor cornua apparuerunt, & homines quatuor ea malleorum ictibus confracturi; iisque cornibus Principes, qui populum Israëliticum oppresserant, deprimendos intellexit, à v. 7. Cap. 2. videt virum funiculô dimetientem Jerusalem, absque muro, præ incolarum multitudine, in posterum inhabitandam, &c. quo Ecclesiam Christi militantem, & triumphantem non obscurè præfigurat. (*k*) Cap. 3. ait, adducturum Dominum servum suum Orientem, seu Germen (*l*) (Messiam nempè Dei servum) qui velut lapis pretiosus septem oculis præditus esset habendus. Cap. 4. Narrat se vidisse candelabrum aureum septiceps inter duas olivas constitutum, ex quibus olivis oleum in candelabri lampades infundebatur. Cap. 5. vidit volantem librum, in quo totius terræ judicium erat descriptum, & vas fœminam continens, super quam massa plumbea decidens vasis orificium claudebat: tum duæ alatæ mulieres vas illud inter cœlum & terram suspenderunt: mulier autem in vase inclusa, Babylonis iniquitatem; plumbum verò, ultionem Domini; & duæ alatæ mulieres, Medos & Persas imperium Babylonis destructuros significabant. Cap. 6. vidit quatuor currus è medio duorum æreorum montium egredientes, qui Persas, Græcos, Ægyptios, & Syros in meridionales, & septentrionales plagas suis quosque temporibus Domini ultionem perlaturos designabant. Tum Zacharias ab Holdao, Tobia, & Idaia quamdam auri summam accepit, quo duas coronas, alteram Pontifici Jesu, alteram Orienti, seu Germini, nempè Zorobabeli, ut Messiæ figuram

(*f*) Prophetia de Christi adventu. (*g*) De vita & morte Prophetarum. (*h*) C. 1. v. 1. (*i*) Matth. 23. v. 35. (*k*) Prophetia de Ecclesia Christi. (*l*) Prophetia de venturo Messia.

figuram gerenti, composuit. Cap. 7. & 8. annô 4tô Darii mundi 3486. ante Chr. 514. ante æram. 518. quarta die noni mensis Zacharias à Sarasar, Rogommelec, & nonnullis aliis consultus, an jejunium ad quinquagesimum diem protrahendum esset, uti post Templi excidium fieri consueverat, respondit, jejunia sponte ab illis electa fuisse, hæc verò à Domino exigi, pietatem nempè, & justitiam; luctûs denique & jejunii dies aliquando in festos fore convertendos. Cap. 9. Minas in regionem Adrac, Syriam, & Philistæos intentat. (*m*) Tum apertè satis Servatoris nostri, pauperis, asinæ insidentis, & ejus pullo adventum prænuntiat. Cap. 10. (*n*) Messiæ regnum, & ultionem Domini in Israëlitarum persecutores illatam exhibet. Cap. 11. de Romanorum adversùs Judæos bello (*o*); de violato inter Deum & populum suum fœdere (*p*); de triginta argenteis, pretio scilicet, quo Dominus appretiatus est ab eis. Cap. 12. Antiochi Epiphanis Bellum in Judæos, Machabæorum victorias, luctúmque ob Judæ Machabæi mortem enarrat. Cap. 13. à v. 1. florentem Judæorum ætatem ab interitu Antiochi Epiphanis usque ad Messiæ mortem describit. (*q*) v. 7. & duobus sequentibus infortunia Judæis superventura post Christi necem prænuntiat. Tandem c. 14. (*r*) Jerosolymam à Romanis obsidendam, Christianæ Ecclesiæ magnitudinem, gentium conversionem, vexationes, quibus fideles exercebuntur, & animadversionem in persecutores à Deo faciendam prædicit.

546 Zacharias minorum Prophetarum prolixissimus est, & obscurissimus, inquit S. Hieronymus (*s*), concisum & præcipitem stylum habet: de Messia cæteris clariùs & distinctiùs vaticinatus est.

Recentiores quidam eruditi hujus Prophetæ cap. 9. 10. & 11. Jeremiæ adscribunt, eoquòd Matth. c. 27. v. 9. & 10. versus 12. & 13. capitis 11. Zachariæ sub Jeremiæ nomine legantur, hæcque Zachariæ capita 10. & 11. sint eadem series orationis. Verisimiliùs tamen Jeremiæ nomen fortuitò & librariorum oscitantiâ pro Zachariæ nomine in textum Matthæi irrepsit: proclivem enim in nominibus propriis esse lapsum sciunt, qui manuscriptos Codices versare solent, sed hac de re infra uberiùs. (*t*)

De Malachia, ejusque Prophetia. 548

Malachias duodecimus, & postremus inter minores Prophetas numeratur. Illius Gesta adeò latent, ut vel de nomine ipsius dubitetur, an videlicet Angelum Domini quemcunque, vel Nuntium, seu Prophetam significet. Ex Aggæo enim (*u*), & ex ipsa Malachiæ Prophetia (*x*) satis intelligimus, Prophetas tunc temporis nomine *Malach-Jehovah*, id est, *Missus à Deo*, non rarò appellari consuevisse.

Septuaginta nomen Hebræum *Malachi* reddunt *Angelum suum*, pro eo, quod Hebræus habet, *Angelum meum*: multi etiam Patres, ut Clemens Alexandrinus, lib. 1. Strom. Tertullianus, cont. Jud. c. 1. & alii, Malachiam sub nomine *Angeli Domini* laudarûnt. Quartus verò Esdræ liber, & Tertullianus utrumque & *Malachiæ*, & *Angeli Domini* nomen simul jungunt.

Malachiam Angelum fuisse humanis exuviis indutum Origenes temerè autumavit. (*x*) Veteres Hebræi, Chaldæus Paraphrastes, S. Hieronymus Præfat. in Malachiam. Rupertus Abbas in eundem, hunc Prophetam cum Esdra confundendum

(*m*) Prophetia de Christo. (*n*) Altera de Christo Prophetia. (*o*) Sub Tito & Vespasiano. (*p*) v. 12. & 13. Vaticinium de Christo Judæis à Juda proditore vendito pro triginta argenteis. Matth. 27. v. 9. (*q*) Genus mortis Christi. (*r*) Vaticinia eorum quæ post Christi necem Judæis accidêre, & quæ à Josepho aliisque fusè memorantur. (*s*) Præfat. in Zachar. (*t*) Sect. 2. c. 1. tit. de Evangelio S. Matthæi. (*u*) C. 1. v. 13. (*x*) C. 3. v. 1. (*y*) Tract. 2. in Joan.

dum censent. Sed plerique Patres, & Interpretes id velut commentum repudiant; quamvis diffitendum non sit, Malachiam Esdræ coævum fuisse.

549 Pseudo-Epiphanius, & Dorotheus(z), item Chronic. Alexand. Malachiam Sophâ, seu Suphâ, vel, ut alii legunt, Socha oriundum in Tribu Zabulon tradunt; nomenque illi inditum ex morum suavitate, ex miraculo Angeli, qui, postquam Propheta peroraffet, spectabilem se populo præbens, ejus dicta confirmabat; de quo tamen miraculo nullibi vestigium aliquod, unde & fatis ineptè hîc illud à Pseudo-Epiphanio commemoratur.

550 Mortuum tradunt vix juventam ingressum, atque juxtà Patres suos in Sopha sepultum. Ejus obitus in Martyrologio Romano ad 14tum Januarii consignatur.

551 Omnium Synagogæ Prophetarum novissimus est, id etiam indicare videtur libri ipsius locus, qui postremus est; id quoque, ut credamus, postulat ratio rerum cùm in Aggæi, & Zachariæ libris, tùm & in Malachiæ volumine traditarum. Illi enim Judæos ad Templum instaurandum impellunt, hic, ut in Templo piè, ac reverenter se gerant, Sacerdotes adhortatur. Illorum ergo vaticinia ante restitutionem Templi edita sunt, hujus verò, post Templum reparatum. Floruit igitur an. mundi circiter 3600. ante Chr. 400. ante æram 404.

552 Liber ipsius 4. capitibus absolvitur. Cùm suo tempore Sacerdotum & populi Judæ mores corruptissimi essent, gravioribus verbis Sacerdotes castigat, c. 1. v. 6. & seq. Item c. 2. v. 4. & seq. Populo nuptias cum alienigenis, c. 2. v. 2. In fratres suos inclementiam v. 10. & c. 3. v. 5. Pronum in divortium animum, c. 3. v. 13. In solvendis primitiis, & decimis segnitiem, ibid. v. 10. exprobrat. Innuere etiam videtur fœdus illud, quod Nehemias, Sacerdotes, & Optimates populi cum Domino sanxerunt, c. 2. v. 4. & seq. De ortu S. Joannis Baptistæ sub nomine Eliæ, & duplici Servatoris nostri JEsu Christi adventu luculentissimè agit, c. 4. (a) Neque etiam Sacrificii novæ legis institutionem, nec veterum Sacrificiorum abolitionem, omittit, c. 1. v. 10. (b)

Sectio secunda. 553

De libris novi Testamenti.

Hujus Sectionis pro librorum novô Testamentô contentorum varietate, utpote, quorum, prout in veteri Testamento, alii sunt legales, alius Historicus, morales alii, & alius denique Propheticus; etiam quatuor erunt capita. Sit igitur

Caput Primum.

De libris legalibus novi Testamenti.

Novi Testamenti libri legales, in quibus nempe gratiæ lex à Christo promulgata exprimitur, quatuor tanquam Canonici, & divinæ auctoritatis numerantur, prout parte 1. c. 1. hujus Tractatus diximus: scilicet Evangelia S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & S. Joannis.

Græco nomine Evangelia nuncupantur, quod latinè redditum idem sonat, ac *bonus Nuntius*; quippe qui vitæ, miraculorum, & rerum gestarum JEsu Christi Servatoris nostri historiam contineant, viamque salutis omnibus aperiant. 554

(z) De vita & morte Prophet. (a) Prophetia de ortu S. Joannis Baptistæ & duplici adventu JEsu Christi. (b) Prophetia de Sacrificii novæ legis institutione, & veterum Sacrificiorum abolitione.

555 *De Evangelio S. Matthæi.*

S. Matthæus Apostolus & Evangelista filius Alphæi (*c*), Galilæâ oriundus, religione Judæus, professione, seu arte Publicanus, id est, vectigalium exactor, apud alios Evangelistas *Levi* appellatur, quod hebræum ipsius nomen erat; ipse tamen se perpetuò Matthæum appellat, quod nomen in exercitio muneris sui, vectigalia scilicet exigendi, fortè obtinebat; & sibi neutiquam indulgens, Publicanum se prodere non veretur, quò acceptam à Christo Apostolatûs gratiam magis commendet.

In Capharnaum versatus telonium suum urbi proximum ad mare Tiberiadis collocaverat; cùmque JEsus illâc pertransisset (*d*), virum ad sequendum se invitavit; hic nihil cunctatus, illicò relictis omnibus, & ne quidem rerum suarum ratione inita, vocantem secutus est. (*e*)

556 Evangelium suum, quod 28. constat capitibus, scripsit Matthæus tunc, cùm discessum suum ex Judæa meditabatur, ut in eam, quæ sibi contigerat, regionem, Christum prædicaturus, contenderet; cùm enim Palestinæ fideles illum exorassent, ut traditam ipsis doctrinam scriptô colligeret, orantibus ipse acquievit. (*f*)

557 Vernaculo Hebræorum sermone, qui Syrus erat, librum suum exaravit, opusque adorsus est annô æræ Christianæ 41. octavô post Christi resurrectionem, prout vetera MSS. græca ferè omnia ad calcem ejusdem Evangelii notatum habent; idque testantur veteres Patres, Papias Discipulis Christi coætaneus, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 39. S. Irenæus, apud eundem, lib. 5. c. 8. Origenes, apud eundem, lib. 6. c. 25. qui & illud eo sermone scriptum se vidisse testantur.

Auctor Operis imperfecti in Matthæum; cui Cornelius à Lapide, & Baronius consentiunt, occasionem scribendi hujus Evangelii primæ post S. Stephani necem fidelium dispersioni tribuit, circa tertium nempe seu quartum à resurrectione Domini annum.

S. Irenæus verò exaratum vult eo tempore, quo sancti Petrus, & Paulus Ecclesiæ Romanæ fundamenta jacebant, circa annum Christi seu æræ 61. Verisimilius tamen S. Matthæus Opus suum ante S. Marcum, qui illud in compendium redegit circa annum Christi seu æræ 43. absolverat, unde ante annum æræ seu Christi 43. Evangelium illud extitisse oportuit.

558 Nostra ætate hebraicum istud S. Matthæi Evangelium nusquam reperitur; ea enim exemplaria, quæ curantibus Sebastianô Munsterô, & du Tillet excusa fuerunt, nullam obtinent auctoritatem, utpote recentiora, & ex Latino sive Græco in Hebraicum translata, prout notant Grotius, Comment. in Matth. Huetius, de clara interpret. §. 12. & Millius, Prolog. 1236.

Ratio autem cur Hebraicum, seu Chaldaicum, vel, si mavis, Syriacum, hoc enim temporis illius hebraicum erat idioma, exemplar istud exciderit, hæc esse videtur, quod Judææ Ecclesiæ, pro quibus statim scriptum fuit, non diu substiterint.

Non desunt tamen, qui credant, Evangelium Syriacum S. Matthæi in Polyglottis impressum esse ipsissimum sancti hujus Evangelistæ Originale: id tamen Eruditi perspicaciores non probant, quòd hæc Syriaca Evangelii hujus editio ipsis videatur non esse nisi versio aliqua ex Græco duntaxat adornata. Vid. Calmet. Præfat. in novum Testamentum.

Versio græca, quæ nostra ætate superest, & autographi locô habetur, jam ab Apostolorum tempore ignoti Auctoris est Opus. Ex ea Latinam prodiisse omnes consentiunt, quamvis de illius Auctore, tem-

(*c*) Marc. c. 2. v. 24. Luc. c. 5. v. 27. (*d*) Matth. c. 9. (*e*) Hier. & Chrysost. in Matth. c. 9. (*f*) Euseb. l. 3. Hist. c. 24. Chrysost. Hom. 1. in Matth. Hieronym. de vir. illust.

tempore, & occasione scribendi nihil certi statui possit.

559 Sunt etiam aliqui Protestantes post Erasmum, qui autumant, S. Matthæum Evangelium suum non hebraicè duntaxat, sed græcè scripsisse; & quamvis universa antiquitas eis repugnet, nihilominùs opinionem suam sequentibus rationibus confirmare allaborant: 1mo. Reperiuntur plura vocabula hebræa, quæ in hoc Evangelio aliâ linguâ exponuntur, si ergo S. Matthæus Evangelium suum hebraicè scripsit, quid ipsi opus erat, ut ea alio idiomate explicaret, ut sunt inter alia hæc: *Eli Eli Lama Sabactani*? Nec hujusmodi expositiones ipsius Interpreti adscribi debere videntur, nam iste potiùs totum Evangelium vertere debuisset, & non tantùm quædam vocabula seligere. 2do.

560 Stylus Evangelii hujus est similis stylo Evangelii S. Marci; igitur, cùm certum sit, S. Marcum Evangelium suum græcè scripsisse, etiam certum videtur, Matthæum eodem quoque sermone suum exarasse. 3tio. Plura testimonia ex veteri Testamento adducit S. Matthæus juxta Septuaginta Interpretum græcam versionem. Ergo etiam græcè Evangelium suum scripsit: aliàs enim, si scripsisset pro Hebræis scripturam hebraicam legentibus, hæc testimonia retulisset, prout in Hebræo sunt exarata. 4to. Origenis ætate hebraicum Matthæi Evangelium nullam ampliùs auctoritatem obtinebat (*g*); imò Eusebius illud inter supposititia Scripta reponit. At utique majorem auctoritatem eidem tribuissent, si illud autographum esse censuissent.

561 Verùm hæ rationes non tanti ponderis esse nobis videntur, ut credamus S. Matthæum non hebraicè, sed græcè duntaxat Evangelium suum scripsisse. Ad 1mam ergo Resp. hujusmodi hebræorum verborum in Evangelio hoc occurrentes interpretationes esse Interpreti adscribendas; nam apud sacrorum librorum Interpretes usu receptum est, ut in suis versionibus quædam hebraica vocabula, quæ majorem habere energiam arbitrantur, & quæ accuratè semper in aliud idioma transferri non possunt, relinquant; quod facilè ostendi potest ex Septuaginta, aliisque veteribus S. Scripturæ Interpretibus.

Ad 2dam Resp. mirum non esse, quòd stylus Evangelistarum idem esse videatur, quamvis diversis linguis scripserint; quia, cùm essent Judæi, qui inter eos græcè scripserunt, plerumque linguæ hebraicæ genium conservarûnt; quod exemplò S. Lucæ probatur, qui quamvis Evangelium suum, & Acta Apostolorum elegantiori græco sermone, quàm cæteri Evangelistæ, exararît, tamen plures adhibet merè hebraicas dictiones.

Ad 3tiam falsum est, S. Matthæum plura testimonia ex veteri Testamento adducere juxta græcam Septuaginta Interpretum versionem; nam ex decem locis veteris Testamenti ab ipso adductis septem magis ad hebræum, quàm ad Septuaginta Interpretum versionem græcam accedere videntur, tres tantùm cum Septuaginta consonant, sed ideò sanè, quia ibi Septuaginta ab hebræo non discrepant. Deinde id fieri potuit ab ipsius græco Interprete, ut qui Evangelium istud pro Græcis transtulerit, hi verò Scripturam græcè exaratam juxta Septuaginta legebant, adeoque veteris Testamenti loca potiùs secundùm versionem illam, quàm juxta hebræum textum, quem ipsi non intelligebant, citare debuerit.

Ad 4tam denique Resp. His, & aliis Patribus non de uno eodemque Evangelio semper sermo fuit; aliud enim circumferebatur hebraicum Evangelium sub Matthæi nomine, sed ab Hæreticis corruptum; istud porrò velut apocryphum rejiciebant Veteres, non verò primùm, quod velut authenticum suscipiebant. Imò ipsum fortè Origi-

(*g*) Origen. in Matth. hom. 8.

Originale ab Ebionitis, qui, prout suprà part. 1. c. 6. annotavimus solo Matthæi Evangelio utebantur, vitiatum, & corruptũ paulatim negligi cœpit, adeò ut tandem interciderit; cùm interim Græcum exemplar, quod integrum semper servatum est, auctoritatem suam ratam sanctamque retineret, atque ab omnibus susciperetur.

562 In suo Evangelio scribendo id S. Matthæum præ oculis habuisse, ait S. Augustinus (*b*), ut nempè assereret genus regale Christi, ejusque vitam inter homines actam posteritati traderet. Nec sanè alius Evangelista, inquit S. Ambrosius (*i*), solertiùs Gesta JEsu Christi, atque vitæ dirigendæ, morumque regulas ad JEsu Christi mentem describit.

S. Petrus Damiani autumat (*k*), S. Matthæum eundem obtinuisse locum apud Evangelistas, quem Moyses apud veteris Testamenti Scriptores; ambo enim in scribendo primas obtinent, hic in veteri, ille in novo Testamento.

Eo tempore, quo se ad scribendum contulit S. Matthæus, quæstio inter Judæos agitabatur, utrum Christus Messias esset; cui veritati asserendæ plura congessit, tùm prodigia ipsius Christi atque Mariæ matris ipsius virginitatem referens, tùm venisse illum ostendens, non ut Legem solveret, aut destrueret, sed ut eam perficeret, atque compleret; ejus denique miracula non Dæmoni, neque homini esse adscribenda, sed divinæ virtuti, atque ipsius Christi missioni.

563 Si Evangelium istud cum cæteris conferatur, rerum gestarum series aliter à Matthæo, ac apud alios Evangelistas dirigitur a. cap. 4. v. 22. usque ad cap. 14. v. 13. quæ discrepantia Chronologos, & Interpretes mirè torquet. Aliis enim videtur Matthæus temporum ordinem accuratè servasse; alii verò præposterè ab illo institutam esse narrationem censent; faciliùs enim unus ordinem invertisse, quàm tres, creditur. Hujus rei fidem facere videtur, quòd Marcus, qui Matthæum sibi ducem in scribendo statuerat, in ea tantùm re ab ipso discedat. Sunt tamen, qui fortuitò, sunt etiam, qui consultò S. Marcum à S. Matthæo recessisse autumant. Quidquid ea de re statuatur, illud profectò certum est, nihil Evangelii veritati eam discrepantiam nocere; cùm Auctores sacri, quid potissimùm scriberent, non quo ordine scriberent, sedulò observaverint.

S. Matthæum Persidem, sive Parthorum regionem, vel Caramaniam ea ætate Parthis subjectam prædicationibus, & sanguine suo excoluisse tradunt Paulinus, in Carmin. 26. Ambrosius, in Psal. 46. Hieronymus, de Vir. Illust. & alii. Ruffinus lib. 1. cap. 19. Socrates, lib. 10. Hist. Pseudo-Abdias, aliique plures Æthyopiam laboribus, & martyrio eum consecrasse volunt. 564

Heracleon Valentini Discipulus apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom. testatur, hunc Apostolum morbô, non autem suso sanguine, è vita excessisse; quod etiam Menologium Basilii refert, & nonnulli Græcorum sensisse videntur. Quidam tamen Græci illum igne consumptum fuisse asserunt. Addo, & alii Latini Martyrium eum consummasse asserunt. Festum illius nostra ætate apud nos Latinos 21. Septembris celebratur.

Hujus Apostoli nomine Apocrypha quædam inscribuntur, ut *Liber infantiæ JESU Christi* decretô Gelasii Papæ reprobatus; & alia quædam ab Ebionitis supposita, ea planè fraude, qua ipsius hebraicum Evangelium interpolarũnt, & ad sua prava dogmata accommodarũnt, prout testatur Epiphanius, Hæres. 30. cap. 23. 565

Solvun-

(*b*) De consensu Evangel. (*i*) Præfat. in Luc. (*k*) Serm. de S. Matth.

Solvuntur Objectiones,

Contra auctoritatem hujus S. Matthai Evangelii.

566 Ob. 1mò. Hujus Evangelii c. 1. v. 23. tanquam ex Isaiæ cap. 7. v. 14. transcripta referuntur hæc verba: *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium &c.* At vox hebræa *Alma* qua usus est Isaias cit. loc. non significat *virginem*, sed *filiam*, sive hæc virgo sit, necne.

Resp. Teste S. Hieronymo (*l*), *Alma* non solùm puella, vel virgo, sed etiam virgo abscondita, & secreta dicitur, quæ nunquam virorum patuit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita est. Linguâ quoque punicâ, quæ de Hebræorum fontibus emanare dicitur, virgo propriè *Alma* appellatur. Unde Matthæi interpres ex versione Septuaginta communi consensu à Judæis comprobata hunc Isaiæ textum transcripsit, ubi vox hebræa *Alma*, *virgo* interpretatur.

567 Ob. 2dò. Quæ ibid. c. 2. v. 1. & seq. narrantur (*m*), falsa, & conficta vel ex eo videntur, quod hujus historiæ nec alii tres Evangelistæ, nec Josephus ullam mentionem faciant.

Resp. Quamvis cæteri Evangelistæ hujus historiæ non meminerint, non tamen sequitur eam minùs esse veram, aliàs etiam pari ratione dicetur, historiam de resurrectione Lazari à mortuis esse falsam, quòd solus Joannes eam referat. Silentium quoque Josephi nihil illius veritati officit, ut qui plura alia silentiô prætereat, quæ tamen non minùs vera sunt.

568 Ob. 3tiò. Ibid. cap. 6. adducitur textus iste: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda &c.* velut à Michæa Propheta transcriptus, cùm hic tamen longè aliter loquatur, ait enim cap. 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda &c.*

Resp. Hìc Evangelistam ea, quæ Principes Sacerdotum & Scribæ Herodi interroganti, & sciscitanti, ubi Christus nasceretur, responderunt, simpliciter referre, quòd si ergo quiddam falsum & Michææ prophetiæ haud satis conveniens ex textu continetur, id non Matthæo, sed Principibus Sacerdotum, & Scribis adscribendum erit: verùm hi potius sensum Prophetæ, quàm verba secati sunt, prout apertum est, quod sufficit ad hujus textus veritatem; ponunt quidem locô *Ephrata*, quod habet Michæas, *terra Juda*, quia licèt *Ephrata* idem sit ac *Bethleem*, tamen quia nomen illud tunc jam obsoleverat, notius adhibuerunt. Legerunt etiam apud eundem Prophetam locô *Alphe* quod *mille* significat, *Aluphe* quod *Principes* indicat. Denique aliqui hanc Michææ prophetiam legunt per modum interrogationis; verùm quidquid sit, manet tamen semper idem sensus; Michæas enim vult dicere: *Et tu Bethleem &c.* licèt sis numero parvula in millibus Juda, magna tamen es dignitate, nam ex te magnus Dux orietur.

Ob. 4tò. Ibid. v. 25. Messiæ adapta- 569
tur illud Osee cap. 11. vers. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* At certum est, hæc de populo Israëlitico à Propheta fuisse pronuntiata.

Resp. Sensu litterali hæc quidem de populo Israëlitico intelligi; at quia populus iste typus fuit Christi in Ægypto exulaturi, hinc sensu mystico & spirituali, & secundùm communem Prophetarum morem ab ipso Osee præcipuè intento, rectè ab Evangelista Christo ipsi adaptatur hic Prophetæ textus.

A a 3 Ob.

(*l*) Comment. in Isai. lib. 3. cap. 7. (*m*) De Magorum ab Oriente adventu, ut JEsum recens natum adorarent.

570 Ob. 5tò. Ibid. v. 17. cæsis ab Herode infantibus adaptatur illud Jeremiæ, cap. 31. v. 15. *Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus magnus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* At certum est, hunc locum intelligi debere de abductione duarum Tribuum Judæ, & Benjamin.

Resp. Ut ad priorem textum, hæc nempè in sensu obvio intelligi quidem de duabus hisce Tribubus, at in spirituali & à Propheta præcipuè intento, de infantibus ab Herode interfectis.

571 Ob. 6tò. Ibid. v. 23. dicitur JESUS habitasse in civitate Nazareth: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur.* Atqui id nullibi apud Prophetas legitur.

Resp. 1mo. cum S. Hieronymo, lib. 1. Comment. in Matth cap. 2. quòd, cùm pluraliter Prophetas hîc vocet Matthæus, ostendere velit, se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum; *Nazaræus Sanctus* interpretatur, sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Usus autem est verbo *Nazaræus* ad faciendam allusionem ad civitatem Nazareth, secundùm morem Judæorùm, ad quos, & pro quibus scribebat, qui in suis Commentariis allegoricis *Medrascim* apud ipsos dictis frequentes hujusmodi ad verba, seu nomina alludentes interpretationes solent adhibere.

Resp. 2do. cum eodem S. Hieronymo, loc. cit. Id iisdem verbis juxta hebraicam veritatem in Isaia cap. 11. v. 1. contineri, quando nempè ait: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Igitur Evangelista Christum nominando Nazaræum allusionem facit ad vocem Hebræam *Netser*, quæ *florem* significat, sub quo nomine omnium tam Judæorum, quàm Christianorum sententiâ intelligitur Messias.

572 Ob. 7mò. Ibid. c. 3. v. 4. de Joanne dicitur: *Esca autem ejus erat locusta, & mel sylvestre.* Et tamen posteà cap. 11. v. 18. de eodem Joanne legitur: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens.*

Resp. Cibum & potum Joannis ita parcum, vilem, & alienum fuisse nedum à lautioribus, sed etiam vulgaribus Judæorum mensis, ut pro nullo reputatus sit, eo ferè modo, quo parum pro nihilo reputatur.

Ob. 8vò. Ibid. cap. 10. v. 5. legitur 573 Christum Apostolis suis prohibuisse, ne in viam gentium abirent, & in civitates Samaritanorum introirent. Et tamen cap. 28. v. 19. eisdem ab ipso dictum legitur: *Euntes docete omnes gentes.*

Resp. Hæc non pro eodem, sed pro diversis temporibus à Christo fuisse prolata. Apostolos quippe suos Christus misit primò ad prædicandum Evangelium, ut officium, ad quod vocati erant, obire inciperent, & quasi tyrocinium sub ipso ponerent, quod deinde Sacerdotes, & Episcopi consecrati, necnon Spiritu sancto roborati post mortem, & ascensionem Christi plenissimè prosequerentur, & consummarent: ut verò jam initium à faciliori palæstra ducant, vetat eis, ne Judææ fines transiliant, atque ad Gentiles se conferant: ubi verò planè roborati fuerunt, & experti, nempe post resurrectionem suam, eis præcepit, ut irent ad docendum omnes gentes.

Ob. 9nò. Ibid. v. 9. Christus prohibet 574 Discipulis suis, ne virgam quidem deferant, & habeant. Et tamen Marci c. 6. v. 8. præcipit eis, ne quid tollant in via nisi virgam.

Resp. Priori loco Christus præcipit Apostolis, ut ituri ad annuntiandum Evangelium nulla vitæ necessaria secum deferant, imò nec virgam, id est, minimas etiam res ibi per virgam intellectas; cùm æquum esset, ut qui Evangelium añuntiarent, etiam de Evangelio viverent. At Marci 6. per virgam, quam eos de via tollere jubet, intelligit jus duntaxat, & potestatem Evangelium annuntiandi, & de Evangelio vivendi.

Ob. 10mo.

575 Ob. 10mò. Ibid. c. 23. v. 35. Zacharias ille, qui inter Templum, & Altare occisus memoratur 2. Paralip. c. 24. dicitur filius Barachiæ, cùm tamen fuerit filius Jojadæ.

Resp. 1mò. Zachariam dici filium Barachiæ apud Matthæum, id est, *Benedicti Domini*, quia Jojadas pater ejus Sacerdos fuit piissimus, adeoque verè Benedictus Domini.

Resp. 2dò. Apud Matthæum hîc irrepsisse Librarii errorem, qui locô *Jojadæ*, *Barachiæ* nomen posuit; nam in Evangelio Matthæi, quo utuntur Nazaræi, expressè legitur *filius Jojadæ*, prout testatur Hieronymus, c. 23. Matth.

Resp. 3tiò. A Domino Christo hîc fortè designatum fuisse Zachariam filium Baruch, cujus mentionem facit Josephus de Bello lib. 4. c. 19. in Græco, seu lib. 5. c. 1. in Latino; atque interfectus dicitur an. æræ Christ. 67. ante eversionem Urbis & Templi 7mô. Ratio est 1mo. Quia Zacharias Barachiæ filius ut justorum postremus à Judæis interfectus innui à Christo videtur, sicut Abel primus Sanctorum violenta morte fuit sublatus. 2do. Zacharias Jojadæ filius lapidibus obrutus est in atrio Domûs Domini; Zacharias verò Barachiæ filius inter Templum & Altare. 3tio. Quamquam moris fuerit apud Hebræos duobus nominibus nuncupari, quorum exempla passim in Scripturis occurrunt, verisimile non videtur, Christum pro Jojada nomine satis cognito, Barachiæ nomen minimè notum substituere voluisse. Et quamvis primùm post ascensionem Christi esset occidendus, Dominus tamen præteritum pro futuro usurpans, propheticâ phrasi locutus est. Denique quamvis nec Josephus nec antiquus alius Scriptor Zachariam hunc inter Christianos accensuerit, tamen nemo contrarium unquam asseruit. De S. Jacobo Minore, Anani scelere necato ita agit Josephus, tanquam de viro Judæo, nam tunc Christiani habebantur ceu secta quædam ex Judæis. Quare nihil vetat, quin Zachariam filium Baruch Christianismum professum fuisse teneamus, eundemque hîc Christum designasse reputemus &c.

576 Ob. 11mò. Ibid. c. 26. v. 29. ait Christus: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Et tamen Act. c. 10. v. 41. testatur S. Petrus, se & alios post illius resurrectionem cum eo manducasse, & bibisse.

Resp. Quòd etsi Christus post resurrectionem suam cum Apostolis suis manducaverit, & biberit vinum naturale, seu de germine vitis, non tamen consuetô & ordinariô modô, nec ad serviendum naturæ necessitati, quo solo modo ante passionem negaverat se deinceps cum illis comesturum, & bibiturum, sed tantùm ad majus suæ veræ resurrectionis indicium. Meliùs respondetur, hæc sensu figurato & mystico Christum fuisse elocutum, atque intelligenda esse, prout vel ex ipso textu patet, neque enim in regno cœlesti bibitur naturale vinum. Ergo lætitiam hîc beatorum æternam Christus intelligit &c.

577 Ob. 12mò. Ib. c. 27. v. 9. dicitur: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: & acceperunt triginta argenteos &c.* Cùm tamen hæc prophetia sit apud Zachariam, c. 11. v. 12.

Resp. 1mo. Librariorum incuriâ nomen *Jeremiæ* hîc irrepsisse; enimverò Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum, quos citat; Et verò textus Syriacus, & nonnulli Codices latini, teste S. Augustino, quorum unum adhuc Romæ in Bibliotheca Patrum Eremitarum S. Augustini asservatur, non habent *Jeremiam*, sed *Zachariam*.

Resp. 2dò. cum Origene, Tertulliano, Eusebio, &c. hæc eadem omnia in Jeremia olim extitisse, ut in apocrypho quodam exemplari se vidisse testatur S. Hieronymus, sed ea intercidisse, vel ab ipsis Judæis erasa fuisse.

De

378 *De S. Marco, & ejus Evangelio.*

S. Marcus Evangelista, juxta Papiam, apud Euseb. lib. 2. Hist. cap. 24. & S. Irenæum, apud eundem lib. 13. c. 1. aliosque veteres, & recentiores S. Petri Discipulus, & Interpres, quem Origenes, apud Eusebium lib. 6. Hist. c. 26. Hieronymus, in Catalog. Theophilus, in Marc. ab eodem S. Petro spectatum credunt, cùm illum appellat filium suum (*n*), fortassè, quòd illum Christo genuerit.

Inter septuaginta Discipulos numeratus, antequam Apostolo Petro socium se jungeret, vulgò creditur. Verùm nonnulli ex Patribus addunt, eum unum ex illis fuisse, qui cùm à Christo verba hæc audissent: *Nisi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem &c.* (*o*) iis offensi recesserunt; at S. Petri adhortatione ad frugem illum rediisse, cujus in fide æmulum, & in itineribus comitem fidelissimum se præbuerit; Romam unacum ipso appulsum, ibidem Evangelium suum scripsisse fratrum sollicitatione, qui eum rogaverant, ut ea conscriberet, quæ à S. Petro audiverat: ita Origenes, de recta in Deum fide. Dorotheus, in Synopsi. Procopius Diaconus, apud Bolland. 26. April. & post ipsos S. Hieroymus, de Script. Eccles. in Marco. In idem recidunt, quæ Pseudo-Athanasius in Synopsi ait: Evangelium scilicèt secundùm Marcum prædicatum fuisse Romæ ab Apostolo Petro, & promulgatum à B. Apostolo Marco, qui etiam illud Alexandriæ, in Ægypto, in Pentapoli, & Lybia prædicaverit. Verbò, universa antiquitas cum Papia tenuit, Evangelium S. Marci nonnisi Synopsim & epitomen esse prædicationum S. Petri, cujus ipse Interpres erat. S. Irenæus tamen vult, S. Marcum Evangelium suum nonnisi post mortem, vel saltem ex Roma discessum SS. Petri, & Pauli scripsisse. (*p*) S. Chrysostomus verò ait (*q*), S. Marcum suum Evangelium, non Romæ duntaxat, sed in Ægypto scripsisse. Quæ diversæ de eadem re sententiæ produnt, nihil certi definiri posse circa locum, & tempus, quo Evangelium istud exaratum fuit. Attamen Eusebius, Eutymius, Baronius, & MS. Codex Bibliothecæ Regiæ Parisiensis num. 2871. docent, Marcum Evangelium suum scripsisse post annum decimum à passione, seu ascensione Domini, & paulò antequam Alexandriam proficisceretur.

Quo verò idiomate ab ipso scriptum fuerit non convenit inter Scriptores; 379 alii enim græcô, alii latinô exaratum volunt. Veterum & recentiorum turba græcum asserit, græcusque textus ab ipsis originalis habetur.

At Baronius, post Auctorem vitæ Summorum Pontificum, à Marco latinè scriptum fuisse Evangelium contendit his potissimùm rationibus: 1mo. quòd Syriaca hujus Evangelii versio testetur, Marcum Evangelium suum Romæ latino idiomate prædicasse, quam sequuntur Persica, & Arabica. 2do. Quòd, cùm Evangelium suum Romæ scripserit, illud nonnisi patrio sermone exarare potuerit, aut debuerit, ut qui à fidelibus hujus urbis latinè loquentibus ad id rogatus fuerit. 3tio. Quòd S. Petrus Romæ Evangelium suum Romanorum linguâ prædicaverit; non ergo videtur, quòd Marcus S. Petri Interpres hujus Apostoli prædicationem alio, quàm Romano sermone colligere, & in chartam conjicere potuerit. 4tò. Si verò dicatur Petrus græcè, aut hebraicè fuisse locutus, illius verba Marcus nonnisi latinè potuit interpretari. 5to. Quòd græcus hujus Evangelii textus multa verba contineat, quæ nullatenus græca sunt, sed

(*n*) 1. Pet. c. 5. v. 13. (*o*) Joan. c. 6. v. 55. (*p*) Advers. hæres. l. 3. c. 1. (*q*) Hom. 1. in Matth.

ſed latina, atque Græziſata, ſi ita loqui fas eſt, fuerunt. Unde patet, originale ipſius exemplar Latinum eſſe, quod deinde in Græcum translatum fuit.

180 Sed his rationibus reſponderi poteſt; & quidem ad 1am. Nulla ratio habenda eſt teſtimonii verſionis Syriacæ, ut & Arabicæ, necnon Perſicæ, ut quæ ad Latinam confectæ fuerint. Notum eſt, hujusmodi inſcriptiones, quæ in principio, & fine librorum Sacrorum, præſertim in verſionibus Orientalibus leguntur, exiguam, imò nullam habere auctoritatem; erraverunt Syrii, quòd, æquè ac Baronius, veſtigiis Auctoris vitæ Pontificum Romanorum inſiſtentes, arbitrati ſint, S. Marcum Romæ Evangelium ſuum nonniſi patrio Romanorum ſermone ſcribere potuiſſe.

Ad 2. Certum eſt, quòd Judæi, qui tùm per totum Romanum Imperium diſperſi erant, imò plerique, qui tùm Romæ erant, græcam linguam calluerint, è contrà verò pauciſſimi duntaxat eorum latinam ſciverint. *Judæi*, inquit Grotius (*r*), *qui Romæ agebant, plerique latini ſermonis ignari, longa per Aſiam, & Græciam habitatione græcam linquam didicerant, & Romanorum vix quisquam erat non græcè intelligens.*

Ad 3. & 4. reſp. S. Petrum Judæis Romanis linguâ, quam intelligebant, locutum fuiſſe, & S. Marcum eâdem linguâ ad preces horum neo-converſorum Judæorum hujus Apoſtoli collectam prædicationem conſcripſiſſe; hæc autem erat græca.

Ad 5. reſpondetur 1mo. quòd, ſi hæc ratio aliquid evinceret, tum per eam probaretur, cæteros Evangeliſtas etiam latinè ſua Evangelia ſcripſiſſe, eoquòd in iis etiam ſimiles dictiones, id eſt, verba latina ad græcum transformata, ſeu græziſata, ut ajunt, reperiantur. Præterea probaretur, quòd Syriacæ, & Arabicæ Sacrorum librorum verſiones initiò græcè fuerint exaratæ, & poſtmodùm è Græco in Syriacum, & Arabicum translatæ, eoquòd in iſtis verſionibus reperiantur plura græca vocabula, quæ Syriacizata, & Arabizata fuerunt.

Reſp. 2do. mirum non eſſe, quòd S. Marcus Romæ græco ſermone ſcribens, plura latina vocabula Græziſata in ſua ſcriptione adhibuerit. Mos enim omnium Nationum peregrinam linguam loquentium, ut proprii ſermonis ſui vocabula ei admiſceant. Sic ergo S. Marcus græcam linguam locutus eſt, prout Romæ, atque etiam in multis aliis Romani Imperii civitatibus in uſu erat, ubi Græci plura Romana vocabula adoptaverant, atque in ſuam linguam tranſtulerant.

Verùm hæ reſponſiones omnes hocce unicò convelli videntur, quòd Venetiis folia quædam Originalis Evangelii S. Marci, ipſiusque manu exarati textûs aſſervari dicantur. Bernardus Montfaucon celebris Congregationis S. Mauri in Gallia Benedictinus Scriptor, hujus Scripti meminit in ſuo Itinere Italico c. 4. Atque latinè exaratum aſſerit; tantæque vetuſtatis Opus nunquam vidiſſe ſe teſtatur, quippe quod ſeniô ita oblitteratum ſit, ut unius litterulæ linea vix diſcernatur. Certè Carolus IV. Imperator annô imperii ſui 9nô. aſſeruit, ſe propriis oculis vidiſſe in Eccleſia Aquileienſi Evangelium latinis litteris in ſeptem quaternis propria ejusdem S. Evangeliſtæ manu conſcriptum. (*s*) 181

Quæ ſi ita ſint, ſis hæc dirempta momentò videtur. Sed quis nobis fidem faciat, hoc S. Marci exemplare ipſius eſſe autographum, atque propria ipſius manu exaratum?

Ex collatione duorum Evangeliorum SS. Marci, & Matthæi, videtur prior nonniſi epitomen hiſtoriæ, ſeu Evangelii à S. Matthæo conſcripti texiſſe; ſæpe enim eædem phraſes, eædem hiſtoriæ iisdem 182

(*r*) Annot. in tit. Marci. (*s*) Apud Bollanu. ad 25. April. pag. 345.

circumstantiis notatæ in utroque Evangelio inveniuntur; interdum relatis à Matthæo historiis novi aliquid Marcus, quò nempe ipsius Evangelium clariùs evaderet, ac faciliùs intelligeretur. Bina etiam vel tria miracula S. Marcus adnotavit (*t*), quæ alii Evangelistæ omiserunt. Illud autem notatu dignum videtur, hunc Evangelistam, quamvis aliàs vestigiis S. Matthæi omninò inhæreat, narrationis tamen seriem à cap. 4. usque ad c. 14. v. 13. Matthæi deseruisse, ut alium ordinem, eumque, quem cæteri duo Evangelistæ etiam secuti sunt, teneret. Unde Chronologistæ gestorum seriem à Marco, Luca, & Joanne deductam, præ ea, quam Matthæus contexuit, probant.

583 Liber S. Marci 16. capitibus absolvitur; hicque S. Evangelista historiam suam à prædicatione S. Joannis Baptistæ exorditur, multaque interdum in ea omittit, quæ apud Matthæum leguntur; ut sunt parabolæ c. 20. 21. & 25. Matthæi. Verba Christi ad Discipulos, & Pharisæos, Matth. c. 5. 6. & 7. Item c. 16. & 23.

584 Quidam veteres Hæretici, ut refert Irenæus lib. 3. c. 2. nullum nisi Marci Evangelium probabant. Fuerunt etiam inter Catholicos, qui duodecim postremos istius Evangelii versus à 9no. scilicet capitis 16ti. versu, qui incipit, *surgens autem manè &c.* rejecerunt. S. Hieronymus testatur (*u*), hos versus in paucis duntaxat græcis exemplaribus lectos fuisse: *omnibus*, inquit, *Græciæ libris penè hoc capitulum* (*x*) (id est, hos 12. ultimos versus) *non habentibus.* Nec sua ætate in plerisque græcis Ecclesiis legebantur.

Nihilominùs de veritate duodecim horum Evangelii S. Marci postremorum versuum minimè licet dubitare, ut qui æquè antiqui sint, ac ipsum hujus Apostoli Evangelium. Græci illos universim in suis Ecclesiis legunt; atque ex iis testimonium asciscit S. Irenæus, qui priusquàm ea græca apographa, quæ hanc in rem proferuntur, extarent, florebat: expressis enim verbis finem hujus Evangelii citat lib. 3. adv. hæres. c. 11. *In fine autem*, inquit, *Evangelii ait Marcus: Et quidem Dominus JEsus, postquam locutus est &c.* notatque 19. versum ultimi, quod 20. versibus constat, capitis. Denique illos duodecim postremos versus continent antiquissima latina, & syriaca exemplaria, unde probatur, quòd in illis græcis exemplaribus, ad quæ hæ versiones, quæ sunt antiquissimæ, præsertim latina, adornatæ fuerunt, illi versus extiterint. Præterea etiam continentur in græcis exemplaribus Cantabrigiensi, & Alexandrino, quæ omnium græcorum exemplarium, quæ in Europa supersunt, antiquissima censentur.

Quòd autem in iis græcis exemplaribus, de quibus mentionem facit S. Hieronymus defuerint, id fortè Librariorum & Amanuensium errore factum est, qui cùm ea conciliare non possent, quæ de resurrectione Christi narrat hic Evangelista, cum iis, quæ S. Matthæus de ea refert, hanc historiam è Marci Evangelio removerint.

Duo in eo textus leguntur, quæ difficultatem aliquam involvere videntur. 585

1mo. c. 11. v. 13. Narratur de Christo, quòd cùm extra tempus ficorum ex ficu aliqua fructus decerpere vellet, nec in ea nisi folia invenisset, ei maledixerit dicens: *Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet*; vel ut loquitur

(*t*) Cap. 1. v. 23. & c. 5. v. 9 & 16. (*u*) Epist. ad Hedib. 9. 3. (*x*) Vox *Capitulum* hic à S. Hieronymo usurpata, non denotat integrum ultimum S. Marci caput, quod est 16tum, sed solùm ab his v. 9. verbis, *surgens autem &c.* Nam antiqui Scriptores Ecclesiastici Scriptionum suarum capita in varia capitula distribuebant, quæ Alphabeti litteris per ordinem distinguebant, ut adhuc videre est in antiquis sacrorum & aliorum Ecclesiasticorum librorum editionibus.

quitur Matthæus, c. 21. v. 19. ***Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; & arefacta est continuò ficulnea.*** Quod factum contra sanam rationem esse videtur. 2do. Ib. c. 13. v. 32. ait Christus, *se ultimum diem judicii nescire*; quod utique falsum erat.

Sed resp. ad primum. Christum hoc loco voluisse hoc signô supremum suum omnium rerum dominium manifestare, atque simul indicare, populum Judaicum, quòd famelico Deo præter nuda sterilium cæremoniarum folia subministraret nihil, brevi subtracto gratiarum cœlestium humore, reprobatum, arefactum, & excisum iri.

Ad 2dum. Christus ait se diem illum nescire, non absolutè quidem, sed ut illum manifestet, id enim in mandatis à Patre non acceperat.

De S. Luca, & ejus Evangelio.

586 Lucas natione Syrus, patriâ Antiochenus, arte Medicus fuit. (*y*) An genere Ethnicus fuerit, an Judæus, disputatur. Qui eum inter septuaginta duos discipulos Domini recensent, Judæum fuisse affirmant. Id certum, quòd Paulum prædicantem comitatus fuerit (*z*); quo tamen tempore huic Apostolo se comitem dederit ignoratur. Qui eum, auditis his Christi verbis: ***qui non manducat meam carnem &c.*** ab ipso recessisse dicunt (*a*), à S. Paulo Antiochiæ ad fidem revocatum putant, & eidem perpetuò deinceps adhæsisse tuentur. Alii Troade se Paulo comitem junxisse censent, quod & ipse Lucas comprobare videtur, quando hæc scribit (*b*): ***Statim quæsivimus à Troade proficisci in Macedoniam***, quo loco de se, velut Pauli comite verba facere videtur.

Lucas etiam picturæ vacasse ab aliquibus creditur: alicubi enim B. Virginis effigies vel ab eodem expressæ, vel ab ejusdem exemplaribus deprompta monstrantur. Veteres tamen hujus sancti Lucæ artis nullibi meminêre; cumque pictorem fuisse primus omnium Nicephorus scribit.

Ea in suo Evangelio de Christi infantia, & B. Virgine differit, ut & sanctam hanc Virginem novisse, sibique cum ea necessitudinem aliquam fuisse satis ostendat.

Epiphanio auctore (*c*), in Dalmatiam, Galliam, Italiam, & Macedoniam Evangelium intulit; teste verò Metaphraste in Ægypto, Lybia, & Thebaide prædicavit.

Pluribus, ut ajunt, annis Paulo superstitem vitam traduxit; & seniô tandem confectus, annos 80. vel 84. natus in Achaja vivere desiit. (*d*) 587

Refert Nicephorus (*e*) Thæbis Weotiæ illum obiisse, ubi in hanc usque diem sepulchrum, quod S. Lucæ appellant, visitur. S. Hyppolitus (*f*), in Elea Peloponesi cruci affixum; Dorotheus (*g*), Ephesi sepultum; Beda, Usuardus, Addo, & Romanum Martyrologium in Bythynia defunctum ferunt. Gregorius Nazianzenus (*h*), Paulinus, (*i*), & Gaudentius, Serm. 17. martyriô interemptum; Græci recentiores olivæ affixum perhibent. Elias verò Cretensis (*k*), cui plerique Recentiores adhærent, violenta morte minimè sublatum pro certo habet. Ex his patet, quòd circa mortis illius genus, & tempus nihil certi constitui possit.

Quo autem tempore, & anno Evangelium suum scripserit, æquè incertum. Græcè illud scripsisse eum in Achaiæ, &

(*y*) Eutych. Alex. in Chron. Irenæus apud Euseb. Hist. l. 5. c. 8 Pseudo-Athanas. in Synopsi. (*z*) 2. Timoth. c. 4. v. 11. Philem v 23. & Coloss. c 4 v. 14. (*a*) Apud Epiphan. Hæres. 51. (*b*) Act. cap. 16. v. 8. (*c*) Hæres. 51. (*d*) Hieron. de vir. Illust. (*e*) Lib. 2 c. 43. (*f*) In Ms. Bodlæi apud Mill. Præfat. in Luc. (*g*) In Synopsi. (*h*) Orat. 3. (*i*) Ep. 12. (*k*) Orat. 3

Beotiæ partibus tradit S. Hieronymus. (*l*) Id ad an. adum Neronis revocat Baronius, qui anno æræ Christ. 57mo. à Passione 23tio respondet. Vetus græcus Codex Ms. Biblioth. Reg. Paris. n. 2871. autem ait: Evangelium secundùm Lucam promulgatum fuisse 15. post ascensionem Domini annis, atque à Paulo Romæ prædicatum fuisse.

589 Viginti quatuor capitibus constat. Præter illud, & Apostolorum Acta, alia quædam, ut versio, seu ipsa phrasis Epistolæ S. Pauli ad Hebræos eidem tribuuntur. Clemens Alexandrinus, apud Euseb. lib. 6. Hist. & Hieronymus, de viris Illust. Jasonis, & Papisci disputationem, qua nunc caremus, ab eo confectam putant.

590 Tertullianus (*m*) & Auctor Synopsis, quæ Athanasio adscribitur, ipsum Lucæ Evangelium Paulo Apostolo tribuunt, quo dictante illud Lucas conscripserit; illudque ipsum esse, quod sæpiùs hic Apostolus suum nuncupat. (*n*) Irenæus verò Lucam ea tantùm litteris mandasse, quæ à Paulo prædicante audiverat, testatur, lib. 3. c. 1. & Gregorius Nazianzenus S. Pauli ope Evangelium ab ipso exaratum asserit. Profectò S. Paulus ut plurimùm Lucæ Evangelium allegat, ut conferenti 1. Cor. c. 23. &c. cum Lucæ c. 22. v. 18. & 1. Cor. c. 16. v. 15. cum Lucæ c. 24. v. 34. patet. Lucas tamen; sibi ea in re Paulum quidpiam contulisse, nullibi meminit.

Theophilo cuidam nobis prorsùs ignoto Lucas suum Evangelium & Acta Apostolorum inscribit, quem plerique Veteres appellativo sensu virum Dei amantem arbitrati sunt.

Marcionitæ solum Lucæ Evangelium admittebant, sed pluribus locis à se ipsis corruptum, & mutilatum, prout testantur Tertullianus, lib. 5. cont. Marcionem; & Epiphanius, Hæres. 42.

Solvuntur objectiones,

Contra hujus libri auctoritatem.

Ob. primo c. 2. v. 34. hujus Evangelii de Christo à Simeone dicitur: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Et c. 9. v. 56. è contrà dicitur: *filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* 591

Resp. Prioris textus sensum esse, non quòd Christus debeat esse causa formaliter, ut ajunt, per se & directè ruinæ multorum, sed solùm occasionaliter, per accidens, & indirectè, quatenus scilicet, multi ejus gratiæ, doctrinæque resistentes, majorem sibi damnationem acquirerent.

Ob. 2do. Ib. c. 3. v. 36. Sale dicitur esse filius Cainan. At Genes. c. 11. v. 12. ubi texitur Genealogia Sem usque ad Abraham, nulla hujus Cainan fit mentio, sed Sale dicitur fuisse filius Arphaxad. 592

Resp. 1ò. In Scriptura haud insolitum esse, ut nepos avi sui filius dicatur. Hujus rei exemplum supra Sect. 1. hujus partis cap. 2. pag. 108. de Jonathan, qui quamvis esset Isai Patris David nepos, tamen ejusdem Isai filius nuncupatur. 1. Reg. c. 16. v. 11. Sic etiam Sale in Genesi dicitur filius Arphaxad, non quòd hic immediatè illum genuerit, sed mediatè duntaxat, nempe per Cainan filium suum.

Resp. 2dò. Immeritò & ex librariorum errore nomen istud Cainan in Evangelium Lucæ irrepsisse. Non enim reperitur in Chronico Eusebii, nec apud Josephum, nec apud Julium Africanum, nec in

(*l*) Proëm. in Matth. (*m*) Lib. 4. cont. Marcion. (*n*) Rom. cap. 2. v. 26. & c. 16. v. 25. Item 2. Thessal. cap. 2. v. 13.

in ullo veteri Testamento sive hebræo sive latino; atque etiam prætermissum ab Irenæo videtur, qui Septuaginta duntaxat generationes ab Adamo usque ad Christum recenset. Equidem nomen istud Cainan olim in Septuaginta legebatur, non tamen in omnibus illorum editionibus: Enimverò non legebatur in Hexaplis correctis, & Origenes suam Hexaplorum editionem secutus eum omittit; neque à Theophilo Antiocheno in suo computo juxta versionem Septuaginta instituto recensetur, nec ab Usuardo, Rabano, Addone, Cassiodoro &c. Extant etiam novi Testamenti exemplaria, in quibus non legitur, ut in Anglia Codex antiquissimus Græco-Latinus quatuor Evangelia, & Acta Apostolorum continens &c.

593 Momentò difficultas hæc levaretur, si juxta illorum opinionem, qui ea tantùm, quæ fidem & mores spectant, sacris Scriptoribus à Deo revelata, & inspirata fuisse tuentur, dici posset, Lucam hîc eam, quam præ manibus habebat, Septuaginta Versionem secutum, errorem hunc ab ea in suum librum transcripsisse. Verùm plerisque, imò pene omnibus nimis audax videtur hæc opinio.

594 Ob. 3tio. Eodem c. v. 23. In texenda Josephi B. V. Mariæ, & Christi Genealogia dicit Lucas Joseph fuisse filium Heli. Cùm contrà Matthæus c. 1. v. 16. dicat eum fuisse filium Jacob.

Resp. 1mo. Joseph fuit verè filius naturalis Jacob, & legalis Heli: Lex enim jubebat, quòd, mortuo fratre sine liberis, frater ejus superstes viduam ejus in uxorem duceret, ut mortui fratris semen, seu prolem suscitaret, quæ familiæ nomen retineret, & hæreditatem. Jacob autem, & Heli erant fratres, & cùm sine liberis mortuus esset Heli, Jacob frater ejus viduam ipsius duxit in uxorem, è qua genuit Joseph, qui ideò, ut dictum, ipsius filius naturalis fuit, & legalis Heli: de eo ergo tanquam legali Heli filio loquitur hîc Lucas, tanquam naturali Jacob filio autem Matthæus.

595 Verùm huic responsioni obstare videtur, quòd Jacob & Heli non videantur fuisse fratres germani ex eodem patre nati, sed uterini duntaxat: pater enim Jacob erat Mathan (*o*), & pater Heli Mathat (*p*), qui diversi videntur, nisi hîc librarii errorem irrepsisse, qui ultimam hujus nominis litteram vel in Matthæo, vel in Luca mutarit, & locô unius alteram posuerit dicatur. Lex autem jubens fratri sine liberis mortuo suscitari semen à superstite fratre, loquitur de germanis fratribus ex eodem patre genitis, qui soli jus habebant retinendi nomen, & hæreditatem.

Resp. 2do. Joseph à Luca dicitur *fuisse Heli*, non quòd fuerit filius Heli, sed quia fuit gener Heli, seu Sponsus B. Mariæ filiæ Heli, seu Joachimi; unde est, quòd Lucas non utatur verbo *genuit*, quo utitur Matthæus, sed verbo *fuit*, ut indicet, quòd licèt Joseph fuerit Heli, non tamen fuerit ejus filius, sicut dum infrà dicit, *Adam, qui fuit Dei*, licèt Adam non fuerit filius Dei, sed solùm plasma, vel opus Dei, quia Adam à Deo non fuit genitus, sed plasmatus; sicut & ipse Matthæus, ubi c. 1. v. 6. dicit: *David Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ*, per hæc verba: *quæ fuit Uriæ* non vult dicere, quòd Bethsabee, ex qua David genuit Salomonem, fuerit filia Uriæ, seu genita ab Uria, sed solùm, quòd fuerit uxor Uriæ, quam post ejus mortem David duxit in uxorem, & ex qua Salomonem genuit.

(*o*) Matth. c. 1. (*p*) Luc. c. 3.

Verùm nec ista responsio satisfacere videtur: enimverò eodem sensu videtur Lucas dicere, quòd Joseph fuerit Heli, quo de aliis, quorum generationes hìc texit, ut v. 9. quòd *Henos fuerit Seth*, nempe quòd fuerit ejus filius, prout re vera fuit.

Resp. 3tio. Quòd, sicut Christus censetur, & dicitur filius Joseph, licèt non sit genitus à Joseph, sed ex eo solùm, quòd sit filius Sponsæ Joseph, scilicet Mariæ; ita & Joseph censeri possit & dici *fuisse Heli*, licèt ex eo natus non sit, sed præcisè, quia Sponsus fuit Mariæ filiæ Heli, præsertim cùm vir & uxor per conjugium fiant unum, & quasi una persona civilis, habeantque communia omnia.

Resp. 4to. Patrem Joseph, quem Matthæus (*q*) vocat *Jacob*, eundem fuisse ac eum, quem hìc Lucas Heli nominat, soloque nomine differre, quod in sacra Scriptura frequens est, ut nempe eadem persona in diversis ejusdem libris varia nomina sortiatur.

Resp. denique 5to. Multa contineri tum in libris Paralipomenon, tum in aliis Scripturæ sacræ voluminibus Chronologiam & Genealogiam spectantia, quæ ipsorum Hebræorum consensu sibi invicem contraria esse videntur, licet re vera inter se conveniant, & solùm ex nostra ignorantia conciliari non possint. Sic pariter hìc loquendum videtur; & si fortè Acta unde hæ Genealogiæ erutæ fuerunt, adhuc superessent, faciliùs utique difficultates in illis occurrentes solveremus.

596 Ob. 4to. Ib. c. 24. v. 26. dicitur Christus *finxisse se longiùs ire*. Sed fingere est mentiri &c.

Resp. Ista, & aliæ fictiones, quibus Christus usus est, non fuerunt ad decipiendum, quod solùm de ratione mendacii est, sed ad aliquid majus significandum.

De S. Joanne ejusque Evangelio.

Joannes Evangelista ex Bethsaida Galilææ Zebedæi, & Salomes filius, piscatione vitam tolerabat. Eum, priusquam Christum sequeretur, aliqui, non tamen satis firmô argumentô, Joannis Baptistæ Discipulum fuisse arbitrantur. 597

Ipsum & Jacobum fratrem suum, qui communiter *Jacobus major* appellatur, Dominus *Boanerges*, id est, tonitrui filios idcircò forte appellavit, quòd vivido spiritu & fide quàm maxima præstantes essent.

Joannes omnibus Apostolis junior fuisse creditur, utqui, cùm Dominum secutus est, annos quinque vel sex supra viginti vix attigisse poterat. (*r*) Præcipuo eum Dominus amore prosequebatur, seque Joannes ipse plerumque *Discipulum, quem diligebat JEsus*, appellat.

Usque ad Domitiani persecutionem pauca de illo novimus. Paulò postquam Apostoli Spiritum sanctum receperant, Petrus, & Joannes, quòd claudum ad portam Templi sedentem sanassent, & Christum prædicare non cessarent, flagris cæsi Jerosolymâ ejecti sunt; unde Samariam profecti Spiritum sanctum iis impertierunt, quos Philippus baptizaverat.

Joannes deindè ad Parthos se contulisse creditur, ejusque prima Epistola *ad Parthos* inscripta interdum profertur. (*s*) Nullum est dubium, quin in Asiam profectus, de Evangelio apud populos dixerit, diuque Ephesi, vel propè eam regionem commoratus fuerit. 598

Domitiano imperii sui annô 15tô fideles infectante, Joannes Ephesô Romam ductus est, ibique in ferventis olei dolium demersus evasit incolumis, prout referunt Tertullianus, lib. de Præscript. c. 36. & S. Hieronymus, in Joan. lib. 1. c. 14. 599

In

(*q*) C. 1. v. 16. (*r*) Paulin. Ep. 386. Hieronym. Ep. 1. (*s*) Aug. quæst. in Evang. lib. 2. c. 39.

600 In Pathmo maris Ægæi insula inde exulavit, ubi Apocalypsim scripsit. Annô deinde æræ 96tô mense Septembri, Domitianô interfectô, & ab ejus successore Nerva omnibus exulibus restitutis, Joannes Ephesum reversus est, annô ære, seu, ut nunc vulgò dicitur, Christi 97mô (t) quo annum agebat 90mum.

Ad extremam usque senectam pervenit, ac tandem felicissimo obitu defecit Ephesi annô Christi 100. cùm juxta S. Epiphanium Hæresi. 51. esset annorum 94. Juxta alios verò 98. vel 99. vel etiam 104. ac propè Ephesum tumulatus est, ut testatur Hieronymus, lib. de Vir. Illustr.

601 Quo autem tempore, & anno Evangelium suum scripserit, & ediderit, pro certo definiri non potest; id duntaxat notum, quòd videlicet omnium Evangelistarum postremus librum suum exararit.

602 Nec etiam nobis certa supersunt monumenta, quæ nobis rationes exhibeant, quibus hic S. Apostolus ad aggrediendum Opus istud impulsus fuerit, postquam Evangelia SS. Matthæi, Marci, & Lucæ jam edita conspexisset.

Clemens Alexandrinus, quid hac de re sua ætate sentiretur (u), refert; scilicet S. Joannem, lectis tribus hisce Evangeliis, & tanquam veris ab ipso approbatis, cùm animadvertisset in iis abesse historiam eorum, quæ Jesus initiò prædicationis patraverat, manum operi admovisse, præsertim, cùm id Asiæ fideles enixè ab ipso expetiissent, ut quod aliorum Evangelistarum historiæ deesse videbatur, suppleret, omissis plerumque iis, quæ à prioribus Evangelistis jam relata fuerant, atque eorum locô expositis iis, quæ Jesu Christi divinitatem spectabant.

At S. Hieronymus, eum occasione hæresis Cerinthianorum, & Ebionitarum Christo divinitatem abjudicantium Evangelium suum scripsisse asserit. (x) Cùm enim hæresis ista in Asia vires sumere videretur, rogaverunt Asiæ fideles, & Episcopi, ut contra hos Hæreticos, & de iis quæ de Domino viderat, vel ab ipso audiverat Evangelium conscriberet. Petitioni ipsorum Joannes, jejuniis priùs, & precibus publicis indictis, morem gessit, Spirituque sanctô repletus, hisce è cœlo delapsis verbis *In principio erat verbum, &c.* Evangelium suum exorsus est, in illo ea præsertim referens, quæ adversùs Ebionitas, & Cerinthianos Christi divinitatem quàm maximè comprobarent. Ipsius porrò Evangelii 21. numerantur capita.

Quemadmodum, ut supra adnotavimus (y), in quibusdam græcis MSS. exemplaribus 12. ultimi versus Evangelii S. Marci non leguntur, ita etiam duodecim versus in Evangelio S. Joannis numerantur, qui in quibusdam exemplaribus MSS. ut & typô vulgatis græcis editionibus non reperiuntur, nempè v. 53tius & ultimus capitis 7mi usque ad v. 11. cap. 8vi inclusivè, quibus nempe historia mulieris in adulterio deprehensæ continetur. Nihilominus minimè dubitandum est, quin hæc historia partem Evangelii S. Joannis verè constituat, atque ab ipso æquè conscripta fuerit, ac reliqua ipsius historia, 1mo. quia illius mentionem facit Papias Apostolis coævus, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 39. Ammonius Alexandrinus, in Harmonia Evangeliorum, qui primis Ecclesiæ sæculis florebat. Pseudo-Athanasius, in Synopsi. S. Joannes Chrysostomus, Hom. 60. in Joan. Ambrosius, Ep. 58. lib. 7. ad Stud. Hieronymus, lib. 2. advers. Pelag. 603

(t) Anni æræ Christianæ quartô semper annô subsequuntur annos Christi, ita ut quartus annus à Christo nato sit annus primus æræ Christianæ; jam autem mos invaluit, ut anni Christi ab annis æræ numerentur. (u) Apud Euseb. Hist. lib. 3. c. 24. (x) Proëm. Comment. in Joan. (y) De S. Marco & ejus Evangelio.

lag Augustinus, Tract. 33. in Joan. Pluresque alii Patres, qui omnes hanc historiam in Joanne legerunt, atque in suis Commentariis exposuerunt. Sanctus quoque Augustinus lib. 2. de adulterin. Conjugiis, c. 7. ait, hanc historiam ab inimicis veræ fidei è nonnullis Evangelii S. Joannis Codicibus erasam fuisse. 2do. (z) Nicetas in catena Commentatorum Græcorum in Evangelium S. Joannis testatur, hanc historiam reperiri in antiquis græcis exemplaribus. (a) Alia catena Commentatorum Græcorum ait, eandem historiam in omnibus antiquis Evangelii S. Joannis exemplaribus contineri. Idipsum referunt plures alii Codices MSS. apud Simonium (b), qui & testatur, eam ab aliquot jam sæculis in omnibus Ecclesiis græcis legi; atque in versionibus Syriacis, (c), & Arabicis Romæ, & in Hollandia typis vulgatis reperiri. (d) Beza etiam fatetur, ex 17. MSS. antiquis, quæ penes se habebat, hanc historiam in unico deesse. (e) Calvinus quoque eam recipiendam statuit, eoquòd in Ecclesiis latinis semper recepta fuerit, necnon in multis antiquis exemplaribus, & libris græcis reperiatur, nihilque spiritu Apostolico indignum contineat. 3tio. Accedit auctoritas Ecclesiæ, quæ hanc historiam velut Canonicam semper habuit; eamque in divino Officio legit, Sabbatô nempe post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

604 Quod autem in aliquibus græcis exemplaribus ætate Hieronymi, & Euthymii defuerit, id ab aliquo græco Scriptore factum autumant Maldonatus, Seldenus, & Wallæus (f) qui Græcus in hunc locum nimia cum libertate criticen suam exercuerit. Nec à vero abludit hæc conjectura, exploratum quippe habemus, græcos Scriptores interdum nimisquam liberè sua exemplaria correxisse, & interpolasse, iis, prout suus ferebat genius, modò quædam addentes, modò ab iis rescindentes; quidni etiam idipsum, quoad hunc locum S. Joannis præstiterint, fortè quia viderent, hujus historiæ nullam esse apud reliquos Evangelistas mentionem.

Leguntur in hoc S. Joannis Evangelio 605
aliqua, quæ quodammodò difficultatem continere videntur, ut 1mo. c. 5. v. 31. Christus ait: *Si ego testimonium perbibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* At contra c. 8. v. 14. *Et si ego*, inquit, *testimonium perbibeo de me ipso, verum est testimonium meum* Quæ sibi invicem contraria, & inter se pugnantia videntur.

2do. Ib. c. 11. v. 4. De infirmo Lazaro dicit Christus: *Infirmitas hæc non est ad mortem;* & tamen ibidem legitur, v. 14. *Lazarus mortuus est.* Quæ iterum sunt contraria.

3tio denique, Ib. c. 15. v. 15. ait Christus Discipulis suis: *Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis* Et tamen c. 16. v. 12. eosdem alloquens dicit: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò.* Sed hæc sibi contradicere videntur.

Resp. ad 1mum. Hi duo textus non sub eodem, sed sub diverso sensu à Christo prolati fuère; nam in priori loquitur de suo testimonio à se ipso prolato; in posteriori verò loquitur quidem de suo testimonio, sed non solo, verùm Patris sui testimonio roborato, & firmato. In priori ergo textu dicit gratis, & quasi permittens, *testimonium meum non est verum*, id est, vestrô scilicet judiciô firmum, & sufficiens, quia testimonium unius, juxta vulgarem hominum sententiam, non est firmum, præsertim, quando est unius de se ipso testantis. In posteriori verò dicit, *testimonium meum est verum*, quia non unius tantùm, sed duorum est, mei scilicet, & Patris mei testimonium de me perbibentis, qui sumus duæ personæ divinæ, duo-

(z) Cod. MS. Bibliot. PP. Oratorii Paris. (a) Cod. MS. Bibliot. Reg. Paris. n. 1883. (b) Hist. crit. du Nouveau Testam. c. 13. (c) In Bib. Polig. Ang. (d) Annot. in Joan. c. 7. v. 53. (e) Comment. in Joan. c. 8. v. 1. (f) Comment. in Joan.

duoque de mea divinitate testes omni exceptione majores.

Ad 2dum Resp. 1mo. Infirmitas Lazari non fuit ad mortem omnibus hominibus communem, qua qui moriuntur, manent mortui, nec ad vitam redeunt, sed fuit ad miraculum pro manifestanda Dei gloria per resurrectionem defuncti Lazari. Resp. 2do. Quòd ideo hæc Lazari infirmitas non fuerit ad mortem, licèt tamen posteà mortuus sit, quia hæc ipsius mors, non tam fuit mors, quàm somnus, à quo illico evigilavit, & resurrexit à Christo resuscitatus, seu potiùs excitatus. Resp. 3tio. Hanc infirmitatem Lazari re ipsa non fuisse ad mortem, tamen ipsum mortuum esse, ut videlicet Christus miraculum, ob quod Deus illum mori permisit, patraret, eoque missionem suam magis coram populo confirmaret.

Ad 3tium Resp. cùm Christus suis Apostolis omnia audita à Patre suo nota fecisse dicit, de iis tantùm, quæ ad ipsos, ipsorumque munus spectabant, loquitur. Cùm autem cap. 16. se adhuc multa eis dicenda habere declarat, de aliis ad totius Ecclesiæ regimen, & statum pertinentibus rebus loqui dicendus est, inter quæ sunt abolitio legalium observationum, rituum Ecclesiasticorum institutio, & alia similia, &c. Hæc de libris legalibus novi Testamenti, seu quatuor Evangeliis.

606 Præter ea nulla alia Canonica censentur, quamvis plura passim referantur: ut Evangelium secundùm Hebræos. Evangelium secundùm Nazaræos. Evangelium duodecim Apostolorum. Evangelium S. Petri. Quæ quatuor sunt fortè unicum S. Matthæi Evangelium ab Hæreticis Nazaræis depravatum. Item Evangelium secundùm Ægyptios. Evangelium Nativitatis sanctissimæ Virginis. Evangelium S. Jacobi. Evangelium infantiæ JESU Christi. Evangelium S. Thomæ. Evangelium Nicodemi. Evangelium æternum. Evangelium S. Andreæ. Evangelium S. Bartholomæi. Evangelium Apellis. Evangelium Basilidis. Evangelium Cerinthi. Evangelium Ebionitarum. Evangelium Encratitarum. Evangelium Evæ. Evangelium Gnosticorum. Evangelium Marcionis. Evangelium S. Pauli. Parvæ, & magnæ interrogationes Mariæ. Liber Nativitatis JESU Christi. Evangelium S. Joannis, alio nomine, liber obitus B. V. Mariæ. Evangelium S. Matthiæ. Evangelium Perfectionis. Evangelium Simonianorum. Evangelium secundùm Syriacos. Evangelium Tatiani, idem ac Encratitarum. Evangelium Thaddæi, seu S. Judæ. Evangelium Valentini, idem ac Evangelium Veritatis. Evangelium Vitæ, seu Dei viventis. Evangelium S. Philippi. Evangelium S. Barnabæ. Evangelium S. Jacobi Majoris. Evangelium Judæ Ischariotes. Evangelium Veritatis. Pseudo-Evangelia Lucii, Seleuci, Luciani, & Hesichii. Quæ omnia tanquam libri Apocryphi, & ab Hæreticis conficti ab omnibus habentur.

CAPUT II. 607

De Actuum Apostolorum libro.

Unicus novi Testamenti liber Historicus dignoscitur, qui Canonicus sit, & divinæ auctoritatis, *Actus*, scilicet, sive *Acta Apostolorum* dictus, quamvis pauca admodum de Gestis ipsorum memoret Auctor, utpote qui de ipsis nonnisi usque ad tempus illud, quo in varias regiones Evangelium annuntiaturi abiêre, ac ab invicem divisi fuêre, loquatur; verùm aliis aliorum Gestis prætermissis, non exiguam SS. Petri, & Pauli vitæ seriem, ab ascensione videlicet Christi usque ad S. Pauli Romam adventum, postquam ad Cæsarem provocasset, historiam nempè viginti octo, vel triginta annorum 28. capitibus texat.

Hujus libri Auctor Lucas semper ab omnibus est habitus, qui enarratis in 608

Evangelio ſuo Chriſti operibus, Apoſtolorum Principum facinora, miramque rationem, qua Spiritus ſanctus Eccleſiam ſanguine Chriſti redemptam efformavit, etiam recenſere aggreſſus eſt.

Creditur S. Lucas hoc ſibi propoſuiſſe, ſinceram nempe Apoſtolorum, præſertim Petri & Pauli vitam, aut ſaltem illius partem ſcriptô conſignare, atque vera Acta falſis, quæ vulgò circumferebantur, opponere.

Hæc Eccleſiæ naſcentis hiſtoria tanti ab Eccleſia ſemper habita eſt, ut, aliis neglectis, eam ſolam adoptaverit Eccleſia ipſa.

609 Quo tamen tempore Acta hæc ſcripſerit S. Lucas, incertum eſt. In hoc omnes conveniunt, ea ab ipſo poſt ſuum Evangelium ſcripta fuiſſe, imò eum illa ſcribere non potuiſſe, niſi duobus annis, poſtquam Paulus Romæ moratus eſt, in primo ſuo illùc itinere; annô ſcilicet circiter 62. vel 63. Chriſti, ſeu æræ; cùm de hoc itinere, hujusque Apoſtoli ibidem mora differat. Fortaſſe ſcripſit librum hunc Romæ apud Paulum in carcere detentum, quocum per duos annos, quibus idem Apoſtolus ibi fuit, commoratus eſt, nempè usque ad illius liberationem. Græcè ſcripſit puriori etiam, ac elegantiori, quàm cæteri novi Teſtamenti Scriptores, ſermone.

610 (*g*) S. Epiphanius librum hunc ab Ebionitis è Græco in Hebræum, Syriacum ſcilicet Judæis Paleſtinæ familiare, idioma translatum tradit, corruptum tamen ab illis, pluribusque fabulis, necnon Apoſtolorum memoriæ injurioſis facinorum hiſtoriis interpolatum.

(*h*) S. Hieronymus aſſerit, veris Actis S. Lucæ itinera Pauli, & Theclæ fœminæ à quodam Aſiæ Presbytero adjuncta fuiſſe, qui, prout narrat Tertullianus (*i*), poſtquam corruptæ in hac ſua narratione veritatis convictus fuiſſet, falſus eſt, ſe hanc hiſtoriam ſtudiô celebrandi S. Pauli confinxiſſe.

Liber hic Actuum Apoſtolorum à S. 611
Luca editus inter Canonicos ſemper habitus eſt in Eccleſia. Marcionitæ, ut auctor eſt Tertullianus (*k*), & Manichæi, prout teſtatur S. Auguſtinus (*l*), nonnullique alii Hæretici illum reſpuebant, quia errores ipſorum in illo apertiſſimè damnabantur, atque adversùs circumciſionem, Sabbatum Judæorum, Legemque veterem, quæ omnia retineri debere volebant Ebionitæ, quædam in eo continerentur. Manichæi verò indignabantur, quòd in hoc libro alius Paracleti mentio fieret, quàm Patriarchæ ſui Manichæi, quem ſolum Paracletum à cœlo ipſis miſſum dicebant.

Refert idem Auguſtinus (*m*), librum hunc ab Eccleſia religiosè ſuſceptum, & quotannis in fidelium cœtu legi ſolitum eſſe. S. Chryſoſtomus queritur (*n*), ſua ætate, libri hujus notitiam, & lectionem negligi: Ipſe verò illius dotes amplè laudat, meritoque aſſerit, illum non minoris eſſe utilitatis, quàm ipſum Evangelium.

Verùm ſi quis quærat, cur S. Lucas 612
adeò pauca de cæteris Apoſtolis, eorumque peregrinationibus commemoret, ſed S. Pauli itinera præcipuè perſcribat, imò nec ea abſolvat, cùm tamen ipſius liber omnium Apoſtolorum titulô ſit inſignitus? Reſpondet S. Chryſoſtomus (*o*), quòd ea, quæ S. Lucas hac de re ſcripſit, iis ſufficiant, qui ad illa seriò mentem, & animum intendere voluerint; quòd prætereà Apoſtoli, eorumque Diſcipuli, qui Evangelium JESU Chriſti prædicabant, ea duntaxat ſectati ſint, quæ magis neceſſaria

(*g*) Hæreſ. 3. c. 3. & 6. (*h*) De Script. Eccleſ. in Luca. (*i*) Lib. de Bapt. c. 17. (*k*) Lib. 5. cont. Marcion. c. 1. & 2. (*l*) Lib. de utilit. cred. c. 2. Et Epiſt. olim 253. nunc 237. n. 2. (*m*) Epiſt. 315. n. 1. nov. edit. (*n*) Hom. 1. in Act. Apoſt. (*o*) Loc. cit.

cessaria censebant, scribere historias parum solliciti; (*p*) quòd Ecclesiis plures res sola traditione, quod benè notandum, reliquerint. Enimverò certum est, præcipuum Apostolorum studium fuisse, Evangelium prædicare, & quòd nihil suarum prædicationum scripsissent, nisi vehementer à populis, quos instituerant, rogati, ac sollicitati fuissent. Religio quippe conservari poterat sine ullis scriptis, sed sola traditione.

613 Duo hîc objiciuntur, 1mo. Act. c. 1. v. 1. ait S. Lucas, *se de omnibus, quæ cœpit JEsus facere, & docere &c. sermonem fecisse*, & tamen S. Joannes Evangelista, Evangelii sui cap. ult. ait: *esse multa alia, quæ fecit JEsus: quæ singula, si scriberentur, nec totum mundum posse eos, qui scriberentur, libros capere.* 2do. Ib. c. 15. v. 28. Apostoli in Concilium coacti definiunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis .... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.* Et tamen Paulus, 1. ad Tim. c. 4. v. 3. ait, *doctrinam esse Dæmoniorum abstinere à cibis, quos Deus creavit.*

Verùm Respond ad 1mum S. Lucas non de omnibus absolutè loquitur, sed solùm de præcipuis Christi gestis & documentis à prima infantia usque ad ejus in cœlum ascensum; sanctus verò Joannes de omnibus absolutè loquitur.

Ad 2dum Resp. Apostolus non dicit, quòd abstinere absolutè à certis cibis sit doctrina Dæmoniorum, sed abstinere ab illis superstitiosè, hoc est, abstinere ab illis, quasi immundis, ut Judæi solebant, vel quasi per se malis, & à malo Deo, seu Dæmone procreatis, eo modo, quo Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi, & alii nonnulli Hæretici abstinebant. Unde abstinere à certis quibusdam cibis obedientiæ, temperantiæ, vel pœnitentiæ causâ, exemplô S. Joannis Baptistæ; & in eo sensu, quo interdum abstinere præcipit Ecclesia, non Dæmoniorum, sed Spiritus sancti doctrina est.

Cæterùm alia circumferuntur, Apocrypha tamen, Apostolorum Acta; ut 614
1mo ea, quæ Abdiæ ficto Babylonis Episcopo tribuuntur: Impostor hic, se Episcopum ab ipsis Apostolis, cùm in Persidem proficiscerentur, Babylone consecratum dicit. Recens tamen Opus istud esse inde colligere licet, quòd nec Eusebio, nec Hieronymo, nec aliis ante illos Patribus notum fuerit. Auctor dicit, se græco sermone scripsisse, & Opus suum à Julio Africano græco etiam Scriptore in latinum fuisse translatum. Hegesippum nominat, qui Sæculô 2dô floruit. Vitæ denique Apostolorum, quas conscribit, adeò refertæ sunt fabulis, ut malè digesta fabula totus quotus est liber dici meritò possit. 2do. Acta S. Petri, seu Periodi Petri, quæ adhuc supersunt sub nomine Prægnitionum S. Clementis, prolixiora, quàm olim fuerint. Opus fabulis plenum ex Ebionitarum Schola ducens originem. 3tio. Acta S. Pauli post hujus Apostoli mortem scripta, Opus istud velut supplementum eorum esse videtur, quæ de gestis S. Pauli ab altero ipsius Romam adventu anno usque ad ipsius obitum Lucas scripserat. Librum hunc omninò deperditum bis longiorem fuisse Canonicis Apostolorum Actis necesse est. Codex enim MS. à Cotelerio laudatus (*q*), librum hunc quingentos & sexagenos versus supra 4000. continuisse testatur, cùm tamen Canonica Apostolorum Acta nonnisi quingentis supra bis mille tantùm constent. Eusebius, qui librum hunc viderat, de eo velut supposititio Opere, nullaque fide digno loquitur. (*r*) 4to. Acta S. Joan-

(*p*) Apostoli ex mente S. Chrysostomi, non omnia ea quæ prædicabant, scriptô mandarunt, sed traditione reliquerunt. (*q*) Not. in Ep. Barnab. (*r*) Lib. 3. Hist. c. 25.

S. Joannis Evangelistæ Epiphanio, & Augustino nota (s), incredibilia Apostoli hujus gesta continebant. Illis utebantur Encratitæ, Manichæi, & Priscillianistæ. Fortasse Auctor Synopsis hæc acta laudat sub nomine *Itinerarii S. Joannis*. 5to. Acta S. Andreæ ex S. Augustino (t) nota, & à Manichæis recepta, ab iis, quæ sub nomine Presbyterorum Achajæ supersunt, diversa. His apocryphis Actis Manichæi, apud Augustinum (u), Encratitæ, apud Epiphanium, Hæref. 42. 61. 63. & Apostatici utebantur. 6to. Acta S. Thomæ, quorum verba quædam citat S. Augustinus (x), & Manichæis in usu fuisse testatur. Horum partem fictus Abdias in vita S. Thomæ excerpsit. Simonius vetera hæc S. Thomæ Acta reperisse se putat sub nomine Periodorum S. Thomæ Apostoli in MS. græco Codice, qui in Bibliotheca Regia Parisiensi sub num. 1832. asservatur. Horum fragmenta quædam edidit in suis observationibus in textum, & versiones novi Testamenti. 7mo. Acta S. Philippi, Opus Gnosticis familiare, & à Gelasio Papa inter apocrypha amandatum. Anastasius Sienita fragmentum quoddam eorum servavit in suo Opere trium Quadragesimarum edito à Cotelerio in suis monumentis Ecclesiæ græcæ tom. 3. p. 428. 8vo. Acta S. Matthiæ, de quibus Bollandus 24. Febr. Volunt aliqui, Judæos aliquamdiu vitæ, & mortis S. Matthiæ exemplar celavisse, sed postmodum à quodam Monacho Trevirensis S. Matthiæ Monasterii ex eorum manibus erutum fuisse, quod latinitate donatum in lucem edidit. Eruditi verò hæc Acta, nec vera, nec authentica existimant: fortè bonæ fidei vir iste à Judæis deceptus fuit.

Caput III. 615

De libris Sapientialibus, seu Moralibus novi Testamenti.

Libri Sapientiales seu Morales novi Testamenti viginti & unus numerantur, ut dictum est part. 1. c. 1. hujus Tractatus. Quatuordecim videlicet Epistolæ S. Pauli Apostoli; tres S. Joannis; duæ S. Petri; una S. Jacobi; & S. Judæ una; in quibus novæ legis Sapientia per exempla ac præcepta secundùm Christum piè ac beatè vivendi plenissimè traditur.

De Epistolis S. Pauli. 616

S. Paulus olim Saulus appellatus, è Tribu Benjamin Tharsô in Cilicia oriundus, secta Pharisæus, Ecclesiæ primùm hostis, deinde Discipulus Christi, & Gentium Apostolus effectus, Tharsensis Romanus civis fuit. Illius gesta tum Lucas in Actis Apostolorum, tum ipsemet Paulus in suis Epistolis passim enarrat. Martyriô tandem decoratus est Romæ 29. Junii an. Chr. 66. capite ad aquas Salvias abscisso.

Inter quatuodecim, quas scripsit, 617
Epistolas, in sacrarum Scripturarum Codice prima ponitur ea, quæ est ad Romanos data Corinthi an. Chr. 58. Epistolæ occasionem dedit contentio Judæos inter & Gentiles ad fidem conversos orta. Contendebant illi, se per observationem legis Mosaicæ venisse ad Christi fidem, & justificationem fuisse consecutos: isti verò per legis Moralis observationem eâdem gratiâ dignos se habitos fuisse. Utrisque silentium imponit Paulus, atque in sua Epistola gratiæ, & prædicationis dogmata prosequitur, quam gratiam, ait, neque

(s) Epiph. Hæref. 47. Aug. de Fid. c. 4. & 40. *Item* cont. adversarios leg. & Proph. lib. 1. c. 10. (t) De fid. cont. Manichæos c. 38. (u) Loc. cit. (x) Lib. cont. Adimant. cap. 17. & 22. *Item* cont. Faust. c. 79. & lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 20.

neque Judæi legalium, neque Philosophi moralium virtutum exercitiô assequi unquam promeriti fuerint. Non Philosophorum meritis tribuendum, quòd appellati ad fidem fuerint, nec legis observationi, quod Judæi ad eandem venissent, sed uni divinæ gratiæ beneficio & Christi meritis referendum esse, docet. Hæc ad Romanos Pauli Epistolæ 16. capitibus comprehensæ Summa.

618 In ea occurrit textus difficultate aliqua obvolutus. Ibidem enim c. 7. v. 18. ait Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* At è contra Philipp. c. 4. v. 13. dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Sed Resp. cùm ait Apostolus, se omnia ad salutem posse, loquitur de se ipso divinæ gratiæ juvamine roborato; & cùm è contra dicit sibi *velle* adjacere, & bonum perficere se non invenire, id de se ipso fatetur propriæ naturæ viribus relicto.

619 Succedunt duæ ad Corinthios. Prima fertur scripta Ephesi an. Chr. 57. In ea S. Paulus Corinthios redarguit de seditione orta ex nimio erga Magistros suos studio, simulque quòd perniciosa libertate ab Idolothytis, pessimô fratrum suorum exemplô, non abstinerent. Acerrimè in incestuosum, qui socrum suam duxerat, invehitur: nec etiam illis parcit, qui causas coram sæcularibus & Ethnicis Judicibus agitandas suscipiebant; iis etiam, qui accepto aliquo divinitus dono, superbiebant, minas intentat. Carpit quoque abusus in cœtibus Ecclesiasticis gliscentes, in quibus nempe verba faciendi pruritus, ne fœminis quidem exceptis, omnes tenebat. Denique monita quædam ad mores dirigendos aptissima subjungit. Hujus Epistolæ 16. numerantur capita.

620 Occurrit in ea textus, qui veritati non satis convenire aliquibus videri posset; ait nempe Apostolus cap. 1. v. 17. *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare.* Cùm tamen Matth. c. ult. v. 19. dicat Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas &c.*

Sed Resp. quando Paulus ait, se non à Christo missum esse, ut baptizet, vel alia Sacramenta Parochis committi solita ministret, intelligit principaliter & ordinariè, ut significet, primarium sui Apostolatus, & suæ Legationis munus esse prædicare. Unde Concilium Tridentinum prædicandi munus exercere præcipit Episcopis.

Ephesô ejectus Paulus venit in Macedoniam. 621 Ibi certior factus pacatæ per Epistolam suam priorem Corinthi seditionis, secundam indè ad eos, eodemque, quo priorem anno dedit Epistolam, in qua plurimum contra malos Doctores, famæ suæ apud illos detrahentes invehitur. Suum proinde munus efferens, meritas etiam gestis suis laudes, quamquam non sine insita ipsi moderatione, & modestia, prosequitur. Revelationes suas, alienum à cupiditate animum, persecutiones, & exantlatos à se labores commemorat. Hortatur deinde Corinthios, ut debitas suis criminibus pœnas, ipsimet expetant. Veniam incestuoso indulget; monetque, ut ad suum adventum eleëmosynas prestò habeant. Illius 13. sunt capita.

Inter alia in hac Epistola c. 5. v. 10. 622 ait Paulus, *omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* At è contra ait Psalmista Psalmo 1. v. 5. *Non resurgent impii in judicio.*

Verùm Psalmistæ sensus est juxta Hebraicum textum, *impii non stabunt*, juxta Chaldaicum *non consistent*, quia videlicet causâ cadent, & damnabuntur, quando coram divino Tribunali simul cum justis congregati judicabuntur, & summa cum ignominia procul à Deo, & à justorum cœtu damnati discedent.

623 Quartò locô ponitur Epistola ad Galatas Ephesô quoque scripta an. Christ. 56. In ea Galatas redarguit, quòd post suum discessum seduci se passi sint à quibusdam iniquis Doctoribus, & Pseudo-Apostolis, qui Legalium observantiam, necnon circumcisionem ad salutem prorsùs necessariam, & cum Lege Evangelica conjungendam esse dictaverant. Munus suum magnificis verbis extollit, simulque vividis coloribus iniquos Doctores illos depingit. Congestis Scripturæ testimoniis probat, fideles à jugo Legis liberos esse oportere. Plura etiam ad mores, & ad vitam rectè instituendam præcepta admiscet. Hujus Epistolæ sex numerantur capita.

624 Quinta ad Ephesios scripta fuit ex Urbe Roma fortè an. Christ. 65. Hujus Epistolæ argumentum constituunt potissima fidei mysteria, Redemptionis nempè, justificationis per mortem Christi, gratuitæ prædestinationis, vocationis Gentium, duorum populorum unionis sub Capite JEsu Christo; ac tandem hujus divini Capitis super omnes creaturas tam spirituales, quam corporeas eminentia. Omnium cæterarum ipsius Epistolarum abstrusissima, & magnificentissima videtur, atque sex capitibus concluditur.

625 Sextò ponitur Epistola ad Philippenses ex eadem Urbe Roma circa an. Chr. 62. data. In ea, post redditas de subsidio ad se in vinculis misso debitas grates, de fructu vinculorum suorum agit; hortatur insuper, ut dignam filiorum lucis vitam inter Ethnicos ducant in perpetuo concordiæ nexu, sinceraque animi demissione: eos contra iniquos ex Judaismo Doctores instituit, ac tandem brevi illos revisendi spem facit; quamvis enim mortem malle se significaret, scire tamen se affirmat, vitam sibi fore à Deo producendum. Quatuor constat capitibus.

626 Sequitur septimò Epistola ad Colossenses circa eundem annum Chr. 62., & iisdem vinculis scripta. Quamquam enim hos fideles nec Paulus instituisset, ne vidisset unquam, ab Epaphra tamen eorumdem Apostolo, quem socium in vinculis Romæ habebat, illorum in suscipienda fide studium didicerat. Eodem etiam Epaphra referente compertum habuerat, quosdam Pseudo-Apostolos lolio bonum semen corrupisse, dictitantes, indignum esse, homines per JEsum Christum tantùm ad Deum accedere, præstare igitur, ut mediatoribus Angelis uterentur. Ut ergo hos fideles edoceat Paulus, de JEsu Christi dignitate, necnon mediatoris munere disserit. Hortatur Colossenses, ut caveant, ne ullis aut persuasionibus, aut imposturis Pseudo-Doctorum à Christi fide se abduci permittant; additis etiam pluribus rebus ad vitam rectè instituendam spectantibus. Rogat etiam, ut eandem suam Epistolam ad Ecclesiam Laodicensium legendam transmittant, necnon etiamnum illam, quam Laodicenses ad ipsum Paulum scripserant, in Ecclesia sua palam legant. Hæc Epistola itidem 4. constat capitibus.

Sequuntur binæ ad Thessalonicenses 627
ex urbe Corintho an. Chr. 52. datæ. In prima eorum studium, virtutem, charitatem in fratres ex Macedonia, fideique constantiam pluribus effert. Docet eos, futuram esse mortuorum resurrectionem, eisque tradit veram de extremo judicio doctrinam. Deinde plura subjungit vitæ Christianæ documenta potissimùm circa usum matrimonii, otii fugam, luctum in mortuos &c. Quinque sunt illius capita.

In secunda occupatur confirmandis il- 628
lorum animis, quos rumor quidam de imminenti fine mundi à seditiosis hominibus, suppositis etiam in eam rem ejusdem Apostoli litteris, sparsus turbaverat. Explicat ea, quæ in priore de die judicii quasi instante dixerat, docens, Christum non priùs venturum, quàm Antichristus ipso Domini adventu destruendus apparuerit. Otiosos homines verbis castigat, eisque

eisque, nisi resipiscant, minatur excommunicationem; cæteras verò persecutiones, ut æquô animô tollerent, hortatur. Hujus Epistolæ tria numerantur capita.

629 Veniunt deinde binæ ad Timotheum Epistolæ. Primam dedisse creditur Apostolus è Macedonia an. Christ. 64. in qua & communia, & specialia Episcoporum munera prosequitur; lectionem sacrarum litterarum commendat, simulque hortatur, ut modico vini haustu stomachi vitio succurrat. De Hymenæo, & Alexandro, quorum primus resurrectionem mortuorum jam peractam esse dictitabat, à se excommunicatis certiorem illum reddit. Sex constat capitibus.

630 Duo textus in hac Epistola occurrunt difficultati alicui obnoxii. 1mo. Cap. 2. v. 11. ait Apostolus: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto.* Et tamen ad Tit. c. 2. v. 3. ait: *Anus similiter in habitu sancto .... benè docentes.* 2do c. 4. v. 8. ait: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mibi Dominus in illa die justus Judex.* At Ecclesiastis cap. 9. v. 1. dicitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

Sed Resp. ad 1mum. Priori locô non permittit quidem Paulus mulieri, ut publicè, hoc est, in Ecclesia, vel in publico cœtu doceat, sed nullatenus vetat, imò suadet, ut privatim, & domi sapientes, prudentesque Matronæ filias suas, ancillas, & cæteros domesticos erudiant de rebus ad salutem necessariis, prout secundô ad Titum locô innuit.

Ad 2dum. Cùm dicit Ecclesiastes, nescire hominem, an amore vel odio dignus sit, intelligit, id sciri non posse naturaliter, quod non impedit, quominùs id divinitùs, & per revelationem cognosci non possit, prout cognoverat Paulus, quando asserit, sibi repositam esse justitiæ coronam à Domino justo Judice reddendam.

Secundam dedit ex Urbe Roma, ubi 631
denuò carceri mancipatus erat jussu Neronis Imperatoris an. Christ. 65. & paulò antequàm martyrium subiret. In ea Timotheum rogat, ut ante hyemem ad se veniat. Hortatur interim, ut Episcopi munera omnia implens, institutiones à se acceptas nunquam obliviscatur. Quatuor capitibus absolvitur.

Occurrit etiam textus, in quo con- 632
trarium loqui videtur Apostolus, quod ad Titum scripsit: cap. 4. v. 2. enim monet Timotheum dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* E contrà ad Titum scribens, cap. 2. v. 15. ait: *Argue cum omni imperio.*

Verùm Paulus his duobus locis cuilibet ex his binis Discipulis suis congruum distribuit monitum, Timotheo ferventioris animi viro patientiam; Tito autem, quia lenioris spiritus erat, imperium, ut sic illum per lenitatem patientiæ temperet, hunc verò per æmulationis studium inflammet.

Duodecimô locô occurrit Epistola ad 633
Titum Discipulum suum in Creta relictum. Nicopoli annô Christi 64. scripta creditur, quòd eum illò venire jubeat. Munera Episcopi, & dotes ad implendum Pastorale officium requisitas Apostolus prosequitur, monens, ut contumacibus, & pervicacibus in faciem resistat, adjectis insuper ad omnes cujusvis conditionis homines imbuendos sapientissimis præceptis. Tribus capitibus absolvitur.

Decimô tertiô locô ponitur Epistola 634
ad Philemonem. Data est Romæ anno Christi 62. cùm prima vice ibidem captivus detineretur Apostolus. Epistolæ occisionem dedit Onesimi Philemonis servi furtum, cujus cùm eum pœnituisset, & postquam Romæ, quò Colossis Phrygiæ fugerat, ad fidem à Paulo adductus fuisset, & baptizatus, ab eodem cum hac Epistola ad herum suum hujus Apostoli Discipulum missus est. In ea Philemonis fidem, & charitatem laudat, ut Onesimum

mum recipiat, atque culpam ei dimittat, petit; utque sibi hospitium paret, scribit, *nam spero*, inquit, *per orationes vestras donari me vobis.* Omnium Pauli Epistolarum brevissima est, atque unico capite concluditur.

635 Demimò quartò denique ponitur Epistola ad Hebræos scripta an. Christ. 62. vel cùm adhuc Romæ, vel saltem in Italia versaretur Apostolus. In ea Palestinæ fideles forti ac generosô animô in perferendis Judæorum infidelium persecutionibus esse jubet. Totus etiam est in asserenda vera justitia, quam non Legalium observatio, sed fides & gratia JEsu Christi inducunt. Probat etiam vetus Sacerdotium, Legalesque cæremonias, Sacerdotio JESU Christi, & Religione Christiana succedente desiisse. Illius tredecim numerantur capita.

636 De hac Epistola sciscitantur Auctores. Non desunt, qui illum S. Clementi Papæ, vel S. Lucæ, vel S. Marco, vel S. Barnabæ Apostolo, vel Apollini, vel Paulo alteri ab Apostolo tribuerint. Imò etiam aliqui eam Tertulliano adscripserunt, sed immeritò, quippe cujus Tertullianus ipse meminit, atque S. Barnabæ adscribit (*y*); eamque respuerunt Tertullianô antiquiores Tatianus, Marcion, & Cajus. (*z*) Verùm sententia, quæ illam Gentium Apostolo Paulo vindicat, invaluit.

637 Scriptam ab ipso hebraico, seu Syriaco tum hebræis vulgari, sermone plerique antiqui Ecclesiæ, præsertim Orientalis, Patres & Doctores censuerunt, ac deinde græcè redditam ab alio, nempe vel à S. Luca, vel à S. Clemente. (*a*) At græcè primùm, quemadmodùm reliquæ hujus Apostoli Epistolæ scriptæ fuerunt, exaratam existimat Huetius. (*b*)

638 Scriptam ante Templi eversionem satis convenit inter omnes. Dissident tamen in loco & anno, quo exarata fuit assignando. Quamvis enim in ea fratrum Italiæ meminerit (*c*), an tamen Romæ & dum adhuc in vinculis erat, an verò post receptam libertatem, sive alibi in Italia exarata fuerit, nuspiam apparet.

De illius auctoritate olim dubitatum 639 fuit, non ab Arianis tantùm, qui illam omninò rejiciebant, & ante illos à Marcionitis, qui corruptam dicebant; sed ab ipsa Romana Ecclesia, & Occidentis, seu latinis Ecclesiis, quæ in ferendo de illa judicio per aliquot sæcula hæserunt, quamvis, prout ostendemus, à primis hujus Ecclesiæ Patribus tanquam Pauli, & divina priùs habita fuisset.

Lutherus, Prolog. Epist. ad Hebr. quem sequuntur Brentius, in Confess. Wirtemb. Magdeburgenses, Cent. 1. lib. 2. col. 56. Kemnitius, in exam. Conc. Trid. & alii, hanc Epistolam nec Pauli esse, nec ullius alius Apostoli contendit, quòd, ut ait, quædam contineat contra Evangelicam, & Apostolicam doctrinam.

Erasmus ad finem Annotationum in hanc Epistolam, & Cajetanus ad initium Commentariorum in eandem, ita de ea disserere videntur, ut tùm illius Auctorem, tùm auctoritatem in dubium vocare eos autumare possis. Verùm contra hos omnes ponitur

CONCLUSIO. 640

Epistola ad Hebræos sub nomine S. Pauli vulgata & ipsius est, & Canonica, divinæque auctoritatis.

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura. 1mo. Ex eadem Epistola in qua S. Paulus Timothei Discipuli sui facit mentionem, eumque, ut in aliis Epistolis, fratrem suum appellat, necnon cum illo ad eos, quibus

(*y*) De pudicit. c. 20 (*z*) Cajus in Dialog. advers. Proclum. (*a*) Apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 38. (*b*) Demonst. Evang. prop. 1. (*c*) C. 13. v. 24.

quibus scribebat, venturum se spondet, c. 13. v. 23.

2do. Ex Epistola 2. S. Petri c. 3. v. 15. ubi Hebræos alloquens, expressis verbis ait, *Charissimum fratrem suum Paulum ipsis etiam scripsisse.* Atqui dubium non est, quin S. Petrus hôc locô S. Pauli Epistolam ad Hebræos exaratam indicare voluerit. Ergo &c.

641 Prob. 2do. Auctoritate Ecclesiæ tam græcæ, quàm latinæ. De Ecclesia græca seu Orientali nullum est dubium, quin semper communi consensu ab ipsa hæc Epistola habita fuerit velut Canonica, & à S. Paulo exarata. Id præter Eusebium lib. 3. Hist. cap. 38. testatur Theodoretus (*d*), qui Arianis illam rejicientibus omnium Orientalium Ecclesiarum consensum objicit, in quibus scilicet Ecclesiis ab eo tempore, quo Apostolorum Scripta accepêre, lecta fuit. Eusebius autem loc. cit. ait, eam S. Pauli esse omnes Veteres credidisse. S. Hieronymus etiam idipsum testatur, quando Ep. ad Dardan. asserit, hanc Epistolam in Orientalibus Ecclesiis velut ab Apostolo Paulo scriptam semper susceptam fuisse.

Quantùm verò ad Ecclesiam latinam, quamvis Eusebii, lib. 3. Hist. c. 3. imò & ipsius S. Hieronymi loc. cit. & Comment. in Isa. lib. 2. c. 6. tempore nondum ab omnibus recepta fuisset, tamen posteà universaliter apud omnes obtinuit, & adhuc obtinet. Imò sub nomine Pauli legitur in eadem latina Ecclesia in die Natalis Domini, & aliàs frequenter.

642 Prob. 3tio. Auctoritate Conciliorum, quæ eam sub nomine S. Pauli in Catalogo sacrarum Scripturarum collocant. Ut Concilium Laodicenum Can. 59. Carthaginense III. Can. 47. Concilium Romanum sub Gelasio I. Imò eam à Concilio Nicæno agnitam fuisse tanquam Scripturam divinam, & à B. Paulo scriptam testantur S. Thomas, in hanc Epistolam; & Universitas Parisiensis in Censura Facultatis Theologicæ Tit. de Auctor. lib. N. T. Ut talis agnita etiam fuit à Conciliis Ephesino I. & Chalcedonensi approbantibus duodecim Capitula Cyrilli, quorum decimum testimoniô cap. 3tii hujus Epistolæ firmatur his verbis: *Et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat.* Nec non ab Arausicano II. Can. ult. ubi & Apostoli hujus, & divina Scriptura esse dicitur. Utque cætera taceamus, eam sub S. Pauli nomine in Scripturarum sacrarum Canonem recipit Concilium Tridentinum, Sess. 4.

Prob. 4to. Auctoritate Ecclesiæ Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum; 643
ut Clementis I. Innocentii I. Ep. 3. ad Exuperium. Gelasii I. in Concilio septuaginta Episcoporum. Origenis, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 3. Ipsius Eusebii, Clementis Alexandrini, Theodoreti, Philastrii, in Catal. Hæres. Hæres. 88. qui eos Hæreticos nuncupat, qui hanc Epistolam rejiciunt, vel Pauli Apostoli esse negant. Priùs verò à Latinis lectam non fuisse dicit, quòd ab Hæreticis depravata, & additamentis quibusdam inquinata fuisset. Gregorii Nazianzeni, in Carm. de Can. Script. Auctoris Synopseos. Epiphanii, Hæres. 76. Joannis Damasceni, lib. 4. c. 18. Hilarii, lib. 12. de Trinit. Ambrosii, lib. 2. de Cain c. 2. Augustini, lib. 2. de Doct. Christ. Ruffini, in Symb. Et Hieronymi, Ep. ad Dardan. & Ep. ad Evagr. Vide ea quæ supra part. 1. hujus Tractatus. c. 5. de Canone Scripturarum, de hac Epistola disseruimus.

Denique Calvinus ipse lib. Instit. c. 8. 644
§. 216. & post ipsum Calvinistæ omnes eam divinæ auctoritatis esse censent, quamvis incerti Auctoris, quod ipsius auctoritati nihil officit. Sociniani item, quamvis

(*d*) Præfat. Comm. in Epist. ad Heb.

quamvis è re ipsorum esse videatur, ut ad Arianorum imitationem eam rejiciant, eam tamen divinam esse asserunt. (*e*) Imò ipsimet Lutheri sectatores non modò eam in suis Bibliis legunt, sed esse pulcherrimam, & insignem à Discipulo quodam Apostolorum scriptam fatentur (*f*); quo à mente Magistri sui Lutheri longè recedere videntur.

645 *Solvuntur Objectiones Contra Conclusionem positam.*

Ob. 1mò. Hæc Epistola initiò non præfert Pauli nomen, prout in aliis ipsius Epistolis præfixum invenitur. Ergò non est hujus Apostoli. Adeoque nec Canonica.

Resp. 1mò. transf. totum Entymema, & neg. Illatum. Etsi probari non posset, eam esse S. Pauli fœtum, nihil tamen per hoc ejus divinæ auctoritati detractum esset. Non enim hìc tam de titulo illius, quàm de contextu quæstio esse videtur. Multique celebres Doctores tam antiqui, quàm recentiores, prout suprà adnotavimus, cujusnam Apostoli sit hæc Epistola dubitare visi sunt; Nec etiam Hæreticum quemquam forè arbitrari quispace nostra poterit, qui eam Pauli esse negaverit, vel saltem dubitaverit. Nam non ex nomine duntaxat solùm, de veritate, & divinitate alicujus Scripturæ libri dijudicandum esse putamus, sed præcipuè ex iis, quæ tali libro continentur, atque veterum Patrum, Romanorum Pontificum, Conciliorum, Ecclesiæque ipsius, illum inter divinos, & Canonicos Codices recensentis judiciô.

Resp. 2dò. con. ant. neg. conf. Non enim hæc Epistola ideò Pauli non est, quia nomen ipsius præfixum non habet; aliàs manifestè sequeretur, inquit S. Hieronymus (*g*), eam nullius esse, quia nullius nomen præfert. Sanè Epistola prima S. Joannis illius nomen præfixum non habet, nec tamen ullum dubium est, quin sit ipsius. E contra Evangelia quædam, Thomæ, Bartholomæi, Jacobi, Nicodemi, nomen præferunt, & ab omnibus tamen tanquam apocrypha rejiciuntur. Justas proinde causas habere potuit S. Paulus, cur ad Hebræos scribens nomen suum Epistolæ suæ non præfigeret; tùm, ut ait Hieronymus (*h*), quod sciret nomen suum invisum esse Hebræis etiam ad fidem jam conversis, utpotè Legis Mosaicæ adhuc æmulis (*i*), quam tamen ipse abrogatam acerrimè contendebat; tùm ne viso illius nomine ab ea legenda deterrerentur, ut ait idem Hieronymus (*k*), quia in hac ad Hebræos Epistola, cap. 3. videlicet, dicturus erat, *Christum esse Apostolum confessionis nostræ*, noluit initiò se, more solito, Paulum Apostolum nominare, ne videretur, se velle aliqua ex parte cum Christo comparare; tum denique, prout ait Theodoretus (*l*), quia Paulus non erat Hebræorum Apostolus, sed Gentium (*m*): inde noluit more solito incipere *Paulus Apostolus &c.* Sed satis ipsi fuit, nudam exponere doctrinam non quasi Apostolus & Magister eorum, sed ut amicus, & concivis; unde ad finem Epistolæ hæc ait (*n*): *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis.* Quasi diceret, ne ægrè feratis, si ego, qui proprius vester Apostolus non sum per litteras vos monere & cohortari voluerim, id enim feci, ut vos consolarer, non ut imperarem. Has etiam rationes attigit Clemens Alexandrinus, in Hypotyp. (*o*) Quæ tamen

meræ

(*e*) Socinus de auctorit. Script. Sac. n. 2. (*f*) Raith. Vind. Vers. Germ. Lutheri Thes. 22. (*g*) Præfat. in Ep. S. Pauli. (*h*) Loc. cit. (*i*) Act. cap. 1. (*k*) In c. 1. Ep ad Galat. (*l*) Præf. Comment. in Ep. ad Heb. (*m*) Galat. c. 2. (*n*) C. 13. v. 22. (*o*) Apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 14. aliàs. 11.

meræ sunt conjecturæ. Satis nobis esse debet, quod antiqui Patres, ut Clemens I. Papa, qui S. Petri Discipulus fuit; Origenes, innumerique alii testati sint, hanc Epistolam esse B Pauli Apostoli.

646 Ob. 2dò. Stylus hujus Epistolæ multum differt à stylo aliarum S. Pauli Epistolarum, utpotè gravior, copiosior, & ornatior. Adde, quòd in ea textus veteris Testamenti adducantur non secundùm textum Hebræum, sed juxta versionem græcam Septuaginta. Ergo alii, quàm Paulo, adscribenda videtur.

Respondent aliqui post Origenem (*p*), hanc Epistolam non hebraicè sed græcè primùm scriptam fuisse, & quidem Pauli sententias esse, verba autem Lucæ, aut Clementis, quo tanquam Interprete & Amanuensi Paulus usus est. Theophylactus verò, Comment. in cap. 1. Ep. ad Heb. Clemens Alexandrinus, apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 11. & ipse Eusebius, lib 3. Hist. cap. 38. contendunt, eam à Paulo hebraicè scriptam, & in græcum translatam fuisse vel à S. Luca, vel à Clemente, unde mirum non est, quòd illius stylus differat à stylo aliarum ejusdem Apostoli Epistolarum, ipsaque cæteris sit elegantior, copiosior, & ornatior: nec mirum etiam est, quòd, cùm græcè initio scripta, vel saltem statim in græcum translata fuerit, ipsius Scriptor, vel Translator loca veteris Testamenti juxta græcam Septuaginta versionem, quæ tum temporis etiamnum à plerisque Palestinæ Judæis legebatur, in ea adduxerit.

647 Ob. 3tiò. Hujus Epistolæ Auctor iis se adnumerat, qui ab Apostolis ad fidem conversi fuerunt, ut legere est cap. 2. Cùm tamen Paulus Galat. c. 1. apertè dicat, se non ab homine sed à Christo per revelationem didicisse Evangelium. Ergo &c.

Resp. 1mò. Apostolum hæc eloqui non de se ipso, sed de suæ ætatis hominibus, quemadmodùm Isaias c. 64. in persona populi dicit, *facti sumus ut immundi omnes nos, ... non est, qui invocet nomen tuum &c.* Quo loco non de se ipso loqui Isaiam patet, quia ibidem longa oratione Deum invocat.

Resp. 2dò. Non videtur absurdum, quòd Paulus se iis adnumeret, *qui ab Apostolis confirmati sunt:* non enim hìc agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula; ait enim, *salutem*, id est, *salutis prædicationem confirmatam esse per Apostolos contestante Deo signis, & prodigiis.* Quis autem neget, Paulum, quando conversus est, etsi Evangelium per revelationem plenè didicerit, tamen confirmatum fuisse in fide auditis miraculis Petri, & aliorum Apostolorum, & præcipuè eo miraculo, quo ipse per manus Ananiæ lumen oculorum recepit?

Ob. 4tò. C. 9. v. 4. dicitur, in Arca 684 Testamenti fuisse urnam auream habentem manna, virgam Aaronis, & duas Tabulas Testamenti. At 3. Reg. cap. 8. v. 9. solæ Tabulæ dicuntur fuisse in Arca.

Resp. 1mò. Tempore quidem Salomonis non fuisse in Arca aliud, quàm Tabulas Legis, ut dicitur 3. Reg. 8. tamen posteà à Judæis positas fuisse intra Arcam etiam Urnam, & Virgam; idque Paulus ex Traditione scire potuit. Ita Theophylactus, qui etiam ait, sui temporis Hebræos id etiam sensisse. Certè Auctor lib. 3. Reg. cum dicit: *In Arca autem nihil erat aliud nisi duæ Tabulæ* præcisè de tempore Salomonis loqui videtur, non de eo, quo scribebat; adeoque videtur innuere, suo tempore in Arca aliquid aliud adhuc fuisse, quod in ea non erat tempore Salomonis, ita ut dicere voluerit, etsi nunc alia quædam sint in Arca præter Tabulas Legis, tamen eo

(*p*) Apud Euseb. loc. cit.

tempore, quo Arca in Templum à Salomone adducta fuit, nihil in ea erat præter duas Tabulas.

Resp. 2do. Urnam, & Virgam in parte aliqua exteriore Arcæ, non intra ipsam fuisse: unde cùm Paulus ait, *in Arca fuisse præter duas Tabulas legis Urnam, & Virgam &c.*, præpositio *in* idem significat ac *cum* seu *juxta*: ergo *in Arca* seu *cum*, & *juxta Arcam* erat Urna illa cum Manna, & Virga Aaronis, seu ad latus, vel juxta latus Arcæ; at in ipso interiori Arcæ sinu nihil præcisè aliud, præter duas Testamenti Tabulas, erat.

649 Ob. 5tò. Ibid. v. 20. Auctor hujus Epistolæ loquens de Testamento propriè dicto, quod morte Testatoris confirmatur, allegat verba Exodi cap. 24. v. 8. *Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad nos Deus.* Atqui in Exodo secundùm hebraicam veritatem nulla fit mentio Testamenti alicujus, sed *pacti*; vox enim *Berith*, quæ ibidem legitur, *pactum* significat duntaxat. Ergo &c.

Resp. 1mò. Vocem hebræam *Berith* rectè verti *Testamentum*, sic enim vertêre Septuaginta, nam *Diathyky* græcum, quod habent, idem significat, ac *Testamentum*, prout asserit Hieronymus, in cap. 2. Malach. Apostolus ipse Rom. 6. Galat. 3. & 4. & alibi loquens de Lege veteri, semper *Testamentum* vocat id, quod Hebræi dicunt *Berith*; imò adeò trita est in Ecclesia vox ista *Testamentum* pro hebraica *Berith*, ut nihil frequentiùs dicamus, vel audiamus, quàm *Testamentum vetus* & *Testamentum novum*.

Resp. 2dò. Promissio vitæ æternæ, de qua per figuras in Testamento veteri, & apertè in novo agitur, simul Testamentum, & pactum est; Testamentum quidem, quia continet dispositionem de hæreditate æterna danda filiis Dei, quæ ante mortem Testatoris rata non fuit; Est etiam simul & pactum illa Dei promissio, quia habet annexam conditionem: non enim vult Testator Deus dare hæreditatem æternam nisi iis, qui leges suas servaverint; & hac ratione dicitur fœdus, & pactum. Jam ergo de eadem re loquuntur Moyses Exod. 24. & Paulus Heb. 9. Moyses quidem vocat pactum, at non intelligit quodcunque pactum, sed pactum de danda hæreditate post mortem Testatoris; & propterea sanguinem aspersit in populum, qui sanguis figura fuit sanguinis Christi pro nobis effundendi. Paulus autem vocat Testamentum, sed intelligit de Testamento non qualicunque, sed quod simul sit pactum.

Ob. 6tò. Idem Auctor ait c. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterùm renovari ad pœnitentiam.* Item c. 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Denique c. 12. v. 17. ait: *Esau non invenisse pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Quæ omnia doctrinæ Christianæ repugnare videntur, atque illi effato Christi: *Venite ad me omnes &c.* Matth. c. 11. v. 28. 650

Resp. 1mò. Non magis hæc Apostoli verba pugnant cum illo Christi, *Venite ad me omnes &c.* quàm pugnent alia Christi ipsius verba apud eundem Matthæum c. 2. v. 31. ubi dicit, *blasphemiam in Spiritum sanctum nec in hoc nec in futuro sæculo remitti.* Apostolus ergo non de quocunque peccatore loquitur, sed de eo, qui peccat in Spiritum sanctum, id est, qui voluntariè oppugnat cognitam, & exploratam veritatem. Hujusmodi peccata autem tribus ex causis irremissibilia vocantur: 1mo. Quia ut plurimùm tales peccatores non convertuntur, nec proinde hujusmodi peccata remittuntur, licèt contrarium absolutè contingere possit, & aliquandò eveniat. 2do. Quia, qui in Spiritum sanctum peccant, directè resistunt gratiæ, sine qua peccatum dimitti non potest. 3tio. Quia, qui peccat ex malitia, nihil habet in se, undè remissionem mereatur, & propterea

ipsius

ipsius peccatum dicitur irremissibile, quamvis absolutè remitti possit.

Resp. 2do. Ad singulos textus. Primô locô loquitur Apostolus de renovatione ad pœnitentiam, quæ fit in Baptismo, non ad eam, quæ fit in reconciliatione post Baptismum. Ita exponunt SS. Patres, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Sedulius, Augustinus, Anselmus, in hunc locum. Et verò, quòd Apostolus hîc de Baptismo loquatur, satis apertè innuunt ea, quæ subjungit, nempe: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ fidei Baptismum &c.* Item illa: *eos, qui semel sunt illuminati;* nam apud Dionysium, seu Auctorem Hierarchiæ Ecclesiasticæ c. 2. & alios Veteres *Baptismus* dicitur *Illuminatio*, quia est Sacramentum fidei. Et hæc, *rursum renovari;* nam, ut S. Augustinus docet, Expos. Ep. ad Rom. per Baptismum propriè renovamur, per reconciliationem curamur. Denique ista, *Iterùm crucifigentes filium Dei;* nam in Baptismo repræsentamus Christi mortem, & sepulturam, ut dicit Apostolus ipsemet Rom. 6. Et sicut Christus semel tantùm mortuus est, ita & nos semel tantùm baptizari possumus. Apostolus ergo adversùs fidei desertores disputat, docetque, neminem sperare debere, se, post Baptismum in Ecclesia susceptum, alibi posse jacere aliud fundamentum, & invenire aliud Baptisma; id enim omninò impossibile est, cùm unum sit tantùm verum Baptisma, nec repeti possit.

Eundem sensum habet secundus textus. *Verè etenim voluntariè peccantibus*, id est, à jam cognita, & suscepta fidei veritate recedentibus *non relinquitur hostia pro peccato;* non quia non est locus pœnitentiæ, sed quia nulla est verè efficax hostia, nisi mors Christi, quam illi suâ apostasiâ contemnunt; nec enim alius Christus inveniri potest, nec alius Baptismus, in quo mors ejus exhibeatur.

Ad 3tium dicimus, Esau duobus modis non invenisse locum pœnitentiæ; uno modo apud Patrem suum, quia res perdita erat irrecuperabilis; altero modo apud Deum, quia non rectè pœnitentiam egit, prout S. Chrysostomus hunc locum exponit. Apostolus igitur deterrere volens homines à lapsu proponit incertum pœnitentiæ exitum; ut enim Esau non potuit recuperare hæreditatem, quia erat irrecuperabilis, ita peccator non potest recuperare innocentiam, virginitatem, &c. Et quemadmodùm Esau non rectè egit pœnitentiam, quamvis fleverit, & ideò Deum non placavit, ita sæpè peccatores pœnitentiam agere videntur, & tamen Deum non placant, quia non agunt pœnitentiam, ut oportet.

Ob. 7mò. Auctor hujus Epistolæ c. 10.651 ad probandum Christum esse filium Dei infirmô planè utitur argumentô; adducit enim hanc in rem illud 2. Reg. c. 7. *Ego ero illi in Patrem.* Quæ verba sensu litterali, ex quo solida duntaxat pro Christiana Religione petuntur argumenta, nonnisi de Salomone intelliguntur. Atqui longè perspicacior erat S. Paulus, quàm ut tam infirmô ad probandum præcipuum Religionis Christianæ Caput, argumentô uteretur.

Resp. Eodem modo argumentatur idem Apostolus Rom. c. 10. & 1. Cor. cap. 9. Neque tamen dici potest non habere illum Auctorem, vel eum solidè non argumentari. Argumentum igitur hujus Apostoli ideò fortissimum est, quia illi ipsi, ad quos scribebat, Salomonem typum Christi gessisse admittebant, nec id negare poterant, ut probat S. Augustinus, lib. de Unit. Eccles. c. 8. Nam & 2. Reg. c. 7. & Psalm. 71. dicuntur multa de Salomone, prout erat figura Christi, ut illud: *Stabiliam regnum tuum in æternum.* Et illud, *Dominabitur à mari usque ad mare: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, &c.* Familiare quoque erat Hebræis Scripturæ

verbis sensum mysticum, & allegoricum tribuere, ut constat.

Porrò si in recensendis S. Pauli Epistolis temporum, quibus scriptæ fuerunt, atque Chronologiæ ordinem servare velimus, primô locô ponere oportebit binas, quæ sunt ad Thessalonicenses, hæ enim annô Christi 52. exaratæ perhibentur. Sequuntur deindè Epistola ad Galatas, annô 56. Ad Corinthios, duæ, annô 57. Ad Romanos, una, annô 58. Ad Philippenses, una; Ad Colossenses, una; Ad Philemonem, una; Et ad Hebræos, una, annô 62. Ad Timotheum, prima; Et ad Titum, una, annô 64. Et denique ad Timotheum, secunda, annô 65.

652 *De septem Epistolis Catholicis seu Canonicis, earumque Auctoribus.*

Græci Catholicas seu Universales appellarûnt septem illas Epistolas, quas sub hoc nomine inter sacra novi Testamenti volumina legimus, quia pleræque earum Ecclesiis particularibus scriptæ non fuerunt, quemadmodùm S. Pauli Epistolæ. Verisimile est, ideò etiam Canonicas, præsertim in Ecclesiis Occidentis, vocatas fuisse, tùm quia ex variis aliis, quæ sub Apostolorum nomine circumferebantur selectæ, ac in Canonem rejectis aliis ab Ecclesia relatæ fuerunt; tùm quia etiamnum de illarum quibusdam dubitatum in Ecclesia fuit, num inter libros Canonicos essent recensendæ.

653 Hoc porrò Ordine in nostris, ut & in græcis Bibliis collocantur. Epistola S. Jacobi Apostoli. Duæ S. Petri. Tres S. Joannis, & denique una S. Judæ. Tempore tamen S. Hieronymi, seu Auctoris Prologi in septem Epistolas Canonicas exemplaria Latina alio ordine eas recensebant, collocatis scilicet primô locô duabus S. Petri, *ut*, inquit idem Auctor (*q*), *quòd Petrus primus in ordine Apostolorum, primæ etiam sint ejus Epistolæ in ordine cæterarum.* Verùm hac ratione etiam ante Epistolas S. Pauli collocari debuissent.

De Jacobo Apostolo, ejusque Epistola. 654

Jacobus Apostolus Alphæi filius, ob religiosæ & castissimæ vitæ meritum cognomentô Justus (*r*), quem Paulus Galat. cap. 1. v. 19. fratrem Domini appellat, Marcus verò (*s*) Jacobum Minorem, ad distinctionem Jacobi filii Zebedæi ac Salomes fratris Joannis Evangelistæ, qui, quòd ætate illum superaret, Major dictus est; primus fuit Jerosolymæ Episcopus.

Nonnulli, apud Hieronymum (*t*), existimarunt, eum fuisse filium Joseph ex alia, quàm Dei Genitrice Maria, uxore. (*u*) At ex communi sententia parentes habuit Cleopham, alio nomine Alphæum dictum, & Mariam beatæ Virginis sororem germanam (*x*); quare Jesu Christi consobrinus habebatur; statimque post passionem Domini ab Apostolis Jerosolymorum Episcopus ordinatus est.

Cùm igitur Evangelium ibidem propagaret, Judaici populi Optimatum invidiam in se concitavit: Hi ergo captâ occasione obitus Festi Judææ pro Romanis Præfecti, & absentiæ Albini illius successoris è Templi pinaculo Jacobum præcipitem egerunt: ille ex lapsu adhuc superstes, dum pro inimicis suis genibus flexis ad Deum preces fundit, Amrani Annæ

(*q*) Hieronym. Prolog. in 7. Ep. Canonic. (*r*) Clem. Alexand & Hegesipp. apud Euseb. lib. 2. Hist. cap. 1. (*s*) Cap. 15. v 40. (*t*) De Scrip. Eccles. in Jacobo. (*u*) Epiph. apud Sixt. Senens. Bibl. sanct. lib. 1. (*x*) Hieronym. loc. cit.

Annæ summi Sacerdotis filii jussu lapidibus obrutus est (*y*), ac tandem fullonis fuste confracto capite animam efflavit (*z*); sepultusque est in eodem loco juxta Templum, ubi martyrium consecraverat, ejusque monumentum ibidem erectum celeberrimum fuisse dicitur usque ad eversionem Urbis per Romanos factam. (*a*)

655 Ipsius nomine libri nonnulli à veteribus Hæreticis suppositi fuerunt; ut Proto-Evangelium S. Jacobi, quod adhuc extat, & Orientalibus notissimum est. Liturgia ejus nomine inscripta, quæ etiam superest.

Verùm unica Epistola, eaque, de qua nunc agimus, in censu Canonicarum Scripturarum ab Ecclesia reponitur; cujus apud nos quinque numerantur capita; Græci autem eam in septem capita distinguunt.

656 Datam fuisse credimus paulò ante ipsius obitum, qui ad annum Christi 62. consignatur. Duodecim Tribubus per varia loca dispersis generatim est inscripta. In ea bonorum operum necessitas adstruitur adversùs pravam quorumdam interpretationem, qui S. Pauli dictô, fidem nempe, non autem opera legis justificare, abutebantur.

Quamvis ad Judæos dispersos sit directa, græco tamen sermone conscripta fuisse creditur, cùm in adducendis ex veteri Testamento locis Septuaginta Interpretum versionem sequatur, necnon græca lingua apud Orientales etiam Judæos vulgò eo tempore jam obtineret.

657 De hac Epistola an verè Apostolica esset, quosdam olim dubitasse memorat Eusebius, lib. 3. Hist. cap. 25. ut & Hieronymus, lib. de Vir. Illust. Lutherus autem in Prolog. hujus Epist. (*b*). Brentius, Kemnitius, & Centuriatores Magdeburgenses, loc. sup. cit. eam prorsùs contemnunt, Lutherusque *stramineam* vocat. Erasmus verò in annotationibus ad hanc Epistolam, illam non redolere Apostolicam auctoritatem affirmat. De ipsius Auctore dubitat Cajetanus; unde & minoris auctoritatis eam, quàm cæteras esse vult. Contra quos omnes ponitur

CONCLUSIO. 658

Epistola Jacobi Canonica est, & Apostolica.

Prob. Conclusio 1mò. Ex Conciliis Laodiceno, Carthaginensi III. Milevitano, Can. 7. Florentino sub Eugenio IV. & Tridentino passim jam laudatis, quæ illam sub S. Jacobi Apostoli nomine in sacrarum Scripturarum Catalogo collocant.

Prob. 2dò. Auctoritate Summorum 659 Pontificum Innocentii I. Ep. ad Exuperium, Gelasii I. in Concilio septuaginta Episcoporum, qui illam & Canonicam, & Jacobi Apostoli esse declarant.

Alia adhuc antiquiorum Romanorum Pontificum monumenta, ut Clementis I. Epistolam secundam, Anacleti, Urbani I. Alexandri I. Marcelli I. pro auctoritate hujus Epistolæ adducunt Melchior Canus, de Loc. Theolog. lib. 2. cap. 11. & Sixtus Senensis, Bibl. Sanct. lib. 7. Hæres. 9. Verùm quia hæc monumenta ab Eruditis conficta, hisque summis Pontificibus falsò adscripta censentur, ea hìc in tantùm duntaxat valere volumus, quòd scilicet, si non ab his Summis Pontificibus profecta sint, saltem veterum quorumdam Scriptorum auctoritatem obtineant.

Prob.

(*y*) Joseph. Antiquit. lib. 20. cap. 8. (*z*) Clem. Alexand. Euseb. Epiph. (*a*) Euseb. lib. 2. Hist. cap. 23. (*b*) Edit. Germ. prim.

660 Prob. 3tiò. Auctoritate Ecclesiæ ipsius, quæ præcipuè ex cap. 5. v. 14. hujus Epistolæ Sacramentum extremæ unctionis priùs in Evangelio S. Marci insinuatum confirmet; quemadmodùm ex Decreto Innocentii I. atque ex iis, quæ post ipsius tempora celebratæ fuerunt Synodis constat.

661 Prob. 4tò. Auctoritate SS. Patrum, & præter illos, quorum testimonia suprà part. 1. cap. 5. adduximus, hujus Epistolæ tanquam divinæ auctoritatis meminerunt Dionysius, de Divinis Nominibus. Hieronymus Epist. ad Paulin. de studio Scriptur. Augustinus, lib. 2. de Doct. Chr. Ruffinus, in expos. Symb. Isidorus, lib. 6. Etymolog. Damascenus, lib. 4. cap. 18. & alii.

662 Prob. 5tò. Testimoniô ipsorum nostræ Religionis Adversariorum, qui communi consensu hanc Epistolam velut Canonicam, & divinæ auctoritatis suscipiunt. Ut Calvinus, qui, *ad recipiendam*, inquit (*c*), *hanc Epistolam sufficit mihi, quòd nihil Apostolo Christi indignum contineat.* Eum sequuntur ipsius Sectatores, qui unanimiter illam velut Canonicam suscipiunt.

Socinus illam non modò tanquam Canonicam, sed etiam velut à Jacobo Apostolo scriptam recipit, atque illius Traditionem probat auctoritate veterum exemplarium Syriacorum. (*d*)

Imò Lutherani, non obstantibus objectionibus, quas illorum Magister Lutherus adversùs hanc Epistolam effutiit, modò eam recipiunt non secùs ac Catholici, atque sacris Scripturis adnumerant, ajuntque (*e*), *post majorem illuminationem, ut dies diem docet, verba illa duriuscula*, quibus nempe eam *stramineam* vocabat Lutherus, *in posterioribus ipsius sacrorum Bibliorum editionibus omissa fuisse, nec post annum 1526. in ulla ampliùs editione stramineam eam vocari.*

Prob. denique 6tò. Ratione Theologica ab ipso Calvino desumpta. Hæc Epistola nihil contra fidem & bonos mores continet, quin potiùs & illam, & istos apprimè commendat, nec proinde quidquam Apostolo indignum habet. Ergo meritò Canonicis Scripturis adnumeratur, atque inter divinos sacræ Scripturæ Codices ab Ecclesia recensetur, &c. 663

Solvuntur Objectiones adversùs positam Conclusionem. 664

Ob. 1mò. Eusebius, & Hieronymus suprà citati testantur, hanc Epistolam universim ab omnibus sua ætate receptam non fuisse velut Canonicam, & Apostolicam, ac paulatim procedente duntaxat tempore obtinuisse auctoritatem. Ergo & nunc de ea dubitare fas est; utpote quòd testimonia, & Traditio, quibus ipsa ad hoc, ut Canonica dici & esse posset, fulciri deberet, inter se non conveniant.

Resp. neg. cons. Profectò Eusebius citatis lib. 2. Hist. cap. 23. & lib. 3. cap. 19. (*f*) asserit, hanc S. Jacobi Epistolam sua ætate publicè legi in plerisque Ecclesiis. Et quamvis Veteres aliqui, iique pauci, de hac Epistola dubitare visi sint, satis est, ut tanquam Canonica agnoscatur, quòd Sæculis sequentibus sufficientia monumenta fuerint inventa, quibus hæc Epistola libris Canonicis novi Testamenti accenseretur, omnesque totius mundi Ecclesiæ eam ut talem modò suscipiant. Nec paucorum Veterum

(*c*) Comment. in Epist. Jacobi. (*d*) De Auctor S. Scriptur. cap. 1. n. 2. (*e*) Reithius Vind. vers. german. Luther. Thes. 21. (*f*) Edit. Christophorson.

Veterum dubitatio, tot Patrum, Conciliorum, Ecclesiarum pro eadem Epistola testimoniis quidquam officere potest.

665 Ob. 2dò. Auctor illius est omninò incertus, nec hactenùs innotuit quis ille Jacobus sit, qui eam scripsisse dicitur. Ergo & ipsa incertæ est auctoritatis, adeoque nec Canonica.

Resp. 1mo. transf. ant. neg. conf. Etsi enim certò statui non posset, quisnam ille Jacobus fuerit, qui hanc Epistolam scripsit, id non obest, quin velut Canonica ab omnibus suscipi possit, ac debeat; sufficit enim, quòd nihil Apostolò Christi indignum contineat, atque à quodam Christi Discipulo, & Apostolo exarata fuerit.

Resp. 2dò. neg. ant. Omnia à nobis adducta Patrum, Conciliorum, Pontificum Romanorum, necnon ipsius totius Ecclesiæ testimonia declarant, eam scriptam fuisse à S. Jacobo Minore Alphæi filio.

666 Ob. 3tiò. Auctor hujus Epistolæ non utitur solita Apostolorum salutatione, sed merè profana, ut qui in ea nec de JEsu Christo, nec de ipsius gratia & pace quidquam memoret, imò nec se Apostolum nominet, sed servum duntaxat JESU Christi his verbis: *Jacobus Dei, & Domini nostri JESU Christi servus, duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione salutem.* Quæ salutatio apud Gentiles duntaxat fuit usitata. Ergo & ipsa Epistola profana est, nec alicujus Apostoli, &c.

Resp. 1mò. neg. ant. Quòd si ista salutatio profana est censenda, magis profectò profana est illa, quæ habetur Act. 15. necnon ab Apostolis ex Concilio Jerosolymitano ad Gentes scribentibus usurpata fuit his verbis: *Apostoli, & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem.* Atqui nullus, nisi stolidus, & vesanus hanc Apostolorum salutationem ut profanam reprehendere audebit, aut ob eam Epistolam illam ab Apostolis ad Gentium fideles scriptam iis abjudicare; ergo etiam insanus reputetur, oportet, quisquis adductam S. Jacobi Epistolam ut profanam reprehendere, aut eidem abjudicare ausus fuerit. Neque etiam S. Joannes Apostolus solita Apostolorum salutatione primam & tertiam Epistolas suas orditur; neque S. Paulus in Epist. ad Philippenses, in utraque ad Thessalonicens. & ad Philemon. se vocat Christi Apostolum, quæ tamen perindè non minùs certò horum Apostolorum esse censentur.

Resp. 2dò. Neg. quòd in illa salutatione nullam Dei, & JEsu Christi mentionem faciat; contrarium enim patet ex ipsis salutationis verbis, quibus se *servum Dei, & Domini nostri JEsu Christi* nominat. Nec enim ullum alium titulum sibi assumere poterat, qui ministerium suum magis exprimeret, præsertim cùm Judæis scriberet, qui veteris Testamenti lectione titulo *Servi Dei* jam erant assueti. Et cùm hæc alia verba addit: *Et Domini nostri JESU Christi*, declarat, se esse unum ex Ministris novæ Legis à Messia annuntiatæ. Quòd autem in hac salutatione se Apostolum non nuncupet, id non obest, quominùs Christi Apostolus, & Discipulus fuerit, ut qui se *servum ipsius*, id est, *Ministrum* dicat. Arbitramur porrò, id eum cautè fecisse, ne videlicet illi dispersi Judæi, ad quos scribebat, arbitrarentur, se velle illis persuadere, quasi esset eorumdem Apostolus, cùm tamen Jerosolymæ duntaxat esset Apostolus.

Ob. 4tò. Hujus Epistolæ Auctor c. 1. 667 v. 12. ait, *quòd Deus neminem tentet.* At Genes. cap. 22. v. 1. dicitur: *Tentavit Deus Abraham.* Et Deuter. cap. 13. v. 3. *Tentat vos Deus vester.* Ergo &c.

Resp. Duplex est tentatio, una seductionis, quæ nempè incitat ad peccatum, altera probationis tantùm, quæ est ad majus meritum, melioremque coronam. De priori loquitur S. Jacobus, dum ait, *Deum neminem tentare*: De hac verò est sermo in Genesi, & Deuteronomio; hac enim sola probationis tentatione dicitur Deus tentare, ut det luctæ materiam, victoriæ meritum & gloriæ.

668 Ob. 5tò. Idem Auctor ab analogia doctrinæ Apostolicæ multùm aberrat; cap. 2. vers. 14. 17. 24. & seq. namque justificationem non soli fidei, sed operibus adscribit; cùm tamen S. Paulus Rom. cap. 3. v. 28. & cap. 4. dicat, hominem justificari ex fide sine operibus. Imò prætensus Jacobus iste in hac sua Epistola de opere Christi, & doctrina fidei nihil commemorat, sed sola opera commendat. Ergo nec Apostolica est. &c.

Resp. cum S. Augustino (*g*), neg. ant. Non enim pugnant inter se hi duo Apostoli: nam Paulus loquitur de prima justificatione, qua homo fit justus ex injusto, & nomine operum intelligit opera, quæ fiunt sine fide, & gratia, solis nempè liberi arbitrii viribus. Jacobus autem loquitur de secunda justificatione, qua quis ex justo fit justior, juxta illud Apocalyp. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc*; & nomine operum intelligit opera, quæ fiunt cum fide, & auxilio gratiæ Dei. Jacobus ergo adversùs eos, qui malè intellectis S. Pauli sententiis Rom. cap. 3. & 4. nolebant benè operari, de sola fide præsumentes Abrahami opera commendat, cujus fidem Paulus laudat. Juxta Paulum ergo Abraham justificatus est ex fide tanquam ex radice, & fundamento; secundùm Jacobum justificatus est ex operibus tanquam ex fructu, & superædificatione. Sunt ergo inter se concordes. Vid. S. Augustin. de Fide (*h*) &c.

De Epistolis B. Petri Apostoli. 669

S. Petrus Princeps Apostolorum à Christo constitutus, Bethsaidâ oriundus, filius Joannis & S. Andreæ Apostoli frater (*i*), primùm *Simon*, vel *Simeon*, deinde ubi ad Apostolatum vocatus fuit, *Cephas* nomine Syriaco, quod *Petram* significat à Christo nuncupatus est. Ædes habebat in Capharnaum ad lacum Genesareth, ubi uxor, & socrus ejus morabantur. (*k*)

Andreas omnium primus à Christo invitatus, cùm fratrem obvium habuisset, asserens se Messiam invenisse illi persuasit, ut secum ad eum veniret (*l*), annô Christi 30. vel circiter. Vix Petrum intuitus JEsus, & nomen ipsius, & genus prodidit; tum ait, in posterum *Cephas*, id est, *Petra* appellaberis. Romæ martyriô coronatus est annô Chr. 66. unacum Beato Paulo Apostolo, vel ut alii volunt annô Christi 67.

Duæ in sacrarum Scripturarum Codice referuntur illius Epistolæ, quarum 670
prima scripta creditur annô Christi 50. Illi scribendæ, uti & phrasibus suggerendis operâ Marci usum Apostolum tradunt; tabellionem verò habuisse Sylvanum, eundem fortassè ac Silam in Actibus Apostolorum celebrem. Scripta est *Babylone*, id est, *Roma*, prout interpretatur Eusebius, lib. 2. Hist. cap. 15. Hierony-

(*g*) Præfat. in Psalm. 31. (*h*) August. de fid. & oper. cap. 14. (*i*) Joan. cap. 1. v. 43. & 44. (*k*) Marc. cap. 1. vers. 29. Matth. cap. 8. vers. 14. Luc. cap. 4 vers. 38. (*l*) Joan. cap. 1. v. 41.

Hieronymus, de Vir. Illust. cap. 8. & Oecumenius, in 1. Pet. c. 5.

Inscripta est ad fideles Bithyniæ, Ponti, Galatiæ, Asiæ, & Cappadociæ. Quamquam autem fideles ex Judæis potissimùm respiciat, fideles tamen ex Ethnicis non negligit. Græco sermone, & digna Principe Apostolorum energia est exarata. Ejus quinque sunt capita, in quibus totus est in tradendis vitæ Christianæ præceptis.

670 Secundam ad eosdem dedit paulò ante obitum suum, annô nempe 66. Christi. In ea fideles hos etiam atque etiam monet, ùt traditæ ab Apostolis doctrinæ adhæreant, bonorum scilicet operum exercitiô, nihil curantes ea, quæ à pravis Doctoribus, Sectatoribus nempè Simonis Magi, ut vulgò creditur, jactabantur. Sermo in illa incidit de Pauli Epistolis, quas Petrus laudat, addens, ab indoctis aliquibus eas in pravum sensum detorqueri. Tria sunt illius capita

De illius auctoritate olim quidam dubitare visi sunt, ut testantur Origenes, Tract. 5. in Joan. & Hom. 13. in Genes. Item Hom. 7. in Joan. Eusebius, lib. 3. Hist. cap. 19. & Hieronymus, de Script. Eccles. in Petro. Noviter verò Lutherus. Sit

671 CONCLUSIO.

Hæc secunda S. Petri Epistola est verè ab ipso conscripta, & Canonica.

Prob. Conclusio 1mò. Ex ipsamet Epistola ac quidem 1mò. se ipsum illius Auctorem esse Petrus ipse statim prodit ipsius Epistolæ initiô, cùm hisce eam exorditur: *Simon Petrus servus, & Apostolus JESU Christi*, cap. 1. v. 1. 2dò. Ibidem disertis verbis testatur, se Christo adfuisse, cùm in monte sancto transfiguraretur, à vers. 16. usque ad 18. 3tiò. Cap. 3. v. 1. testificatur, se priorem Epistolam jam ad ipsos dedisse, seu scripsisse. 4tò. denique eodem cap. 3. v. 15. & 16. mentionem facit Epistolæ ad Hebræos aliarumque à Beato Paulo exaratarum, quem charissimum fratrem suum appellat. Ergo dicere oportet, vel S. Petrum hujus Epistolæ Auctorem esse, vel impudentissimum quemdam nugatorem, & impostorem, qui turpiter nobis imposuerit, ut se fidelibus omnibus pro Petro venditasset. Atqui hoc dici non potest: quî enim unquam fieri potuisset, ut SS. Patres, universaque Ecclesia, quæ utique errare non potest, hunc circulatorem inter sacros Scriptores computasset, & in Conventibus fidelium ejus librum in sacris etiam mysteriis legi jussisset? Ergo dici debet illius auctorem verè esse Petrum.

Prob. 2dò. Auctoritate veteris Eccle- 672 siæ Patrum, ut Origenis, Eusebii, Hieronymi, locis supra citatis. Clementis Alexandrini, in lib. Hypotyp. Auctoris Synopsis Gregorii Nazianzeni, in Carmine. Et aliorum, qui eam & à S. Petro scriptam, & Canonicam esse tuentur.

Prob. 3tiò. Auctoritate Conciliorum, 673 quæ sacrorum librorum Catalogum ediderunt, cui eam quoque attexuerunt: Necnon Universalis Ecclesiæ, quæ, ut primùm dictum est, eam sacris Scripturis accensuit, atque in fidelium Conventibus, nec non sacris mysteriis eam legi jussit, & jubet.

Prob. 4tò. Testimoniô Acatholico- 674 rum, ut Calvini, qui argument. Comment. in 2. S. Petri Epist. ait, quòd omnibus ejus partibus Spiritus Christi se manifestet, sibique conscientiæ duceret, si illam rejiceret. Flacius quoque Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium primipilus Glossas quoque in hanc Epistolam scripsit, quin ullatenus dubitaret, eam esse illius, cujus nomen præsefert, scilicet S. Petri Apostoli.

675 Objicitur quidem, quòd hujus Epistolæ stylus prorsùs differat à stylo prioris S. Petri Epistolæ, adeoque non videatur esse illius, sed alicujus alterius, consequenter nec Canonica.

Respondet S. Hieronymus (*m*), hanc styli diversitatem adscribendam esse variis, quibus S. Petrus pro rerum necessitate usus est, Interpretibus. Testatur quoque Clemens Alexandrinus, lib. 7. Strom. non modò S. Marcum, sed & Sauciam quemdan eandem Epistolam interpretatos fuisse. Imò in novo Testamento [illegible] mentio eo[illegible]m, qui primis illis Apostolicis temporibus interpretum munere fungebantur. Igitur ex binarum harum Epistolarum styli diversitate, Interpretum duntaxat, non verò Auctorum diversitas inferri potest, aut de[illegible].

676 *De Epistolis S. Joannis Apostoli.*

Tres numerantur apud nos hujus Apostoli Epistolæ, quarum prima ex Veterum Traditione, prout testatur S. Augustinus (*n*), ad Parthos est directa. In ea quinque Capitibus explicatur Incarnationis Dominicæ veritas, & Oeconomia; traduntur que varia documenta cùm ad fidem, tum ad mores pertinentia.

Ab omnibus semper suo Auctori fuit adscripta (*o*), quælibet etiam illius periodus Joannis Apostoli stylum apertè redolet.

677 De illis tamen verbis, quæ leguntur cap. 5. v. 7. nempe, *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt,* an verè S. Joannis sint, & ad hujus Epistolæ contextum pertineant, dubium aliquod extitisse, & nunc etiamnum esse debere, contendit Erasmus. Richardus Simonius etiam nihil non movet (*p*), ut horum verborum auctoritatem penitùs infringat, atque ex margine, in quo per modum Scholii à librario quodam posita fuisse ait, in ipsum textum ab aliis translata fuisse probet. Sed contra hos ponitur

CONCLUSIO. 678

Hæc verba c. 5. v. 7. Epistolæ 1mæ. S. Joannis Apostoli verè illius sunt, & ad ipsum textum pertinent.

Prob. Conclusio 1mo. Ex ipso hujus Epistolæ contextu: Nam cùm vers. 7. dixisset S. Joannes, *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt;* statim versum 8. à particula copulativa incipit dicens, *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.* Ad quid autem v. 8. particula *Et*, nisi quia supponit versum 7. cui opponitur; duo enim hæc extrema *Cælum*, & *Terra* ad se invicem refert, & inter ea comparationem instituit, atque ea sibi invicem opponit. Ergo iste versus 7. est verè S. Joannis, & ad ipsum Epistolæ textum pertinet, aliàs manca, confusa, & perturbata ipsius oratio fluere dici deberet.

Adde, quòd vers. 6. dixerat, *JEsum venisse in aqua, sanguine, & Spiritu, qui Spiritus testificatur Christum esse veritatem.* Vers. 8. autem ait, tres igitur in terra *Spiritum* nempe, *Aquam*, & *Sanguinem* testificari, Christum esse verum hominem, hosque tres unum esse. At vers. 7. dicit, tres etiam in cœlo, videlicet Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum, dare testimonium, Christum verum esse Dei filium, hosque unum esse.

Demum

(*m*) Ep. ad Hedib. quæst. 11. (*n*) Quæst. in Evang. lib. 2. cap. 39. (*o*) Euseb. lib. 3. Hist. c. 19. edit. Christophorson. (*p*) Hist. crit. du Nouveau Testam. lib. 1. c. 18.

Demum vers. 9. hæc duo testimonia terrestre, & cœleste simul jungit, atque inter ea paritatem instituens ait, testimonium Dei majus esse, quàm hominum seu terrestrium, quamvis & istud suscipiendum sit. *Si*, inquit, *testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Ergo hic versus 7. ab omnibus, qui judicio & ratione utuntur, velut genuinus, & à S. Joanne conscriptus est admittendus.

679 Prob. 2dò. Auctoritate Ecclesiæ, quæ hæc versûs 7. hujus Epistolæ verba publicè in sacro Officio legit Dominicâ in Albis. Concilium quoque Tridentinum, dum omnes Scripturæ sacræ libros cum omnibus suis partibus & prout in Ecclesia legi consueverunt, necnon in veteri vulgata latina Scripturarum editione habentur, suscepit, versum 7. hunc istius Epistolæ unà utique suscepit, ut qui in Ecclesia legi solitus fuerit, & adhuc soleat, necnon in veteri vulgata Scripturarum editione contineatur, adeoque hujus Epistolæ partem constituat.

Annô itidem 484. teste Victore Vitensi Episcopo (*q*), Episcopi Mauritaniæ, & Sardiniæ numero ferè 400. in professione fidei eorum nomine ab Eugenio Carthaginensi Episcopo Hunerico Wandalorum Regi oblata hæc inter alia eloquuntur: ***Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, & Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque, Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi Tres unum sunt.***

680 Prob. 3tiò. Auctoritate veterum Ecclesiæ Patrum, ut S. Cypriani, qui *de Patre*, inquit (*r*), *Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & hi Tres unum sunt.* S. Athanasii, qui in Disputatione contra Arium eadem verba usurpat. S. Hieronymi, qui conqueritur in Prolog. ad Epistolas Canonic. versum hunc ab infidelibus translatoribus omissum fuisse. Victoris Vitensis, qui 400. Mauritaniæ, & Sardiniæ Episcoporum priùs à nobis adductum de hujus versûs veritate testimonium loc. cit. refert. S. Fulgentii, qui totum hunc versum tanquam verè S. Joannis adversùs Arianos adducit, in Respons. ad object. Arian. Cassiodori, qui & hunc versum ex S. Joannis Epist. 1. cap. 5. refert, in Summario cap. 5. Ep. 1. S. Joan.

Prob. 4to. Ex antiquis MSS. Codicibus tum græcis tum latinis, in quibus hic versus legitur. Ut in Codice quodam Britannico, cujus ob vetustatem suam tanta fuit apud Erasmum auctoritas, ut versum hunc in præcedentibus suis versionibus omissum, in posterioribus restituerit. In Codicibus, quibus usi sunt Auctores editionis Complutensis annô 1517. qua de re hæc ait Cardinalis Ximenes, in Præfat. Maxima laborum pars in eo præcipuè versata fuit, ut castigatissima omni ex parte, vetustissimaque exemplaria, Hebraica, Græca, & Latina pro Archetypis haberemus. In septem Codicibus, quos Robertus Stephanus ex Italia, Gallia, & Hispania conquisitos in adornanda sua novi Testamenti editione annô 1550. adhibuit. In Codice latino Bibliothecæ S. Germani à pratis ante 800. annos sub Lothario Rege exarato. In Codice latino FF. Prædicatorum Parisiensium ante 400. vel 500. annos conscripto, & emendato ex Codicibus MSS. jussu Caroli Magni exaratis, ubi etiam ad hunc versum addita est in margine hæc nota: ***Hic corrupti quidam libri Græcorum, ut ait*** 681

(*q*) Lib. 2. persecut. Afric. provin. (*r*) Lib. de unit. Eccles.

ait B. Hieronymus, *hoc capitulum non habent, quo maximè fides Catholica roboratur.* In Codice antiquissimo Corbejensi, & aliis multis, quos laudant Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, in annot. ad Prolog. Hieronym. in Epist. Canonicas. In Codicibus, quibus usi sunt veteres, quorum auctoritatem adduximus, Patres. Denique in omnibus ferè MSS. Codicibus, qui à 600. & quod excurrit, annis conscripti fuerunt. Ergo meritò hic versus censetur esse S. Joannis, & ad textum 1mæ illius Epistolæ pertinere.

682 Prob. 5tò. Testimoniô omnium recentiorum Scriptorum Acatholicorum æquè ac Catholicorum, qui nostram tuentur sententiam. Ut Erasmus, qui, cùm in priori sua, ut jam dictum, novi Testamenti editione hunc versum omisisset, posteà tamen, meliora sapiens, illum restituit. Calvinus, qui illum, quòd, si addatur, filus orationis optimè fluat, atque in emendatioribus, & melioris notæ exemplaribus inveniatur, recipiendum decernit, Comment. in Ep. 1. Joan. cap. 5. vers. 7. Eum sequitur Beza, qui ait (s), hunc textum retineri debere, eoquòd illius pars sit; & cum ipsò omnes Calvinistæ.

Omnes quoque Lutherani, qui in omnibus suis editionibus hunc versum, quem ipsorum Magister Lutherus deleverat, textui istius S. Joannis Epistolæ restituerunt, atque velut validissimum argumentum Anti-Trinitariis opposuerunt.

Nihil hîc de Scriptoribus Catholicis dicemus, cùm certum sit, omnes versum hunc & S. Joannis esse, & ad textum pertinere tueantur, si unicum Simonium excipiamus, qui hîc contra torrentem niti velle videtur, sed profectò frustrà, ita ut non immeritò eidem illud Terentii occini possit: *Frustra niti, & laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.*

Solvuntur Objectiones, 683

a Simonio contra Conclusionem nostram proposita.

Simonius nihil contra argumentum, quod pro nostra sententia ex ipso Epistolæ S. Joannis textu deduximus, movet; necnon relicta nobis etiam Ecclesiæ, & Concilii Tridentini auctoritate, adducta à nobis Patrum testimonia impetit, atque

Objicit, seu contendit 1mo. S. Cyprianum loco à nobis citato hæc verba, *Et hi tres unum sunt* retulisse duntaxat, atque Patri, Filio, & Spiritui sancto adaptasse ea, quæ in omnibus exemplaribus leguntur circa testimonium *Spiritus, Aquæ, & Sanguinis*, de quibus dicitur: *Et hi tres unum sunt*, atque ideò eum dixisse: *De Patre & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.*

Hanc suam expositionem fulsit auctoritate Facundi cujusdam Africani Scriptoris, qui istud S. Joannis de Spiritu, Aqua, & Sanguine testimonium à B. Cypriano de Patre & Filio, & Spiritu sancto dictum intelligi ait. (t)

Resp. Nimis specifica & aperta sunt S. Cypriani verba, quàm ut in alienum sensum quoquo modo detorqueri possint. S. Cyprianus absolutè & disertè ait, *De Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt*, ubi autem id scriptum est? scilicet apud Joan-

(s) Not. in 1. Joan. c. 5. v 7. (t) Facund. pro defens. Trinit. capit. lib. 1. c. 3.

Joannem. Nullus hîc ei sermo de testibus terrestribus *Aqua*, *Sanguine*, *&* *Spiritu.*

Quod Facundum spectat, bonus ille vir, ne quidem legerat S. Cyprianum, ut qui ex ipso *Epistolam* seu *librum de Trinitate* citet, in quo ea, quæ memorat, illum scripsisse ait (*u*), cùm tamen hic S. Doctor nullam Epistolam, aut librum de Trinitate scripserit, sed *Librô de unitate Ecclesiæ* duntaxat Trinitatis divinæ unitatem ex adducto Epist. 1. S. Joan. cap. 5. v. 7. demonstret. Audiverat fortè, vel apud quemdam alium Scriptorem legerat Facundus, S. Cyprianum in quodam Opere ex cap. 5. Epist. 1. S. Joannis quidpiam de Trinitate, & unitate divina adduxisse, nec, cùm in suo Scripturæ manco & depravato exemplari versum 7. cap. 5. hujus Epistolæ invenisset, arbitratus est, hunc S. Doctorem illa, quæ de Spiritu, Aqua, & Sanguine ibidem vers. 8. dicuntur, de divina Trinitate esse interpretatum, quod falsum esse apertè declarant ipsamet S. Cypriani verba.

Sanè S. Fulgentius Facundo isto & ætate, & auctoritate superior, adductô hoc capitis 5. versu 7. Epist. hujus hæc subjungit (*x*), *Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de unitate Ecclesiæ testatur dicens: De Patre, & Filio, &c.* Dispiciat modò Simonius, cui magis hîc credendum sit; Facundo suo, an S. Fulgentio? Plura adhuc pro vindicanda hac S. Cypriani sententia proferre possemus argumenta, verùm hæc sufficienter ostendunt, quòd hîc malam causam agat Simonius.

684 Contendit 2dò. S. Athanasium neutiquam versum 7mum cap. 5ti Epist. 1. S. Joan. in sua disputatione contra Arium adduxisse, sed hæc duntaxat verba: *Et hi tres unum sunt.* Quæ sicut Facundus de illo testatur, Trinitati adaptat.

Resp. Equidem verum est, quòd citatô locô circa finem S. Athanasius ex Epist. 1. S. Joannis hæc duntaxat dicat: *Insuper præter ista omnia Joannes dicit: Et hi tres unum sunt.* At luce meridiana clarius est, ibi eidem neutiquam sermonem fuisse de versu 8. cap. 5. ejusdem Epistolæ, seu de Spiritu, Aqua, & Sanguine terrestribus testibus, quos deinde per accommodationem ad tres divinas personas inflecteret (quod nimis sanè frigidum & imbelle argumentum adversùs Arium fuisset, atque ab ipso facili negotiô diluendum) sed de versu 7. dicti cap. 5ti. Ipsi enim toto disputationis contextu, & paulò ante adductum S. Joannis testimonium nonnisi de Patre, Filio, & Spiritu sancto est sermo, eaque omnia, quæ congesserat, & protulerat cùm ex veteri, tùm ex novo Testamento ad evincendam Trinitatem Divinam, Patrem nempe, Filium, & Spiritum sanctum, testimonia, hisce velut epiphonemate concludit: *Insuper præter ista omnia Joannes dicit: Et hi tres* (Pater scilicet, Filius, & Spiritus sanctus, hæc enim tria nomina semper inculcat) *unum sunt.* Malæ fidei proinde est Simonius, quòd hæc S. Athanasii verba in alienum sensum detorqueat.

Contendit 3tiò. Citatum à nobis Pro- 685
logum in Epistolas Canonicas falsò attribui S. Hieronymo, quod multis rationibus & conjecturis probare nititur. Unde concludit, testimonium, quod ex Prologo illo adduximus, falsò etiam illi adscribi.

Resp. Hunc Prologum tanquam S. Hieronymi inveniri in S. Scripturæ exemplaribus antè 700. & 800. annos, atque in pluribus tempore Caroli Magni editis. Burne-

(*u*) Apud Simon. Hist. crit. du N. T. lib. 1. c. 18. (*x*) Cit. loc.

Burnetus Anglus etiam testatur (*y*), illum in omnibus, quæ viderat exemplaribus MSS. ut & in MS. Basileensi contineri. Joannes quoque Oxoniensis Episcopus in Anglia testatur (*z*), hunc Prologum tanquam Hieronymi passim in MSS. & impressis antiquioribus ferè omnibus Codicibus reperiri. Eum verò hujus S. Ecclesiæ Doctoris esse palam fieri videtur ex eo, quòd non modò illius velut Auctoris nomen præ se ferat, sed etiam piæ illius fœminæ ad quam exaratus est, nempe *Eustochium*.

Hæc argumenta, si iis, quæ in contrarium adducit Simonius, comparentur, æquè fidem faciunt ac sua. Verùm hîc in vindicando hoc Prologo non multùm solliciti esse debemus, ut qui antiquiorum Patrum Cypriani videlicet, & Athanasii aperta pro textûs nostri veritate testimonia habeamus.

Ait etiam Simonius cit. lib. 1. c. 18. se alibi Victorem Vitensem, & Fulgentium à nobis supra adductos refutaturum, nempe librô 2. sui Operis, ubi specialiter de novi Testamenti Versionibus acturus est. Verùm ne verbulum quidem de istis duobus Scriptoribus memorat. Cassiodorum quoque ultrò nobis dimittit, quòd nempe nihil habeat, quod adversùs ipsius auctoritatem regerat.

686 Objicit 4tò. Patres Græcos, Cyrillum, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Dydimum; & Latinos, Augustinum, Leonem, Bedam, &c. apud quos sæpe dictus versus non legitur.

Resp. Id hujus versus veritati nihil officere, ut quæ ex eo confirmetur, quòd his Patribus alii antiquiores illum legerint, ut Cyprianus, Athanasius, &c. Fortè in Codicibus, quibus Patres illi à Simonio adducti utebantur, deerat, unde nec illum proferre poterant. Vel eum in controversia positum noverant, unde ne lites accumulare velle viderentur, studiô ab ipsis prætermissus fuit, præsertim cùm alia ipsis ex sacra Scriptura adhuc suppeterent permulta testimonia, & argumenta, quibus adversarios suos retunderent.

Ob. 5tò. Varios MSS. Codices, in 687 quibus hic versus non legitur.

Sed nos ei multò plures objicimus, in quibus legitur. Simonii ergo Codices sunt depravati quoad hunc locum, unde & illius argumentum ruit, ipseque cum suis Codicibus MSS. repellendus est.

Verùm quæret aliquis, quî ergo factum sit, ut versus ille in multis tum Græcis, tum Latinis Codicibus desideretur?

Resp. 1mo. Verisimile esse, id factum fuisse transcriptoris seu librarii alicujus vitiô, qui cùm textum, atque initium vers. 7. hujus transcriberet, exaratis his verbis, quæ nempe sunt illius initium, *quoniam tres sunt qui testimonium dant*, errante oculo & calamo statim ad versum 8. transivit, atque residuum versûs 7. ex incuria prætermisit. Hujusmodi lapsus in similibus casibus haud infrequentes sunt, quorum multa exempla afferunt Patres nostri Benedictini Galli in suis ad Prologū S. Hieronymi in Epistolas Canonicas observationibus; ad quod mancum exemplar deinde plura alia exarata fuerunt, & ad hæc adhuc alia, &c. Unde factum, ut in aliquibus Codicibus, in quibus primò versus iste deerat, vel ipsius transcriptoris vel aliena manu restitutus fuerit, atque vel intra lineam, vel ad marginem collocatus fuerit.

Resp. 2dò. Versum hunc fortè ab Arianis in aliquibus Codicibus fuisse ablatum, quem postmodùm librarii sua exemplaria ex iis Codicibus transcribentes omise-

(*y*) Voyages de Suisse, & d'Italie. (*z*) Not. in Cypr. de unit. Eccles.

omiserunt. Id egisse Arianos testatur Fromundus Theologus Lovaniensis, Comment. in Epist. 1. Joan. cap. 5. Hujusmodi autem sacrorum Librorum depravatio haud infrequens apud ipsos fuit; eos namque accusat S. Ambrosius, quòd etiam non modò ex suis, sed & ex nostris Codicibus hæc verba: *Quoniam Deus Spiritus est*, deleverint. Id etiam apertè colligitur ex Prologo Hieronymi in Epistolas Canonicas. Socrates quoque testatur (*a*), Arianos ex cap. 4. hujus 1mæ S. Joannis Epistolæ vers. 2. expunxisse. Hæc de memorato versu 7. cap. 5. & universim de 1ma. S. Joannis Epistola dicta sufficiant; nunc ad reliquas duas transimus.

688 Secunda inscripta est ad Matronem quamdam nomine *Electam*, nisi nomen istud symbolicè fortassis adhibitum fuerit, ad Ecclesiam alteri Ecclesiæ litteras dantem contegendam.

689 Brevissima est, quippe quæ unico capite, cujus 13. sunt versus, comprehenditur. Putant aliqui eam commendatitiam fidelium Ecclesiæ cujusdam ad alteram transeuntium: aliquando enim Apostoli, seu sacri Ecclesiæ Christianæ Scriptores ænigmaticè scribere cogebantur, ne in persecutores infideles inciderent. Verùm de hac conjectura sit, quod placuerit.

In ea Apostolus impugnat Basilidem, ejusque Sectatores, qui tunc temporis docebant, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma, ac proinde eum nec aliquid egisse, aut passum fuisse. Gratulatur Electæ, & filiis ejus, quòd Seductores hos non audiverint, vetatque omnem cum eis communionem, in iis etiamnum rebus, quæ vitam civilem spectant.

690 Tertia ad Cajum scripta est, & unico etiam capite, cujus 14. sunt versus, concluditur. In ea Apostolus Cajum laudat, quòd fideles hospitiô excipiat, & ne ab inceptis desistat hortatur, &c. In ambabus Joannes se *Seniorem* appellat, & ab hoc nomine eas orditur dicens *Senior*, *&c.* Unde de iis aliquando in Ecclesia dissidium fuit, & etiamnum dubitare videntur Protestantes aliqui, num sint Joannis Apostoli: cùm enim Papias apud Eusebium, lib. 3. Hist. cap. 33. & Hieronymus, de Viris Illust. tradat, duos fuisse, qui Joannes nominarentur, unum Apostolum, & alterum, qui Senior dicebatur; atque harum binarum Epistolarum Auctor non Apostolum duntaxat, prout jam diximus, sed Seniorem se nuncupet, ipsis verisimile videtur, easdem ab hoc Seniore Joanne, non ab Apostolo fuisse conscriptas.

Sed hæc levis duntaxat est conjectu- 691
ra, quæ præjudicium nullum afferre potest tot veterum Patrum, & Conciliorum sententiis, qui has duas Epistolas, & Canonicas, & Joannis Apostoli esse censuerunt. Ponuntur quippe sub hujus Apostoli nomine in Catalogo Scripturarum divinarum à Conciliis Laodiceno, Carthaginensi III. Florentino, & Tridentino. Item ab Innocentio I. Epist. ad Exuperium; à Gelasio I. in Concilio Romano 70. Episcoporum; ut & ab Origene, Hom. 7. in Josue; ab Epiphanio, Hæres. 76. ab Auctore Synopsis; à Hieronymo, Epist. ad Paulin. ab Augustino, lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8. à Ruffino, in Exposit. Symbol. ab Isidoro, lib. 6. Etymolog. à Joanne Damasceno, lib. 4. cap. 18.

Secunda etiam citatur à S. Cypriano, lib. 2. Sent. Conc. Carthag. Tertia verò à Dionysio, Hierarch. cælest. c. 3.

(*a*) Apud Fromundum loc. cit.

Ecclesia denique in suis divinis officiis utramque sub nomine Joannis Apostoli legit. (*b*)

In illis autem Joannes *Seniorem* seu Presbyterum se nuncupat ob notabilem scilicet ætatis diuturnitatem; vixit enim, prout tradit S. Hieronymus (*c*), usque ad sexagesimum octavum annum post Passionem Domini, & Ephesi longô Seniô confectus, postquam Asiæ Ecclesias fundasset, obiit annô Christi 100. prout jam suprà ad ipsius Evangelium annotavimus. Omnium porrò consensu in his duabus Epistolis ille idem est Joannes Presbyter, qui & Apostolus, & Evangelista. Quòd autem Papias apud Eusebium duos Joannes statuat, Apostolum unum, Seniorem alterum, id verum esse potest, quin tamen sequatur, hunc harum Epistolarum Auctorem esse, qua de re nihil ait Papias; fortè vario & duplici, quo se nominat Joannes in suis libris, nomine deceptus Papias, arbitratus est duos fuisse Joannes, cùm tamen tota antiquitas testetur, unicum fuisse Joannem Apostolum, qui Canonica scripta Ecclesiæ tradiderit.

692 Quo præcisè tempore tres istæ S. Joannis Epistolæ fuerint exaratæ, incertum est; verisimilius videtur, eas scriptas fuisse post hujus Apostoli ex Insula Pathmos reditum paulò ante illius obitum, hoc est annô Christi 98. nam tunc temporis maximè grassabantur Ebionitæ, Cerinthiani, & Basilidiani, ad quos in tribus hisce Epistolis potissimùm respexisse, quosque refutasse videtur Apostolus iste.

693 *De Epistola S. Judæ Apostoli.*

Judas cognomentô Thaddæus, sive Lebbæus, & Zelotes, qui & interdum frater Domini appellatur ideo, prout arbitramur, quia B. V. Mariæ sororis filius, & S. Jacobi Minoris Jerosolymæ Episcopi frater fuerit.

Ad Lybiæ populos eum conciones habuisse refert S. Paulinus, Cann. 26. qui etiam hujus Apostoli corpus ibidem quiescère asserit. Juxtà Græcos recentiores Edessa, & omnis Mesopotamia; juxta alios, Judæa etiam, Samaria, Idumæa, Syria, & Armenia, præsertim etiam Persia Judam Evangelii Præconem habuerunt.

Eum martyrio affectum, & conditum 694
in Persia Abdias, Fortunatus, Beda, & Latinorum Martyrologia ferunt. Græci verò nonnulli Beryti morte sua defunctum scribunt: Eorum tamen Menologia, quæ diem 19. Junii Judæ Apostolo sacram habent, sagittis confossum asserunt in Arara, fortè Armenia, in qua montem Ararath, seu Ariarathim Urbem est invenire: Armeni enim veteri traditione fulti eum in sua regione martyrium subiisse tuentur. Hæc omnia produnt, nihil certi hac de re haberi.

Unica, eaque brevissima, & unico 695
capite, quod 25. versus distinguunt, comprehensa extat illius Epistola, quæ in Ecclesia habet auctoritatem. Catholica dicitur, quòd nulli peculiari Ecclesiæ, sed omnibus fidelibus à Patre dilectis & à Christo Domino vocatis inscripta sit.

Ex illius v. 17. & 18. ubi Apostolorum Petri & Pauli velut ab illis, quos alloquitur, satis cognitorum Epistolas allegat (*d*), ut & ex toto illius contextu, omnibus Judæis in Orientis Provinciis, Asia Minore, & ultrà Jordanem degentibus, qui Christo nomen dederant, Epistolam suam scripsisse colligitur; quos admonet, ut à Pseudo-Doctoribus caveant.

(*b*) Simon. Hist. crit. du N. T. lib. 1. cap. 18. (*c*) De Vir. Illust. in Joan. (*d*) 2. Petr. c. 3. v. 3. 1. Timoth. c. 4. v. 1. 2. Timoth. c. 3. v. 1.

veant, à Gnosticis nempè, ut arbitramur, Nicolaitis, & Simonianis, qui sanam doctrinam inficientes, Ecclesiam prorsus invertere conabantur.

Quo tempore eam scripserit, ignoramus; sanè post Hæreticos illos, quorum meminimus, eam scripsisse debuit. Deinde v. 17. & 18. Apostolos Petrum & Paulum jam ante peremptos innuere videtur; prætereà cùm eorum alleget Epistolas, post eorum mortem, & circa annum Christi 66. vel 67. eam ab ipso scriptam esse censendum videtur; imò, qui eam post Urbis Jerosolymæ excidium exaratam arbitraretur, fortè non procul à veritate discederet.

696 An Canonica sit, Veteres nonnulli hæserunt, prout referunt Eusebius lib. 3. Hist. cap. 25. qui tamen eam sua ætate à multis fuisse receptam ait; Hieronymus, de Vir Illust. cap. 4. Et Amphilochius, Carm. ad Seleuc. Paucos ex Vetustioribus illius mentionem fecisse testatur idem Eusebius, lib. 2. Hist. cap. 23. circa finem, ubi, *veruntamen*, inquit, *eam in plurimis Ecclesiis publicè lectitari cognovimus.*

Illam autem idcircò à nonnullis haud receptam fuisse ait Hieronymus (*e*), quòd Auctor in ea (*f*), libri Henoch, seu illius saltem Prophetiæ meminerit, & de Moyse quædam referat (*g*), quorum in Canonicis veteris Instrumenti libris nullum extat vestigium; quare ex quodam apocrypho Opere, quod *Moysis Assumptio* inscribitur, deprompta censuerunt. De ea quoque non modò dubitavit Lutherus, sed & solito sibi furore illam penitùs rejecit.

697 Verùm hæc tanti momenti Conciliis, & Patribus visa non fuêre, quin eam divinis Scripturis adnumerarent. Eam quippe velut Canonicam recensent Concilia Laodicenum, Carthaginense 3tium, Florentinum, & Tridentinum. Item Innocentius I. Ep. ad Exup. & Gelasius I. in Concilio 70. Episcoporum.

Præter veteres Patres, quos supra part. 1. cap. 5. recensuimus, eam Canonicam censent Epiphanius, Hæres. 76. Augustinus, lib. 2. de Doct. Christ. Ruffinus, in expos. Symb. Isidorus, lib. 6. Etymolog. cap. 1. Damascenus, lib. 4. cap. 18. Citatur etiam velut Judæ Apostoli à Dionysio, de divin. nomin. c. 4.

Eam proinde suscipiunt universim omnes Orientis æquè, ac Occidentis Ecclesiæ. Protestantes quoque, & Unitarii eam inter reliquos novi Testamenti libros Canonicos collocarûnt. Et quamvis eam rejecerit Lutherus, tamen ipsius Discipuli, & Sectatores, procul ut eam rejiciant, omnimodè Magistri sui in eam furorem mitigare adlaborant. (*h*) Calvinus quoque illam cæteris Canonicis Epistolis accensendam vult, *eoquòd*, inquit, *illius lectio sit summoperè utilis, nihilque contineat, quod doctrinæ Apostolicæ conforme non sit, necnon à longo jam tempore ab omnibus probis velut Canonica fuerit habita.*

Quæ verò in sua Epistola tum de He- 698
noch, tum de Moyse protulit Judas Apostolus, aliundè quàm à libris apocryphis habere, vel saltem Spiritu sancto docente ex iis libris vera à commentitiis secernere potuit; nam & in apocryphis libris aliquid veri invenitur, hocque dum Judas protulit, non tamen totum librum approbasse dicendus est, inquiunt S. Hieronymus, in cap. 1. Epist. ad Titum; & S. Augustinus, lib. 15. de Civ. cap. 23. & lib. 18. cap. 38. Profectò S. Paulus Act. 17. 1. Cor. cap. 15. & ad Tit. c. 1. profert testimonia ex Ethnicis Poëtis Arato, Menandro, & Epimenide; quis

(*e*) Loc. cit. in Judæ. (*f*) Vers. 14. (*g*) Vers. 9 (*h*) Simon. Hist. crit. du N. T. lib. 1. c. 18.
(*i*) Argum. Comment. Epist. Judæ.

autem propterea dicat, S. Paulum horum Poëtarum libros consecrare voluisse?

Pseudo-Evangelium aliquod, quod olim sub Judæ Apostoli nomine circumferebatur, Gelasius Pontifex reprobavit.

699 ## CAPUT IV.

De libro Apocalypsis.

Apocalypsis latinè *Revelatio*, quo nomine inscribitur Liber revelationum S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, in Insula *Patbmos*, quò jussu Domitiani Imperatoris relegatus fuerat, eo tempore, quod inter annos Christi 95. & 97. intercessit, ab eodem exaratus fuit; Unicus novi Testamenti liber Propheticus, in quo videlicet futura prædicuntur.

In 22. capita distribuitur, quorum priora tria instituendis Episcopis septem Ecclesiarum Ephesi, Smirnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardorum, Philadelphiæ, & Laodiceæ adhibentur. Quindecim, quæ proximè sequuntur, persecutiones Ecclesiæ exhibent, sive à Judæis, sive ab Hæreticis, sive tandem ab Imperatoribus Romanis, ac potissimùm à Diocletiano, & Maximiano, Galerio Maximo, Severo, Maxentio, Maximino, Licinio, & Juliano Apostata tolerandas. Exinde describitur ultio Dei in persecutores, in Imperium, urbemque Romanam, quæ Babylonis insignis prostitutæ septem collibus insidentis nomine designatur. Quatuor tandem reliqua Capita triumphum continent, quem Ecclesia de hostibus posteà retulit; ipsius cum agno nuptias, ac tandem Ecclesiæ triumphantis felicitatem.

700 Hujus libri Auctorem fuisse Cerinthum hæresiarcham, qui & ipse fictas revelationes conscripserat, Cajus Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, qui sub Zephyrino Papa labente secundo Ecclesiæ Sæculo floruit, autumasse videtur apud Eusebium (*k*); quam & quoque etiam nonnullorum sui ævi Scriptorum opinionem esse tradit S. Dionysius Alexandrinus apud eundem Eusebium. (*l*) Ubi equidem Apocalypsim velut librum verè divino Spiritu afflante conscriptum defendit, sed Joanni Apostolo abjudicare, atque alii cuidam Joanni adscribere videtur præcipuè ob diversum illius à cæteris hujus Apostoli Operibus stylum.

Hæretici, quos Epiphanius Hæres. 51. & 54. Alogianos, & Theodotianos vocat, Marcionis & Cerdonis Sectatores, librum hunc respuebant, quemadmodùm & ultimis temporibus nostris Lutherus.

Ratum autem Ecclesiæ Catholicæ Ju- 701
dicium est, hunc Librum & Canonicum esse, & à S. Joanne conscriptum. Enimverò à Concilio Ancyrano, quod celebratum dicitur an. Chr. 314. Canone ult. citatur Apocalypsis tanquam Joannis Apostoli, & divinus Liber. (*m*) Item in Carthaginensi 3tio. Can. 47. In Concilio Romano sub Gelasio I. an. 495. celebrato. In Concilio Toletano 4to. an. 633. Can. 16. Omnes quoque Orientales Ecclesiæ illum sub nomine S. Joannis Apostoli legunt.

Quamplurimi etiam SS. Patres Græci 702
æquè ac Latini eum agnoscunt. Ex Græcis quidem Justinus in Dialogo cum Triphone, Apocalypsim dicit esse Joannis Apostoli; quam etiam, teste S. Hieronymo (*n*), Commentariis illustravit: quod & de S. Irenæo, qui & hunc librum S. Joanni Apostolo adscribit (*o*), idem testatur S. Hieronymus. Dionysius, lib. Hierarch. Eccles. cap. 3. Apocalypsim vocat *arcanam & mysticam visionem dilecti Discipuli.*

(*k*) Lib. 3. Hist. cap. 28. (*l*) Lib. 7. Hist. cap. 25. (*m*) Tom. 1. Conc. pag. 275. (*n*) De Vir. Illust. (*o*) Lib. 5. circa finem.

Discipuli. Theophilus Antiochenus, Mellito Sardensis, & Dionysius Alexandrinus supra laudatus (*p*), Antiquissimi, & doctissimi Patres Apocalysim tanquam librum divinitùs inspiratum susceperunt, teste Eusebio, lib. 4. Hist. c. 24. & lib. 7. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 12. Apocalypsim, ut librum divinum citat. Origenes, Hom. 7. in Josue, Apocalypsim Joanni Apostolo vindicat, ut & Eusebius in Chronic. ad an. Domini 96. Auctor Synopsis, Epiphanius, Hæres. 51. & 76. Chrysostomus, Hom. 3. in Psal. 91. & Damascenus lib. 4. c. 18. Apocalypsim ut sacram, & Joannis agnoscunt.

703 Latini verò communi consensu librum istum & Canonicum, & Joannis Apostoli esse tuentur. Tertullianus, lib. 4. cont. Marcion. eum Joannis esse affirmat. Cyprianus, lib. de exhortat. Martyrii c. 3. 8. 10. & 11. Apocalypsim sicut reliquas divinas Scripturas citat; quemadmodùm & Hilarius, Præfat. in Psalm. Ambrosius eam Joannis Evangelistæ esse dicit, in Psalm. 40. Augustinus ait, Apocalypsim ejusdem esse Joannis, cujus est Evangelium, Tract. 36. in Joan. Et lib. 2. de Doct. Chr. c. 8. eam inter sacros libros refert. Idem præstat Innocentius I. Ep. ad Exup. Ruffinus, in Exposit. Symbol. & Isidorus, lib. 6. Eym. c. 1. Hieronymus, Epist. ad Paulin. docet, eam esse Joannis Apostoli; & Epist. ad Dardan. scribit, hanc esse omnium Latinorum sententiam. Denique Sulpitius, Histor. Sac. lib. 2. ait, Apocalypsim à nonnullis aut stultè, aut impiè non recipi.

704 Eam quoque velut librum divinum & à Joanne Apostolo conscriptum suscipiunt omnes Scriptores tam Catholici, quam Acatholici sive Protestantes, ut Calvinistæ, quorum permulti in eam commentati sunt. Illiusque auctoritatem contra Erasmum tuetur Beza, in not. ad Apocalyp.

Socinus Unitariorum Antesignanus, 705 de Auct. Script. S. cap. 1. n. 2. ait, eam Joanni Apostolo & Evangelistæ semper communi consensu adscriptam fuisse; nec officere, quòd aliqui hac de re dubitaverint; his enim Auctoribus præferendum esse judicium Justini, & Irenæi, qui exiguo post editum hunc librum scilicet tempore vixerunt.

Lutherani quoque hunc librum tan 706 quam divinum, & Canonicum agnoscunt; in quo Magistrum suum, qui illum penitùs rejicit deserunt. Sed ipsum tamen excusare conantur; *Lutherum quod attinet*, inquit Kortholtus, de Canone Script. Sac. c. 18. *quidquid olim scripserit in veteri præfatione, in ea sanè, quæ hodie in Codicibus legitur, nihil de Apocalypsi asserit aliud, quàm in dubio se relinquere, utrum sit Joannis Apostoli, quòd nonnulli ex vetustioribus Patribus id inficiati sint, nihil tamen hoc ipso se præjudicare velle aliis.*

Perpaucorum ergo opinio, qui vel 707 hujus libri non meminerunt, vel an Joannis Apostoli esset, dubitare visi sunt, non utique obesse potest his Conciliorum, Patrum, universalis Ecclesiæ latinæ, & græcæ, imò Doctorum omnium, & Scriptorum etiam Acatholicorum testimoniis, & auctoritatibus, qui librum hunc & divinum, & Canonicum esse unanimiter tuentur, & meritò quidem, utpotè cujus divinitas vel prædictarum in eo rerum eventu jam dudum comprobata fuit; quamvis multa adhuc contineat, quorum completionem expectamus, quæ suo quoque tempore certè sunt eventura.

(*p*.) Hic S. Pater tamen Apocalypsim Joanni Apostolo abjudicat, quamvis eam divinam esse tueatur. *vid. inf. ad object. 3tiam & 4tam.*

lium in terra gradientium Symbola referunt, quia cæteri de humanitate Christi, ipse verò de illius divinitate præcipuè scripsit. Unde Dionysius, vulgò Areopagita dictus, Epistolâ ad Joannem, eum Theologum, & Apostolum salutat; & Auctor Synopsis, aliique Veteres, præsertim Græci, ut jam dictum, eum Theologum nuncupant.

713 Ob. 6to. Hujus libri c. 7. v. 4. dum recensetur signatorum electorum numerus, dicitur: *Audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni Tribu filiorum Israël.* Et tamen nulli referuntur ex Tribu *Dan*, nulli etiam ex Tribu *Ephraim*. Ergo &c.

Resp. Verè ex omni Tribu signatos referri; sed quia non ita multi sunt futuri ex Tribu *Dan*, cùm plerique ex illa Antichristo, qui de Tribu hac orietur, adhæsuri sunt, ideò ipsa hîc omittitur, prout tenet communis Patrum. Nec omittitur Tribus *Ephraim*, quæ quia amplior, & nobilior præ Tribu *Manasse*, licèt seniore est, utpotè Regalis, per Antonomasiam, nomine Patris sui *Joseph* nominatur.

714 Ob. 7mo. Hujus libri Auctor cap. 20. ait, Sanctos cum Christo mille annis regnaturos. Atqui hæc ansam præbuerunt Millenariorum hæresi à Conciliis, & SS. Patribus olim damnatæ, cujus Auctor fuisse dicitur Cerinthus, & cui etiam liber iste à Cajo Romanæ Ecclesiæ Sacerdote supra memorato propterea meritò adscribitur. Ergo nec Joannis Apostoli, nec divinus censendus est.

Respondet Flacius Illyricus Lutheri Sectator, & Centuriatorum Magdeburgensium primipilus, *Arg. in Apocalypsim*, quòd, cùm liber iste stylô propheticô scriptus sit, expressionibus ipsius sensus mysticus tribui debeat. *Phrases illæ mysticè, ut in sermone prophetico sunt intelligendæ*, inquit. De alio ergo quàm Hæreticorum Millenariorum super terram regno intelligenda sunt ea, quæ Apostolus citatô cap. 20. prædicit, nempe de cœlorum regno, in quo Sancti cum Christo usque ad extremum judicii diem regnaturi sunt; ad quod proinde omnes corpora sua reassumentes, velut denuò resurrecturi sunt, prout mox memoratô cap. 20. declarat Apostolus: vox autem *mille* prophetico sensu longissimam durationem significat. Cæterùm longe ante Flacium Illyricum Dionysius Alexandrinus asseruerat (*r*), librum hunc non posse intelligi juxta obvium verborum sensum.

Ob. 8vò. Ibid. cap. 22. v. 11. dicitur: 715
Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Ergò suadet hîc peccatum hujus libri Auctor.

Resp. Hîc istud duntaxat significatur, Deum nempe, quemque hominem, pium & impium suæ permittere libertati, & relinquere in manu consilii sui, quasi diceret: Qui nocet, & injurius est proximo suo, noceat adhuc sua utens libertate, non impedio: sed quo magis nocebit &c., eò magis & punietur; ille è contrà, qui justus est, justificetur adhuc, ita ut, sicut ille impiè agendo, suum demeritum auget, iste, piè agendo, sua merita augeat; quia, ut ibidem legitur, v. 12. *Ecce venio citò*, inquit Deus, *& merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Prædicit ergo tantùm ea quæ ventura sunt Apostolus stylô Prophetis usitatô, non verò mala suadet.

Cæterùm præter hanc S. Joannis Apo- 716
stoli Apocalypsim, aliarum adhuc Veteres meminerunt, quæ tamen Apocryphæ omnes ab Ecclesia censentur.

De Apocalypsi Petri libro apocrypho agunt Eusebius, lib. 3. Hist. cap. 3. & Hieronymus, in Catalog. Script. Eccles. Eam

(*r*) Apud Eusib. lib. 7. Hist. cap. 25.

Eam laudavit Clemens Alexandrinus, lib. Hypotyp. apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 14. Nostris temporibus omninò intercidit. Refert Sozomenus, lib. 7. Hist. cap. 19. eam adhuc sua ætate in Ecclesiis Palestinæ legi consuevisse feriâ 6tâ Parasceves, cùm universus populus in memoriam Passionis JEsu Christi jejunium servaret.

De Apocalypsi S. Pauli tanquam apocrypho Codice agunt Epiphanius, Hæres. 18. cap. 38. & Augustinus, Tract. 98. in Joan. Eo libro utebantur Gnostici, quem ea omnia exhibere dicebant, quæ Paulus in raptu viderat, ac ineffabilia esse, 1. Cor. cap. 12. v. 4. scripserat. Nec Hæretici tantùm, sed plures Monachi, ut refert Sozomenus, locô suprà citatô, mira de Opere isto prædicabant, jactitantes, illud divina revelatione tempore Theodosii primùm innotuisse, cùm anteà Tharsi in domo S. Pauli in arca marmorea sub terra reconditum latuisset; quod tamen meram fabulam ab Hæreticis confictam esse, idem Sozomenus ex relatione Cilicis Sacerdotis Tharsensis viri jam seniô confecti prodit.

De Apocalypsi Cerinthi agit Theodoretus, lib. 2. Hæretic. Fab. c. 3. In ea Hæresiarcha hic, nescio quid de regno mille annorum, ac de voluptatibus sensualibus, quibus toto eo tempore Viri sancti Hierosolymis essent fruituri, comminiscebatur, eaque se à Deo didicisse jactitabat. Unde factum, ut, quod alibi jam memoravimus, nonnulli ex vetustioribus Patribus S. Joannis Apocalypsim Cerintho adscripserint, fortè eo decepti, quòd in illa mille annorum Regni Christi cum Sanctis suis mentio fiat, eoque libro plurimùm abuteretur iste Hæresiarcha, atque præsertim ab hoc Joannis Apostoli de Regno Christi cum Sanctis suis vaticinio fabulosum & brutum Regnum suum transcripsisse atque secundùm genium suum transtulisse videretur. Verùm, ut in Responsione ad 7mam Objectionem diximus, Regnum illud Christi intelligendum est de Regno Cœlorum &c.

S. Thomæ Apocalypsim non aliunde novimus, quàm ex decreto Gelasii Papæ I. illam inter apocrypha recensentis. Apocalypsim quoque aliam ab ea, quam huic Apostolo asseruimus, Viennæ Austriæ in Bibliotheca Cæsarea MS. asservari testatur Lambecius Leopoldi Magni Imperatoris olim Bibliothecarius, Cod. 119. Bibliothec. fol. 108.

Finis Tractatus primi.




TOMI

TOMI PRIMI
TRACTATUS
SECUNDUS
DE
TRADITIONE SACRA
ET
EJUSDEM AUCTORITATE.



INDEX

Titulorum Tractatus secundi Tomi primi Theologiæ Universalis, de Traditione sacra.



TOMI

TOMI PRIMI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS SECUNDUS
De Traditione ſacra.

1 *Præloquium.*

DIſcuſſis priori Tractatu omnibus, quæ circa S. Scripturam Theologis ſcitu neceſſaria nobis viſa fuere, modò nobis ea veniunt excutienda, quæ circa ſacram Traditionem alteram fidei noſtræ Catholicæ regulam diſputari ſolent. Et ne dicta noſtra confuſionem aliquam pariant, præſentem Tractatum in varia Capita, pro quæſtionum in eo occurrentium varietate diſtinguemus; priuſquam tamen ſingula aggrediamur, velut in limine explicandum nobis eſt, quid Traditionis nomine veniat, & quotuplex ea ſit.

Traditio igitur generatim & latiſſimè ſumpta nihil eſt aliud, quàm *Doctrina quævis, ſive ſcripta, ſive non ſcripta ab uno alteri communicata*: ſic lex antiqua à Domino in monte Sinai Moyſi tradita, à Moyſe deinde Joſue, à Joſue Senioribus, à Senioribus Prophetis, & à Prophetis deinceps magnæ Synagogæ viris communicata, Traditio generatim & latiſſimè ſumpta vocatur juxta illud Exodi à Domino Moyſi dictum (*a*): *Scribe hoc ob monimentum in libro & trade auribus Joſue.*

2 Minùs latè, & juxta communem loquendi modum ſumpta Traditio, prout tùm à ſacra tùm à profana abſtrahit, eſt *doctrina non ſcripta, ſed viva voce per Majores ad poſteros ſucceſſivè tradita;* ut eſt e. g. illa, qua varia novimus heroica veterum geſta, quamvis nunquam ſcriptô tradita fuerint; item ea, quâ ſcimus, hoc in tumulo ſepulta jacere Majorum noſtrorum oſſa.

3 Strictè verò, atque Theologicè ſpectata, quæque ideò ſacra nuncupatur, Traditio, & de qua ſola hîc agere nobis animus eſt, nihil eſt aliud, quàm *fidei vel morum doctrina non ſcripta, ſed viva voce quaſi de aure in aurem ſucceſſivè tradita;* cujuſmodi eſt ea, qua credimus varia fidei dogmata, quamvis nullibi, ſaltem ſatis clarè, in Scripturis expreſſa; ut illa, e. g. qua B. Mariam Deiparam etiam poſt

(*a*) Exod. c. 17. v. 14.

poſt partum Virginem credimus; item ea, quâ parvulos baptizandos eſſe tenemus; qualis etiam eſt illa, de qua S. Chryſoſtomus ait (*b*): *Traditio eſt, nihil quæras ampliùs.* Quales denique & illæ, quas Theſſalonicenſibus commendat S. Paulus dicens (*c*): *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

Dicitur autem *non ſcripta &c.* non quòd nullibi ſcripta ſit; reperitur enim in Conciliorum Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, Scriptis SS. Patrum &c. Sed quòd ab iis, qui illius ſunt Auctores, eamque poſteris ſuis tradiderunt, ſcripto mandata non fuerit.

4 Hujuſmodi autem ſacra Traditio conſiderari poteſt, vel ex parte Auctoris à quo eſt, vel ex parte rei, quæ tradita eſt, vel ex parte ejus, cui traditur, vel ex parte modi, quô traditur, vel ex parte durationis, ad quam traditur.

Si ex parte Auctoris ſui ſpectetur, alia eſt *Divina*, *humana* alia. *Divina* eſt, quæ Deum vel Chriſtum habet Auctorem; *humana* verò, quæ ab hominibus proficiſcitur.

5 *Traditio humana* ſubdividitur in *Apoſtolicam*, *Eccleſiaſticam*, & *merè humanam.* *Apoſtolica* eſt, quæ, vel ab Apoſtolis Spiritu ſancto afflatis provenit, aut quam per eosdem à Chriſto edoctos recepit Eccleſia; hæcque propriè loquendo Divina eſt, & denominativè duntaxat Apoſtolica, quia à Chriſto Domino, non ab Apoſtolis primò profluit, licèt per Apoſtolos Eccleſiæ tradita fuerit; & ob hanc rationem divinæ novi Teſtamenti traditiones nonnunquam ſimpliciter *Apoſtolicæ* nuncupantur. Vel quia ab Apoſtolis tanquam Eccleſiæ Prælatis & Paſtoribus ſub præſidio & aſſiſtentia Spiritûs ſancti primò & immediatè in bonum Eccleſiæ fluxit; & hæc propriè *Apoſtolica* dicitur.

6 *Traditio Eccleſiaſtica* propriè dicitur illa, quæ nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed poſt Chriſti in cœlos aſcenſum, & Apoſtolorum ex hac vita diſceſſum eſt ab Eccleſiæ Prælatis vel populis introducta, & tandem per modum legis, vel per modum conſuetudinis tacito ſibi ſuccedentis populi conſenſu & uſu recepta, & ad nos uſque delata.

Traditio autem *merè humana* eſt, quæ homines ſibi ſolis relictos Auctores habet. 7

Harum Traditionum hæc ſubjicimus exempla: *Traditiones Divinæ* cenſentur eæ, quæ ſunt *de perpetua Mariæ Deiparæ virginitate; de baptizandis, etiam ante uſum rationis, parvulis; de non rebaptizandis Hæreticis; de invocatione Sanctorum; de ſacrarum imaginum cultu; de ſeptenario Sacramentorum numero; de ſacrorum Librorum divinitate &c.* Quæ etiam ſimpliciter *Apoſtolicæ* nuncupari poſſunt, quia, ut ſuprà dictum, licèt immediatè & primò profluant à Chriſto Domino, tamen per Apoſtolos Eccleſiæ traditæ fuerunt. 8

Traditiones verò propriè & merè Apoſtolicæ ſunt inter alias: *Quadrageſima*, & *quatuor Temporum inſtitutio. Obſervatio diei Dominicæ loco Sabbati. Trina merſio olim in baptiſmo ſervari ſolita. Chriſmatis renovatio, annis ſingulis facienda.* 9

Traditiones Eccleſiaſticæ ſunt: Solemnitas, & obſervatio Feſtorum. Abſtinentia à carnibus, ovis, lacticiniis certis anni diebus. Pia & laudabilis Crucis formandæ conſuetudo. Pius aquâ benedictâ aſpergendi mos. Antiquus candelarum, cinerum, palmarum, & ſimilium benedictionis uſus. 10

Traditio denique *merè humana* fuit ea Phariſæorum, *de lotione manuum ante comeſturam &c.* 11

Traditio ſpectata ex parte materiæ traditæ ſeu materiæ, circa quam verſatur, duplex eſt, una *de fide* ſcilicet, altera *de moribus.* Prior nihil eſt aliud, quàm non ſcripta, ſed viva voce de aure ad aurem ſuc- 12

(*b*) Hom. 4. in 2. ad Theſſal. (*c*) 2. ad Theſſal. c. 2. v. 14.

successivè tradita fidei doctrina: ut, præter Traditiones divinas supra assignatas, sunt: *Quòd Scriptura sacra, quâ utimur in Ecclesia Catholica, sit verè divina. Quòd quatuor sint Evangelia Canonica, nec plura nec pauciora.*

13 *Traditio morum*, sive de moribus & ritibus est doctrina primitùs non scripta, sed successivè tradita pro dirigendis formandisque moribus & ritibus, seu pro morum disciplina: qualis inter quamplures alias est Traditio sive doctrina: *de jejuniorum observatione certis anni temporibus & diebus. De Festorum celebratione, certis pariter anni diebus. De benedictione & aspersione aquæ. De formando Crucis in fronte signo. De abstinendo à servili opere in Dominicis festisque diebus. De facie ad Orientem vertenda, dum Deus oratur.*

14 *Traditio* spectata ex parte ejus cui traditur, v. 9. ex parte loci vel Ecclesiæ alicujus particularis, vel universalis, dividitur in *universalem*, & *particularem*.

Traditio universalis seu generalis est ea, quæ sive divina sit, sive Apostolica, sive Ecclesiastica, fideles omnes ubique gentium dispersos attingit, seu, quæ universam respicit Ecclesiam; quales sunt e. g. *Aniversaria majorum festorum Paschatis, Pentecostes, & similium. Quadragesimæ, & quatuor Temporum jejunia. Aquæ benedictæ, exorcismorum, aliorumque similium usus.*

15 *Traditio particularis* e contrà est ea, quæ unam duntaxat, vel particulares paucas respicit Ecclesias. Hæc vel purè Apostolica duntaxat, vel merè Ecclesiastica est; neque enim divina esse potest, cùm divina omnes spectet Ecclesias non unam aut alteram particularem. Hujusmodi particularis Traditio erat olim Romæ, *Observatio jejunii die Sabbato.*

16 *Traditio* spectata ex parte modi, quo traditur, id est vel per modum consilii, vel per modum præcepti, dividitur in *liberam* & *necessariam*. Hæc est, quæ necessariò servanda est, quia per modum præcepti instituta: ut *prædicta Majorum Festorum observatio. Calici miscendæ aquæ usus. Paschatis celebratio Dominicâ primâ post decimam quartam lunam Martii.*

Libera verò est ea, quæ per modum consilii lata, & ad libitum observari, & non observari permissa est. Hæc ad solam Ecclesiasticam & purè Apostolicam refertur; cùm Divina sit immutabilis & necessaria; sic liberæ sunt e. g. istæ Traditiones, & nisi intervenerit contemptus, aut proximo detur scandali occasio, sine peccato omittuntur: *Aspersio aquæ lustralis. S. Crucis in fronte signatio. Orantis ad Orientem conversio, & similes aliæ.* 17

Traditio denique spectata ex parte durationis, pro qua, vel ad quam traditur, hoc est, pro semper, vel ad certum tempus dividitur in *perpetuam* & *temporaneam*. Perpetua dicitur illa, quæ est instituta, ut semper duret, & à nulla auctoritate creata mutari potest; quales sunt divinæ omnes, & à Christo per Apostolos ad nos usque transfusæ; ut v. g. illæ omnes, quæ sunt circa fidem, vel Sacramentorum administrationem, sive sint de necessitate Sacramenti, ut sunt materia & forma; sive de necessitate præcepti, qualis est v. g. doctrina *de aqua miscenda calici*, de qua S. Cyprianus ait (*d*): *Admonitos autem nos scias, ut in calice Domini offerendo, Dominica Traditio servetur; ut calix, qui in commemoratione ejus offertur mixtus aquâ offeratur.* 18

Traditio temporanea, sive temporalis dicitur illa, quæ sive instituta sit ad certum tempus, sive illimitatè, talis tamen est naturæ, ut possit per Ecclesiam mutari, quales sunt Traditiones *purè Apostolicæ*, quales & Ecclesiasticæ omnes, proutmutatæ sunt variæ ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Rectoribus ortæ Traditiones, quales sunt istæ v. g. *De trina immersione olim in Baptismo servari solita. De quotidiana fidelium* om- 19

(*d*) Lib. 2. Ep. 3.

omnium communione post peractam consecrationem. De communione sub utraque specie à Laicis aliquando servata. De Agapis, seu communibus conviviis olim in Ecclesia fieri solitis. De mutuo osculo post preces, sive de ritu se mutuò salutandi in osculo pacis. Hic nobis præcipuè de Divinis Traditionibus agendum. Circa quas sit.

20 CAPUT PRIMUM.

De Traditionibus Divinis, earumque existentia, necessitate & auctoritate.

TRia circa Traditiones divinas præsenti Capite nobis præcipuè examinanda sunt; an videlicet dentur & existant; quænam illarum sit auctoritas; & denique, an sint necessariæ. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Præter scriptum Dei verbum datur etiam non scriptum, seu Traditio divina.

Pb. Conclusio 1mò. ex S. Scriptura.

Scriptura sacra audienda est & sequenda tanquam fidei nostræ regula: Ergo etiam verè datur, & audienda, ac sequenda, & tenenda est divina aliqua Traditio. Antecedens ultrò omnes admittunt etiam ii, qui traditiones divinas rejiciunt.

Consequentia probatur. Ipsa sacra Scriptura multis in locis Traditionem audiendam & tenendam esse docet, tam in veteri, quàm in novo Testamento: Ergo si audienda est & sequenda S. Scriptura: Traditio quoque divina audienda, tenenda & sequenda erit.

Prob. ant. ab inductione locorum S. Scripturæ, quibus hæc divina Traditio commendatur. 1mo. Ex veteri Testamento: *Deut. c. 32. v. 7.* dicitur: ***Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.*** *Psalmo 43. v. 1.* ***Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*** *Isai. cap. 38. v. 19.* ***Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*** *Jerem. c. 6. v. 16.* ***State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris.***

Eccli. c. 8. v. 11. ***Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.***

Atqui apertum est, his locis veteris Instrumenti Scripturam Traditionem divinam commendare. Ergo constat ex Scriptura veteris Instrumenti, dari & audiendam esse Traditionem aliquam divinam.

2do. Ex Scriptura novi Testamenti. *Joan. c. ult. v. 25.* ait Apostolus Evangelista: *sunt autem & multa alia, quæ fecit JEsus. quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ergo non omnia continentur in Scriptura Sacra, sed multa per Traditionem ad nos pelata fuêre de Christo ejusque præceptis. Verisimile enim non est, Apostolos, ea, quæ fecit & docuit JEsus, quæque scripta non fuerunt, Ecclesiæ non tradidisse.

Act. c. 1. v. 3. narrat Lucas: quòd *Christus se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis præbuerit Apostolis suis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Id est, aperiens eis plurima fidei nostræ mysteria, juxta quod ante passionem suam eis promiserat dicens (*e*): ***Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.***

(*e*) Joan. c. 16. v. 12.

dò. Atqui hæc multa in Evangeliis, quæ præ manibus tenemus, ſcripta non leguntur; pauca enim admodum de iis, quæ fecit & docuit JEſus, præſertim per quadraginta dies illos, Evangeliſtæ adnotarunt, prout ipſimet fatentur. Ergo plurima eorum tantum oretenus tradiderunt.

2. *Theſſal. c.* 2. *v.* 14 ait Apoſtolus: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Atqui etiam Traditiones non ſcriptas, ſeu per ſermonem acceptas commendat Apoſtolus. Ergo &c.

1. *Cor. c.* 11. *v. ult.* ſcribit idem Apoſtolus: *cætera, cùm venero, diſponam.* Atqui quid, ubi Corinthum venit, diſpoſuerit, nullibi ſcriptum invenitur: Ergo illud per Traditionem ad nos delatum fuiſſe cenſendum eſt; nempe circa Miniſtrorum ordinationem, & Altaris Sacrificium, prout veriſimile eſt; loquitur namque hôc locô Apoſtolus de modo ſumendæ Euchariſtiæ. Quem Traditionem paulò ante commendaverat *v.* 2. his verbis: *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Item *v.* 13. *Ego*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Idem Apoſtolus hiſce Timotheum Diſcipulum ſuum alloquitur (*f*): *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide & dilectione in Chriſto JESU.* Item (*g*): *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto JEſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ubi manifeſtè patet, loqui Apoſtolum de doctrina ad fidem & dilectionem ſpectante, & non ſcripto, ſed viva voce tradita.

Ergo etiam ſacra novi Teſtamenti Scriptura commendat fidei doctrinam aliquam, non ſcriptam ſed traditam, ſeu non ſcriptum ſed traditum aliquod Dei verbum, id eſt, Traditionem. Ergo ex S. Scriptura conſtat dari & audiendam eſſe Traditionem divinam quamdam.

Prob. 2do. Concluſio ex Conciliis, 21. 1mo. Quia ipſa decernunt Traditiones divinas ſuſcipiendas eſſe & venerandas. Synodus Oecumenica V. (*h*) anathemate perculit eos, qui una & eadem adoratione Verbum Divinum ſimul cum ſua carne aſſumpta adorare nollent, *ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt.* Quod quidem in ſacra Scriptura nullibi clarè exprimitur. Canonem autem ſuperiorem ſic concludunt, ſanctæ hujus Synodi Patres: *Cùm igitur hæc ita rectè confeſſi ſumus*, (loquuntur de unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto ſine ulla earum confuſione) *quæ tradita nobis ſunt tam à Divinis Scripturis, quam à SS. Patrum Doctrina, & ab his, quæ definita ſunt de una eademque fide à prædictis quatuor ſanctis Conciliis.*

In ſexta Synodo generali (*i*) Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus ſexcenta & amplius SS. Patrum loca contra Monothelitas protulit (quod teſtatur Stephanus Epiſcopus Dorenſis in Synodo Romana ſub Martino I. habita, & patet etiam ex actione decima ſexti Concilii Oecumenici) ut demonſtraret perpetuam Eccleſiæ Traditionem ab Apoſtolis acceptam Monothelitarum errori omninò contrariam eſſe.

In ſeptima Synodo Niceæ contra Iconoclaſtas congregata (*k*), undè Nicena ſecunda nuncupatur; unanimiter profitentur Epiſcopi, *ſe Traditiones Eccleſiaſticas* (id eſt, à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ conſignatas) *ſive ſcripto ſive conſuetudine valentes & decretas* retinere velle. Deinde regiam viam appellant adhærere Traditionibus & SS. Patrum doctrinæ. Actione item 6ta: *Quòd autem*, inquiunt, *cum multis aliis, quæ in Eccleſia obſervantur*

(*f*) 2. Timoth. c. 1. v. 13. (*g*) Cap. 2. v. 1. (*h*) An. 553. (*i*) An. 680. (*k*) An. 787.

tur sine Scriptura, nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est. Denique act. 7ma. in fine hæc eloquuntur memorati Patres: *Si quis Traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.*

Octava Synodus Oecumenica (*l*) Traditionum auctoritatem can. 1mô. act. 10mâ. confirmat his verbis: *Ut rectam, regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, SS. Patrum Decreta, veluti inextinctæ quædam semperque lucentes faces sequenda sunt. Quapropter Sanctiones Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ per Traditionem, tùm à sanctis omnique laudis præconiô celebrandis Apostolis, tùm ab Orthodoxis, Oecumenicisque & Provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per Sermonem, sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitæ sanctitate nobis præluxerunt acceptas magnus Apostolus tenendas monet.*

Denique Concilium Tridentinum (*m*) Sess. 4. definit Traditiones Apostolicas, quæ quasi per manus transmissæ ad nos usque pervenerunt, æqualis esse cum verbo Dei scripto auctoritatis. En ipsius verba: *Sacrosancta, Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus perspiciens veritatem fidei, & disciplinam morum contineri in libris scriptis, & sine Scripto in Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit, & reveretur.* Hæc Concilium Tridentinum de Traditionibus, quibus hæc subjungit: *Si quis Traditiones prædictas sciens & prudens contemserit, anathema sit.*

Ergo ex sacris Ecclesiæ Conciliis constat dari, & suscipiendas, ac venerandas esse Traditiones divinas.

2do. Quia nedum, ut vidimus, ipsa sacra Ecclesiæ Concilia hujusmodi Traditiones dari, & suscipiendas esse declarant, sed etiam suo usu & praxi docent, non aliâ viâ citius à se fuisse extinctas hæreses, & debellatos Hæreticos, quàm Traditionis auctoritate: Sic enim Romana secunda Synodus sub Cornelio Papa habita annô 255. Traditione Novatianam confodit hæresim. Sic Antiochena sub Dionysio Papa celebrata anno 266. Paulum Samosatenum Traditione devicit. Sic Nicæna Oecumenica prima sub Silvestro Papa habita anno 325. ex doctrina non scripta, seu Traditione Arium debellavit, ut disertè testatur Theodoretus. (*n*) Etsi enim quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium, tamen, quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina non scripta, sed per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium tradita eum confutaverunt, & damnarûnt. Sic Constantinopolitana I. sub Damaso Papa anno 381. Macedonium evertit. Sic Milevitana II. an. 416. sub Innocentio I. Pelagium confudit. Sic Ephesina I. sub Cælestino, annô 431. Nestorium. Sic Chalcedonensis sub Leone I. an. 451. Eutychem. Sic Bracarensis anno 563. sub Joanne III. habita Priscillianistas. Sic denique Nicæna II. sub Adriano I. an. 787. Iconomachos expugnavit, & sacrarum Imaginum cultum ex Traditione venisse Apostolica pronuntiavit &c.

Ergo

(*l*) An. 869. (*m*) Ab. an. 1545. usque ad an. 1563. (*n*) Lib. 1. Hist. c. 8.

Ergo ex sacris Ecclesiæ Conciliis manifestè patet, dari, & suscipiendas ac venerandas esse Traditiones divinas, easque utiles & necessarias esse ad refellendos hæreticos, & extinguendas hæreses.

22 Prob. 3tio. ex testimoniis Summorum Pontificum. 1mo. S. Fabianus Papa & Martyr, vel quisquis alius, epist. 2. ad Episcopos Orientis, postquam docuerat, singulis annis sacrum Chrisma renovandum esse, hæc subjunxit: *Ista à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus.* Et certè de Chrismate renovando nihil in sacris Litteris legimus.

2do. S. Innocentius I. epist. 1. quæ est ad Decentium: *Si instituta*, inquit, *Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur.* Ibidem c. 3. docet, *Confirmationem etiam parvulis conferendam, & à solo Episcopo, & sub certa verborum forma;* de qua forma nihil in Scripturis sacris apertè continetur.

3tio. S. Leo I. Sermone de Quadragesima: *Apostolica*, inquit, *institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* Et Serm. de jejunio Pentecostes: *Dubitandum non est, Dilectissimi, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Spiritûs sancti prodire doctrina.* Vide etiam Serm. 8. & 9. de jejunio septimi mensis.

23 Pb. 4to. Ex SS. Patribus tam Græcis, quàm Latinis.

Ex Græcis 1mo. S. Dionysius Areopagita, seu Auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ, qui antiquissimus est, & cujus Opera in sexta, septima, & octava Synodis Oecumenicis, necnon à S. Gregorio Magno Hom. 34. in Evang. laudantur, hæc de traditionibus eloquitur (*o*): *Primi illi Sacerdotalis muneris nostri duces, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.*

2do. S. Polycarpus apud Eusebium (*p*) S. Irenæo discipulo suo referebat plurima, quæ à Domino dicta ab Apostolis audiverat.

3tio. S. Justinus Martyr in Apolog. circa finem ait, Christum Apostolis tradidisse, *convenire singulis diebus Dominicis consecrare vinum aquâ mixtum &c.*

4to. S. Ignatius Martyr apud Eusebium (*q*) ait, *se ad certiorem posteritatis notitiam traditiones Apostolorum suô testimoniô confirmatas scriptis mandare necessarium duxisse.*

5to. S. Irenæus lib. 3. c. 4. hæc inter alia multa scribit: *Hac ordinatione, & successione Pontificum, ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia traditio, pervenit usque ad nos.* Item c. 2. loquens de Cerinthianis, Valentinianis, & aliis hæreticis, *cùm autem*, inquit, *ad eam traditionem, quæ est ab Apostolis, & quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni.* Et cap. 4. *Quid autem*, inquit, *si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum illorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.*

6to. Papias Lib. 4. *Non his*, ait, *qui multa dicunt, sed qui vera docent, oblector; neque ex illis, qui aliena & nova mandata commemorant; sed ex his, qui recordatione renovant ea, quæ sunt à Domino*

(*o*) Ecclef. Hierarch. c. 1. (*p*) Hist. l. 5. c. 20. (*q*) Hist. l. 3. c. 36.

mino per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar; nempe, quid Andreas dixisset, quidnam Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini Discipulus. .... Neque enim ea, quæ in libris pandebantur, tantum mihi subsidii allatura existimavi, quantum ea, quæ acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.

7mo. Clemens Alexandrinus apud Eusebium (r), ait: *se compulsum à fratribus esse, ut Traditiones, quas ab antiquioribus Presbyteris*, id est, Apostolorum Discipulis, *acceperat, scriptò posteris traderet.* Hoc autem præstitit *in lib. de Paschate.*

8vo. Origenes in c. 6. Ep. ad Rom. ait: *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare.* Et Hom. 5. in Num. multas Traditiones Apostolicas enumerat.

9no. S. Athanasius libro de decretis Nicænæ fidei contra Eusebium hæc eloquitur: *Ecce nos quidem, ex patribus ad patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus; vos autem, ô novi Judæi, & Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

10mo. S. Basilius Magnus de Spiritu sancto c. 27. ait: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica ..... Quod genus est, ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum, primò locò commemorem, ut signò crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ docuit Scriptura?* Et hom. 28. contra Sabellium, Arium, & Anomæos: *Et*, inquit, *ne Spiritum sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te Dominica Traditio; Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observaverunt, Martyres confirmarunt; satis tibi sit, ut dicas quemadmodum S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 5. dicens: Videte itaque fratres, ut servetis Traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis.*

11mo. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, ubi postquam dixisset, propter dogmata Testamenti veteris & novi doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Juliano mirabilem, statim hæc addit: *Cæterùm majorem atque insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras, quas Traditione acceptas in hunc usque diem servamus, &c.* Ubi per figuras Ecclesiæ paulò post se intelligere dicit disciplinam, politiam, ornem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, sacraria in Templis, Monachorum ac Virginum cœnobia, & alia permulta ex sola Traditione profecta.

12mo. S. Epiphanius Hæres. 61. *oportet*, inquit, *autem & Traditione uti; non enim omnia à divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, sicut tradidi vobis.* Et Hæres. 69. *Respondete nobis*, ait, *Arii discipuli, ingenitum dicimus omnes simul Patrem & increatum; & admirabilis est dictio, scilicet, ubi itaque est dictio hæc scripta, osten-*

(r) Hist. l. 6. cap. 13.

ostendite? neque enim Lex, neque Propheta, neque Apostoli &c.

13tio. S. Chrysostomus in 2. ad Thessal. hom. 4. *State*, inquit, *& tenete; hinc est perspicuum, quòd non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scripto, & ea quoque sunt fide digna; quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse, fide dignam; est Traditio, nihil quæras ampliùs.*

14to. S. Joannes Damascenus lib. 4. de fid. Orthodox. cap. 17. circa finem. *Quod autem*, ait, *Apostoli quam plurima nullô Scripturæ sacræ locô prodita nobis tradiderint, his verbis testatur ille gentium Apostolus Paulus: Tenete Traditiones &c.*

Ex Latinis 1mo. Tertullianus lib. de coron. milit. cap. 4. post enumeratas nonnullas Christianæ Religionis observationes & cæremonias de baptismo, de signo crucis, de oblationibus pro defunctis, & similes alias, hæc subjungit: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostulas, Scripturam nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix; rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexit disces.*

2do. S. Cyprianus lib. 1. Epist. 12. *Ungi quoque*, inquit, *necesse est eum, qui baptizatus sit &c.* At id non ex S. Scriptura duntaxat, ut quæ de hoc profunde sileat, sed ex Traditione habetur. Item lib. 2. Epist. 3. *Admonitos nos scio*, ait, *ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus aquâ offeratur.*

3tio. S. Hilarius Pictaviensis lib. contra Constantium, Imperatorem Arianum hæc objicientem: *Nolo verba, quæ non sunt scripta legi*, hisce respondet: *Rogo, quis Episcopus jubeat? quis Apostolica prædicationis vetet formam?* Quibus verbis duo intendit Hilarius: 1mo. *prædicationem consubstantialitatis Patris & Filii*, etsi non expressam in Scripturis, esse tamen Apostolicæ prædicationis. 2do. Vocem ipsam Ὁμοούσιον, licet novam, & nullibi in Scripturis expressam, retinendam tamen, quia Apostolicæ prædicationi, seu Traditioni conformem.

4to. S. Ambrosius Serm. 25. 34. & 36. *Quadragesimam à Christo præscriptam* docet. Et Serm. 38. *Symbolum Apostolorum Traditionem Apostolicam esse non scriptam* asserit.

5to. S. Hieronymus Epist. ad Marcellam de erroribus Montani: *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione tempore nobis congruo jejunamus.* Et in Dialogo adversus Luciferianos c. 4. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret; nam & multa alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut lavacrô ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem; die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere; multáque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.*

6to. S. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 4. c. 24. *Quod universa*, ait, *tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

7mo. S. Petrus Chrysologus Serm. 85. *Christianus animus*, ait, *quæ sunt Traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed venerari, ac totô desiderat venerationis eloquiô.*

8vo. S. Gregorius Magnus lib. 9. Epistolarum Epist. 61. *Ab antiqua*, inquit, *Patrum institutione didicimus, ut quili-*

bet, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeant, aut unctione chrismatis, aut impositione manûs, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.

9no. Denique, omissis aliis, Vincentius Lirinensis Commonit. cap. 32. ait: *Ecclesiam per decreta & definitiones Conciliorum aliud non agere, nisi id, quod à suis antecessoribus, seu Apostolis per traditionem non scriptam accepit, fidelibus per Scripturam communicare.*

Ergo ex horum omnium aliorumque quos brevitatis gratiâ hîc omittimus, unanimi SS. Patrum consensu, constat dari in Ecclesia Christi, præter Scripturam sacram, fidei doctrinam aliquam non scriptam, sed vivâ voce Apostolis à Christo traditam, & ab Apostolis, per successores, ad nos usque transfusam.

24 Prob. 5to. Rationibus Theologicis. 1mo. Multa credimus fide divina, quæ in sacra Scriptura expressa non sunt: Ergo multa sunt, quæ solùm viva voce à Christo Apostolis, & ab his Ecclesiæ tradita fuerunt; & consequenter dantur Traditiones. Ant. pb. Divina fide credimus, quòd B. V. Maria Deipara fuerit semper, etiam post partum, Virgo. Quòd parvuli sint baptizandi, etiam ante rationis usum. Quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi. Quòd ad Baptismi valorem hæc sit adhibenda forma, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Quòd detur & existat apud nos Scriptura verè divina, seu quæ sit verum Dei verbum. Quod hi & illi ipsius libri, & non alii, sint Canonici &c.

Atqui hæc & alia permulta, quæ fide divina credimus, non habemus ex scripto Dei verbo, seu ex sacra Scriptura, ut quæ nullibi de iis quidpiam expressè memoret; Ergo ex tradito & non scripto Dei verbo, seu ex Traditione divina ab Apostolis Spiritu sancto illustratis consignata.

2do. Apostoli non omnia scripserunt, quæ prædicarûnt: Ergo multa nobis per Traditionem reliquerunt. Ant. prob. Apostoli ob certas duntaxat occasiones ad scribendum fuerunt compulsi: Ergo ea tantùm scripserunt, ad quæ conscribenda occasiones illæ eos compellebant. Sic S. Joannes, quia, prout testatur S. Hieronymus (*s*), occasione hæresis Cerinthi & Ebionis, qui negabant Christi divinitatem, Evangelium suum conscripsit, præcipuè ea, quæ ad Christi divinitatem comprobandam pertinent, scripto mandavit, ut patet ejus Evangelium legenti. Ergo Apostoli plura nobis per Traditionem reliquerunt.

3tio. Multa quantùm ad Sacramentorum administrationem fide divina credimus, quæ nullibi in Scriptura sacra notantur: Ergo ea ex Traditione divina credimus Ergo datur talis divina traditio. Ant. prob. ex passim dictis. conf. patet.

4to. In lege Naturæ & Mosaica fuerunt aliquæ Traditiones divinæ: Ergo etiam in lege nova. Si enim in veteri, cur non quoque in nova dentur. Ant. prob. quantum ad legem Naturæ: In lege Naturæ fuit divina fides. Ergo in lege Naturæ fuerunt aliquæ revelationes divinæ: atqui revelationes illæ non fuerunt ab aliquo sacro auctore scriptæ. Ergo revelationes illæ viva tantùm voce traditæ &, conservatæ fuerunt. Quòd autem in lege Naturæ fuerit fides divina, patet ex eo, quòd in ea fuerint justi: *justus autem ex fide vivit*, & *sine fide impossibile est placere Deo*, ut ait Apostolus. (*t*) Deinde Deus Adamo multa revelavit ante ipsius lapsum, ut existentiam suam, Mysterium SS. Trinitatis, immortalitatem animæ, supplicium æternum impiis, & æternam beatitudinem justis in altera vita

(*s*) In catalogo. (*t*) Heb. 10. v. 18. & cap. 11. v. 6.

ta præparatam. Item poſt ejus lapſum, ei revelavit venturum Meſſiam Deum & hominem &c. remedium parvulis adhibendum ad delendum peccatum originale &c. item plura alia circa cultum Dei externum &c. Hæc autem omnia Adamus non ſcripto, ſed viva voce tradidit filiis ſuis, qui & ea poſteros ſuos viva ſimiliter voce docuerunt. Plura etiam procul dubio Deus revelavit Setho, Enos, Enocho, Noemo & Abrahamo, qui ea non calamo ſed ore poſteris ſuis tradiderunt.

Pb. ant. etiam quoad legem Moſaicam; Judæi fide divina multa credebant explicitè, quorum tamen in veteri Teſtamento nulla fit expreſſa mentio; ut ſunt animæ immortalitas; mortuorum reſurrectio in fine mundi; pœna temporaria in altera vita pro peccatis remiſſis debita & perſolvenda; maſculis ante diem octavum, poſt ortum ſuum, morientibus, & fœmellis peccati originalis condonatio per ritum aliquem externum &c. Atqui illa credebant propter revelationem divinam: Ergo propter Traditionem divinam.

Deinde vera legis ſcriptæ intelligentia, quam Moyſes tradidit Sacerdotibus, ut eâ ad controverſias circa ſenſum legis exortas dirimendas juvarentur, fuit vera traditio divina; fuit enim nova revelatio per Moyſen à Deo, non ſcriptotenus, ſed via voce facta Sacerdotibus. Ergo &c.

Denique hunc vel illum librum eſſe divinæ auctoritatis ſcire aut credere non poterant ſine traditione; quemadmodum & in lege nova idipſum noſſe aut credere ſine traditione non valemus. Ergo datur traditio Divina, ſeu verbum Dei non ſcriptum.

25 CONCLUSIO II.

Traditiones divinæ eandem habent auctoritatem ac Scriptura Divina.

Prob. Concluſio 1mo. ex ſacra Scriptura, & quidem ex textibus & ſententiis ab illa petitis ac concluſione præcedenti à nobis adductis, quibus divina Traditionum Chriſti & Apoſtolorum auctoritas, non ſecus ac ipſius S. Scripturæ commendatur. Apoſtolus profectò quando hiſce Theſſalonicenſes alloquitur (*u*): *State, & tenete Traditiones quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Eandem rationem habet Traditionum ac Scripturæ ſacræ ſeu Epiſtolæ ſuæ; ergo & etiam juxta eundem Apoſtolum eadem eſt utriusque auctoritas, divina nempe.

Item ubi Timotheum hortatur his verbis (*x*): *Formam babe ſanorum verborum quæ à me audiſti in fide .... bonum depoſitum boc cuſtodi.* Item (*y*): *Quæ audiſti à me per multos teſtes, bæc commenda fidelibus bominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Certum eſt, hìc loqui Apoſtolum de verbis non ſcriptis, ſeu vivæ vocis traditione, prout etiam teſtes ſunt Chryſoſtomus & Theophylactus, (*z*) non verò de verbis à ſe ſcriptis; nam, *quæ à me audiſti*, inquit, non *quæ ſcripſi tibi.* Atqui hæc ſua verba non ſcripta ſeu Traditionem ſuam prorſus eadem commendat ratione ac ipſam Scripturam ſacram, ut patet, Ergo &c.

Idem ſignificat S. Joannes Apoſtolus, fideles omnes, ad quos ſcribit, hiſce alloquens (*a*): *Vos, quod audiſtis ab initio in vobis permaneat.* Non enim ait, *Quod legiſtis*, ſed *quod audiſtis.* Ergo & ipſe Traditionem commendat velut auctoritatis divinæ.

Prob. Concluſio 2do. auctoritate Conciliorum ſupra Concluſione prima adductorum. Quæ Traditiones divinas æquè ac ſacram Scripturam velut fidei regulas ſuſcipiendas eſſe definiunt; atque omnes 26

(*u*) 2. ad Theſſal. cap. 2. (*x*) 2. ad Tim. cap. 1. (*y*) Ibid. cap. 2. v. 2. (*z*) In hunc Apoſtoli locum. (*a*) Ep. 1. cap. 2. v. 24.

illos, qui eas contemserint, anathemate percellunt. Vide cit. loc.

27 Prob. 3tio. auctoritate summorum Pontificum, quorum effata loc. cit. adduximus, præcipuè autem S. Leonis I. qui, *dubitandum non est*, inquit (*b*), *omnem observantiam Christianam esse divinæ eruditionis, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Spiritus sancti prodire doctrina.*

28 Prob. 4to. Ex sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis.

Ex Græcis quidem, præter ea, quæ sæpe dicta Conclusione 1ma. ex illis teximus, notatu digna sunt, quæ ait S. Irenæus (*c*): scilicet, *Quid autem, sineque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias.* Quibus apertè eandem esse Traditionum ac S. Scripturæ auctoritatem innuit.

Consonat S. Basilius ibidem citatus, cùm (*d*), postquam asseruit, dogmata fidei nostræ partim ex scripta, partim ex tradita doctrina haberi, sic concludit: *Quæ utraque ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit.*

Ut & S. Chrysostomus, qui (*e*), postquam perspicuum esse dixit, quòd Apostoli non omnia in Scriptis, sed etiam aliqua sine litteris tradiderint, subjungit: *eadem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa.* Vide sup. loc. cit.

Ex Latinis autem, præter illorum, quas sup. adduximus, auctoritates, conclusionem nostram adhuc roborant ea, quæ 1mo. Tertullianus lib. de corona Militis cap. 3. eloquitur in hæc verba: *Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & Traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine illius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulò exinde consuetudinis patrociniò vindicemus.*

Multa, inquit etiam S. Augustinus (*f*), *non inveniuntur in litteris eorum* (Apostolorum) *& tamen quia custodiuntur sicut cætera, quæ ibi sunt per universam Ecclesiam, rectè ab Apostolis tradita creduntur.*

Vincentius Lirinensis toto Commonitorii sui libro probat Traditioni esse inhærendum in rebus, quæ fidem & mores spectant. Cap. 2. quærit, qua via Catholica veritas ab Hæretica pravitate discerni possit? respondetque, *id fieri posse, tum divinæ legis scriptæ auctoritate, tum Ecclesiæ Catholicæ auctoritate.*

Prob. 5to. Rationibus Theologicis: 1mo. Traditiones divinæ non minus sunt verbum Dei, quàm sacra Scriptura; cùm fuerint partim oretenus à Christo, partim à Spiritu sancto Apostolis transmissæ: Ergo Traditiones divinæ eandem habent auctoritatem ac sacra Scriptura; Verbum enim Dei sive scriptum sit sive non, æqualem semper habet auctoritatem; non quippe ex eo suam auctoritatem sumit Scriptura sacra, quòd scripta sit, sed quòd sit verbum Dei. 29

2do. Traditiones divinæ sunt æquè infallibilis & primaria fidei nostræ regula ac sacra Scriptura: Ergo & ejusdem cum ea sunt auctoritatis. Pb. ant. 1mo. Pluribus annis post Christi mortem nulla extitit novi Testamenti Scriptura; ejusdemque Testamenti libri variis successivè temporibus con-

(*b*) Serm. de jejun. Pent. (*c*) Lib. 3. cap. 4. (*d*) Lib. de Spiris. S. cap. 29. (*e*) In 2. ad Thessal. hom. 4. (*f*) Lib. 2. de Bapt. cap. 7.

conscripti fuère. Imo appositè S. Irenæus testatur (*g*), suo adhuc tempore, id est, sub finem sæculi secundi, fidei puritatem integram conservatam fuisse apud multas barbaras gentes sine caractere vel attramento sed sola Traditione; prout sup. retulimus. Ergo tum temporis sola Traditio, quam ab Apostolis acceperant hi fideles, erat eorum fidei regula.

Prob. ant. 2do. Primis temporibus Ecclesia super solis Traditionibus fundata erat. Ergo hæ erant ejus fidei regula, adeoque divinæ auctoritatis. Prob. ant. Si Ecclesia primis Temporibus non solis Traditionibus fundata fuisset; Christus doctrinam suam scriptis mandare Apostolos jussisset. Atqui hoc non fecit. Ergo &c. Prob. min. Christus Apostolis suis præcepit ut Evangelium suum omni creaturæ (*h*) prædicarent duntaxat. Ergo &c. Deinde, si Christus ipsos jussisset scribere Evangelicam doctrinam, illam utique vel singuli pro singulis regionibus, ad quas tansituri erant, vel simul congregati pro universo orbe scripsissent; quemadmodùm communiter edidisse symbolum Fidei non scriptô duntaxat, sed viva voce creduntur. Atqui neutrum præstiterunt. Ergo &c.

Prob. 3tio idem antecedens. Apostoli solam Traditionem ad fidem stabiliendam sufficere arbitrati sunt, neque ad id sacram Scripturam per se necessariam esse crediderunt. Ergo &c. Prob. ant. Apostoli sua Evangelia & Epistolas tantùm externa quadam occasione impulsi, non verò ex professo conscripserunt. Ergo ea ex natura sua necessaria esse ad stabiliendam fidem non censuerunt, sed solam Traditionem ad id sufficere arbitrati sunt. Prob. ant. S. Matthæus suum Evangelium à Palestinæ fidelibus, quos ad fidem adduxerat, cùm brevi eos derelicturus, & ad eam, quæ sibi sorte obtigerat, regionem profecturus esset, exoratus scripsit, ut aliquod doctrinæ suæ monumentum ipsis relinqueret. (*i*) S. Marcus verò Romanorum precibus victus Evangelium suum scripsit, atque in eo pleraque, quæ à S. Petro audiverant eis tradidit. (*k*) S. Lucas, quia viderat, multos ea, quæ non noverant, ausos esse litteris mandare, Evangelium suum exaravit. S. Joannes familiarium suorum rogatu Evangelium suum vulgavit, prout testatur Clemens Alexandrinus. (*l*) Acta Apostolorum nonnisi ad manifestandum Religionis Christianæ progressum promulgata fuère. S. Paulus Epistolas suas potissimùm occasione quarumdam controversiarum sedandarum conscripsit. Imò etsi quamplurimas fundarit Ecclesias, ad septem vel octo duntaxat Epistolas tamen misit; in quibus non de omnibus quidem fidei mysteriis differit, sed de quibusdam tantùm, prout videlicet circumstantiæ exigebant. Ergo Apostoli ad fidem stabiliendam Scripturam sacram per se necessariam esse non censuerunt, sed solam sufficere Traditionem crediderunt. Ergo eandem habet auctoritatem.

Prob. Conclusio 3tia ratione Theologica: Multa de fide absolutè credimus, quæ non ex S. Scriptura, sed ex sola Traditione habemus, prout argumento 5to à ratione in priori Conclusione ostendimus; atque ea eadem fide tenemus ac si expressè in saeris litteris scripta forent. Ergo Traditio eandem habet auctoritatem ac S. Scriptura.

CONCLUSIO III. 30

Traditiones divinæ sunt necessariæ ad fidem stabiliendam.

Prob. Conclusio 1mo ex S. Scriptura, & quidem iisdem omnibus textibus & senten-

(*g*) Lib. 3. c. 4 (*h*) Marci c. 16. (*i*) Euseb. Hist. l. 6. c. 24. (*k*) Idem ib. l. 2. c. 15. (*l*) Apud Euseb. Hist. l. 6. c. 14.

tentiis, quas prioribus duabus Conclusionibus adduximus. Perperam enim sacri Scriptores illi Traditiones divinas tantô studiô commendassent, nisi easdem omninò ad tuendam veram Religionem necessarias reputassent. Frustrà, inquam, Apostolus Timotheum suum tanto fervore ad easdem conservandas adhortatus fuisset, nisi eas ad fidem Christianam stabiliendam necessarias censuisset.

31 Prob. 2do. Ex Conciliis: quæ 1mo ad quascunque damnandas hæreses Traditionem velut infallibile & necessarium argumentum adhibuerunt; prout supra Conclusione prima argumentô 2dô ab auctoritate Conciliorum petito luculenter demonstravimus. 2do. Ad sacrorum librorum Canonicam auctoritatem firmandam, atque sententiarum illis contentarum genuinum & verum sensum eruendum Traditionem necessariam duxerunt. Sic Concilium Nicænum, quamvis perpetua Ecclesiæ Traditione, & omnium SS. Ecclesiæ Patrum, qui ante illud scripserant, sententiâ Arium damnarit, ut Auctor est Athanasius in suis passim Apologeticis, tamen etiam Scripturarum testimonio usum est, sed ad Traditionis normam expensarum, ut testis est Theodoretus. (*m*) Sic Concilium Romanum sub Gelasio Papa I. sacrorum librorum Canonem nonnisi ex Traditione definivit; quemadmodùm & Concilium Florentinum sub Eugenio Papa IV. Ut nihil de Concilio Tridentino dicamus. Vide, quæ cit. loc. disseruimus.

32 Prob. 3tio. auctoritate summorum Pontificum. Præter ea testimonia, quæ prioribus duabus Conclusionibus ex iis adduximus. 1mo. S. Stephanus Papa I. Sanctum Cyprianum ejusque asseclas rebaptizantium erroris Sectatores alio efficaciori argumento non putavit esse convincendos, quàm Traditionis Divinæ & Apostolicæ oppositione: *Nihil innòvetur*, inquit in sua ad S. Cyprianum Epistola, *nisi quod traditum est.*

2do. Innocentius Papa I. Epistolâ ad Exuperium, aliam Canonis sacrorum librorum à se juxta ipsius petitionem stabiliti rationem non dedit, nisi Traditionis antiquitatem Epistolâ quoque ad Decent. c. 3. parvulis confirmationem esse conferendam Traditione demonstrat.

Prob. 4to. Auctoritate Patrum, quorum effata prioribus Conclusionibus jam protulimus, & quæ Traditionis divinæ necessitatem, non minus, quàm ipsius existentiam demonstrant. Insuper inter Græcos 1mo Origenes, *ex Traditione*, inquit (*n*), *accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittuntur.* 33

2do. S. Irenæus lib. 3. c. 2. docet, *hæreticos non posse convinci ex Scripturis.* C. 3. & 4. verò ait, *non aliam esse viam perveniendi ad veritatem, quàm consulendo Ecclesias, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, & considerando quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Ecclesiæ esse Traditionem Apostolicam.*

3tio. S. Epiphanius Hæres. 61. *Oportet*, inquit, *& Traditione uti; non enim omnia à divina Scriptura accipi possunt.*

4to. Serapion Episcopus Antiochenus apud Eusebium (*o*) his duabus regulis usus est ad examinandum, utrum Evangelium Petri nomine inscriptum Canonicum sit necne? Indagavit scilicet, 1mo. An communi Ecclesiæ fidei non sit contrarium. 2do. An in Traditione fundetur. Ideo igitur illud rejicit, *quia*, inquit, *compertum habemus illud à Majobus nos minimè accepisse. Item, quia deprehendimus multa quidem in eo Evangelio cum recta Servatoris nostri fide consentire, non-*

(*m*) Hist. l. 1. c. 8. (*n*) Apud Euseb. hist. l. 6. c. 25. (*o*) Hist. l. 6. c. 12.

nonnulla verò discrepantia à recta fidei ratione adjuncta esse.

5to. S. Athanasius lib. de Decretis Nicænæ Synodi contra Eusebium: *Ecce*, inquit, *nos quidem à Patribus ad Patres traditam hanc fuisse sententiam demonstravimus. Vos autem ô novi Judæi ... quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores*? Loquitur hîc de consubstantialitate filii Dei cum Patre, quam proinde ex sola Traditione demonstrat.

Ex Patribus Latinis, 1mo. Tertullianus lib. de præscript. c. 17. 18. & 19. totus est in probanda Traditione adversùs Hæreticos, quòdque ipsa ad eos convincendos & confundendos fortior sit Scripturâ; imò tuetur, omnem ferè Hæreticorum disputationem ad Traditiones à Majoribus acceptas esse referendam, atque ex Scriptura sine Traditione vix ullum contra Hæreticos commodum esse sperandum. *Quid promovebis*, inquit, *exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defenderis negetur, aut si quid negaveris defendetur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequêris, nisi bilem de blasphematione.* Ergo, concludit, *non ad Scripturas provocandum est, sed ad Ecclesiam Traditionum depositariam confugiendum, ut inde veritas eruatur.*

Idem Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. c. 4. ubi Evangelium Lucæ à Marcione corruptum asserebat, hic verò illud velut verum hujus Evangelii exemplar à se prolatum tuebatur; ex sola Traditione hanc controversiam dirimendam censet: *Ego*, inquit, *meum dico verum, Marcion suum; Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio præscribens ei auctoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur ..... Si autem*, pergit c. 5. *id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.*

Ibidem c. 2. *Si*, inquit, *sub ipsius Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinió antecessorum.* Ergo Tertullianus ex solis Traditionibus genuinam S. Scripturam probandam esse censuit.

2do. S. Hilarius (p), ideo Traditionem contra Hæreticos adhiberi debere contendit, *quòd nullus Hæreticorum sit, qui se secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, non mentiatur.*

3tio. S. Augustinus lib. 11. cont. Faustum Manichæum, qui nihil divinum in S. Scriptura admittebat, quàm quod ipsi placebat, hæc eloquitur (q): *Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non est verum? quid ages, quò te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem citabis? Vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.* Ergo juxta S. Augustinum, ut S. Scripturæ libri alicujus veritas & vetustas comprobetur, ad Traditionem Ecclesiæ Catholicæ confugiendum est.

Hanc sententiam suam confirmat lib. 33. contra eundem Faustum c. 6. his verbis: *Platonis, Aristotelis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros unde noverunt homines, quòd ipsorum sint, nisi temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Ergo à fortiori, libros Canonicos eorum esse sacrorum Scriptorum, quorum

(p) Lib. ad Constant. Imp. Arian. (q) C. 2.

rum nomina præ se ferunt, omnium sibi in Ecclesiis succedentium Episcoporum contestatione continua novimus.

Denique lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. hanc regulam tradit ad dignoscendum, quinam libri tanquam Canonici sint suscipiendi: *Tenebit*, inquit, *hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque accipiunt eis, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent.* Ergo, juxta mentem S. Augustini, ad Ecclesiarum Traditionem confugiendum, ut dignosci possit, quinam S. Scripturæ libri pro Canonicis sint habendi.

4to. Vincentius Lirinensis, in suo Commonitorio, ideò Traditionem necessariam esse statuit, *quia*, inquit, *S. Scripturam non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia; aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines tot sententiæ hinc erui posse videantur.*

34 Prob. 5to. Ratione Theologica. 1mo. Sine Traditione divina seu Apostolica non possunt discerni Libri sacri & à Spiritu sancto Propheticis Scriptoribus inspirati à profanis, iisque, qui humanis duntaxat viribus exarati fuerunt. Ergo in Ecclesia necessaria est Traditio divina, cujus depositaria est Ecclesia Catholica.

Pb. ant. Si Libri sacri à profanis citra hujusmodi Traditionis usum secerni valerent; vel id præstaret ipsa S. Scriptura, vel criteria seu indicia, quæ in ipsa reperiuntur; vel denique spiritus privatus. Atqui neuter horum hoc præstat. Ergo ad id requiritur necessariò Traditio divina seu Apostolica.

Major est Adversariorum. Minorem jam fusè probavimus in Tractatu de Scriptura sacra part. 1. cap. 5. (r) quod vide. Ergo &c.

Confirmatur argumentum nostrum 1mo. Ipsimet adversarii nostri videntur coacti admittere Traditionem divinam ad probandam veteris Testamenti librorum divinitatem. Ideò enim eos tanquam Canonicos recipiunt, quia Judæorum Synagoga tradidit, eos ab auctoribus à Spiritu sancto afflatis conscriptos esse. Ergo à fortiori libri, quos velut Canonicos recipimus, ideo sacri & à Spiritu sancto dictati censendi sunt, quia ex Traditione divina eos ut tales reputat & definit Ecclesia.

Confirmatur 2do. Evangelii S. Matthæi, quod, prout ostendimus in Tract. de sacra Scriptura part. 2. cap. 1. atque universa testatur antiquitas, ab ipso linguâ hebraicâ seu Syriaco-chaldaica conscriptum est, nonnisi græca versio superest, quæ autographi locô est. Atqui hanc, quam præ manibus habemus, & qua hactenus usa est Ecclesia, & ad quam vulgata nostra latina editio efformata est, græcam versionem præ cæteris, quas, teste Papia S. Joannis Apostoli discipulo, quisque pro suo genio & prout potuit, adornavit, authenticam esse sola divina & Apostolica Traditione ab Ecclesia ad nos usque delata novimus. Ergo necessariò est admittenda hujusmodi traditio.

Pb. 2do. Sine Traditione hujusmodi non potest probè intelligi S. Scriptura. Ergo &c. pb. ant. S. Scriptura plerumque est obscura atque in varios sensus trahi potest, prout in sæpe dicto Tract. de S. Script. part. 1. cap. 6. insinuavimus & demonstravimus. Ergo ad assequendam illius intelligentiam verumque ac genuinum sensum necessaria est Divina seu Apostolica Traditio hactenus in Ecclesia incontaminatè custodita, quæ illam clarè explicet, nullumque circa ger-

(r) De Canon. Script.

germanum illius sensum relinquat dubium. Aliàs contentionis textuum illâ contentorum nullus erit finis, fidesque & Religio in chaos abibit, ubi nempe quivis privatus, rejecta sacra hac Traditione, pro lubitu & genio suo sibi eam interpretabitur, peculiaremque sensum illius effinget.

Pb. 3tio. Plura fide divina credimus, quæ nonnisi per Traditionem demonstrari possunt, quemadmodum supra Conclusione prima demonstravimus; ut *consubstantialitas filii Dei cum Patre;* nomen *Deipara &c.* quippe quæ in S. Scriptura clarè non contineantur. Ergo ad fidei integritatem necessaria est Traditio divina &c.

Pb. 4to. Sine Traditione fidei controversiæ finiri, hæresesque profligari non possunt. Ergo &c. Pb. ant. Si sine Traditione fidei controversiæ finiri, hæresesque profligari possent, tunc id sola Scriptura præstaret. Atqui id hæc non præstat. Ergo &c. Major est Adversariorum. Minor probatur. Litigantes, pro sua quisque opinione, eam interpretantur & exponunt, atque omnes Hæretici illam ad suas partes trahunt, sicque litium nullus finis. Ergo alia adhuc via inquirenda, qua lites finiantur, hæresesque confundantur. Hæc autem alia profectò non est, quàm Traditionis divinæ seu Apostolicæ auctoritas, qua controversi S. Scripturæ textus & sententiæ planæ fiunt & claræ, & qua semel oppositâ omnes conticescunt; dum autem è contra Scripturæ textibus in utramque partem adductis, lites duntaxat augentur, non finiuntur. Id ultro agnoscunt nostræ ætatis Acatholici saltem, qui inter illos sunt doctiores & perspicaciores, unde Auctor Præfationis in Historiam Criticam Veteris Testamenti Richardi Simonii Hollandus Calvinista candidè fateri cogitur, sine Traditione impossibile esse, solidè objectionibus Socinianorum respondere.

Pb. 5to. Illi meritò repellendi sunt & contemnendi, qui in re magni momenti & fidei, ad tuendam opinionem suam, omnium antiquorum & ab Ecclesia primorum etiamnum sæculorum damnatorum Hæreticorum argumenta planè adoptant, & proferunt. Atqui hoc faciunt illi, qui rejecta Traditione ad solam Scripturam provocant. Ergo repellendi sunt & contemnendi. Major est aperta. Min. prob. Omnes antiqui & ab Ecclesia damnati Hæretici hoc duntaxat argumentô errores suos tueri conabantur, ut videlicet rejectis traditionibus ad solam Scripturam provocarent; prout de Valentinianis, Marcionistis & similibus testantur S. Irenæus lib. 3. cap. 2. & Tertullianus de præscript. Donatistis solam Scripturam urgentibus S. Augustinus traditiones, & Ecclesiæ consuetudinem objicit, lib. de unit. Eccles. cap. 19. & alibi. Arianos nullo modo quidquam præter Scripturas admisisse testatur Hilarius, qui in libro contra Constantium Imperatorem introducit Arianum dicentem: *Nolo verba, quæ non scripta sunt, legi.* Maximinus Arianus apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum in principio sic ait: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus, hæ voces verò, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur.* Idem testatur Epiphanius hæres. 69. & 73. Aërianos quoque traditiones rejecisse scri-

bit idem Epiphanius hæreſ. 75. Idem de Eunomianis patet ex Baſilio, lib. de Spiritu S. c. 27. & 29. Idem de Neſtorio, Eutychete, Dioſcoro, refert Baſilius Ancyranus Epiſcopus in confeſſione Catholica, quam recitavit in ſeptima Synodo act. 1mâ. Idem de ſui temporis Hæreticis, qui Apoſtolici nuncupabantur, refert Bernardus hom. 66. in Cant. Idem denique memorat de Joanne Wicleſo Thomas Waldenſis lib. 2. Doctrinæ fidei antiquæ c. 19. Ergo qui rejecta Traditione ad ſolam Scripturam in quæſtionibus fidei provocant, antiquorum Hæreticorum argumenta adoptant & proferunt. Adeoque repellendi ſunt & contemnendi &c.

Solvuntur Objectiones.

adversùs poſitas Concluſiones.

Expoſita divinarum Traditionum veritate, auctoritate & neceſſitate, ſupereſt, ut, quæ hîc objiciunt Adverſarii, modò exhibeamus & diluamus. E triplici potiſſimùm loco ſua etiamnum repetunt argumenta, videlicet ex Scripturis; Patribus; & rationibus. Atque primùm in eo occupantur, ut quoſdam duntaxat textus, nam pleroſque ultrò nobis dimittunt, ſive ex S. Scriptura, ſive ex SS. Patribus à nobis in ſententiæ noſtræ firmamentum adductos, ſiniſtris quibuſdam ac vanis interpretationibus depravent, ut ſic eos infirmare ſaltem velle videantur: tum iis alios opponunt, quibus deploratam ſanè cauſam ſuam fulcire conantur. De Conciliis verò apud ipſos altum ſilentium; hæc enim clariùs & diſtinctiùs rem definiunt, quàm ut quidquam iis opponi poſſit. Denique, quia videri volunt, ſe, non ſecus ac nos, ratione pugnare, noſtris à ratione petitis argumentis, alias rationes opponunt. Sed utrobique infelici ſucceſſu prout mox patebit. Diſcutienda ergo primùm ſunt ea, quæ ex Scripturis ab ipſis proferuntur, tum ea, quæ ex SS. Patribus adducunt; ac denique ipſorum futilibus & inanibus rationibus obviandum.

Ob. 1mo. Textus Joan. 16. v. 12. ubi Chriſtus ad ſuos Diſcipulos ait: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò* nihil juvat Traditionis ſententiam. Enimverò multa hæc Chriſtus poſtea Diſcipulis ſuis dixit, hi ea ſcripto conſignarûnt. Ergò hìc perperam pro ea aſſerenda adducuntur. 35

Reſp. neg. ant. Illa multa equidem Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam haud dubiè Diſcipulis ſuis dixit, cùm nempe, prout S. Lucas teſtatur (*s*), *per quadraginta dies apparens eis de regno Dei locutus eſt.* At, ut ſuprà jam annotavimus, de geſtis & verbis Domini, poſt reſurrectionem ſuam, pauciſſima ſcripſerunt Evangeliſtæ, prout eorum Evangelia legenti patet. Non autem ullo modo credi poteſt, Apoſtolos, qui illa viderant, & audierant, non ea Eccleſiis tradidiſſe; nec enim invidi aut oblivioſi erant, ut nollent aut non poſſent ea dicere.

Ob. 2do. Quamvis dicat Joannes in fine ſui Evangelii (*t*), non ſingula ſcripta eſſe, quæ JEſus fecit; inde tamen non ſequitur non omnia & ſingula neceſſaria ſcripta fuiſſe. Ergo textus iſte Joannis ſupra à nobis adductus nihil prodeſt ad aſſerendam Traditionum divinarum ſententiam. 36

Reſp. neg. ſequelam antecedentis. Multa neceſſaria & fide divina credenda ſcripta non eſſe ſuprà concluſione 1mâ & 3tiâ in argumentis à ratione petitis demonſtravimus; præſertim ea quæ Sacramentorum inſtitutionem ſpectant.

Ob. 3tio. Nec Traditionis ſententiam fulcit, quod Paulus ad Theſſalonicenſes ſcri- 37

(*s*) Act. c. 1. v. 3. (*t*) C. ult. v. 25.

scribit (*u*), ut nempe teneant Traditiones, quas didicerant sive per sermonem, sive per Epistolam ipsius. Nam Apostolus loquitur de iis, quæ priùs sermone, deinde Epistola seu scripto tradiderat. Vel loquitur de sermone, quem ore pronuntiaverat, & quem ipse non scripserat, sed qui tùm scriptus erat, vel postea scriptus fuit ab Evangelistis. Ergo &c.

Resp. neg. seq. ant. Hæc perperam ab Adversariis proferuntur, & sine ulla veri specie; necnon ridicula omninò est illorum expositio. Nam quantùm ad primum, particula disjunctiva *sive* apertè indicat, diversa esse, quæ tradiderat & scripserat ipsis. Et si ita esset, ut pertendunt Adversarii, deberet una Epistola ad Thessalonicenses continere omnem doctrinam, quam Apostolus illis prædicaverat; sine dubio autem totum Evangelium illis prædicaverat, ut colligitur ex c. 1. v. 5. & c. 2. v. 2. prioris Epistolæ: deberet igitur illa Epistola complecti totum Evangelium; non autem continet centesimam partem, ut patet.

Quantùm ad secundum verò, illius falsitas vel ex eo patet 1mo quod hoc ipso capite Apostolus dicat, se illis prædicasse de Antichristo, & præter alia docuisse, quando esset venturus. Hoc autem nusquam scriptum est, quando scilicet venturus sit Antichristus, seu filius perditionis. 2do. Sive scripta posteà fuerint sive non, quæ Apostolus Thessalonicenses docuerat, non multum interest. Nam non promittit, se, vel alium ea scripturum, quæ ore tradiderat, sed simpliciter præcipit, ut non minùs observent ea, quæ acceperant sine scripto, quàm quæ per Epistolam.

38 Ob. 4to. Deuteron. c. 4. v. 2. hæc leguntur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ergo Scriptura Traditionem rejicit omnem, utpote verbo Dei additam.

Resp. neg. conf. 1mo. Quia ibi solùm prohibetur, ne quid addatur verbo Dei; Traditio autem divina non est quid Dei verbo additum, sed est ipsum verbum Dei non scriptum quidem, sed traditum. 2do. Quia ibi solùm prohibetur, ne quidpiam verbo Dei addatur, per quod corrumpatur, immutetur vel impugnetur; at verò per Traditionem divinam non corrumpitur aut impugnatur verbum Dei, sed potiùs explicatur, & defenditur, cùm Traditio divina pariter sit verbum Dei; & verbô Dei ipsum Dei verbum non corrumpatur, aut impugnetur, sicut sæpè impugnatur per vanas & superstitiosas hominum Traditiones; quales erant olim nonnullæ Judæorum & Gentilium humanæ Traditiones, de quibus dicitur Matth. c. 15. v. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.* Et ibid. v. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et ad Coloss. c. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm Traditionem hominum.* Quibus & aliis similibus locis non repudiantur Traditiones divinæ, sed humanæ verbo Dei contrariæ.

Ob. 5to. Christus nunquam ad Traditiones provocat Auditores suos, ut edoceantur veritates ad salutem necessarias, sed semper ad Scripturas; ut, Luc. 24. Discipulos suos instituit ex Scripturis. Item Joan. 5. v. 39. ait: *Scrutamini Scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Ibid. v. 46. *Si crederetis Moysi,* inquit, *crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit; si autem illius litteris non creditis, quomodò verbis meis credetis?* Ergo &c. 39

Resp. Ideo in his locis Christus ad Scripturas mittit Pharisæos, quia illæ clarè indicabant, ipsum esse verum Messiam; non verò quòd judicaverit, solas Scriptu-

(*u*) 2. Thessal. c. 2. v. 14.

ras esse unicam fidei regulam; nec ad eam quidquam Traditiones conferre.

40 Ob. 6to. Paulus Galat. c. 1. v. 8. expressè dicit: *Licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et infrà: *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* Ergo ex mente Apostoli, præter Evangelium nulla admittenda Traditio.

Resp. con. ant. neg. conf. Ratio est 1mo. Quia Traditio divina non est præter id, quod evangelizavit Apostolus, sed potiùs è contrà, est de his, quæ evangelizavit, ut ipsemet declarat 2 Thess. l. c. 2. v. 15. his verbis: *Tenete Traditiones &c.* Imò verbùm *evangelizare* potiùs id significat, quod verbo tantùm, quàm quod scripto annuntiatur. Undè anathema potiùs illi, quisquis sit, qui Traditiones omnes rejiciendas esse docet, minatur Apostolus, quia talis præter id, quod Paulus evangelizavit, evangelizat. 2do. Quia ibi solum vetat evangelizare Paulus id, quod est Evangelio, quod ipsis tradiderat, repugnans sive contrarium; particula enim *præter* ibidem idem significat ac *contrà*, prout patet 1mo. quia Apostolus ipse postmodùm multa alia docuit: & post hanc Epistolam Joannes Apocalypsim & Evangelium suum scripsit. 2do. Ex proposito Apostoli, agit enim hîc contra eos, qui docebant, servanda esse legalia, cùm ipse docuisset ea non esse servanda; igitur cùm dicit *præter*, intelligit *contra*. 3tio. Quia alibi, nempe Rom. ult. v. 17. eodem sensu exprimitur vox *præter*. *Ut observetis*, inquit Apostolus, *eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.* Ubi adeò clarum est *præter* significare *contra*, ut Erasmus verterit *contra*. In utroque autem loco textûs Græci est vox παρὰ. 4to. Quia illam sensu nostro exponunt SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Augustinus contra Faustum l. 17. c. 3. & Tract. 98. in Joan.

Ob. 7mo. 2. Timoth. c. 3. v. 16. dicit Apostolus: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* ubi vox *utilis* non debet intelligi, prout opponitur *necessario* aut *sufficienti*, sed quatenus dicit medium omninò necessarium ad perficiendum hominem; quemadmodum cibus dicitur utilis ad alendum hominem, cùm tamen sit medium necessarium ad conservationem vitæ hominis. Ergo Traditiones sunt superfluæ. 41

Resp. neg. sequel. ant. utpotè, quæ nullo sive auctoritatis, sive rationis argumentô fulciatur. Profectò aliud est, quòd Scriptura sit utilis ad docendum &c. aliud quòd se solâ sufficiat. Et quantumcunque daremus, vocem *utilis* significare *necessarium*, nusquam tamen probabunt Adversarii, eam significare *sufficiens*; sicut, ex eo, quòd cibus sit necessarius ad vitam sustentandam, ut Adversariorum comparatione utamur, eamque in illos retorqueamus, non rectè tamen infertur, eum ad id solum sufficere, potus enim æquè necessarius est. Dicimus ergo, Scripturam esse utilem, imò si velis, necessariam ad docendum &c.; at negamus eâ solâ veritates omnes revelatas & ad stabiliendam fidem nostram necessarias contineri.

Ob. 8vo. 1. Joan. c. 1. v. 3. *Quod audivimus*, inquit Apostolus iste, *quod vidimus oculis nostris, annuntiamus vobis.* Atqui S. Joannes omnia fidei dogmata à Christo percepit. Ergo & ea annuntiavit; & quidem scripto, adeoque superfluæ videntur, ex sententia S. Joannis, Traditiones quæcunque. 42

Resp. Dist. maj. seu textum, quod audivit & quod vidit annuntiavit S. Joannes vel scripto, vel viva voce, conc. scripto tantùm, neg. maj. & conc. min. sub eadem distinctione neg. conf. & illatum. Veritas Responsionis nostræ vel ex eo patet, quòd idem Apostolus longè post hanc

suam

ſuam Epiſtolam Evangelium ſuum ſcripſerit; certum autem ſit, in ea exiguam duntaxat fidei dogmatum, quæ à Chriſto audiverat, contineri; imò tùm hîc tùm in ſuo Evangelio plura dogmata omiſit, quæ apud alios S. Scriptores novi Teſtamenti leguntur. Senſus ergo adducti textûs iſte eſt. *Quod vidimus &c.* id eſt, *nihil vobis annuntiamus, quod ipſi non viderimus aut audiverimus.*

43 Ob. 9no. Apocalyp. c. 22. v. 18. dicit Apoſtolus Joannes: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Atqui Traditiones ſunt quid appoſitum verbo Dei ſcripto, ſeu Scripturæ. Ergò illas vetat S. Joannes.

Reſp. Ineptè omninò hîc contra Traditionum ſententiam adduci iſtum Apocalypſis textum. Nam certum eſt, Joannem per illum prohibere duntaxat hujus Apocalypſeos libri ſui corruptionem, non autem, ne alii ſcribantur, aut alia adhuc, præter ea, quæ in eo continentur, dogmata vel à ſe vel ab aliis tradantur; alioqui ipſe ſecum pugnaſſet, quippe qui, prout ipſimet fatentur Adverſarii (*x*), poſt Apocalypſim Evangelium ſuum ſcripſerit. Equidem nos ipſi tuemur non licere verbo Dei ſcripto aliquid apponi vel addi, per quod corrumpatur vel impugnetur; non verò, quo potiùs explicetur & defendatur, prout præſtat Traditio.

44 Ob. 10mo. Joan. 20. v. 30. *Multa quidem*, inquit Evangeliſta, *& alia ſigna fecit JEſus .... quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia JEſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo Joannes, quamvis non omnia, ſaltem ea ſcripſit, quæ ſufficerent ad credendum & vitam æternam conſequendam. Adeoque præter ea nihil ultra quærendum. Ergo ſuperfluæ ſunt Traditiones.

Reſp. neg. conſeq. & quod ex ea infertur. Joannes hoc locô nonniſi de ſignis ſeu miraculis Chriſti loquitur, dicitque, ſe non omnia, ſed tantum aliqua ſcripſiſſe, quòd illa ſufficerent, ad perſuadendum mundo, Chriſtum eſſe filium Dei. Perperam ergo ea, quæ de ſolis Chriſti miraculis hîc eloquitur Evangeliſta, ad omnia fidei dogmata, morumque præcepta transferunt Adverſarii. Præterea Joannes non loquitur niſi de rebus à ſe ſcriptis, ut ipſemet his verbis apertè declarat: *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Ergo ſi hæ ſolæ ſufficiunt, ſuperfluæ, non ſecus ac ipſa Traditio, erunt omnes aliæ Scripturæ aliorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Quæ autem adduntur, *hæc autem ſcripta ſunt &c.*, profectò non ſignificant, ſigna ſola ſufficere nobis ad ſalutem, ſed illa ad eam adipiſcendam referri & ordinari tanquam media requiſita, quamvis ſola non ſufficiant.

Ob. 11mo. Scripta illa Ignatii Martyris, quibus Traditiones Apoſtolorum 45
eum adnotaſſe ſcribit Euſebius, nusquam extant. Ergo perperam à nobis illorum auctoritas pro ſententia noſtra adducitur.

Reſp. 1mo. tranſ. ant. neg. conſeq. Etſi enim daremus, illa S. Ignatii Scripta non ampliùs extare; ſufficit tamen, illa aliquando extitiſſe, prout expreſſis verbis teſtificatur Euſebius loc. ſup. concluſione 1ma cit.

Reſp. 2. neg. ant. Scribit enim poſt Euſebium Hieronymus (*y*), Ignatium ſcripſiſſe Epiſtolam ad Epheſios, Magneſianos, Trallianos, Romanos, Philadelphienſes, Smyrnenſes, Polycarpum; quæ omnes nunc adhuc extant, & in quibus invenimus jejunium Quadrageſimæ, ordines minores, diem Dominicam, & alia, quæ non ſunt in Scripturis exarata, & tamen ab Apoſtolis ſine dubio Ignatius didicit.

Ob.

(*x*) Vid. Chemnit. in exam. pag. 202. (*y*) De vir. illuſt.

46 Ob. 12mo. Libri, qui nomine Dionysii Areopagitæ circumferuntur, non sunt ipsius, ergo frustrà hîc illius auctoritas obtruditur.

Resp. 1mo. neg. ant. Profectò enim hæc Opera sub nomine Dionysii Areopagitæ citantur in VII. & VIII. Synodis generalibus; item à Gregorio I. in hom. de centum ovibus; à Martino I. in Concilio Romano; & ab Agathone in Epistola ad Constantinum Imperatorem.

Resp. 2. transf. ant. neg. conf. Enimverò ex adductis Synodis & Pontificibus, saltem fateri coguntur Adversarii, hunc Auctorem ante annos plusquam mille & ducentos scripsisse, proinde haud contemnendum esse.

47 Ob. 13tio. S. Irenæus lib.3. c. 1. *Non enim per alios*, inquit, *dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt.* Ergo omnia, quæ prædicaverunt Apostoli, ex sententia S. Irenæi, eadem & scripserunt.

Resp. neg. conf. Nam S. Irenæus non dicit hîc, Apostolos, quidquid prædicaverunt, scripsisse, seu nihil prædicasse, quod non scripserint, sed tantùm Evangelium, quod prædicaverant, eos litteris mandasse, quod verum est, & non contra nos.

48 Ob. 14to. *Necesse nobis est*, inquit Origenes Hom. 1. in Jerem. *Scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri, & enarrationes sine his testibus non habent fidem.* Ergo juxta illum omnia sunt Scripturæ testimoniis confirmanda, neque locum habet Traditio.

Resp. neg. conf. Loquitur hîc Origenes de obscurissimis quæstionibus, quales plerumque illæ non sunt, quæ Traditionis in tota Ecclesia receptæ habent testimonium. Alibi enim diserte asserit (z); plurima in Ecclesia servari, & ab omnibus necessariò servanda esse, de quibus nulla in Scripturis extant testimonia.

Ob 15to Constantinus Imperator in Concilio Nicæno hæc eloquitur (a): *Evangelici & Apostolici libri, & antiquorum Prophetarum Oracula planè instruunt nos, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili posità discordià, ex verbis divinitùs inspiratis sumamus quæstionum explicationes.* Ergo &c. 49

Resp. Hoc testimonium tanti faciendum non est. Erat enim Constantinus *Imperator*, non *Ecclesiæ Doctor*. Neque adhuc, prout nostri ævi Eruditi ferè omnes volunt, Baptismum susceperat, ac proinde Religionis arcana nondum noverat.

Verùm admissa etiamnum Constantini auctoritate, dicimus, eorum dogmatum, quæ ad naturam Dei, de qua in memorato Concilio quæstio versabatur, pertinent, extare in Scripturis testimonia, nosque posse circa ea plenè instrui ex Scripturis rectè intellectis: verum tamen sensum earum pendere ex Traditione Ecclesiæ non scripta. Unde Theodoretus, postquam hanc Imperatoris istius orationem retulit, addit (b), prolatas fuisse utrimque Scripturas, & cùm ex iis non convincerentur Ariani, eoquòd easdem aliter exponerent, quàm Catholici, damnatos eos fuisse ex sermonibus non scriptis, piè tamen intellectis, cui damnationi Constantinus assensit.

Ob. 16to. S. Athanasius librô cont. Gentes, sive Idola, in ipso initio: *Sufficiunt*, inquit, *sancta ac divinitùs inspirata Scriptura ad omnem instructionem veritatis.* Ergo &c. 50

Resp. neg. ant. Nam huic S. Athanasii sententiæ vocem *Omnem* de suo addiderunt Adversarii, solùmque ait Athanasius

(z) Hom. 5. in Num. (a) Apud Theodoret. lib. 1. Hist. c. 7. (b) Lib. 1. c. 8.

ſius Scripturas ſufficere *ad veritatis indicationem* duntaxat. Loquitur enim ibi non de omnibus dogmatibus, ſed ſolùm de duobus, quæ ſunt argumenta duorum librorum, quos ad Macharium ſcribit; videlicet, *quòd idola non ſint Dii*, & *quòd Chriſtus ſit verus Deus, & ſimiliter homo*, quæ duo expreſſa habent in Scripturis teſtimonia. Addit prætereà, Scripturas quidem ſufficere ad indicationem veritatis horum duorum dogmatum, tamen non ſine explicatione ſanctorum Patrum, quorum libri cùm non facilè ab omnibus haberi poſſint, dicit, ſe velle ſcribere de his rebus, quid à Majoribus ipſe didicerit.

51 Ob. 17mo. S. Baſilius, ſerm. de fidei confeſſione hæc eloquitur: *Infidelitatis argumentum fuerit, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non ſcripta ſunt, introducere.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. S. Baſilius hîc loquitur de illis, qui ad Scripturæ dogmata addunt aliqua alia contraria & aliena, Scripturisque repugnantia & inepta, vel ex ſuo capite & genio fingunt traditiones iis contrarias, quas ab Apoſtolis per ſucceſſiones Epiſcoporum Eccleſia accepit. Nam in eodem ſermone ait, ſe contra Hæreticos diſputantem ſæpè uſum eſſe ſermonibus non ſcriptis, ſeu traditione &c.

52 Ob. 18vo. S. Chryſoſtomus 1mo hom. 49. in c. 24. Matth. *Sciens Dominus*, inquit, *magnam confuſionem rerum futuram in noviſſimis diebus, ideò mandat, ut Chriſtiani volentes firmitatem percipere veræ fidei ad nullam aliam rem fugiant, niſi ad Scripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabuntur, & peribunt, & incident in abominationem deſolationis.* 2do. Hom. in Pſalm. 95. circa finem: *Si quid dicatur*, inquit, *abſque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, & nunc annuens, nunc hæſitans: verum ubi ex Scriptura divinæ vocis prodiit teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis animum confirmat.* 3tio. Hom. 13. in 2. ad Corinth. *Cùm*, inquit, *habeamus omnium exactiſſimam trutinam, gnomen, & regulam, divinarum legum aſſertionem, oro vos omnes, ut relinquatis, quid huic, vel illi videatur, & de his à Scripturis hæc omnia inquirite.* 4to. denique Comment. in cap. 22. Matth. *Quidquid*, ait, *quæritur ad ſalutem, totum jam impletum eſt in Scripturis.* Ergo ex ſententia S. Chryſoſtomi ſemper ſoli Scripturæ adhærendum, nihil verò Traditioni tribuendum &c.

Reſp. neg. conſ. & ad ſingulos textus; & quidem, ad 1mum, locus iſte nihil contra Traditionem evincit, enimverò non eſt S. Chryſoſtomi, ſed Auctoris Operis imperfecti, qui vel fuit Arianus, vel cujus Opus ab Arianis ſaltem multis in locis fuit depravatum. Nam hom. 48. Hæreticos vocat *Homouſianos* ſeu illos, qui filium Dei Patri conſubſtantialem eſſe tuentur; & hom. 49. contra eoſdem ferè ſemper loquitur: undè locus adductus tanquam ab Arianis inſertus ab omnibus emendatis Codicibus ſublatus eſt. Verùm datô etiam, hæc hunc S. Patrem elocutum fuiſſe, profectò intelligi debent *de Scripturis juxta Eccleſiæ interpretationem intellectis*, prout alibi multoties teſtatur idem S. Chryſoſtomus, præſertim autem Tom. 2. Hom. 44. ubi de Diabolo hæc ait: *Scripturas divinas pravo ſenſu & ſubdola fraude erat interpretaturus, & pro fide perfidiam aſſerturus, ut ſimplices & incautos per divinæ legis teſtimonia quaſi per ſpeciem bonæ confeſſionis de alto præcipites daret in mortem. Sic denique multos Hæreticos de altitudine Catholicæ fidei in ima dejecit.* Ex his S. Chryſoſtomi verbis apertè habetur, eum docuiſſe præter ſacram Scripturam adhuc neceſſariam eſſe illius interpretationem, quam Eccleſia Catholica vel per divinam Traditionem, vel per unanimem Patrum & Prælatorum conſenſum ipſius fidelibus exponit.

Ad 2dum eadem adhibetur Reſponſio, quæ ad 1mum. Certè cùm immediatè ante

te hunc textum dixerit Chrysostomus: *Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione*, atque continuò subjungat: *si quid dicatur absque Scripturis* subintelligere voluit, *sed sola animi cogitatione.* Itaque sensus verborum ipsius is est, ut si quid dicatur ex propria inventione, non ita facilè id auditoribus persuadeatur, ac fieret, si quod dicitur, Scripturæ testimoniò confirmari posset. Id & nos ultro admittimus, quin tamen inde sequatur, quod dum Scripturæ auctoritas commendatur, Traditio simul sit contemnenda.

Ad 3tium. Resp. Hîc S. Chrysostomum non loqui de obscuris fidei aut morum dogmatibus, sed de *opinione carnalium*, qui anteponunt opes paupertati, cùm Scripturæ apertissimè doceant, paupertatem longè esse utiliorem ad salutem. Itaque hoc loco nihil aliud dicit, quàm magis credendum esse Scripturis in hac parte, quàm hominum opinioni.

Ad 4tum. denique Resp. loqui hîc S. Chrysostomum de variis remediis contra vitia duntaxat, atque dicere, nullum esse hominis vitium, pro quo sanando Scriptura aliquod non ferat remedium; at quid hoc adversùs Traditionem? Pro qua, ut supra Conclusione prima pag. 19. Argumento 4to. num. 13. videre est, adeo firmiter stetit hic S. Doctor, ut eâ semel in medium adductâ, nihil amplius quæri oportere voluerit. *Traditio est*, inquit, *nihil quæras ampliùs.*

53 Ob. 19no. S. Epiphanius Hæres. 61. ait: *Nos uniuscujusque quæstionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus discere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.* Nullus hîc ipsi sermo de Traditionibus ad probandam quamlibet quæstionem. Ergo &c.

Resp. Non dicere S. Epiphanium se quæstionis alicujus inventionem discere posse ex Scripturarum consequentia *solùm*, sed simpliciter ex Scripturarum consequentiâ; adeoque Traditionem non excludit, quam alibi omninò necessariam asserit, eò quòd non omnia à Scriptura accipi possint, prout retulimus cit. arg. 4to. n. 12. Conclus. 1mæ.

Ob. 20mo. S. Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas sic ait: *Necessarium nobis est, divinas sequi litteras, & in nullo ab earum præscripto discedere.* Item hom. 5. in Levit. *Ego puto*, inquit, *in hoc biduo, duo Testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri, & discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem superfuerit, quod non Scriptura divina decernat, nullam aliam debere tertiam Scripturam ad auctoritatem scientiæ suscipi.* Ergo &c. 54

Resp. ad 1mum. Non dicit Cyrillus, non licere aliquid dicere, quod in Scripturis non contineatur, sed non licere aliquid contra Scripturas proferre. Dum autem divinas Traditiones proferimus, non utique à Scripturarum præscripto discedimus, ut quæ in illis commendentur; at traditiones cum Scriptura repugnantes & nos rejicimus.

Ad 2dum. dicimus 1mo. homilias illas in Leviticum non esse S. Cyrilli, sed Origenis, vel alicujus alterius, qui passim litteram destruit, ut mysticos sensus ex capite suo statuat. Unde hæ homiliæ exiguæ sunt auctoritatis. 2do. Hoc loco auctor iste non excludit verbum Dei non scriptum, sed solùm tertiam Scripturam aliquam, humanam nempe, quæ pro divina venditetur.

Ob. 21mo. Theophilus lib. 2. Paschali; *Diabolici*, inquit, *spiritûs est, aliquid extra Scripturarum Sacrarum auctoritatem putare divinum.* Ergo ex mente Patris hujus Diabolici spiritûs est Traditionis opinio. 55

Resp. neg. conf. Loquitur hîc Theophilus de libris apocryphis, qui pro divinis à quibusdam venditabantur. Ineptum autem est, ne dicam diabolicum, in tam gravis momenti quæstione, ea, quæ de re una dicuntur, ad aliam detorquere.

Ob.

56 Ob. 22do. Apolinarius Episcopus Hierapolitanus apud Euseb. librô 5. Hist. c. 15. dicit, se longo tempore distulisse scribere contra Montani hæresim, ne videretur Evangelico Dei verbo aliquid addere velle. Ergo ex ipsius mente nihil Evangelico Dei verbo addendum est &c.

Resp. dist. conf. Nihil Evangelico Dei verbo addendum est, quod ei sit contrarium, illudque impugnet; conc. quod illud firmet, tueatur & exponat neg. conf. Traditio divina Scripturam firmat, tuetur & exponit, tantùm abest, ut ei sit contraria. Distulit ergo Apolinarius contra Montanum scribere, ne videretur aliquibus novum dogma Scripturæ contrarium asserere velle, non quod Traditionem improbarit, ut qui Montanum incuset, quòd non servaverit doctrinam, quam Ecclesia ex traditione, & Episcoporum successione ab Apostolis acceperat. Hæc de Patribus Græcis.

57 Ob. 23tio. Ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. cont. Hermogenem: *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud, adjicientibus, vel detrahentibus destinatum.* Ergo solam Scripturam prorsus omni Traditione rejecta admittebat Tertullianus.

Resp. neg. conf. Loquitur hîc Tertullianus de uno dogmate tantùm contra Hermogenem nempe docentem, omnia, non ex nihilo, sed ex præjacente materia fuisse creata; & quia verò dogma istud falsum esse ex Scriptura manifestè constat, ut quæ expressè dicat Deum omnia ex nihilo creasse, ideo ait, se adorare Scripturæ plenitudinem, quantùm ad hoc dogma. Ex quo minime sequitur, Tertulliani mentem esse, quòd Scriptura sufficiat, quantùm ad omnia, & rejicienda penitus sit Traditio sacra, ut qui eam totis viribus tueatur prout supra ostendimus.

58 Ob. 24to. S. Hilarius lib. 3. de Trinit. circa finem: *Bene habet*, inquit, *ut iis tantùm, quæ scripta sunt, contentus sis.* Ergo solâ Scripturâ contentos nos esse oportet, juxta mentem Hilarii, Traditio verò rejicienda est.

Resp. neg. conf. Hæc S. Hilarius ad quemdam hæreticum scribit, cui prohibet, ne, quid S. Scripturæ propriô suô geniô addendo vel ab ea detrahendo, illam immutet aut vitiet; *ne contigeris*, inquit, *ne contrectaveris, ne corruperis &c.* Item: *Non est autem in tantum confidendum in prudentia humana, ut perfectum se quis putet sapere, quòd sapiat &c.* Totus hîc ergo est Hilarius, ut adversarium suum hortetur, ne privato suo genio & spiritui fidat, neque Ecclesiæ Catholicæ expositionem uspiam excludat, quam toto adversùs Arianos libro totis viribus commendat; tantùm abest, ut Traditionem rejiciendam putet, ut qui ut suprâ conclusione 1ma. & 3tia. annotavimus eam contra hæreticos adhibendam censeat.

Ob. 25to. S. Cyprianus in quæstione de rebaptizandis Hæreticis rejecta traditione ad Scripturam provocat. *Ea*, inquit inter alia (c), *facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus ..... si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, & actibus continetur, observetur hæc sancta traditio &c.* Ergo juxta S. Cyprianum nulla admittenda Traditio, quæ in Scriptura expressis verbis non contineatur. 59

Resp. neg. conf. Quamvis enim hîc S. Cyprianus in controversia de rebaptizandis vel non rebaptizandis Hæreticis traditioni adversari videatur, tamen alibi circa alia fidei & morum dogmata eam ultrò adstruit, ut sup. conclus. 1ma. & 3tia. annotavimus. Mirum profectò, partium studia ipsius mentis oculis tantum glaucoma obduxisse, ut relicta traditione ad Scripturam provocaverit in ea quæstione, quæ sola duntaxat traditione finiri poterat, & de qua ipsemet opinionem suam in sola Ecclesiæ suæ & aliquot Asiaticarum traditione fundabat, aut fundare poterat. Quærebatur quippe, num Hæretici ab ipsis Hæreticis baptizati & ad

(c) Epist. ad Pompej.

Ecclesiam Catholicam revertentes denuò baptizari deberent, necne? Primum tuebatur Cyprianus cum sua Africana Ecclesia, paucisque Orientalibus; alterum Stephanus Papa cum reliquis totius Orbis Ecclesiis. Certum est, hanc quæstionem ex S. Scriptura definiri haud potuisse, ut quæ de rebaptizatione aut non rebaptizatione Hæreticorum nec apicem contineat: solam igitur Ecclesiæ suæ & aliquot Orientalium traditionem obtendere poterat Cyprianus. Certè erravit ipse, nec id diffitentur Adversarii, eosque imitatus est, qui cùm errores suos ultrà tueri haud possunt, à Traditione ad Scripturas provocant, quamvis in iis nihil offendant, quo errorem suum tueantur. Istud porrò hujus S. Martyris factum duo invicta pro sententia nostra nobis suppeditat argumenta. 1mum, quòd dentur quædam etiam de fide quæstiones, quæ sola Traditionis auctoritate finiri possunt. 2dum. Quod ii in errore semper versentur, qui rejecta Traditione ad Scripturas provocant. Errorem suum correxisse Cyprianum testatur Augustinus (*d*), qui & lib. 5. cont. Donatist. c. 23. adductam ipsius ad Pompejum Epistolam refutat. Utinam adversarii nostri illum imitentur pœnitentem, qui errantem secuti sunt, atque etiam errorem suum corrigant, & emendent.

60 Ob. 26to. S. Hieronymus in c. 1. epist. ad Tit *sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem*, inquit. Item in c. 23. Matth. ait: *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et in c. 1. Aggæi. *Quæ*, inquit, *absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi Traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percudit gladius Dei.* Denique Comment. in Psalm. 86. in illud: *Dominus narrabit in Scripturis populorum, & principum, horum, qui fuerunt in ea: Videte*, inquit, *quid dicat, qui fuerunt, non, qui sunt, ut exceptis Apostolis, quidquid postea aliud dicetur, abscindatur, non habet auctoritatem.* Ergo S. Hieronymus omnem Traditionem non scriptam rejicere videtur.

Resp. neg. conf. Ad textus Resp. & quidem ad 1mum. Depravatum proferri ab adversariis, sic enim habet Hieronymus: *Sine auctoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam testimoniis roborare.* Non ergo vocat garrulitatem, quod profertur citra Scripturam, & ex Traditione, sed dicit, homines garrulos apud nullos fidem invenire, *nisi suos errores ex Scripturis confirmare nitantur*: quod maximè quadrat in adversarios.

Ad secundum dicimus, illud neque fideliter prolatum esse ab Adversariis. Nam Hieronymus non dixit universaliter, *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, &c.* Sed loquens de particulari quadam sententia, qua quidam nitebantur ex libro apocrypho probare, Zachariam, quem Judæi occiderunt inter Templum & Altare, fuisse Zachariam patrem Joannis Baptistæ, ait: *Hoc, quia de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Sensusque est, quia hæc sententia probatur ex libro apocrypho, non canonico, facilè contemnitur.

Ad Tertium: nihil hîc adversùs nostram sententiam loquitur S. Hieronymus: solùm enim agit contra illos, qui confingunt aliquid, & tamen videri volunt, suum figmentum esse Apostolicam Traditionem. Unde habetur, ipsum vel hoc loco Apostolicam admittere traditionem.

Ad quartum: rejicit hîc Hieronymus ea, quæ sunt aliena ab Apostolica doctrina, id est, contraria & repugnantia Scripturis.

Ob. 27mo. S. Augustinus 1mo. lib. 2. de Doct. Christ. c. 9. *In his*, inquit, *quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur omnia illa, quæ continent fidem moresque vivendi.* 2do. Lib. 3. cont. litt. Petiliani c. 6. *Si quis*, ait, *sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacumque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram, non* 61

dicam

(*d*) Epist. 48. ad Vincent.

dicam si nos, sed quod Paulus adjecit: Si Angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus, & Evangelicis accepistis, anathema sit.. 3tio. Lib. de bono Viduitatis c. 1. *Quid*, ait, *amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus; Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquàm oportet. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere.* 4to. Lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 36. *Ubi*, inquit, *de obscurissima re disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Ergo ex mente S. Augustini sola Scriptura est fidei nostræ regula &c.

Resp. neg. conf. Ad textus dicimus ad 1mum loquitur hîc S. Augustinus de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolo Apostolico, & in Decalogo. Unde lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. ult. *Credo*, inquit, *quòd etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* At præter ea multa sunt alia, quæ sola traditione habentur, ut ex Augustino ipso suprà, in conclusionibus nostris, ostendimus.

Ad 2dum. Illud *præterquam*, idem hîc significare ac *contra quàm* suprà in Responsione ad objectionem sextam ostendimus ex ipso Augustino, qui illud ita exponit lib. 17. contra Faustum cap. 3. & Tract. 98. in Joan. sic loquitur: *Non ait, plusquàm quod accepistis, sed præter quàm quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via &c.*

Ad 3tium. Loquitur hîc S. Augustinus non de omni dogmate, sed solùm de professione viduitatis, quod quale bonum esset, luculenter exposuerat Apostolus 1. Cor. 7. & ideo ait S. Augustinus, satis sibi esse, si exponat verba Apostoli. Quòd autem dicat: *Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquàm oportet:* contra illos id ab ipso dictum, qui ex proprio judicio fingunt novas doctrinas, quæ Scripturis consonæ non sunt.

Ad 4tum. Loquitur ibidem S. Augustinus de quæstionibus obscurissimis, qualem esse putabat eam, quæ est de origine animarum; ad quas definiendas non suppetunt ulla firma testimonia, sed solùm conjecturæ aliquæ ex divinis litteris. At nihil hoc ad Traditiones, quæ totius Ecclesiæ & omnium Veterum consensu firmatæ sunt; quod argumentum gravissimum esse passim docet S. Augustinus, cujus aliquos textus nos suprà in conclusionibus nostris retulimus, præsertim autem lib. 1. cont. Cresc. con. c. 43. ubi dicit, *Scripturæ veritatem à nobis teneri, quando facimus, quod universæ placet Ecclesiæ, etiamsi nihil de ea scriptum legamus.*

Ob. 28vo. Patres Concilii Francofordiensis celebrati annô 794. in Capitulari Caroli Magni lib. 2. c. 30. Scripturam sacram solam esse fidei regulam innuunt his verbis: *Est planè Scriptura divina verax, fixa, & casta, & cœlestis Magisterii instrumentum, & æterna prædicatio purissimô nitens eloquiô: est lux mortalium dicente Propheta, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. .... est tenebrarum discussio Salomone attestante, qui ait, lucerna est mandatum legis, & lux vitæ, & increpatio, & Disciplina.* Ergo &c. 62

Resp. Exigui momenti esse Patrum Francofordensium auctoritatem, ut qui Conciliabulum fecerint à S. Sede Romana & universa Ecclesia damnatum, quamquàm nihil hîc proferant, quod sit contra sententiam nostram; hæc enim epitheta

sacræ Scripturæ ultrò adaptari possunt, & tamen verum esse, quòd Traditio sit altera fidei nostræ regula, ut patet.

Hæc sunt præcipuè, imò penè omnia quæ ex Patribus adversùs nostram sententiam proferunt Adversarii; quæ nos ea soliditate diluisse arbitramur; ut inde nihil commodi eis obvenire arbitremur, præsertim, cùm iidem SS. Patres, quos nobis objiciunt, pro Traditione ultrò stent prout in nostris conclusionibus abundè satis ostendimus. Modò superest, ut ea, quæ à ratione adversùs nos effingunt, argumenta pari firmitate refutemus.

63 Ob. 29no. Etsi concederetur, quòd in primitiva Ecclesia fuerint aliquæ Traditiones non scriptæ, impossibile tamen videtur, eas per tot sæcula conservari potuisse incorruptas. Ergò re ipsa nullæ dantur Traditiones. Prob. ant. Plurima hujusmodi Traditionum conservationi impedimenta obstant; oblivio scilicet, imperitia, negligentia, perversitas, quæ nunquam desunt in genere humano. Unde etiam factum videmus. ut Dogmata & Leges Lycurgi, Pythagoræ & similium, qui docuerunt, nec sua dogmata scripserunt, penitùs interierint. Ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. Non enim solùm non est impossibile, Traditiones conservari, sed etiam est impossibile ut non conserventur, non obstante oblivione, imperitia, negligentia, & perversitate hominum. 1mo. enim hæc cura non hominibus præcipuè sed Deo, incumbit, quippe qui Ecclesiam regat. Sicut ergo Deus conservavit veram Ecclesiam usque ad hanc diem contra tot persecutiones Imperatorum, Philosophorum, Judæorum, Hæreticorum: & sicut potuit conservare Traditiones ab Adam usque ad Moysem per duo millia annorum; & deinde Scripturas sacras à Moyse usque ad hoc tempus per tria millia annorum & ampliùs, ita potuit sine dubio conservare Traditiones à Christo usque ad nos per mille septingentos quadraginta quinque annos scilicet. 2do. Quia etsi Traditiones nullibi in sacris Litteris scriptæ inveniantur, inveniuntur tamen scriptæ in Veterum monumentis, & libris Ecclesiasticis. 3tio. Quia pleræque Traditiones ab ipso Apostolorum tempore usque ad nostra hæc tempora semper fuerunt & sunt in continua observatione, ut ritus Sacramentorum administrandorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ, & officiorum divinorum, & alia id genus plura. 4to. Quia antiquissima monumenta ad longissimum tempus durantia, ut sunt Templa vetustissima, & in iis Altaria, sacri fontes, memoriæ Sanctorum, cruces, imagines, libri Ecclesiastici, Liturgiæ nempe & alia similia Traditionis conservationem arguunt & manifestant. 5to. Traditionem confirmarunt & adhuc confirmant Hæreses. Deus enim mirabiliter utitur hostibus Ecclesiæ ad Ecclesiam conservandam. Quia enim singulis ætatibus orti sunt novi Hæretici, qui diversa dogmata Ecclesiæ oppugnarunt, ideò etiam singulis ætatibus extiterunt homines docti, qui ut Hæreticis resisterent, diligenter investigarûnt doctrinam Ecclesiæ, & Traditiones antiquas, & magnâ diligentiâ eas posteris commendarûnt.

Ob. 30mo. Scriptura est regula fidei nostræ. Ergo Traditiones non scriptæ nullæ sunt. 64

Resp. dist. ant. Scriptura est regula fidei nostræ adæquata & totalis, neg. inadæquata & partialis conc. ant. & neg. conseq. Scriptura enim non est aliter regula fidei nostræ, quàm quòd sit verbum Dei, at Traditiones divinæ non minùs etiam sunt verbum Dei, adeoque etiam non minus fidei nostræ regula. Unde licèt omnia, quæ in Scripturis continentur, sint de fide, non tamen omnia, quæ de fide sunt, in ipsis continentur, sed quædam ex sola Traditione profluunt, & habentur.

Ob.

65 Ob. 31mo. Multa incommoda secum fert Traditionum sententia. Ergo non est admittenda. Prob. ant. Per eam datur occasio multis falsis dogmatibus in Ecclesiam introducendis, ut experientia testatur. Ergo &c. Prob. ant. 1mo. Judæi ex Traditione recepta malè explicabant locum Malachiæ, ubi dicitur, Eliam sua prædicatione Messiæ adventum præventurum esse, cùm tamen Christus ipse eum locum non intellexerit de persona Eliæ, sed de S. Joanne Baptista, qui *in spiritu Eliæ* duntaxat adventum suum designaret. (*e*) 2do. Discipuli Christi, sicut & alii quamplurimi ob Traditionem receptam de regno Christi futuro etiamnum post ipsius mortem dubitabant, an non ipse redempturus esset à temporalibus malis Israël, eumque in pristinam imò majorem libertatem restituturus, ob quod duos in Emaus euntes Discipulos stultos & tardos ad credendum nuncupavit. 3tio. Papias S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Discipulus etiam ex Traditione fertur docuisse, regnum Christi futurum mille annorum hìc in terris post resurrectionem, cui fidem habuerunt Irenæus, Tertullianus, Lactantius, & alii. (*f*) 4to. Irenæus lib. 3. c. 39. & 40. ex Traditione docet, Christum annô ætatis suæ quinquagesimô vel circiter passum esse: è contrario autem Tertullianus lib. cont. Jud. c. 5. & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. docent, Christum annô 30mô. ætatis suæ esse passum, quæ omnes Traditiones falsæ sunt. Ergo Traditio multis erroribus & falsis dogmatibus occasionem tribuit.

Resp. 1mo. Retorquendo argumentum: Multa incommoda secum fert S. Scriptura; Ergo est rejicienda. Ipsa enim occasionem tribuit non modò multis falsis dogmatibus, sed & multos falsos & perniciosos libros sub titulo & specie librorum sacrorum & Canonicorum divulgandi; prout in Tract. de S. Scriptura annotavimus.

Resp. 2do. neg. utrumque antecedens: vel dist: Et hæc incommoda, falsaque dogmata ab ipsa Traditione profluunt, neg. ab hominum pravitate & malitia con. ant. & neg. cons. Profectò sicut specie S. Scripturæ multi falsi & perniciosi libri tanquam sacri & Canonici olim à perversis hominibus, & Pseudo-Doctoribus in Ecclesiam introducti sunt, falsaque dogmata sparsa fuerunt, quin tamen hæc omnia veritati & auctoritati S. Scripturæ quodquam præjudicium attulerint; sic etiam falsæ quædam Traditiones fortè introduci poterunt, quin tamen veris & Apostolicis quidquam obsint noceantve. Habemus enim in Ecclesia viam infallibilem veras Traditiones à falsis discernendi, sicut eandem habemus discernendi veras Scripturas à falsis, verumque illius sensum à falso; judicium Ecclesiæ scilicet, quæ ob specialem Spiritûs S. assistentiam in tali discretione errare non potest. Sicut igitur publicô Ecclesiæ judiciô nunquam receptus fuit liber aliquis apocryphus pro Canonico, sic nec falsa Traditio pro vera.

Ad exempla, quæ ab Adversariis proferuntur Resp. ea potiùs contra Scripturam pugnare, quàm adversùs Traditiones; utpotè cùm errores, quos continent, à S. Scriptura malè intellecta, non verò à Traditione profluxerint. Nam quoad 1mum Malachiæ 4to dicitur, Eliam venturum ante adventum seu diem Domini terribilem, id est, ante secundum Christi adventum; Judæi autem id erroneè de primo illius adventu intellexerunt. Similiterque etiam, quantùm ad secundum, Discipuli Domini Scripturam malè intellexerunt, in qua de Regno Christi fit mentio; quapropter Christus verum illius sensum eis exposuit, inci-

(*e*) Matth. c. 5. (*f*) Vid. Euseb. lib. 3. hist. c. 39.

incipiendo à Moyse & Prophetis. Ad 3tium Papias quoque mediocris ingenii vir, quod ait Eusebius (*g*), ex malè intellectis quibusdam Evangeliorum & Apocalypsis locis errorem suum de mille annis desumpsit, prout refert *Hieronymus.* (*h*) Quartò denique Irenæus ex Scriptura probare conatur, Dominum ad annum ferè quinquagesimum pervenisse nempe ex illo Joannis 8. v. 57. *Quinquaginta annos nondum habes &c.* Tertullianus & Clemens Alexandrinus è contrario ex sola Scriptura malè intellecta nituntur probare Christum annô ætatis suæ 30mô passum esse. Frustra ergo, & temerè hæc contra Traditionem afferuntur ab Adversariis.

66 Ob. 32do. Proprium est Hæreticorum, abscondere sua dogmata, ac dicere, Christum, & Apostolos quædam palam omnibus prædicasse, quædam occultè tantùm quibusdam tradidisse prout Irenæus (*i*) de Basilidianis & Carpocratianis, ut & Tertullianus testantur. (*k*) Atqui hoc ipsum dicunt, qui Traditionem tuentur. Ergò Hæreticos imitantur.

Resp. dist. maj. & hoc de veris, orthodoxis & piis dogmatibus dicebant Hæretici neg. De falsis, impiis & turpissimis mysteriis & dogmatibus asserebant, & quidem falsò. conc. Maj. & sub eadem distinctione minoris neg. cons.

Hæretici sunt simiæ Catholicorum, prout ait Cyprianus ad Jubajanum, & propterea volunt etiam habere sua mysteria. Discrimen verò inter illorum mysteria, & nostra illud intercedit, quòd illorum mysteria ideo secretum postulent, quia turpissima sunt, quorum aliqua recensent Epiphanius, & Augustinus (*l*) de Gnosticis, & Manichæis, & ideò doctis hominibus duntaxat ea esse secreta volunt, imperitis autem manifesta, prout ipsis exprobrant Irenæus, & Tertullianus. At contrà, mysteria nostra, non traduntur solùm quibusdam, quia lucem timeant, sed quia non est opus, ut ab omnibus sciantur, vel quia ea intelligere non omnes valent. Alioqui talia sunt, ut possint publicè prædicari, cùm nihil nisi purum & castum agat Ecclesia.

Ob. 33tio. S. Scriptura communiter 67
in Conciliis semper in medio collocari solet. Atqui id ob aliam causam non fit, quàm quòd Scriptura dignoscatur esse sola fidei regula. Ergo regula illius esse non potest Traditio.

Resp. neg. min. Nam ideo hunc locum obtinet S. Scriptura, eoquòd, quidquid definitur ibi, vel ex ipsa confirmetur per Traditionem, vel ex ipsa Traditione ipsi non contraria probetur.

Ob. 34to & ultimò. Si Traditiones 68
valerent, tum ideo, quia aliàs Hæretici v. g. Sociniani, à Catholicis, vel potiùs Protestantibus falsitatis & erroris convinci non possent. Atqui falsum posterius. Ergo & prius. Prob. min. Ideò Hæretici v. g. Sociniani conclusiones Catholicorum & Protestantium conclusionibus omninò oppositas ex Scriptura deducunt; quia ipsâ abutuntur ad firmandum Systema & errorem suum. Ergo ex Scriptura ipsa benè intellecta, non verò per Traditionem convinci debent. Prob. conseq. Ex illo convinci debent Hæretici argumento, quod Christus ipse adhibuit, ut convinceret Pharisæos, dari libellum repudii extra causam adulterii esse permissum asserentes, & Saducæos resurrectionem mortuorum negantes. Atqui id egit ex S. Scriptura tantùm ut habetur Matth. c. 19. & 22. Non verò ex Traditione. Unde S. Augustinus (*m*) hanc in rem appositè ait: *Non natæ sunt Hæreses, nisi cùm Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè asseritur.* Ergo

(*g*) Loc. cit. (*h*) In cap 49 Isa & in c. 19. Matth. (*i*) Lib. 1. c. 23. & 24. (*k*) Lib. de præscript. (*l*) Lib. de Hæres. c. 46. (*m*) Tract. 18. in Joan.

go ex Scriptura non verò ex Traditione convincendi sunt Hæretici.

Resp. ad 1mum argumentum neg. min. ad illius probationem neg. secundam partem consequent. Equidem ultrò concedimus, quòd, cùm Hæretici Scripturâ abutantur, eamque pravo sensu interpretentur, ex Scriptura benè & in vero sanoque sensu intellecta convinci debeant, at negamus, hunc verum & sanum S. Scripturæ sensum posse haberi sine Traditione, prout fusè & solidè in nostris conclusionibus demonstratum à nobis est, adeoque nec sine illa ullo pacto posse convinci Hæreticos. Id exemplô adductô Protestantium & Socinianorum illustratur. Equidem Protestantes Socinianis in crimen vertunt, quòd Scripturâ sacrâ abutantur &c. At vicissim idipsum Protestantibus objiciunt Sociniani. Quid modò superest prioribus, ut Socinianos confundant? fortè Scripturas proferent? sed quid illis evincent, cùm aliter eas Sociniani interpretentur, & malè à cæteris Protestantibus intelligi tueantur? certè, ut ait Tertullianus suprà laudatus, nihil hoc suo argumento agent Protestantes, *nisi ut perdant vocem in contentione; nihil consequentur, nisi bilem de blasphematione. Ergo*, concludit idem Tertullianus, *non ad Scripturas provocandum est, in quibus aut nulla, aut incerta, aut par incertæ victoria est*; sed ad Traditionem Apostolicam, quæ sola verum Scripturæ sensum dabit.

Ad prolatam Christi auctoritatem Respond. eam Adversariis minimè patrocinari. Nam primô locô iniquam Pharisæorum interpretationem, malamque consuetudinem ex claris Scripturæ textibus, atque ex alia bona consuetudine refutavit dicens: *ab initio autem non fuit sic*. In 2do autem loco, quid mirum, si resurrectionem mortuorum ex Traditione Judæorum non demonstravit contra Saducæos; ipsi enim nullas omnino Traditiones admittebant. Igitur solâ Scripturæ, & quidem Pentateuchi solius (hunc enim solùm velut librum divinum habebant) auctoritate contra ipsos uti potuit. Neque nos negamus malas consuetudines turpesque Traditiones interdum Scripturæ adminiculô contundi debere; at inde minimè sequitur, bonas & divinas Traditiones esse eliminandas.

Urgent Adversarii: Si Dei voluntas fuisset, ut doctrinæ istæ non scriptæ æquè sanctè conservarentur, ac illæ, quæ sunt in Scripturis, à sanctis Apostolis illas conscribi procul dubio curasset, & non reliquisset eas ab hominibus mendacibus pro suo arbitrio scribendas. Ergo voluntas Dei non fuit, ut conservarentur; adeoque si quæ fuerunt, jam dudum interierunt. 69

Resp. neg. sequel. ant. Ex facto argui debet Dei voluntas, nec conquirendæ ratiunculæ, ubi, prout ait Augustinus, *tota ratio facti est voluntas agentis*. Voluntas Dei fuit, ut Traditiones ipsius conservarentur, quod eæ, quas hactenus retinuit Ecclesia manifestè demonstrant; voluntas etiam ejus fuit, ut ab Apostolis non scriberentur, nam re ipsa easdem non scripserunt. Nihil amplius quæras. Et si, prout ineptè arguunt Adversarii, periculum imminet Traditionibus non scriptis per homines mendaces, qui illas post Apostolorum tempora in scriptum redegerunt; cur non simile periculum immineat omnibus Codicibus sacris; cùm præter unum autographum Apostolicum interim reliqua omnia exemplaria descripta fuerint ab hominibus, ut ipsi ajunt, mendacibus?

CAPUT II. 70

Unde humana Traditio à Divina secerni possit.

Traditionem sacram generatim dividi *in Divinam & humanam* suprà in hujus Tractatus Præloquio insinuavimus; ubi & illam esse eam, *quæ Deum vel Christum* habet Auctorem, istam verò, *quæ ab hominibus proficiscitur*, diximus. Harum verò Tra-

Traditionum disparem, pro dispari nempe utriusque Auctore, esse auctoritatem, nemo est, qui non apertè intelligat, & vel ea omnia, quæ de iis ibidem attulimus exempla produnt. Modò argumenti nostri ratio & ordo postulat, ut, quando Adversarii nostri omnia cætera adversùs nostram de Traditione sententiam adducta argumenta à nobis eliminata & disjecta cernentes, ad istud velut ultimum perfugium suum se recipiunt, atque ajunt, impossibile esse, veras Traditiones à falsis distinguere, ab aggere isto illos etiam depellamus, necnon ostendamus, qua ratione veræ Traditiones à se invicem, & per consequens à falsis discerni possint, traditis ad id regulis, quibus Adversarii, si aliàs judiciô & ratione uti velint, contradicere haud poterunt; quòd ut citra ullam confusionem præstemus, primò præsenti capite solidas & infallibiles regulas assignabimus, quibus generatim discerni possit humana Traditio à divina. Sit ergo

71 ## Regula I.

Illud non est divina Traditio, cujus, licèt in tota Ecclesia servetur, initium reperitur, aut in Decretis summorum Pontificum, aut in Conciliorum Canonibus, aut in Statutis Patrum. Ratio est, quia si id, cujus initium reperitur, esset divina Traditio, seu si esset aliquid divinitùs traditum, oporteret, ut illi, vel illis à quibus habet initium, de novo fuisset revelatum; atqui id asseri non potest, cum Ecclesia non admittat novas revelationes in iis, quæ ad fidem vel mores spectant, prout jam in Tractatu de Scriptura passim insinuavimus, atque declarat Vincentius Lirinensis his verbis: *Mos iste*, inquit (*n*), *in Ecclesia semper viguit, ut quò quisque foret Religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet.* Hinc summi Pontifices; hinc Concilia summa vi, summoque studio id unum adversùs Hæreticos curarûnt, *ut*, pergit idem Vincentius, *defenderent susceptæ semel Religionis integritatem.* Hinc grande piaculum esse prædicarunt Patres id annuntiare, quod priùs auditum non est: *Annuntiare ergo*, inquit ulteriùs (*o*), *aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit nunquam licebit, &c.* Hinc denique iidem Patres, eodem Lirinensi teste (*p*), imperarunt, ut fideles, *quidquid ab aliquo deinceps non præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum & inauditum subinduci senserint, id non ad Religionem sed ad tentationem potiùs intelligant pertinere.*

Confirmatur Ratio hæc 1mo. Vel ea revelatio cognita fuisset Apostolis, vel non. Si primum, Apostoli eam revelationem docuissent, alioquin in ministerio se præbuissent infideles. Si secundum, culpandus esset Christus, qui Apostolos non omnia Ecclesiæ necessaria docuisset, adeoque falsò promisisset Spiritum sanctum eos omnem veritatem esse docturum. Hoc argumentum adhibet Tertullianus adversùs suæ ætatis Gnosticos. (*q*) *Solent dicere*, inquit, *non omnia Apostolos scisse; agitati dementiâ, quâ rursùs convertunt: omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minùs instructos, aut parùm simplices Apostolos miserit.*

Confirmatur 2do. Si admitterentur novæ revelationes in iis, quæ spectant ad fidem vel mores, tum Ecclesia nec Montanum, qui se à Spiritu sancto singulariter doctum jactabat, nec alios Hæreticos, qui errores protulerunt, nec Novatores, qui fortè deinceps orientur confutare poterit. Ergo hujusmodi novæ revelationes admitti neutiquam debent. Prob. ant. Hujusmodi

(*n*) Commonit. l. 1. c. 6. (*o*) C. 9. (*p*) C. 20. (*q*) Lib. de Præscript. c. 22.

modi Hæretici & Novatores statim Ecclesiæ objicient, factas sibi esse novarum suarum opinionum revelationes: sicque nihil integrum, nihil sanum in Ecclesia stare poterit. Ergo &c. Plura hanc in rem legi possunt argumenta apud Tertullianum & Vincentium Lirinensem locis cit.

72 Regula II.

Doctrina, quæ in una tantùm particulari Ecclesia reperitur, non est divina, sed humana; non tradita, sed inventa.

Ratio est, quia veritas divinitùs tradita universam spectat Ecclesiam; ergo non potest contineri in una tantùm particulari Ecclesia. Ant. patet; idem enim Evangelium, eandemque doctrinam toti Orbi prædicare jussit Christus Apostolos. Consequentia etiam aperta est vel ex eo, quòd alioquin ad unum terræ angulum reduci posset Ecclesia Catholica; quod falsum esse demonstrat Augustinus in suis adversùs Donatistas operibus. Hinc etiam meritò docet Vincentius Lirinensis (*r*), Ecclesiam illam particularem eo in casu non esse audiendam, neminemque posse illi se adjungere, si ob privatam suam Traditionem se se à cæterarum Ecclesiarum communione præsciderit.

73 Regula III.

Humanum est, nec divinitùs traditum dogma, quod contra communem aliorum sententiam ab uno tantùm vel duobus etiam antiquis Scriptoribus, imò & tota aliqua urbe particulari aut provincia docetur.

Hujus regulæ veritatem demonstrat argumentum, quod pro priore regula allatum est; sicque etiam Majores nostri tenuerunt. *Quod si*, ait sæpè laudatus Vincentius Lirinensis (*s*), *in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur: tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiæ, si quæ sunt universaliter antiquitùs universalis Concilii decreta præponat.* Item, *Quidquid verò*, ait (*t*), *quamvis ille sanctus, & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr; præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & privatas opiniunculas à communis & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit, ne cum summo æternæ salutis periculo, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem.*

CAPUT III. 74

Unde cognosci possit, Traditionem aliquam esse divinam.

Assignatis Regulis, quibus dignosci possit generatim Traditionem quamdam humanam duntaxat esse non divinam; modò etiam assignandæ sunt Regulæ, quibus haberi possit, Traditionem aliquam esse verè divinam. Sit igitur

Regula I. 75

Dogma, quod universa Ecclesia amplectitur, tanquam fidei dogma licèt in sacris Litteris non reperiatur, est divinæ Traditionis.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura: 1. *Timoth. c. 3. v. 15.* Ecclesiam nuncupat Paulus *columnam & firmamentum veritatis.* Item de ea dicitur à Domino Matth. c. 16. v. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Atqui ipsa non esset columna & firmamen-

(*r*) Commonit. c. 3. (*s*) Cit. c. 3. (*t*) C. 28.

mamentum veritatis, necnon Portæ inferi adversus eam prævalere possent, si quod ipsa tanquam fidei dogma amplectitur, licèt scriptum in sacris Litteris non reperiatur, non esset divinæ Traditionis. Ergo &c.

Pb. 2do. ex SS. Patribus. 1mo. S. Irenæus, *Ecclesia*, inquit (*u*), *per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est ..... Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem Ecclesia, & quidem in universum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit his, videlicet quasi unam habens animam & unum cor.* Ergo juxta S. Irenæum fidem & prædicationem ab Apostolis acceptam diligenter custodit, atque communi consensu judicat, an doctrina aliqua sit vera aut falsa. Adeoque quod tanquam de fide definit, illud & velut tale suscipiendum est, etsi in S. Scriptura non contineatur.

2do. Tertullianus: *Ecquid*, inquit (*x*), *verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Caterùm quod apud multos invenitur, non est erratum, sed traditum.* Hæc apertè nostram Regulam continent. Ego &c.

3tio. *Quam vanum est*, ait Cyprianus (*y*) *ut Novatianô nuper relictô & refutatô, & per ipsum orbem à Sacerdotibus Dei abstentô, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, ac de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare.* Ergo juxta hunc S. Patrem, ideo Novatianus hæreticus fuit, quòd apud omnes orbis Ecclesias tanquam hæreticus audiverit; adeoque illud de fide tenendum, quod ut tale tenet universalis Ecclesia &c.

4to. *Et non solùm*, ait S. Hieronymus, *unius urbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mora tuorum.* Ergo ex eo duntaxat damnat Vigilantium, quòd illi universi contradicant &c.

5to. S. Augustinus passim in suis adversùs Pelagianos Operibus asserit, hæreticam esse eorum doctrinam, quòd omnes Orbis Ecclesiæ Synodorum Carthaginensium decretis, & Innocentii ac Zosimi summorum Pontificum judicio subscripsissent. Ergo &c.

Pb. 3tio. Ratione Theologica: Ecclesia universa errare non potest, ut adducti probatione prima demonstrant textus, omnesque, quotquot hactenus extitêre Ecclesiæ Patres & Doctores tuentur. Ergo quod ipsa de fide esse credit, sine dubio est de fide. Subsumo: Atqui nihil de fide credit, nisi quod Deus per Apostolos aut Prophetas sive scriptô sive verbô revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Ergo illa omnia, quæ Ecclesia de fide tenet, tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis vel scriptô vel verbô; ut sunt *perpetua virginitas B. Mariæ, numerus librorum Canonicorum*, & similia.

Regula II. 76

Doctrina, quam universa Ecclesia quovis sæculo propugnavit, divinæ est Traditionis, quamvis in Libris Canonicis non reperiatur.

Pb. 1mo. ex SS. Patribus. *Caterùm*, inquit supra laudatus Tertullianus (*z*), *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Vincentius item Lirinensis: *In ipsa item Catholica Ecclesia*, ait (*a*), *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem: sequemur autem universitatem*

(*u*) Lib. 1. adv. hæref. cap. 2. (*x*) Lib. de Præscript. (*y*) Lib. 3. Epist. 13. (*z*) Lib. de præscript. (*a*) Commonit.

tem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem verò ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores, ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.

Hæc etiam est Regula S. Augustini lib. 4. cont. Donatist. c. 24.

Pb. 2do. Ratione Theologica: Sicut tota præsentis sæculi Ecclesia tanquam divinum admittere non potest, quod humanum est duntaxat; ita nec præcedentium sæculorum Ecclesia. Atqui &c. Ergo &c. Maj. est aperta: una nimirum est ac eadem Christi sponsa, licèt diversis sæculis ac ætatibus sit distincta: Ergo doctrina, quam ut divinam admisit quovis sæculo, verè divina est quamvis in sacris Litteris non legatur. Min. patet ex supra dictis Regulâ primâ. Ergo &c.

77 Regula III.

Quando universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus, id ex traditione divina seu Apostolica esse dicendum est, quamvis nullibi in S. Scriptura exaratum inveniatur.

Pb. 1mo. ex SS. Patribus: pro omnibus sufficiat S. Augustinus, qui Epist. 118. docet, *insolentissimæ insaniæ esse, existimare, non rectè fieri, quod ab universa fit Ecclesia.* Item lib. 10. de Genes. c. 23. *Consuetudo,* inquit, *Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Et lib. 2. de Bapt. cap. 7. *Quam,* inquit, *consuetudinem non rebaptizandi hæreticos credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in libris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Ergo illa, quæ Ecclesia non potest rectè servare, nisi à Deo sint instituta, & tamen servat, necesse est dicere, à Deo esse instituta, etiamsi nusquam legantur, quale est Baptisma parvulorum, ut &, hæreticorum baptismum esse ratum. Erraret enim gravissimè Ecclesia, si sine Dei mandato parvulos, qui actu non credunt, baptizaret, ut &, si hæreticorum baptismo daret auctoritatem, nisi eam à Christo haberet.

Pb. 2do. Ratione 1mo. fidei & cultus Ecclesiæ universæ eadem est ratio, ut patet. Atqui in fide errare non potest, prout supra ostendimus; ergo nec in cultu seu ritu divino. Ergo quemadmodum in credendo est infallibilis, ita & in operando.

Pb. 2do. Multa hujusmodi fiunt in Ecclesia, quæ ipsa nec tentare posset, nisi potestatem sibi per Apostolos divinitùs traditam accepisset. Sic vota dissolvere, & remittere juramenta non erat humanæ potestatis: tùm quia jure naturæ vota nuncupata, Deo reddere, & juramenta servare tenemur: humana verò facultas ea, quæ jure naturæ debita & constituta sunt, condonare ac tollere non potest. Eadem est ratio de Matrimonii rati diremptione per solemne votum: cùm enim matrimonium, etiam non consummatum, ante Evangelicam legem jure naturæ esset indissolubile, nec esset in republica humana facultas ulla ejusmodi matrimonii dirimendi, consequens fit, hunc Ecclesiæ morem ex Christi, & Apostolorum ipsius instituto descendisse. Pb. conf. Credi haud potest, Ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter usurpasse, in his, quæ ad jus naturæ pertinent, nisi quam Christo & Apostolis ejus tradentibus accepisset; enimverò gravis hic error esset in moribus, in quibus Ecclesiam errare non posse, jam supra annotavimus, & suò locô fusiùs adhuc ostendemus. Ergo &c.

78 Regula IV.

Praxis quæ in Ecclesia universa quovis sæculo continuata serie conservata est, nec in Conciliis instituta videtur, meritò censetur ab Apostolis instituta, quamvis sit ejus generis, ut ab Ecclesia institui potuerit.

Hujus generis praxes & ritus sunt Quadragesimale jejunium (*b*), imaginum veneratio, quam ex Apostolica Traditione esse asseruerunt Patres Concilii Nicæni II. act. ult. Ritus, qui servantur in Baptismo prout disertè asserunt Basilius de Spiritu sancto c. 27. Tertullianus de corona milit. & alii.

Pb. 1mo. ex SS. Patribus primùm adductis. Item ex S. Augustino, qui lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 24. sic loquitur: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

Idem docet Epist. 118. his verbis: *Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiis saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti, quòd Domini passio & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritûs sancti anniversaria solemnitate celebrantur; & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.*

Pb. 2do. Ratione. In eo casu nullum est fundamentum judicandi, quòd praxis, de qua agitur, ab Ecclesia fuerit instituta. Ergo, cùm tamen omnes illius meminerint, & universim ab Ecclesia de sæculo in sæculum conservata fuerit, meritò censeri debet ab Apostolis fuisse instituta, quamvis etiam ab Ecclesia institui potuerit.

Regula V. 79

Id sine dubio credendum est ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in præcipuis & Apostolicis Ecclesiis, iisque, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis, quamvis in quibusdam aliis Ecclesiis non reperiatur.

Pb. 1mo. ex SS. Patribus. Irenæus lib. 3. adversùs hæres. c. 2. asserit hæreticos impugnari posse vel Scripturâ, vel Traditione, quæ in Ecclesiis Apostolicis servatur. *Cum*, inquit, *ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos.*

Et cap. 3. scribit eam traditionem eminere in Ecclesiis, quas Apostoli fundarûnt, & in quibus Episcoporum series interrupta non fuit. *Traditionem itaque Apostolorum*, inquit, *in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus numerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.*

Porro inter eas Apostolicas Ecclesias, in quibus conservata est Traditio, docet Romanam Ecclesiam tenere principem locum: *In quo*, ait, *semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.*

Et recensens omnes Romanos Episcopos usque ad sua tempora hæc habet: *Hac ordinatione & successione, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconisatio pervenit usque ad nos.*

Tertullianus quoque librô de præscriptionibus, dubitanti, an aliquod dogma divinitùs per Apostolos traditum sit, jubet, ut consulat Ecclesias matrices, quas Apostoli fundarûnt, credatque, quod ab eis

(*b*) Apud Irenæum, Epiphanium, Hieronymum, Ambrosium, Leonem.

eis credi perspexerit: *Quid prædicaverint Apostoli*, inquit, *quid illis Christus revelaverit, & hîc præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva voce, quàm per Epistolas posteà. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum & Christi.*

Pb. 2do. Ratione. Censendi sunt Apostoli successoribus suis cum officio Episcopatûs etiam tradidisse doctrinam Religionis. Ergo procul dubio credendum est, ex Apostolica Traditione descendere, quidquid in hujusmodi Ecclesiis pro tali habetur.

Si ergo in aliqua Ecclesia ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes perveniamus ad Apostolum aliquem, & non constet, quòd ullus eorum Episcoporum introduxerit novam doctrinam, certi sumus, ibi conservari Apostolicas Traditiones. Et quidem olim inveniebatur successio non interrupta, non modò Romæ, sed etiam Ephesi, Corinthi, Philippis, Thessalonicæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierosolymæ, & alibi. Ac propterea laudatus Tertullianus (c) remittit homines ad quamlibet harum Apostolicarum Ecclesiarum, ut ibi inveniant Apostolicas Traditiones: & Theodosius Lege *cunctos populos*, Codice *de summa Trinitate, & fide Catholica*, jubet omnes servare eam fidem, quam prædicabant eo tempore Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ, duo Pontifices præcipuarum Apostolicarum Ecclesiarum. At nunc defecit certa successio in omnibus Ecclesiis Apostolicis, præterquàm in Romana, & ideo ex testimonio hujus solius Ecclesiæ sumi potest certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones: ac tùm potissimùm, cùm doctrina, vel ritus earum Ecclesiarum à doctrina, & ritibus Ecclesiæ Romanæ dissentiunt.

CAPUT IV. 80

Unde speciatim variæ Traditiones in Præloquio recensitæ à se se invicem secernantur.

Duobus præcedentibus Capitibus Regulas assignavimus, quibus discrimen humanam inter & divinam Traditiones generatim sumptas dignosci possit; quoniam autem, ut in hujusce Tractatus præloquio annotavimus, variæ dantur sacræ Traditiones humanæ; nempe purè Apostolicæ (nam propriè dicta Apostolica Traditio, quam Apostolico-divinam dicimus, eadem est ac divina, ut ibidem dictum, de qua proinde Traditione, utpote divina, cùm jam sufficienter à nobis dictum sit, nullus hîc est sermo) aliæ verò Ecclesiasticæ duntaxat; operæ pretium arbitrati sumus, antequam Tractatui huic nostro finem imponamus breves quasdam attexere Regulas, quibus ostendamus, qua ratione hæ Traditiones speciatim à se invicem distinguantur, ne in tam multiplici Traditionum varietate, Traditiones purè Ecclesiasticæ cum Apostolicis, & purè Apostolicæ cum Divinis confundantur; atque etiam id proderit, ut veræ à falsis, revelatæ à non revelatis, necnon denique divinæ ab humanis secernantur. Sit ergo

Regula I. 81

Considerari debet quælibet Traditio respectu initii sui, id est, inquirendum est Traditionis, de qua movetur quæstio, initium.

(c) Loc. cit.

initium. Nam si de illius non constet initio, sed semper servata atque retenta inveniatur, non Ecclesiastica, sed Apostolica Traditio censenda est, juxta illud S. Augustini lib. 1. cont. Donatist. c. 24. dicentis: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Qualis est v. g. *Quadragesima & quatuor Temporum institutio.*

82 Regula II.

Considerari debet Traditio quoad materiam suam. Hoc est, ut videatur & examinetur, an ejus materia Ecclesiæ potestatem excedat; an verò primùm post Christi ab hoc mundo discessum ortum habuerit, eumque supponat. Si enim Traditio talis sit, ut ejus materia Ecclesiæ auctoritatem, sive potestatem excedat, evidens est, quòd hæc Traditio ab Apostolis non proveniat, sed à Christo primitùs orta, atque propriè divina sit, necnon denominativè tantùm Apostolica, sive Apostolico-Divina, non purè Apostolica; quia à Christo primitùs Apostolis, & deinde per Apostolos Ecclesiæ tradita fuit. Qualis est c. 9. Doctrina seu Traditio, qua teste S. Cypriano lib. 2. Epist. 3. docemur *Aquam esse vino miscendam in consecratione calicis.*

Secus verò judicandum de ea Traditionè, qualiscunque demum illa sit, cujus materia Christi ex hoc mundo discessus & ad cœlos ascensus epocham non superat aut prætergreditur. Enimverò Traditio illa, cujus non invenitur initium, fuitque semper in Ecclesia retenta, & cujus materia Christi in cœlos ascensum primùm sequitur ac supponit merè & purè Apostolica censenda videtur, seu ab Apostolis ipsis instituta, qualis est v. 9. *Praxis de vigilia in memoriis Martyrum. Mos salutandi se in osculo pacis. Mos celebrandi Agapas.* (*d*) *Mos abstinendi à sanguine & suffocatis carnibus.*

Si verò non modò post Christum sed etiam Apostolos ipsos, illudque, quò vixerunt, tempus primùm vigere cœpisse videatur, nec Divina, nec Apostolica, sed Ecclesiastica Traditio est censenda, qualis est e. g. *Abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis certis anni diebus.*

Regula III. 83

Considerari ulteriùs debet Traditio aliqua quantùm ad suam qualitatem, seu quoad suam mutabilitatem, vel immutabilitatem, hoc est, si Traditio aliqua talis sit, ut nec Christi, nec Apostolorum ex hac vita discessum, seu eorundem subsequens tempus arguat vel supponat, nec tamen Ecclesiæ potestatem superet, nihilominùs dubium adhuc sit, an divina, an Apostolica scilicet & duntaxat censenda veniat; advertendum est, an mutabilis sit, an verò immutabilis; si primum, necnon Ecclesia in ea dispensare valeat, evidens tunc est, eam non Divinam, sed purè Apostolicam esse, cùm in divinis Ecclesia dispensare non possit, divinaque Traditio sit immutabilis, utpote verbum Dei non scriptum, quod *in æternum manet.* Sic purè Apostolica est *Quadragesima institutio*, in qua sæpiùs dispensat Ecclesia, præsertim cum Principibus & Magnatibus.

Regula IV. 84

In traditione aliqua considerandus etiam venit communis SS. Patrum consensus, id est, si adhuc dubitetur, num sit mutabilis, aut Ecclesia in ea dispensare possit, ac proinde an Divina sit, vel purè Apostolica, consulendus est concors sanctorum Patrum consensus; si enim aliquid SS. Patres secundùm suorum temporum successionem, semper & ab initio unanimi

(*d*) Convivia charitatis post communionem sacram haberi solita.

mi consensu tenuerint tanquam fidei dogma, atque ejus oppositum, velut Hæreticum quid refutarint, id sine dubio, quamvis nullibi in sacris Litteris scriptum inveniatur expressum, Traditio Divina est, seu Apostolico-Divina, hoc est, à Christo viva voce Apostolis tradita, & per Apostolos ad posteros, & ab iis ad nos usque devoluta, qualis est v. g. *Perpetua B. Mariæ Deiparæ Virginitas. Sacræ Scripturæ divinitas.*. Et alia similia fidei dogmata. Huius regulæ ratio est, quia si omnes Ecclesiæ Patres in hoc errarent, erraret & ipsa, quæ illos sequitur, & sequi tenetur Ecclesia.

85 Regula V.

Traditio spectari debet etiam quantum ad Ecclesiæ Judicium, hoc est, si non constet adhuc de communi Patrum consensu circa Traditionem aliquam & dubitetur de tali Traditione, an Divina sit seu Apostolica, qualis fuit Traditio *de non rebaptizandis Hæreticis*, quam impugnabat S. Cyprianus, considerandum est, quale sit ea de re Ecclesiæ judicium, & tenendum pro Traditione Divina illud, quod tanquam fidei dogma Ecclesiæ judiciô recipitur, quamvis in Scriptura expressum non sit, quia infallibile est Ecclesiæ Catholicæ judicium, unde S. Augustinus expressè ait (*e*): *Non accipio, quod de baptizandis Hæreticis B. Cyprianus sensit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Et hæc de Traditionibus à nobis dicta sint, quibus finem dicendi faciemus, si priùs iis quæ adversus eas adhuc objiciuntur, responderimus.

86 *Solvuntur Objectiones adversus ea quæ hactenus à nobis de Traditionibus tribus his ultimis Capitibus dicta sunt.*

Ob. 1mo. Omnes Traditionum species à nobis relatæ sparsim reperiuntur in SS. Patrum Scriptis. Ergo non sunt veræ Traditiones, vel Traditio perperam dicitur Doctrina non scripta.

Resp. neg. conf. Non enim ideo Traditio dicitur doctrina non scripta, quasi nullibi scripta reperiretur, sed quia viva voce, non autem scriptô, à suo primo auctore tradita nulloque libro Canonico inserta fuit; quamvis postmodum à successoribus de illa testimonium ferentibus exarata fuerit; quales sunt Traditiones Divinæ & Apostolicæ, quæ quidem in nullo Canonico S. Scripturæ libro expressæ sunt, nobis tamen sparsim à SS. Patribus scripto successivè transmissæ fuerunt.

Ob. 2do. Traditiones divinæ passim à SS. Patribus vocantur Apostolicæ, & Apostolicæ vicissim nuncupantur Divinæ. Ergo nullum inter Divinas & Apostolicas intercedit discrimen 87

Resp. dist. conf. inter Divinas & Apostolicas, videlicet eas, quæ sunt ab Apostolis ut Christi præconibus seu nomine Christi loquentibus nullum datur discrimen conc. Inter Divinas & Apostolicas, quæ sunt ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Pastoribus & proprio nomine loquentibus, nullum intercedit discrimen neg. conseq. Jam in Tractatus hujus præloquio tradidimus dari duplicis speciei Traditiones Apostolicas, sunt enim quæ dicuntur Apostolico-Divinæ, & re ipsa à Divinis non distinguuntur; sunt autem aliæ, quæ purè Apostolicæ dicuntur, & hæ à prioribus, adeoque etiam à Divinis secernuntur. Vide quæ ibidem annotavimus.

Ob. 3tio. Ex Traditionis alicujus mutabilitate non potest concludi eam non esse divinam. Ergo falsa est primùm locô quartô adducta regula. Pb. ant. Lex Mosaica erat Divina, & tamen mutari potuit & abrogari, & re ipsa in multis per Christum fuit abrogata. Ergo &c. 88

(*e*) Lib. cont. Crescon. cap. 32.

Resp. Dist. 1mum ant. si hæc mutabilitas à solo Deo pendeat, conc. si ab Ecclesia neg. ant. & conseq. ad secundum enthymema pariter dist. ant. Lex Mosaica erat Divina & tamen mutari potuit à Synagoga neg. ant. à solo Deo conc. ant. & neg. conf. Quarta Regula dum ex mutabilitate Traditionis alicujus arguit eam non esse divinam, intelligitur duntaxat de ea mutabilitate, quæ fieri potest ab Ecclesia, non de ea quæ à solo Deo pendet. Deinde Lex Mosaica propriè loquendo à Christo non fuit tam abrogata & mutata, quàm perfecta, prout ipse Christus loquitur, erat quippe figura novæ legis. Unde posset negari utrumque antecedens.

89 Urg. Quadragesimæ jejunium est ex Traditione Divina, prout multi SS. Patres videntur innuere, præsertim S. Hieronymus in c. 2. Jonæ, S. Ambrosius Concione 36. S. Chrysostomus Hom. 1. in Genes. Et tamen interdum cum multis in eo dispensat Ecclesia. Ergo Traditio Divina est mutabilis & in ea dispensare potest Ecclesia.

Resp. neg. ant. Nam si à nonnullis SS. Patribus jejuniumQuadragesimale adChristum tanquam illius institutorem videatur alicubi referri; ideo fit, inquit Melchior Canus, quia ad Christi jejunantis Exemplum est ab Apostolis institutum; vel quia Apostolica edicta Christi edicta censentur, quia Spiritu sancto assistente ab ipsis prolata fuêre, prout ipse Christus illis promisit dicens Joan. c. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, qua promissione Divina fulti posteà Jerosolymis congregati sic definiunt Act. c. 15 v. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis &c.*

90 Ob. 4to. Olim variæ Ecclesiæ contraria planè sibi ab Apostolis tradita fuisse contendebant. Ergo Regula hæ, quæ Traditiones ab unanimi Ecclesiarum consensu repetunt locum habere non possunt.

Resp. Dist. ant. Variæ Ecclesiæ contraria planè sibi ab Apostolis tradita fuisse contendebant quoad ritus & cæremonias, conc. ant. Quoad dogmata neg. ant. & consequentiam. Memoratæ Regulæ de dogmatibus duntaxat sunt intelligendæ, non de ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis nec dogmata nec fidem spectantibus, quæ variæ in variis Ecclesiis esse possunt.


Ob. 5to. Si Traditiones eadem fide sint 91 recipiendæ, ac ea, quæ Scripturis continentur, propter Ecclesiæ testimonium & Patrum consensum: tunc hæc Ecclesiæ & Patrum testimonia eandem certitudinem & auctoritatem habebunt, ac ipsa S. Scriptura: tunc credendum est Scriptis Patrum eadem fide, qua scriptis Propheticis & Apostolicis credimus: tunc sive Patres loquantur ex Scriptura, sive absque Scriptura, nulla erit differentia quoad fidem ipsis habendam. Atqui hæc omnia sunt planè absurda, & à pietate prorsus aliena. Ergo & Regulæ à nobis prolatæ ad dignoscendas Traditiones divinas &c.

Resp. conc. maj. neg. min. & conseq. In tribus illationibus in majori propositione exaratis nihil absurdum, nihil non pium, & sanum continetur, dummodo omnia rectè & in sano sensu accipiantur. Nam revera testimonium Ecclesiæ & Patrum concorditer scilicet de Traditionibus testantium æqualiter se habet respectu Verbi Divini, sive id scriptô, sive orali traditione ad nos derivetur. Tam parùm in uno, quàm in altero decipi ab Ecclesia possumus. Unde sicut Ecclesiæ ut & concordi Patrum antiquorum de Scripturæ sacræ veritate testimonio omnino credendum est, sic & illius illorum quoque de Traditione Divina testificationi fides adhibenda &c.

Finis Tractatus secundi.


TOMI

TOMI PRIMI
TRACTATUS
TERTIUS
DE
ECCLESIA CATHOLICA
ET
EJUSDEM AUCTORITATE,
Ubi etiam de Conciliis & Romano Pontifice,
necnon Eorum Auctoritate.



INDEX

Titulorum Tractatus tertii Tomi primi Theologiæ Universalis, de Ecclesia Catholica.



TOMI

TOMI PRIMI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS TERTIUS
De Ecclesia Catholica.

1 *Præloquium.*

EXpensâ prioribus binis Tractatibus S. Scripturæ & Traditionis præcipuorum, licèt, ut vocant, mortuorum, locorum Theologicorum naturâ & auctoritate; modò ordinis & dignitatis ratio postulat, ut de Ecclesia, inter vivos, ut ajunt, locos Theologicos præcipuò tractationem ineamus.

Ecclesia igitur, si nominis Etymon consideres, idem significat ac *evocationem* seu *convocationem*, ergo Ecclesia est convocatorum cœtus, imò etiam ipse locus, in quo cœtus ille fit; hocque grammaticali & generali sensu, quilibet conventus seu congregatio etiam civilis ac politica Ecclesia nuncupari potest. Sic Psal. 25. v. 5. David ait: *Odivi Ecclesiam malignantium*, & Psal. 106. v. 32. *Exaltent eum in Ecclesia plebis.* Quo postremo loco Ecclesia pro conventu civili & politico usurpatur.

2 At verò usu Ecclesiastico, & in sensu, quem modò adoptamus, Ecclesia significat fidelium societatem seu congregationem. Cùm autem inter fideles, quorum societas constituit Ecclesiam, alii sint in termino seu *Comprehensores*, qui jam æterna beatitudine perfruuntur: alii *Viatores*, qui hîc in terris militant; alii post hanc vitam in pœnis purgatorii aliquamdiu detenti, ut Justitiæ divinæ omninò satisfaciant; hinc Theologi Catholici triplicem distinguunt Ecclesiam, vel, ut rectiùs dicamus, triplicem ejusdem Ecclesiæ statum. Primum statum vocant Ecclesiam *triumphantem*, alterum Ecclesiam *militantem*, tertium denique Ecclesiam *patientem*. Postremi duo non erunt perpetui, at prioris ævum erit sempiternum, & ad ipsum tanquam ad finem ultimum reliqui duo referuntur.

De sola Ecclesia militante hîc nobis 3
agendum proponimus, de reliquis duabus enim alibi occurret occasio disserendi. Ecclesia militans igitur spectanda est, quasi vivum corpus, quod Christo ut Capite, fidelibus tanquam membris, & Fide, Spe, atque Charitate quasi anima fidelibus vitam spiritualem inspirante constat.

constat. Unde Apostolus Coloss. cap. 1. v. 18. Christum vocat *Caput corporis Ecclesiæ*, & ibidem v. 24. *Ecclesiam esse Christi corpus*, scilicet mysticum, affirmare non dubitat. Quapropter etiam ad Rom. c. 12. v. 5. de fidelibus sic loquitur: *Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*; alibi passim, ut 1. Corinth. c. 10. v. 17. Ibid. cap. 12. v. 12. & 27. Ephes. cap. 4. v. 16.

4 Tanta est autem analogia inter corpus Ecclesiæ mysticum & naturale corpus humanum, ut illius essentia & proprietates ex isto facilè intelligi possint. Primò quidem, quemadmodum corpus humanum variis constat membris, tum inter se invicem, tum cum suo capite colligatis & intùs animâ vegetatis, quæ simul unum corpus efficiunt, & in quæ caput influat, necesse est: sic Ecclesiæ corpus variis constat membris, & ejusdem fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione inter se invicem, & cum suo Capite Christo colligatis, quæ simul unum corpus unamque Societatem efficiunt, in quam Christus, ut caput, influit. Anima, quæ hujusce corporis membris vitam inspirat, sunt dona Spiritus sancti, inter quæ præcipuum locum tenent Fides, Spes, & Charitas. Vincula exteriora, quibus Ecclesiæ membra inter se colligantur, sunt ejusdem fidei professio exterior in eadem communione.

5 Deinde ut in corpore humano varia membra diversis muneribus atque officiis funguntur; ita Ecclesiæ membra, quorum alia sunt oves, alia summi capitis Christi vicem gerentia, sunt ovium Pastores; quorum etiam alii sunt aliis superiores, atque inter omnes supremus unus, Romanus nempè Pontifex, ut subordinationis ordo servetur.

6 Prætereà, quemadmodum in corpore humano ea sola membra sunt viva, quæ ab anima vitam jugiter accipiunt, & in quæ caput influit; sic ea sola Ecclesiæ membra sunt viva membra, in quæ per gratiam suam Christus influit, & quæ quasi animâ Ecclesiæ informatur. Cùm autem illa anima potissimùm consistat in Fide, Spe, & Charitate, quæ virtutes à se invicem sejungi possunt; hinc fit, ut aliquis esse possit animæ Ecclesiæ particeps, vel minùs perfectè & *inadæquatè*, ut ajunt, id est, quoad solam Fidem, vel perfectè & *adæquatè*, quoad Fidem scilicet, Spem, & Charitatem simul. Porrò à Charitate, quæ est nobilior pars, ex Apostolo dicente: *Manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas, major autem horum est Charitas.* Ecclesiæ membra denominari solent *viva* si adsit, *mortua* verò & putrida, si absit. Itaque membra Ecclesiæ, in quibus dominatur cupiditas, non Charitas, inter membra mortua & putrida tamdiu computantur, quamdiu in eo statu remanent, licèt aliquatenus fortè vitam participent, quoad Fidem scilicet. Sed quia tunc eorum Fides est quoque mortua, seu Charitate destituta, nihilominus dicuntur membra mortua. Verùm de his plura suô locô.

Cæterùm hîc apprimè notatum volumus, nos Ecclesiam militantem modò non spectare secundùm animam suam, sed secundùm quod est corpus visibile atque prout Capite & membris visibilibus constat; sub quo nomine non modò ipsa Ecclesia in se spectata, sed & Concilia, ut quæ & ipsam repræsentant, sed Romanus Pontifex utpote Caput ipsius, etiam veniunt. Unico ergo hoc de Ecclesia Tractatu tres locos Theologicos ab Ecclesia nempe, Conciliis, & Romano Pontifice eorumque auctoritate petitos expendere animus est, solitam hactenus tractandi methodum secaturi. 7

Quinque igitur erunt hujus Tractatus capita. In quorum primo, quid nominis quid rei sit Ecclesia militans investigabimus.

mus. In secundo Notas illius seu Characteres expendemus. In tertio illius auctoritatem in rebus ad Religionem pertinentibus exponemus, ubi de Conciliis nobis erit sermo. In quarto de illius membris differemus. Et in quinto denique de illius Capite Romano Pontifice tractabimus.

8 CAPUT PRIMUM.

De natura Ecclesiæ.

QUatuor circa Ecclesiæ naturam nobis examinanda veniunt, quid nominis nempe quid rei ipsa sit; quis illius auctor, & quænam illius origo. Hæc duobus duntaxat Paragraphis expendimus. Sit igitur

§. I.

Quid nominis, quid rei sit Ecclesia.

Ecclesia, ut jam supra à nobis dictum est, nomen græcum idem significat ac evocationem seu convocationem, sicque quilibet Conventus sive bonorum sive malorum Ecclesia nuncupari potest. At usu apud Christianos recepto Ecclesia idem est, ac fidelium societas seu congregatio: quo sensu ab Apostolo sumitur Rom. 16. v. 16. dum ait: *Salutant vos Ecclesiæ Christi.* Et v. 23. *Salutat vos universa Ecclesia.*

Quandoque etiam in ipsâ S. Scriptura Ecclesiæ vocabulum sumitur pro loco ipso, in quo fideles congregantur ad preces fundendas, & sacra Deo facienda; quo sensu eam sumit Apostolus 1. Corinth. cap. 11. v. 18. his verbis: *Primùm quidem convenientibus vobis in Ecclesiam &c.* item v. 22. *Nunq id domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis &c.?* Necnon *Judith c. 6. v. 21.* ubi textus sic habet: *convocatus est populus omnis, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.*

Propriè verò nomen *Ecclesiæ* hìc si- 9
gnificat *Societatem* seu *Cœtum Vocatorum.* Quia nemo se ad populum Dei adjungit per se, & proprio instinctu, sed quotquot veniunt, omnes à Dei vocatione præveniuntur. Est enim vocatio primum beneficium, quod Sancti à Deo recipiunt juxta Apostolum Rom. 8. v. 30. *Quos vocavit, hos & justificavit.* Et hinc etiam idem Apostolus in omnibus ferè epistolis suis Christianos semper *Vocatos* nuncupat. Proinde quæ in veteri Testamento *Synagoga*, id est, *Congregatio* dicebatur; in novo *Ecclesia*, id est *Evocatio* nominatur, inquit S. Augustinus. (*a*)

Hoc sensu Ecclesia pluribus modis su- 10
mitur: 1mo. Pro iis fidelibus, qui in una eademque domo & familia commorantur. Rom. 16. v. 3. & 5. *Salutate Priscam & Aquilam .... & domesticam Ecclesiam eorum.* 2do. Pro iis fidelibus, qui in una Parochia sub uno Pastore degunt. Ita passim apud Scriptores Ecclesiasticos. 3tio. Pro cœtu fidelium, qui totus in una civitate una subjicitur Episcopo 1. Corinth. cap. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* 4to. Pro ea fidelium societate, quæ in pluribus Civitatibus & Diœcesibus, adeoque in una provincia vel etiam ampliori ditione & regione, natione aut Regno, vel etiam amplissima totius terrarum Orbis parte uni & eidem Episcopo superioris cujusdam gradus, qualis est e. g. Archiepiscopus, Primas, vel Patriarcha, subjicitur. *Ad Tit. c. 1. v. 5. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros*, id est, *Episcopos.* 5to. Pro ipso Tribunali Ecclesiæ, seu pro ipso Præsule & Pastore Ecclesiæ, cujus est

(*a*) In Psalm 81.

est regere plebem sibi à Deo commissam. (*b*) *Si autem non audierit, dic Ecclesiæ*, id est, Ecclesiæ Præsulibus & Episcopis, quibus nempe data est potestas à Deo ligandi & solvendi (*c*), & per consequens regendi; Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* 6to. denique sumitur Ecclesiæ nomen pro universa Christianorum gente. His præmissis

11 Definimus Ecclesiam: *quòd sit Cœtus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè Romani Pontificis.*

12 Legitimam esse hanc *Ecclesiæ* definitionem, habetur 1mo. Quòd in Ecclesia Christi duo essentialiter requirantur, conjunctio seu unio scilicet eorum, qui illam constituunt; & subordinatio seu dependentia eorumdem ab iis, qui hanc societatem regunt & moderantur. Cùm enim in Scripturis Ecclesia vocetur *Civitas* Psalm. 47. v. 2. Matth. 5. v. 14. Apocal. 21. v. 16. *Domus* ad Timoth. 3. v. 15. *Regnum* Matth. 13. *Ovile*, *Corpus*, Coloss. 1. v. 25. Non potest sub iis titulis & imaginibus concipi sine conjunctione & unione membrorum, & dependentia ab iis, qui præsunt: atqui hæc duo explicantur in nostra definitione, *unio* scilicet, quæ fit per eandem fidei professionem, & eorumdem Sacramentorum communionem; necnon *subordinatio*, per dependentiam à legitimis Pastoribus, ac præcipuè Romano Pontifice.

13 Prætereà certum est, prout suô locô demonstrabimus, esse in Ecclesia activam judicii, doctrinæ, & regiminis auctoritatem planè indefectibilem & infallibilem; quæ Laicis non competit, sed Ministris à Deo institutis propria est, quos qui audit, Christum ipsum audit. Ergo rectè definiri non potest Ecclesia sine legitimis illis Ministris, quorum primus & Caput jure divino est Romanus Pontifex.

2do. Quia complectitur omnes partes Ecclesiæ, & ab ea excludit, quidquid ab ea excludendum est. Tria enim in Ecclesia notantur, quorum si vel unum desit, non potest quis de illius corpore & gremio censeri: scilicet *professio fidei Christianæ*, *Sacramentorum communio*, *subjectio legitimis Pastoribus.* Defectu primæ conditionis excluduntur omnes Infideles & Hæretici. Defectu secundæ, excluduntur Catechumeni & Excommunicati. Defectu tertiæ, excluduntur Schismatici, qui tametsi fidem habeant & Sacramenta, legitimo tamen Pastori non obediunt, atque idcircò foris, & extra Ecclesiam fidem profitentur, & Sacramenta suscipiunt. 14

Hanc Ecclesiæ definitionem tradiderunt SS. Patres. Cyprianus Epist. 69. ad Pupian. *Illi*, inquit, *sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata & Pastori suo grex adhærens.* Atque pluribus necessitatem urget, quæ omnibus fidelibus incumbit, subjiciendi se legitimo Pastori. 15

Ante ipsum S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. cap. 3. successionis Pastorum in Ecclesia præsertim Romana mentionem facit: *ad hanc* (Romanam nempe) *Ecclesiam*, inquit, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.* Deinde Romanos Episcopos enumerat usque ad Eleutherium, qui tunc temporis sedebat, additque *per eos, Apostolorum traditionem & veritatis*

(*b*) Matth. 18. v. 17. (*c*) Ibid.

fitatis prœconisationem usque ad suam ætatem perveniſſe.

16 Tertullianus lib. de præſcript. cap. 31. longo textu ſucceſſionem Apoſtolicam in veris Apoſtolicis Eccleſiis requirit, exiſtimatque, ad rationem veræ Eccleſiæ neceſſariam eſſe Paſtorum legitimam ſucceſſionem, debitamque iis obedientiam quos, niſi Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris ſucceſſiſſe compertum ſit, tanquam legitimos, & veros Chriſti Sponſæ Miniſtros ac Paſtores non eſſe agnoſcendos pronuntiat.

17 Optatus lib. 2. cont. Parmen. poſtquam deſcripſit dotes & characteres Eccleſiæ Catholicæ, ſubjungit dependentiam ſeu ſubjectionem legitimis Paſtoribus, in quibus occurrit illa ſucceſſio, & præſertim Epiſcopo Romano, qui ſedet in Cathedra Petri; poſtmodùm refert omnes illos Pontifices, qui à S. Petro usque ad Syricium hanc Romanam Sedem occuparunt, *in qua una Cathedra*, inquit, *unitas ab omnibus ſervatur . . . . . ut jam Schismaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Et paulo poſt Adverſarios ſuos alloquens: *Veſtræ Cathedræ vos*, ait, *originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.*

18 Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Damaſum Papam. *Ego*, inquit, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior; ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.*

19 S. Auguſtinus Epiſt. 55. aliàs 165. ad Generoſum, inter argumenta, quibus probat, veram Eccleſiam non eſſe apud Donatiſtas, illud potiſſimùm affert, quod petitur ex ſucceſſione Epiſcoporum, præſertim Romanorum, quorum ſeriem texit à Petro usque ad Anaſtaſium, qui ſua ætate Romanæ præerat Eccleſiæ: *In hoc ordine ſucceſſionis*, inquit, *nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur.*

Hanc à Veteribus ad ſe transmiſſam doctrinam retinuêre poſteriores SS. Pontifices, inter quos Gregorius IX. qui Sæculo 13tio rebus Eccleſiæ præfuit, epiſt. 198. lib. 13. ſic loquitur: *Licet plures populi in cultu ſint Catholicæ fidei congregati, omnes tamen una cenſentur Eccleſia, dum uni Capiti Chriſti Vicario & Beati Petri ſucceſſori cervice reverentiam exhibent: reliqui verò, qui ſe ejusdem capitis membra non conſtituunt, quaſi monſtra ſine capite in viam perditionis abſcedunt &c.* 20

Solvuntur Objectiones 21

Contrà datam à nobis Eccleſiæ definitionem.

Ob. 1mo. Pars nobilior & anima Eccleſiæ eſt Fides, Spes & Charitas. Atqui in allata à nobis definitione earum nulla fit mentio. Ergo in ea nulla fit mentio partis illius nobilioris; adeoque non eſt integra, nec proinde bona.

Reſp. conc. totum argumentum. Ad id quod infertur Reſp. mancam eſſe definitionem noſtram, ſi ad partem Eccleſiæ inviſibilem reſpiciatur; ſecùs ſi ad viſibilem. Per noſtram definitionem præſuppoſitis iis, quæ ad Eccleſiæ animam pertinent, ut ſunt *Fides, Spes & Charitas*, nomiſi partem illius viſibilem, ſeu ſocietatem illam exteriorem, quæ corpus Eccleſiæ dicitur, & conſtat exteriori Fidei profeſſione, Sacramentorum participatione, necnon legitimis Superioribus & paſtoribus ſubjectione, quæ omnia continentur in noſtra definitione, intelligimus; omninò integra ergo ea eſt.

Inſt. 1mo. Sequitur ergo, quòd ii, qui ad Eccleſiæ animam non pertinent, necnon virtutibus Theologicis deſtituuntur, ſint tamen Eccleſiæ membra. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo &c. 22

Resp. Dist. Maj. Sequitur eos posse dici Ecclesiæ membra imperfecta, arida, putrida, & mortua, conc. perfecta & viva neg. maj. Qui Fide, Spe, & Charitate destituuntur, exteriori tamen professione Ecclesiæ sociantur, sunt quidem membra illius, sed imperfecta, arida, putrida & mortua, quippe qui interiori Ecclesiæ animâ sunt destituti. Ergo non quidem ad Ecclesiæ animam pertinent, benè autem ad illius corpus, quippe qui illius sint membra.

23 Inst. 2do. Membrum mortuum non est verum corporis membrum. Ergo qui ad Ecclesiæ corpus duntaxat pertinent tanquam membra mortua, vera non sunt Ecclesiæ membra.

Resp. Dist. ant. Membrum mortuum non est verum corporis membrum, si ab ipso corpore sit resectum, conc. si adhuc corpori sit conjunctum, quamvis tamen ab anima non informetur subdist. non est verum membrum vivens, conc. aridum & imperfectum, seu etiam mortuum neg. ant. Sicut in homine membrum etsi aridum nec ab anima, ut ajunt, informatum, tamen quamdiu ab ipsius corpore non est præcisum, non desinit esse illius membrum, licèt mortuum; sic in Ecclesia, qui illius animâ, quæ in Fide, Spe, & Charitate interiori consistit, destitutus quidem est, sed tamen exteriori professione illi sociatur & conjungitur, membrum illius esse non desinit, quamvis aridum & mortuum.

24 Ob. 2do. Hæreticorum societas habet & professionem Fidei externam, & usum Sacramentorum, necnon subjectionem legitimis Pastoribus. Ergo etiam ipsa est vera Ecclesia.

Resp. Dist. ant. Habet professionem Fidei externam integram & fundamentô certô & invariabili subnixam, Sacramenta utilia & omnia, Pastores Apostolicos & legitimos missione ordinaria aut extraordinaria præditos, necnon continua successione sibi substitutos; Neg. ant. Secùs invenitur apud Hæreticos; conc. ant. & neg. conf. Responsionis nostræ veritatem suis locis demonstrabimus.

§. II.

De Auctore & Origine Ecclesiæ. 25

Duo hîc nobis expendenda veniunt, primum, quisnam sit Ecclesiæ auctor; secundum, quænam sit illius origo, & antiquitas, seu quandonam inceperit.

Quantùm ad primum, notandum, quòd quatuor Ecclesiæ causæ ab Apostolo designentur Ephes. 5. vers. 25. 26. 27. *Efficiens*, his verbis: *Christus, qui se ipsum tradidit pro ea. Materialis*, fideles, quos Apostolus ipso Ecclesiæ vocabulo designat: *Formalis*, conjunctio ipsa fidelium inter se, & cum Christo tanquam Capite; quæ quidem unio tribus præsertim modis stringitur, scilicet ejusdem Fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, & ejusdem regíminis auctoritate. *Finalis* duplex, *proxima*, Ecclesiæ, & eorum, qui ad illam pertinent sanctificatio; *remota*, adeptio salutis & felicitatis æternæ. Utramque declaravit Apostolus his verbis: *Ut sanctificaret illam. . . . . Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Circa has Ecclesiæ causas nulla invenitur difficultas, nisi quoad *Efficientem* seu auctorem Ecclesiæ. 26

CONCLUSIO. I. 27

Solus Deus est auctor Ecclesiæ potestate independentiæ & supremæ auctoritatis; & solus Christus potestate excellentiæ & ministerii principalis: homines verò ad ipsius fundationem concurrerunt

in

in genere causæ ministerialis inferioris.
Tres sunt hujus Conclusionis partes; igitur Pars prima.

28 Prob. 1ma. Pars 1mo. Quia Deus universim & solus est operator omnium. Ergo etiam solus est auctor Ecclesiæ. 2do. Quia hoc titulô etiam Ecclesia speciatim Dei esse dicitur, Act. 20. vers. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo si Ecclesia Dei est, tunc ipse illius auctor esse dignoscitur. 3tio. Quia illius duntaxat esse potest auctoritate suprema Ecclesiam instituere, cujus est independenter à quocunque alio homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, & salutis per gloriam: Atqui hoc solius Dei est, Psalm. 83. vers. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et Job. 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Item solius Dei est, præscribere Ecclesiæ media necessaria & accommodata ad suum finem tum gratiæ, tum gloriæ obtinendum.

29 Prob. 2da Pars. Quia Christus est auctor Fidei & Sacramentorum, in quibus fundata est Ecclesia: Fidei quidem, Hebr. 12. vers. 2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem JEsum, qui propositô sibi gaudiô sustinuit crucem confusione contempta.* Sacramentorum verò, quia sicut passim observat S. Augustinus, quando dormivit Christus in cruce, implevit id, quod significatum fuerat in Adam, cui cùm dormiret, detracta est costa, & inde Eva efformata; sic Dominus cùm dormiret in cruce, lanceâ latus ejus apertum est, ex quo Sacramenta fluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ergo ipse est Ecclesiæ Auctor, & quidem per potestatem excellentiæ & ministerii principalis: ipsi etenim, in quantùm homo est, major potestas convenire non potest; neque etiam alia ratione auctor fuit Sacramentorum, quemadmodùm docent vulgò Theologi.

Prob. 3tia Pars. 1mo. Quia re vera quorumdam hominum, scilicet Apostolorum, ministeriô Deus uti voluit ad fundandam Ecclesiam à se institutam, quantùm ad executionem nempe institutionis ejusdem Ecclesiæ: Hinc dicuntur Apostoli fundamenta Ecclesiæ Psalm. 86. *Fundamenta ejus* (id est, *Ecclesiæ*) *in montibus sanctis* (id est, *Apostolis*) ut vulgò explicant SS. Patres & Interpretes. 2do. Quia disertè profitetur Apostolus se fundamentum posuisse illius ædificii spiritualis apud Corinthios: *Secundùm gratiam, quæ data est mihi*, inquit, *ut sapiens architectus fundamentum posui*; quod quidem postea affirmat, non aliud esse à Christo. Ita 1. Corinth. 3. vers. 10. & 11. 3tio. Quia ad Ephes. 2. v. 20. Prophetæ & Apostoli Ecclesiæ & mystici Templi fundamenta dicuntur: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* 30

Nec etiam obest, quin Sacramenta ad ædificationem & formationem corporis Ecclesiæ in genere causæ efficientis & instrumentalis concurrisse dicantur. Sunt namque signa visibilia à Christo divinitùs instituta, quibus societas populi Christiani coadunatur; eaque tam necessaria sunt ad communionem & societatem inter homines devinciendam; ut propterea dictum fuerit à S. Augustino lib. 19. contra Faustum Manich. c. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coadunari homines posse, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* 31

Quod originem & antiquitatem Ecclesiæ spectat, observandum 1mo. Ecclesiam considerari posse tribus modis. 1mo. Secundùm latissimam significationem, prout nempè dicit multitudinem quamdam ex Angelis, sanctis hominibus, & fidelibus constitutam: quo sensu sanctus Augustinus in Psalm. 36. ait: *Ex omnibus fidelibus & Angelis fieri unam civitatem sub uno Rege, unamquamdam pro-* 32

 vinciam

vinciam sub uno Imperatore. 2do. Juxtà minùs latam significationem, prout nempe dicit multitudinem omnium fidelium tam veteris, quàm novi Testamenti; & ut hoc modo quis dicatur fidelis, sufficit fides in Christum simpliciter, abstrahendo à fide explicita vel implicita, à Christo sive nascituro, sive nato, morituro, vel mortuo. 3tio. Secundùm strictam significationem, prout scilicet est societas eorum, qui fidem habent in Christum jam natum & passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ Sacramentis, & Mysteriis.

33 Observandum 2do. Hîc non agi de Ecclesia secundùm primam vel tertiam considerationem, sed juxta secundam; de qua duo quæruntur. 1mum. An Ecclesia hoc modo sumpta Christum antecesserit, & ita in veteri Testamento floruerit, ut illius temporis fideles veri fuerint Christiani. 2dum. Quandonam inceperit illa Ecclesia, & in quo homine primum exordium sumpsisse verisimiliter asseri possit, an in Adamo, vel Abele &c. pro quibus duabus solvendis quæstionibus ponitur

34 ## CONCLUSIO II.

Ecclesia Christi non tantùm natalem Christi antecessit, sed etiam ita floruit tempore legis naturæ & scriptæ, ut tunc temporis veros extitisse Christianæ Religionis cultores asseri meritò possit. Hæc verò probabiliter initium habuit in ipso Abel.

35 Prob. 1ma. pars Conclusionis 1mo. Quia illi veri fuêre Christiani, qui Christianum vitæ genus & institutionem sequebantur, qui Christum venturum cognoverunt, qui Christiano, non Judaico more vivebant. Atqui tales fuêre fideles in lege naturali & scripta. Ergo &c.

Prob. min. testimoniô Eusebii lib. 1. Hist. c. 4. ubi, postquam longa oratione demonstravit, quòd licèt Christianum nomen novum sit, Religio tamen Christiana haud nova sit, sed inde jam à primo conditu generis humani instituta & exculta fuerit; necnon Christus Abrahamo, Isaac, Jacob, Moysi & aliis deinceps Prophetis apparuerit, eisque responsa dederit, ac proinde ab ipsis cognitus fuerit; tandem concludit, Religionem, quæ ab antiquis illis viris exculta fuit, & nuper per Christi doctrinam & prædicationem patefacta, esse omnium primam & antiquissimam. Idem docet lib. 1. Demonstrat. Evang. cap. 5. Additque lib. 6. hos Patriarchas Christiano more duntaxat, non Judaico vixisse.

Prob. 2do. Quia illi pertinent ad Ecclesiam Christi, qui salutem æternam non sunt assecuti, nisi per fidem in Christum; & quorum eadem planè fuit fides ac nostra, idem Caput Christus: atqui inter viros justos, qui tempore legis naturæ & scriptæ floruerunt, nullus æternam salutem consecutus est, nisi per fidem in Christum; atque eorum eadem plane fuit fides ac nostra, idem quoque Caput Christus. Ergo &c.

Prob. min. 1mo. Salvi facti sunt per fidem in Christum: ita expressè docet S. Augustinus Epist. 187. aliàs 57. ad Dardanum cap. 11. n. 14. ubi postquam dixit voluisse Christum mediatorem nostrum, ut Sacramentum regenerationis nostræ manifestum esset, addit: *Erat autem antiquis justis aliquod occultum, cùm tamen & illi eadem fide salvi fierent, quæ fuerat suo tempore revelanda.* Et Epist. 190. aliàs 157. ad Optat. cap. 2. num. 8. disertè docet, neminem salvum factum fuisse seu ante, seu post Incarnationem, nisi per fidem in Christum.

2do. Eorum etiam fuit eadem fides ac nostra: ita S. Augustinus Epist. 102. aliàs 49. quæst. 2. num. 12. *Sicut nos*, inquit, *in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum.*

Nec

Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideò fides ipsa variata, vel salus diversa est. Idem docet Epist. 187. aliàs 57. supra citatâ: *Illi credebant,* inquit, *Incarnationem futuram, nos autem credimus factam.*

3tio. Idem etiam Caput fuit Christus, ut docet Augustinus Conc. 3. in Psal. 36. *Omnes,* inquit, *qui ab initio Sæculi fuerunt justi, Caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos; ut esset & ipse totius Caput civitatis Jerusalem.*

Prob. 3tio. Quia eadem fuit Ecclesia apud antiquos fideles ante Christum natum, quæ est apud nos post Christum natum. Ergo ante Christum fuit Ecclesia.

Prob. ant. ex S. Augustino Serm. 4. de Jacob & Esau aliàs 44. de diversis. *Ecclesiam,* inquit, *accipite, non in his solis, qui post Domini adventum & nativitatem esse cœperunt sancti, sed quotquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent.* Et in Psalm. 128. docet, olim jam & ex quo sancti vocati fuerunt jam fuisse Ecclesiam; eam fuisse in Abel, in Enoch, in Domo Noë, in Abraham, in Loth, in populo Israël, atque tandem ventum fuisse ad Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Idem docet S. Gregorius Magnus Hom. 19. in Evang. de parabola patrisfamilias mittentis Operarios in vineam, ubi, *Quis,* inquit, *patrisfamilias similitudinem rectius tenet, quàm Conditor noster . . . . qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos pertulit, quasi tot palmites emisit.*

Denique Christus omni tempore, etiam in ipsa prima hominis ex limo formatione primum ac maximum fuit fidei ac Religionis objectum. *Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus,* ait bellè Tertullianus. Ergo eadem fuit ante Christum Ecclesia, ac nunc apud nos est.

Prob. 2da pars Conclusionis. 1mo. 36
Quia sic innuere videtur Apostolus Heb. 11. v. 4. ubi fidem Patrum veteris Testamenti commendans, incipit ab Abel his verbis: *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus.* Atqui Apostolus istam tum fidei, tum fidelium commendationem, ac proinde ipsius Ecclesiæ enumerationem ab Abel, Adamô prætermissô, incipere videtur, eoquòd, postquam Adam peccavit, de eo nihil eximium narret Moyses in Genesi; atque ideò nec ab ipso fidelium & Ecclesiæ initium ducere voluit Apostolus. Ergo Ecclesia probabiliter initium videtur habuisse in Abel.

Prob. 2do. Tum quia Abel omnium primus aliquo certè signo sensibili Deum coluisse legitur, eo, quem oportebat, pietatis, ac religionis sensu, ut Deo probaretur & placeret; prout testatur Scriptura Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Tum quia conveniens fuit ac consentaneum, ut Ecclesia, quam in Symbolo sanctam profitemur, ab eo inciperet, in quo primùm inter homines sanctitas & innocentia sine interruptione perseveravit, in signum sanctitatis, quæ in Ecclesia Christi nunquam esset defectura. Atqui primus omnium hominum talis fuit Abel, non verò Adam & Eva, quos constat excidisse à justitia & sanctitate, in qua conditi fuerant. Hinc non tantùm justus dicitur Abel, sed etiam veluti justorum primus commendatur à Christo Matth. 23. v. 35. *Ut veniat,* inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Altare.* Tum denique, quia Abel fuit typus & figura Christi & Ecclesiæ: fuit enim

enim pastor, virgo, & Martyr, ut observant SS. Patres; sicque triplex etiam repræsentavit genus hominum qui sunt in Ecclesia, scilicet, Pastorum, Virginum, & Martyrum; eorum enim dux fuit & antesignanus.

Prob. 3tio. ex S. Augustino. Enarrat. in Psal. 142. n. 3. loquens de civitate Dei, id est, Ecclesia, sic habet: *Hæc civitas initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas à Cain.*

Idem docet S. Gregorius Magn. Hom. 19. in Evang. ubi ait: *Ecclesiam incipere ab Abel justo, usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est.*

37 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. contra 1mam Conclusionem. Ex ista Conclusione sequitur, plura esse fundamenta Ecclesiæ. Atqui hoc est contra Apostolum negantem aliud posse poni fundamentum præter Christum. 1. Cor. 3. v. 11. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Sequitur plura esse fundamenta ejusdem rationis & ordinis atque primaria. neg. diversæ rationis & ordinis & subordinata, seu præter primarium, etiam alia sed secundaria tantùm. conc. Maj. & neg. min. & consf. Aliter Christus, aliter Apostoli, aliter Prophetæ fundamentum Ecclesiæ appellantur. Christus est fundamentū primariū; tum quia eam sanguine suo acquisivit, & sanctificavit: tum quia fides in Christum absolutè necessaria est, sine qua salus æterna obtineri nunquam potest. *Neque enim alind nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. v. 12. Apostoli autem & Prophetæ fundamenta dicuntur secundaria Ecclesiæ, in quantum doctrinam salutis de Christo Servatore divinitùs acceptam hominibus annunciarūnt: Prophetæ quidem obscuriùs; Apostoli autem manifestiùs & pleniùs: Prophetæ sunt fundamenta minùs proxima; Apostoli autem propinquiora. Hinc in Symbolo Ecclesia ab Apostolis dicitur Apostolica, non verò à Prophetis Prophetica.

Ob. 2do contra primam partem Conclusionis 2dæ. Ante adventum Christi eadem non fuit Veterum fides, ac nostra, imò nulla fuisse videtur, nam ait Apostolus (*d*): *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eandem fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Ergo ante adventum Christi non erat fides, nec consequenter Ecclesia, quæ sine fide stare non potest, siquidem est ipsamet fidelium collectio. 38

Resp. dist. ant. Eadem non fuit Veterum fides, ac nostra, quantùm ad modum conc. quantùm ad substantiam neg. ant. Equidem non fuit eadem Veterum fides ac nostra quantùm ad modum 1mo. Ex parte objecti: quia licèt idem fuerit, & sit fidei objectum, nempe Christus Mediator Dei & hominum; alia tamen fuit ejusdem objecti conditio respectu Veterum sub antiquo Testamento, alia respectu nostri sub lege Evangelica: illi enim credebant in Christū nasciturum, & moriturum; nos autem credimus in Christum natum & mortuum. 2do. Ex parte actûs & modi credendi: nam antiqui quamdiu fuerunt sub nube veteris Testamenti, ad fidem explicitam in Christum non tenebantur, sed sola ipsis sufficiebat implicita; quia nondum venerat tempus manifestationis & fidei magis evolutæ, de qua hîc loquitur sub nomine fidei Apostolus, non quòd velit Antiquos in veteri lege nullam omninò fidem habuisse, cùm disertis verbis dicat, *nos sub lege custoditos fuisse in eandem fidem &c.* Quoad substantiam verò eadem apud Veteres fides fuit cùm nostra: *Tempora solummodò variata sunt & verborum soni non verò fides. In venturum enim credebant, nos in eum, qui jam venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum*

(*d*) Galat. 3. v. 23. & 24.

venturum esse Christum, & eos, qui eum venisse crediderunt. inquit S. Augustinus Tract. 45. in Joan.

39 Ob. 3tio. Ecclesia fundata est à Christo Domino super Petrum, ut patet ex his Christi verbis (*e*): *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo non erat ante Christi adventum. Hinc S. Augustinus in Psal. 147. dicit: *Ecclesiam incepisse ab Jerusalem, atque hinc extendi ad omnes nationes.* Et in 1. Epist. S. Joan. ait: *Ibi inchoatam esse Ecclesiam, ubi venit de cælo Spiritus sanctus, & implevit in uno loco sedentes centum viginti.*

Resp. Dist. ant. Ecclesia secundùm strictam significationem sumpta, & prout est societas eorum, qui fidem habent in Christum jam natum & passum, fundata est à Christo super ipsum Petrum. Conc. Ecclesia in latiore significatione sumpta, quatenùs nempe includit multitudinem omnium fidelium tam veteris quam novi Testamenti. Neg. ant. & dist. etiam conf. Ergo non erat ante Christi adventum eo modo, quo nunc est, quatenus scilicet credit in eum, qui jam venit, & passus est, & de qua intelligendi sunt textus Matthæi, & S. Augustini, conc. Non erat Ecclesia simpliciter, quantùm ad substantiam & fidem in Christum licèt venturum duntaxat, tametsi nondum explicitam & evolutam, Neg. conf. Responsio patet ex superiùs dictis.

40 Ob. 4to. Si fuisset Ecclesia Christi in antiquo Testamento, possent etiam Veteres appellari Christiani. Atqui nomen hoc primùm post Christi ascensionem audiri cœpit, cùm scilicet Antiochiæ Discipuli primùm cognominati sunt Christiani. Ergo &c.

Resp. Neg. sequel. maj. Licet Veteres non fuerint appellati Christiani, re ipsa tamen fuisse Christianos docet Eusebius lib. 1. Hist. c. 4. *Nam, cùm Christiani nomine,* inquit, ***nihil aliud significetur, quàm vir, qui per Christi cognitionem atque doctrinam, modestiâ, justitiâ, tolerantiâ, fortitudine, & pietatis cultusque unius, qui super omnia est, Dei professione ornatus est; hæc omnia Veteres illi non minùs studiosè quàm nos excoluerunt.***

Idem expressè docet S. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. *Eadem igitur fides est,* inquit, *& in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt anteà Christiani, & in istis, qui non solùm sunt, verùm etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum sanctum.*

Inst. 1mo. Veri Christiani debent esse sub gratia, nihil enim magis Religioni Christianæ proprium est ac singulare, quàm gratia Joan. 1. v. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per JEsum Christum facta est.* Atqui Veteres illi non erant sub gratia, sed sub lege. Ergo &c. 41

Resp. neg. min. Quia, etsi Veteres illi Legis Mosaicæ præceptis essent adstricti, justitiam tamen à lege non expectabant, sed tantùm à fide Christi venturi. Neque peccato serviebant, adeoque erant sub gratia potiùs, quàm sub lege, sicque ad novum Testamentum potiùs pertinebant, quàm ad vetus, prout disertè tradit S. Augustinus lib. 3. cont. duas Epist. Pelagianorum. c. 4. Porrò propriè sub lege ii dicuntur, vel qui servitute legis Mosaicæ premuntur, gratiâ Dei, quam non agnoscunt, ad eam implendam non adjuti; vel ii certè, in quibus peccatum dominatur, juxta Apostolum Rom. 6. v. 14. ubi ait: ***Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia.***

Inst. 2do. Illi non sunt sub gratia, qui Christo Capiti non cohærent tanquam ipsius membra. Atqui justi veteris Testamenti Christo non cohærebant tanquam ipsius 42

(*e*) Matth. 16. v. 18.

ipsius membra; siquidem membra non sunt ante capitis productionem, Veteres autem illi fuerunt ante Christum, qui est Caput Ecclesiæ. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Nam Veteres illi Christo cohærebant tanquam Capiti per fidem aliaque veræ Religionis pia exercitia, quamvis ante ipsum nati essent, prout ait S. Augustinus. (*f*)

Ad probationem Dist. Membra non sunt ante capitis productionem, membra corporis naturalis, conc. Membra corporis mystici, quod est Ecclesia, neg. Caput corporis mystici, quod est Ecclesia, Christus videlicet est ab æterno in sinu Patris, licèt novum existendi modum obtineat in sinu Virginis Matris. Imò etiam secundùm naturam humanam dici potest esse ab æterno, in divina nimirùm prædestinatione: quo sensu dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*; quia nempe, quotquot justi extitêre ab origine mundi, & salvi facti sunt, pretiô sanguinis ipsius ac meritô gratiam & salutem sunt assecuti; atque hoc modô ipsi tanquam capiti adhæserunt.

43 Inst. 3tio. Unitas Religionis repetitur potissimùm ex participatione eorumdem Sacramentorum. Atqui Patres veteris Testamenti non habuerunt eadem cum nobis Sacramenta, neque idem Sacrificium. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Et habuerunt alia Sacrificia & Sacramenta suis temporibus convenientia, conc. nec habuerunt. Neg. min. Ex S. Augustino Ep. 102. non mutatur Religio licèt varia sint, & subinde mutentur Sacramenta & Sacrificia, modò scilicet eundem fidei Spiritum habeant, & ejusdem Mediatoris sanguine redempti sint.

Vel dici potest, Veteres non habuisse quidem eadem Sacramenta, quoad signa exteriora, habuisse tamen eadem quoad rem significatam, erant enim figura Sacramentorum nostrorum, eaque significabant. Ita S. Augustinus (*g*), quem vide.

Inst. 4to. Veris Christianis promissa est æterna felicitas: atqui Sanctis veteris Testamenti promissa non fuit æterna felicitas, sed tantùm temporalis, ut patet ex S. Augustino enarratione in Psal. 73. Ergo &c. 44

Resp. Dist. min. Non fuit promissa felicitas æterna, ut præmium, quod pertineret ad vetus Testamentum, conc. ut præmium proprium novi Testamenti. Neg. min. Quia propter fidem in Christum pertinebant ad novum Testamentum, iis quoque promissa fuit felicitas æterna, quæ beneficium est novi Testamenti planè singulare; ut docet S. Augustinus Epist. 140. aliàs 120. c. 2. n. 5.

Ob. 5to. Contra secundam partem Conclusionis secundæ. Exordium Ecclesiæ longè meliori jure ab Adamo, quàm ab Abele repeti debet; siquidem Adamus & omnium hominum primus fuit, & primus suam in Christum venturum fidem prophetico spiritu declaravit his verbis (*h*): *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Quæ verba S. Paulus exponit de Incarnatione. (*i*) *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est*, *ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Deinde creatus fuit cum virtutibus & donis gratiæ sanctificantis & justitiæ originalis; neque tantùm in statu innocentiæ fidem habuit, sed etiam charitatem, ut ait S. Augustinus. Ergo &c. 45

Resp. neg. maj. Ut enim aliquis dicatur principium, à quo incepit Ecclesia, non sufficit, quod priùs habuerit fidem & charitatem, sed requiritur 1mo. Ut fidem illam aliquo signo sensibili, & exteriori, Sacrificii nimirùm aut Sacramenti, palam & apertè professus fuerit. 2do. Ut in ipso primùm facta fuerit distinctio seu separatio ab

(*f*) Lib. de catechiz. rud. c. 19. (*g*) Tract. 26. in Joan. n. 12. (*h*) Genes. 2. v. 23. (*i*) Ephes. 5. v. 32.

ab opposita societate & Ecclesia malignantium. 3tio. Ut absque ulla prorsus interruptione servata fuerit ab eo sanctitas, quam in Ecclesia debere esse continuam certum est, nunquam ab ea recessuram. Verùm hæc omnia locum non habuerunt in Adam: non primùm; licèt enim habuerit primus fidem Mediatoris venturi, eam tamen non legitur professus signo aliquo exteriori & sensibili per Sacrificium aut Sacramentum, neque in statu innocentiæ, neque post lapsum: è contrà verò Abel fidem suam publicô Sacrificiô, ad quod Dominus respexit, protestatus est. Nec secundum: nulla enim in eo legitur facta separatio bonorum à malis; Ecclesiæ Sanctorum & Civitatis Dei, ab Ecclesia impiorum, & Civitate mundi: facta est autem in Abele hæc discretio, cùm nempè dicitur Dominus respexisse ad munera ejus, non verò respexisse ad munera Cain. Non tertium: cùm enim Adam lapsus fuerit per peccatum, non potuit esse typus Ecclesiæ, quantum ad sanctitatem, quæ in ea stabilis esse debet ac permanens.

46 Ob. 6to. Saltem poterit Adam pro principio Ecclesiæ statui in statu innocentiæ recuperatæ post lapsum. Valde enim probabile est, eum egisse pœnitentiam antequam nasceretur Abel; nec verisimile videtur, eum à gratia excidisse, postquam eam semel recuperavit. Deinde etsi exciderit à gratia, in qua conditus fuit, non tamen excidit à fide, quia peccatum, quô tunc lapsus est, infidelitatis non fuit. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Nec enim pro illo etiam statu dici potest incepisse Ecclesia ab Adam, quia agimus hîc de Ecclesia, quatenus fidem suam exteriùs profitetur per Sacrificia & signa sensibilia: nullo autem Scripturæ testimonio constat, Adamum obtulisse Sacrificium, antequam ab Abele oblatum fuerit; imò nec ullibi Scriptura commemorat, ullum aliquandò ab eo oblatum fuisse. Hinc S. Paulus Heb. 11. fidem Veterum commendans, incipit ab Abel, tanquam ab eo, qui primus omnium legitur obtulisse Sacrificium.

Quod additur, Adamum à gratia recuperata non ampliùs excidisse, parùm juvat, quia, etsi id constaret, cùm sanctitas Ecclesiæ continua esse debet, & non interrupta, potiùs sumendum videtur initium Ecclesiæ ab eo, qui integram, & perseverantem habuit, & in quo facta est primùm separatio inter bonos & malos, quæ in Abele facta est.

Quodsi etiam additur, Adamum à fide non excidisse, æquè parùm juvat; nam sola in fide perseverantia non sufficit, nisi ipsi etiam juncta sit perseverantia in sanctitate.

Inst. Initium Ecclesiæ ab eo potiùs repeti debet, à quo per continuam propagationem ortum est genus humanum. Atqui talis est Adam; non verò Abel, ut qui nec filios nec filias habuisse legatur. Ergo &c. Maj. prob. à pari. Sicut principium Ecclesiæ malorum activum fuit, & propagativum aliorum post se, scilicet Cain, quem refert Scriptura genuisse filios & Filias; ita etiam principium Ecclesiæ bonorum. Denique, si Abel fuit initium Ecclesiæ, ubinam illa remansit, postquam Abel occisus fuit à fratre suo Cain? Ergo &c. 47

Resp. neg. maj. Necesse enim non est, ut initium & exemplar sanctitatis ac justitiæ sit principium activum generationis secundùm carnem, quandoquidem sanctitas non transfunditur per hujusmodi propagationem.

Ad Prob. maj. neg. ant. Licèt Cain genuerit filios & filias, non inde sequitur, nequitiam ipsius transfusam fuisse in posteros per generationem; sed tantùm per imitationem & vim exempli mali, ac institutionis perversæ.

Ad ultimum, quod additur, dici potest Ecclesia remansisse etiamnum in posteris Cain, vel in Adamo & Eva; nec tamen inferri potest, ab illis eam duxisse initium, cùm nec perseveraverint in sanctitate

tate primùm accepta, nec in eis discretio facta fuerit bonorum & malorum; nec aliquo signo sensibili fidem suam professi legantur.

48 Ob. 7mo. Ecclesiæ initium videtur statui debere in Enos, de quo dicitur Gen. 4. v. 26. *Iste cœpit invocare nomen Domini;* aut etiam in Seth filio Adæ, à quo propagati sunt homines sancti & justi. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Justissimi quidem fuerunt Enos & Seth; & Abel ipsis fuit exemplar sanctitatis & fidei, præsertim quantùm ad discretionem & separationem bonorum à malis.

49 Ob. 8vo. Ecclesia est collectio fidelium, atqui Abel solus non potuit esse illa collectio. Ergo Ecclesia non potuit esse in solo Abel.

Resp. Dist. maj. Ecclesia completivè sumpta & in ratione communitatis & collectionis, quam importat ipsum Ecclesiæ vocabulum, est collectio fidelium, conc. Ecclesia initiativè sumpta & ratione fidei, in qua fundatur, & à qua quisque dicitur esse de Ecclesia & pertinere ad Ecclesiam, neg. maj. & conc. min. dist. pariter conseq.

50 Ob. 9no. Ab Abraham potiùs videtur sumi debere exordium Ecclesiæ: de eo enim scribit Apostolus Rom. 4. v. 11. *Quòd signum acceperit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium.* Ergo &c.

Resp. neg. ant. Abraham dicitur pater omnium credentium, non quòd ab eo primùm facta fuerit discretio bonorum à malis, aut quòd ipse primus omnium fidem protestatus fuerit per aliquod Sacrificium exterius & visibile, sed quòd ipse primus omnium novô signô, videlicet acceptæ circumcisionis, veram fidem & promissionem de Messia ex sua stirpe venturo contestatus fuerit, quamvis jam aliunde declaratam & cognitam exteriùs per Sacrificia, quæ præcesserant in Abel & aliis superiorum ætatum Patriarchis, & fidelibus.

Dicitur etiam Pater omnium credentium hoc sensu, quòd, postquam omnes ferè à veri Dei cultu declinassent ad idololatriam, ipse nunquam à fide recesserit; sed in ea constanter permanens cæteris etiam factus fuerit exemplar fidei, justitiæ, & Religionis, in quo primùm per circumcisionem, quæ fuit signaculum justitiæ fidei, discreti sunt credentes à non credentibus.

CAPUT II. 51

De Notis seu Characteribus Ecclesiæ.

EXplicatâ Ecclesiæ naturâ & origine propositus à nobis ordo exposcere videtur, ut modò veras illius notas seu characteres exponamus, quorum vi à quacunque alia hominum societate, quæ vel ipsam mentitur, vel cum ea similitudinem quamdam videtur habere, secernatur. Cùm enim etiam iis, qui à nobis nostraque fidei professione alieni sunt, ultrò fatentibus, extra veram Dei Ecclesiam nulla sit salus, apprimè cuique convenit rescire, ubi illa vera Christi Ecclesia sit? ad hanc cognitionem autem nonnisi certarum quarumdam Notarum, & Characterum adminiculô pervenitur, qui non modò notiores ipsâ Ecclesiâ, sed & ita ipsi proprii esse debent, ut saltem simul sumpti nulli alteri possint convenire, ita clari & obvii, necnon cognitû faciles, ut eidem Ecclesiæ evidentiam tribuant, non quidem veritatis simpliciter & absolutè, sic enim absque ulla controversia ab omnibus agnosceretur; sed credibilitatis duntaxat, ut scilicet ab illius signis & characteribus evidentiam credibilitatis accipiat.

In assignandis verò his Ecclesiæ Christi Notis & Characteribus nobiscum non conveniunt ii, qui Romano Pontifici non parent; nec etiam ipsi Catholici inter se conveniunt, dum alii plures, alii pauciores requiri tuentur. 52

Ii

Ii, qui apud nos vulgò Acatholicorum nomine veniunt, Lutherani nempè, & Calvinistæ duas tantùm Ecclesiæ Christi notas admittunt, *sinceram* videlicet *verbi Dei prædicationem* seu *Doctrinæ veritatem*, &, quod ex ea consequitur, *legitimum Sacramentorum usum*. Ita Confessio Augustana Art. 6. Apolog. ejusdem. Brentius in Confess. Wittenberg. cap. de Eccles. Et Calvinus lib. 4. Instit. c. 1.

53 Quam suam sententiam fulcire conantur 1mò ex S. Scriptura Matth. 18. v. 20. ubi congregari in nomine Christi pro vera Ecclesiæ nota assignatur. Joannis 10. v. 27. *Oves meæ*, inquit Christus, id est, qui sunt ex Ovili meo, quod est Ecclesia, *vocem meam*, doctrinam nempè meam, *audiunt*. Ibid. c. 15. v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* At verò illa est vera Ecclesia, quæ munda est coram Deo propter ejus sermonem seu doctrinam. Ephes. 5. v. 27. Apostolus de Ecclesia sic loquitur: *mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ*, id est, verbô Dei.

54 2dò ex SS. Patribus. S. August. Epist. 105. ad Donatist. aliàs 166. Et lib. de Unit. Eccles. adv. eosdem Donatistas. Item lib. cont. Ep. fundamenti c. 4. docet, Ecclesiam non aliter cognosci & probari posse, quàm per verbum Dei seu Scripturas. Idem tuetur S. Chrysost. Hom. 94. in c. 24. Matth.

55 3tiò. Rationibus. 1mo. Quia verbum Dei est per se efficax, & ubicunque prædicatur aliquos fideles, & bonos efficit, adeoque Ecclesiam. 2do. Quia si doctrinæ veritas, quam Spiritûs S. unctio humilibus aperit, non sit vera Ecclesiæ nota, nusquam rudes & imperiti veram Christi Ecclesiam dignoscere poterunt: non enim generalia illa credibilitatis motiva, quæ omnibus Christianis societatibus sunt communia, atque Hæreticis non minùs perspecta, quàm Catholicis, sufficere videntur, ut omnibus Christianis veram certissimè demonstrent Christi Ecclesiam. 3tio. Quia Scriptura, quæ est ipsum verbum Dei, notior est ipsâ Ecclesiâ, quandoquidem per ipsam probatur Ecclesia. 4to. Quia nulla res cognosci potest absque cognitione eorum, quæ ad ejus essentiam pertinent, & ipsius definitionem ingrediuntur: cùm ergo vera Christi doctrina pertineat ad essentiam Ecclesiæ, & ejus definitionem ingrediatur; definitur enim, *Societas veram Christi doctrinam, & fidem profitentium.* Ergo vera Ecclesia sine cognitione veræ Christi doctrinæ cognosci non potest.

At contrà Catholici tuentur, nec veram Christi doctrinam, nec legitimum Sacramentorum usum esse veras notas, quibus certò dignosci possit Ecclesia Christi, & discerni à quacunque alia falsi nominis Ecclesia. 56

Idque probant 1mo. Quia illæ notæ nec veræ sunt, nec dici possunt Ecclesiæ Christi notæ, quæ non habent conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitas: Atqui neque vera Christi doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus habent conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitas. Prob. min. Conditiones ad veram Ecclesiæ notam prærequisitæ ex dictis initiô hujus capitis sunt hæ tres: 1ma. ut sit propria & non communis. 2da. ut sit notior & clarior re, quam significat, sive cujus nota est, id est, ipsâ Ecclesiâ. 3tia. ut sit sensibilis & obvia, & omni hominum generi & conditioni accommodata. Atqui conditiones hujusmodi non habent vera Christi doctrina, & legitimus Sacramentorum usus. Ergo &c.

Prob. min. Non habent primam: nulla namque unquam fuit Hæreticorum Secta, quæ non jactaret se puram habere Christi doctrinam, & ejus Sacramenta: nulla, quæ errorum suorum patrocinium ex Scripturis non repetierit; nulla etiam, quæ non contenderit, veram esse apud se Ecclesiam, prout testantur SS. Patres, Lactantius lib. 4. Instit. c. 29. Cypr. Ep. ad Jubajan. August. lib. de unit. Eccl. c. 2. & cont. Ep. fundam. c. 4. & alii &c. Atqui fieri non potest, ut doctrinæ veritas, quam tot di-

versæ Hæreticorum Sectæ sibi vindicant, & de qua disputatur, propria esse possit veræ & unius Christi Ecclesiæ nota; hæc enim inter tot errorum monstra & portenta subsistere nequit. Ergo &c.

75 Confirmatur 1mo. In mente Lutheranorum & Calvinistarum Ecclesia constat solis justis ac prædestinatis. Atqui per veram Christi doctrinam & ejus Sacramenta nunquam demonstrari poterit, quinam sint prædestinati & verè sancti; ac proinde iis nunquam dignosci poterit, ubinam, & quæ vera sit Ecclesia Christi. Ergo &c.

Confirmatur 2do. Vel illa pura doctrina, quam pro nota Ecclesiæ assignant Adversarii, debet esse ita pura, ut vel minimum excludat errorem, vel solum eos, quos vocant fundamentales. Atqui neutrum dici potest. Non 1mum; alioqui enim neque apud Lutheranos, neque apud Calvinistas esset vera Ecclesia; tùm quia Lutherus lib. de Ecclesia, & Calvinus lib. 4. Instit. c. 1. §. 12. fatentur, verbum Dei ita esse notam Ecclesiæ, ut tamen aliquando magis purè, aliquando minùs purè annuntietur; tùm quia non diffitentur suas Ecclesias nævos aliquos habere; tùm denique, quia necesse est vel Lutheranos, qui præsentiam Corporis Christi realem in Eucharistia admittunt, vel Calvinistas, qui eam negant, errare contra veritatem à Deo revelatam.

Non 2dum 1mo. Quia hoc pactô nota communis erit pluribus Sectis. Lutherani enim & Zwingliani non dissentiunt circa præcipuum fidei fundamentum, putà Trinitatem, & Incarnationem. 2do. Quia nondum inter se convenire potuerunt Protestantes, quinam errores sint fundamentales.

Non etiam habent secundam conditionem. Si enim tam obscurum sit, imò magis adhuc, dignoscere, quænam sit pura Christi doctrina, quænam pura ejus Sacramenta, quàm quæ sit vera ejus Ecclesia; tunc certè dici non potest hæc duo notiora esse ac clariora, quàm sit ipsamet Ecclesia. Atqui tam obscurum est, imò longè magis, dignoscere, quæ sit pura Christi doctrina, & quæ vera ejus Sacramenta, quàm quæ sit vera Ecclesia. Ergo &c.

Prob. min. Ut certò cognoscatur, quæ vera sit Christi doctrina, tria constare debent, 1mo. Verbum Dei, in quo illa doctrina continetur, esse re ipsa verbum Dei. 2do. Versiones librorum, in quibus legitur hoc verbum Dei, esse fidelissimas; & ipsos fontes ab omni errore saltem fundamentali esse liberos. 3tio. Quinam sit sensus illius verbi, quænam legitima interpretatio. Atqui difficile admodum necnon arduum est, ne dicam impossibile, hæc omnia ab unoquoque privato dignosci & explorari, cujus prorsùs incapaces sunt rustici, plebeji, illiterati &c. Quin & litterati ipsi ac docti de hisce tribus graves habent inter se concertationes prout ostendimus in Tractatu de S. Scriptura, ubi de Canone, & sensu illius egimus, & etiam alibi passim; quæ concertationes proinde privatorum judiciô & auctoritate finiri ac terminari nunquam possunt. Ergo &c.

Nec denique tertia conditio ad veram & propriam Ecclesiæ notam requisita convenit veræ Christi doctrinæ &c. Prob. 1mo. Vera Christi doctrina nec sensibilis est, nec obvia, nec omni hominum generi atque conditioni accommodata. Ergo &c. Prob. ant. tùm quia simplices, rustici, illiterati, plebeji &c. prorsùs sunt incapaces discussionis seu examinis doctrinæ istius, tenentur tamen illi, si salvi esse velint, veram Christi Ecclesiam agnoscere, & ad eam se recipere: tùm quia vera Christi doctrina cognosci non potest solo lumine naturali, & per cognitionem ortam à sensibus; tanta enim est mysteriorum ejus sublimitas, ut omnem humanæ rationis captum longè superet; & ita incredibilis appareat, ut stultum videatur & infamiæ genus iis assentiri, ipso Apostolo teste 1. Cor. c. 1. v. 18. & v. 23. Item c. 2. v. 14. Ergo vera Christi doctrina &c. non potest esse nota veræ illius Ecclesiæ, sed aliunde hæc petenda videtur.

Prob.

Prob. 2do. Signum rei cujuslibet distinguitur à re significata, neque pertinere potest ad ejus essentiam; alioquin enim signum aliud foret necessarium, quo discerneretur. Atqui vera Christi doctrina pertinet ad essentiam Ecclesiæ, prout ipsimet contendunt Adversarii supra argumentô quartô à ratione ab ipsis traditô; imò est pars illius essentiæ, quæ est invisibilis. Ergo &c.

Prob. 3tio. De vera Christi doctrina & legitimo consequenter Sacramentorum usu non modo Adversarios inter & nos Catholicos, sed & inter se ipsos lis est & disputatio atque dubium. Ergo deest ipsis tertia notæ conditio. Ant. patet. cons. pb. De quo est disceptatio, lis, & dubium, illud clarum non est sed obscurum, nec omnibus accommodatum. Atqui juxta tertiam conditionem, nota Ecclesiæ debet esse clara, sensibilis, obvia, & omni hominum generi, & conditioni accommodata. Ergo talis nota non potest esse Doctrina Christi & legitimus Sacramentorum usus.

Prob. 4to. Ad Ecclesiam solam pertinet proponere & determinare, quæ vera sit Christi doctrina, est enim Ecclesia viva & spirans doctrinæ regula, quam in dubiis circa fidem consulere tenemur; Ergo vera Christi doctrina non potest esse nota Ecclesiæ. Consequentia clara est; quomodo enim vera Christi doctrina esse poterit signum Ecclesiæ, nisi priùs constet, quæ sit vera doctrina? Non constat autem nisi per Ecclesiam. Antecedens non minùs certum est ex communi Patrum sententia, ut fusè ostendemus, ubi de supremo Judice controversiarum fidei agemus. Interim revocemus in mentem ea, quæ sup. cit. Tractatu de S. Scriptura disseruimus, ubi nobis de Canone & sensu Scripturarum sacrarum erat sermo.

Ad Argumenta ab Acatholicis proposita, & à nobis superiùs relata respondent Catholici, & quidem ad textus S. Scripturæ.

Primò. Adducti ab Adversariis Scripturæ textus non videntur præsenti controversiæ satis accommodati; nam nota veræ Ecclesiæ non est congregari quomodocunque in nomine Christi; sic enim omnes Hæretici, cùm contendant, se esse congregatos in nomine Christi, veram Ecclesiæ Christi notam etiam habebunt; sed congregari per auctoritatem à Christo acceptam, sub legitimis nempe Pastoribus & Episcopis, qui continua ab Apostolis traditione, & successione pro Christo ad fideles legatione funguntur &c. Et hoc sensu nota ista concidit cum Apostolicitate Ecclesiæ, de qua paulo post. 59

Ad 2dum. Neque, simili ratione, vocem Christi audire videtur esse nota Ecclesiæ: siquidem omnes Hæretici etiam gloriantur, se audire vocem Christi. Deinde textus iste Joan. 10. v. 27. probat quidem, quinam sint electi, non verò, quæ sit vera Ecclesia, & ubinam reperiatur. 60

Ad 3tium. Textus ille Joan. 15. loquitur de mundatione, quæ fit per verbum Dei, quæ per se est invisibilis; adeoque probat tantùm Ecclesiam mundam esse coram Deo, sed non probat eam mundam esse coram hominibus, atque sic coram ipsis manifestam fieri, quod tamen præstare debet vera Ecclesiæ Christi nota. Eadem est responsio ad 4tum textum ex Apostolo Ephes. 5. v. 27. adductum. 61

Æquè parùm ad rem facere videntur loca ex S. Augustino citata. Nam in iis, quæ adversùs Donatistas sunt, supponit hic S. Doctor, veram doctrinam per Ecclesiam esse dignoscendam, non verò Ecclesiam per doctrinam. Et quando videtur probare sacram Scripturam & doctrinam in ea contentam veram esse Ecclesiæ notam, non eo sensu est intelligendus, quasi existimet, eam esse notam quamdam simpliciter & respectu omnium etiam infidelium, qui Scripturas non admittunt; sed solummodo esse notam secundùm quid, & ex hypothesi, idque respectu eorum, 62

qui

qui Scripturas agnoscunt. Scriptura ergo est Ecclesiæ nota, non quòd præter illam non sint aliæ, sed quòd nullæ sint, quæ ab ea testimonium non habeant, & ejus auctoritate non fulciantur. Itaque cùm agimus adversùs eos, qui Scripturarum auctoritatem agnoscunt, solæ sufficiunt Scripturæ, ut edoceamur, quæ sint Ecclesiæ notæ, eas enim omnes Scriptura declarat, juxta S. Augustinum Ep. 105.

63 Ecclesia igitur & Scriptura mutuam sibi communicant lucem: Ecclesia Scripturæ veritatem probat, Scriptura Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, quamquàm in dispari probationis gradu. Ecclesia, utpote societas externa & visibilis, prior est ac notior Scripturâ, cujus aperta nobis & evidens fit veritas ex variis, quibus undique splendescit motivis credibilitatis, notis nempe seu characteribus, quibus illustrata & munita est. Sic autem demonstratâ Ecclesiæ veritate, Ecclesia ipsammet Scripturam, cujus custos est ac interpres, demonstrat; & vicissim Scriptura supremam & infallibilem auctoritatem Ecclesiæ probat, & asserit: Nec tamen hæc mutua probatio vitiosus est circulus, cum fiat in diverso probationis gradu.

64 Quæ autem ex eodem S. Augustino, ubi contra Manichæos disputat, adducuntur testimonia, non ex propria sua mente atque sententia, sed in illorum duntaxat hypothesi, quam ipsemet non admittit, fatetur, veram doctrinam esse notam Ecclesiæ; non enim aliam Ecclesiæ notam admittebant Manichæi præter doctrinæ veritatem, quam tamen non adeo evidentem & manifestam esse tuebatur. Ergo, ut dictum, non ex sua sententia, sed in hypothesi duntaxat Manichæorum, quam non admittit hîc loquitur S. Augustinus.

65 Quod Chrysostomum attinet, citatum ab Adversariis Opus, non est illius; tum quia utitur vulgata versione latina S. Scripturæ: tum quia citat Libros apocryphos, librum nempe Seth, Ezechiæ, Itinerarium Clementis, quorum certè nullus apud genuinum Chrysostomum usus: tum etiam quia multa continet dogmata falsa, hæretica, veræ S. Chrysostomi doctrinæ planè adversa.

Eo tamen sensu in mente hujus Auctoris dici potest Scriptura nota Ecclesiæ, quòd ipsa sola nobis subministret veras notas, quibus possumus eam secernere ab Hæreticorum conventiculis, cum quibus multa communia habemus.

Quantum denique ad ea, quæ à ratione adducunt Adversarii argumenta. Primum, si quid probat, planè non aliud evincere videtur, quàm, quòd, ubi verbum Dei prædicatur, aliqui boni efficiantur, quin tamen illos cognoscamus; quomodo ergo ad hujusmodi Ecclesiam aditus nobis patere potest? Deinde verum est, verbum Dei esse per se efficax, & semper sanctificare, cùm legitimè prædicatur ab hominibus legitimam potestatem habentibus, & ab auctoritate legitima missis; aliàs etiam sæpe contingit, illud annuntiari apud hæreticos variarum sectarum, ubi tamen non fructificat, neque aliud profert, nisi lolium & zizaniam. 66

Quod secundum spectat, verum quidem est, generalia illa motiva, quibus evidenter (evidentiâ, ut vocant, extrinsecâ) vera ostenditur Christiana Religio, non omnibus statim clarè ac distinctè demonstrare ac palam facere specialem credentium in Christum societatem, quæ vera dicitur, & est Christi Ecclesia: at nullus est tam rudis & tardi ingenii, qui si vel minimum attendere voluerit ad sanctitatem, antiquitatem, extensionem, universalitatem, consensionem populorum, perpetuam & nusquam interruptam Pastorum successionem, statim non inferat, Romanam Ecclesiam, cui soli characteres illi conveniunt, veram esse Christi Ecclesiam. Profectò hæc longè clariùs innotescunt, quàm veritas doctrinæ, de qua tot moventur disputationes, & unctio 67

pri-

privata Spiritûs sancti, quæ adeo æquivoca est, & apertam viam pandit phanatismo.

68 Ad tertium Resp. Scripturam notiorem esse Ecclesiâ secundùm quid, cùm nempe ii, qui inter se disputant, de ipsa conveniunt, & clarè loquitur, necnon quæstio est de ipsa Ecclesia. Sic cùm olim disputaret S. Augustinus contra Donatistas, ubinam esset vera Ecclesia? quia ipsi Scripturas admittebant, & aliunde claræ erant, idcirco Scripturis utebatur, ut probaret, Ecclesiam non esse in sola Africa. Non est tamen notior simpliciter, & absolutè: tùm quia Ecclesiæ ipsi data est Scriptura, quam aliis tradit, & explicat; tùm quia facilius est Ecclesiam dignoscere, quàm Scripturam ubique intelligere. Hinc cùm S. Augustinus de Baptismo Hæreticorum contra Donatistas ageret, quia circa eundem obscura erat Scriptura, & notior Ecclesia, idcirco validum eum probat, quòd eum admitteret Ecclesia.

69 Deinde sicut, cùm à Testatore institutus est Executor & Interpres Testamenti, ab ipso inquirendum est, quæ sit voluntas Testatoris, si fortè obscurè proposita sit, vel alia occurrat difficultas: ita pariter, cùm Christus voluntatis suæ interpretem statuerit Ecclesiam, hæcque clariùs loquatur, & manifestare possit, quæ sunt obscuriora in Scripturis, idcirco simpliciter dici debet notior Ecclesia, quàm Scriptura.

70 Quartum tenet equidem, si quæstio sit de cognitione rei perfecta, &, prout Schola loquitur, quidditativa, qua nimirùm penetretur quid res sit, & quæ sit ejus essentia: secus verò, si quæstio sit de cognitione minùs perfecta, & non secundùm essentiam, seu de ea duntaxat, quæ sufficit, ut cognoscatur, ubi, & quænam res illa sit. Profectò plurima cognoscimus certò & evidenter, quantum satis est, ut ea certò ab aliis distinguamus, quorum tamen essentiam penetrare non possunt etiam perspicacissimi: sic facilè est, & omnibus obvium secernere frigus à calore, lucem à tenebris, locum, tempus &c. ea tamen intelligere & explicare nihil difficilius. Sic fatemur Ecclesiæ naturam non posse cognosci, quin vera Christi doctrina cognoscatur; sed necesse non est, ut ejus natura penetretur ab iis omnibus, à quibus adiri debet: alioqui vel rudioribus non pateret, vel saltem eam ingredi non tenerentur, cùm ipsius cognoscendæ sint incapaces, aut ex imperitia, aut ex defectu ingenii. Præterea tantum abest, ut per cognitionem doctrinæ & Verbi divini homines adducantur ad Ecclesiam, quin imò contendimus, per Ecclesiam adducendos esse ad cognitionem veræ doctrinæ; adeoque secundùm ordinem generationis & naturæ, cognitio fidei supponit cognitionem Ecclesiæ, juxta Apostolum Rom. 10. v. 15. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* At missio, nisi fuerit prorsùs extraordinaria, non potest fieri nisi per auctoritatem Ecclesiæ.

Sed adhuc regerunt Adversarii: Scriptura cognitioni & communioni veræ Ecclesiæ præmittere solet fidei & doctrinæ examen. Ergo fides & doctrina Christi sunt notiores ipsâ Ecclesiâ. Ant. prob. ex S. Scriptura. Matth. c. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Act. 2. v. 42. adjunguntur Ecclesiæ, qui priùs per Apostolos docti fuerant. Et c. 8. v. 12. Qui credunt Samariæ baptizantur. Ergo sicut in adultis fides debet præcedere Baptismum, qui est introitus in Ecclesiam; ita fidei examen & cognitio debet præcedere cognitionem Ecclesiæ. Favent SS. PP. Hieronym. in Psal. 133. Ambrosius in Luc. lib. 6. n. 68. & S. Augustinus lib. de Unit. Eccles. c. 3. n. 5. 71

Resp. Dist. ant. Scriptura fidei ac doctrinæ examen præmittere solet, tanquam dispositionem in adultis necessariam ad percipienda fidei Sacramenta, conc. tanquam

quam veram & propriam Ecclesiæ notam, neg. ant. Doctrina illa fidei, qua priùs informari necesse erat eos omnes, qui ad Christum accedere volebant, ab Apostolis duntaxat, aut viris Apostolicis tradebatur, hoc est, ab ipsamet Ecclesia; ergo vera doctrina per Ecclesiam priùs tradebatur, & cognoscenda erat, non verò Ecclesia per doctrinam. Qui porro eâ Ecclesiæ doctrinâ priùs imbuti fuerant, ii societati fidelium, seu corpori Ecclesiæ inserebantur, & incorporabantur per Sacramentum Baptismi. Nihil profectò aliud ex citatis testimoniis extundi potest.

Nec alius est SS. Patrum, qui laudati sunt, sensus; imprimis verò S. Augustini, qui disputans contra Donatistas, non ad Ecclesiam, de qua non conveniebant, sed ad Scripturam, quam illi admittebant, eos provocare necesse habuit, ut ex ea veras Ecclesiæ notas, seu veræ Ecclesiæ naturam & characteres dignoscerent. *Quæstio inter nos versatur*, ajebat (*k*), *ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, utrum apud illos.*

72 Addunt denique. Illa est vera Ecclesiæ nota, quæ semper usurpata fuit, vel ut Ecclesia vera secerneretur à falsa; vel ut ipsa, ubi paululum defecerat, restitueretur, & pristinos resumeret veræ Ecclesiæ characteres. Atqui veritas doctrinæ semper usurpata fuit, tùm ut vera Ecclesia secerneretur à falsa, tùm ut primæ conditioni restitueretur. Ergo &c.

Prob. min. quoad primam partem ab exemplo: sic Jerusalem, ut vera Dei Ecclesia agnita fuit, Samaria autem ut falsa; quia filios, quos per circumcisionem genuerat, à vera doctrina, à vero cultu avocabat, atque imolare in excelsis permittebat.

Prob. etiam quoad 2dam partem sequenti exemplo. Sic in veteri Testamento, ut Synagoga restauraretur, statim à vero Dei cultu, à vera doctrina & legitimo sacrificiorum & Sacramentorum usu reparandis incepta fuit reformatio. Ita Josias impiis Regibus Manasse & Amon succedens, ut Synagogam restitueret, statim Legem Dei proponit, deinde Pascha celebrat. 4. Reg. cap. 23. Idem fecerunt Nehemias & Esdras.

Resp. neg min. Neque enim afferri potest pro nota Ecclesiæ veræ, quod Hæretici apud se habere semper gloriati sunt, quamquàm immeritò. Atqui testatur S. Augustinus, nullam fuisse Hæreticorum Sectam, quæ non gloriaretur, se puram habere doctrinam.

Ad 1mam. probationem dicimus, non propter doctrinæ puritatem Jerusalem velut Civitatem sanctam ac veram Ecclesiam habitam fuisse; tùm quia & doctrina & sacrificia aliquando corrupta fuerunt à Judæis, prout de ipsis conqueritur Ezechiel cap. 16. v. 23. tùm quia hæc aliquando pura fuere apud Samaritanos. Sed ideo non censebatur Samaria esse vera Ecclesia; quia, ut refert Josephus lib. 13. Antiq. cap. 6. continuas Pontificum in Sacerdotio successiones numerabat Judæa, non Samaria: utpote cùm in monte Garizim recentiùs ædificatum fuisset Templum Dei, nempe circa tempora Alexandri Magni.

Ad 2dam. meritò vera doctrina, & rectus Sacramentorum usus restitui debent, ut reparetur Ecclesia, quæ ab eis defecerat; sed hinc inferri non potest, esse notas Ecclesiæ restitutæ; sunt quidem fructus restitutionis, non verò notæ; nam Sacramenta, Evangelium &c. possunt esse apud Hæreticos, ut observat S. Augustinus. (*l*) Sicut igitur, si coorta seditione desertor aliquis vexilla regia in loco eminentiori figeret, ut iis conspectis subditos Regis in suas partes traheret, temerè concurrerent subditi ad sola vexilla jam penes desertorem posita: sic planè tutum non est recurrere ad eam Ecclesiam,

(*k*) Lib. cit. (*l*) Serm. sup. Gest. Emeriti.

am, quæ prædicat se habere veram doctrinam, & vera Sacramenta; cùm hæc desertores Ecclesiæ penes se habere dicant: sed quemadmodum eò recurrendum est, ubi sunt Duces Regis & Magistratus legitimi, ita confugiendum est ad eam Ecclesiam, in qua sunt veri & Apostolici Pastores, id est, ubi apparet antiquitas, universalitas, successio, unitas &c. Unde S. Augustinus (*m*), *nullus*, inquit, *prædicans nomen Christi, & gestans ac ministrans Sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi.*

73 Quæ contra Doctrinam, velut Adversariorum veræ Ecclesiæ notam hactenus disputavimus, etiam de altera ipsorum nota usu nempe Sacramentorum legitimo intelligenda veniunt, ut qui ad doctrinam consequatur, illiusque sit consecutio. Et vel ex eo legitimus iste Sacramentorum usus tanquam Ecclesiæ veræ nota rejiciendus videtur, quòd hanc notam sibi omnes sive Catholici, sive Acatholici vindicent; quî ergo per eam dignosci poterit, quinam eorum veræ Ecclesiæ cohæreant?

Minùs etiam notus est hic legitimus Sacramentorum usus, quàm Ecclesia, utpote quæ, ut supra dictum, ipsâ sacrâ Scripturâ, à qua pendet ille legitimus Sacramentorum usus, est notior.

74 Denique, ut exemplo rem concludamus, Ecclesia Corinthiorum erat vera Ecclesia, & tamen ab Apostolo reprehenduntur Corinthii (*n*), quòd non sincerè tractarent Sacramentorum præcipuum. Similiter Africanæ Ecclesiæ, quæ Cypriano & octoginta sex Episcopis illis, quorum sententiam ipse refert (*o*), parebant, veræ erant Ecclesiæ, ut docent Augustinus lib. 6. cap. 7. de Baptismo; & Hieronymus contra Luciferianos; & tamen non sincerè tractabant Sacramentum Baptismi, ut iidem ambo hi SS. Patres ibidem memorant. Ergo legitimus Sacramentorum usus non potest assignari tanquam veræ Ecclesiæ nota & character.

Explosis igitur nostri ævi Acatholicorum, seu Protestantium binis Ecclesiæ notis, modò ad eas venimus, quas Catholici velut genuinas assignant, ubi, ut jam suprà notatum, nec inter se se conveniunt, dum alii plures, pauciores alii assignant, quamvis eas omnes velut ad has quatuor Symbolô Nicænô his verbis, *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam* expressas referant. 75

Nos ad designandam veram Christi Ecclesiam sufficere arbitramur, si demonstrari possit. 1mo. Quòd sit *Una.* 2do. *Sancta.* 3tio. *Catholica.* 4to. *Apostolica.* 5to. *Romana.* 6to. *Visibilis.* 7mo. denique, quòd sit *Indefectibilis.* Hasque esse notas, quibus veram Ecclesiam demonstrari oportet, censemus; de quibus proinde singulis Paragraphis nobis tractandum est. Sit igitur

§. I.

De Unitate Ecclesiæ. 76

Ecclesia, ut jam suprà in præloquio hujus Tractatus annotavimus, est corpus vivum. Præcipua verò unitas corporis consistit in conjunctione membrorum cum capite, & inter se. De unione membrorum cum capite dicemus inferiùs §. 5to. ubi expendemus, an vera Christi Ecclesia sit Romana. Hîc verò agimus de unione membrorum inter se; adeo ut, sicut varia membra inter se colligata, unum corpus constituunt, ita etiam plurimæ per Orbem sparsæ particulares Ecclesiæ uno doctrinæ vinculo inter se conjunctæ ac colligatæ unam componant totalem, & universalem Ecclesiam.

Unitatem Ecclesiæ demonstrant nomina, figuræ, & parabolæ, quibus eam adumbrant sacræ Scripturæ: nam propter illam unitatem Ecclesia vocatur *Corpus* 77

(*m*) Lib. 3. cont. Petilian. c. 6. (*n*) 1. Cor. 11. (*o*) Ep. ad Quirin.

Christi, *Ovile*, *Sponsa*. Propter illam unitatem expressa fuit per *Paradisum terrestrem*, *Arcam Noë*, *Templum Jerosolymitanum*, *Vestem Christi inconsutilem*. Propter illam unitatem à Christo designata fuit parabolis, *Agri*, qui unus est; *Sagenæ*, quæ in unum congregat; *Areæ*, quæ paleas cum granis colligit.

78 Prætereà hanc unitatem disertè declarat Apostolus 1. Cor. 12. v. 12. comparatione corporis humani, quod unicum est, licet variis membris constet ad varia officia destinatis: nempe tùm propter unitatem capitis; tùm propter unionem membrorum cum capite; quam comparationem usque ad finem hujus citati capitis prosequitur, & v. 27. sic concludit: *Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro.* Item Ephes. 4. v. 3. 4. & 5. his verbis: *Solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium.*

79 Eandem Ecclesiæ unitatem etiam declarat constans ac perpetua SS. Patrum Traditio, ut sancti Cypriani, qui in eo, quem de præsenti argumento scripsit, libro pluribus adversus Novatianos probat, *Ecclesiam esse unam*; atque post multa hanc in rem adducta argumenta, hisce concludit: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutinô copulata.*

S. Optatus Milevitanus lib. 1. ante medium: *Christus*, inquit, *sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur: qui cùm unam laudat, cæteras damnat.*

S. Augustinus ex professo in suis contra Donatistas Operibus probat Ecclesiam esse unam. Idem Argumentum alibi passim tractat, cujus proinde mens atque sententia tam nota est, ac omnibus manifesta, ut necesse non videatur, hìc ipsius verba exscribere.

Verùm hoc in capite diutiùs immorari superfluum videtur, cùm Acatholici ultrò admittant, Ecclesiam Christi esse & dici debere *Unam*. At verò hujusmodi Ecclesiæ unitatem seu universalitatem per hoc sufficienter salvari autumant, quòd omnes Ecclesiæ, seu Societates, quæ Christiano nomine utuntur, in præcipuis fidei articulis, quos *fundamentales* vocant, non errent; licèt in aliis minùs præcipuis, quos *non fundamentales* nuncupant, à se se invicem discrepent non modò, sed & nullam omnino communionem inter se habeant, imò mutuis sententiis se se dilacerent, ac excommunicent. 80

Et quamvis nec satis inter se consentiant in designandis, & figendis articulis illis, quos fundamentales appellant, hæc tamen apud ipsos generatim agnoscitur articulorum fidei fundamentalium idea & notio: nempe *veritas fundamentalis est ea, quæ Christianæ fidei ita est essentialis, ut qui eam neget omnino sit extra Ecclesiam, nec proinde ullam spem salutis habere possit. Ut Trinitas personarum in Deo; Verbi divini incarnatio. Veritas autem non fundamentalis est quæcunque alia, quæ sine salutis dispendio ignorari, aut etiam negari potest, sive ab Ecclesia definita sit, sive non.* Qua hac sua articulorum fidei *fundamentalium* & *non fundamentalium* idea ac notione ad tantas redactos se tandem vident angustias, eoque apud ipsos ventum est, ut modo vix præter Trinitatis in uno Deo, & Verbi Divini Incarnationis articulum, aliam fundamentalem fidei veritatem, cui inhærere quis teneatur in suis societatibus retineant, prout mox demonstraturi sumus. Sit proinde

CONCLUSIO I.

Vera Christi Ecclesia ita est una, ut excludat quascunque alias Hæreticorum socie- 81

societates, quarum fides est diversa, & erronea in articulis etiam, quos Acatholici *non fundamentales* nuncupant.

Prob. conclusio 1mo. Quia hæc Novatorum opinio, qua volunt Ecclesiam universalem complecti omnes Hæreticorum sectas, modò non errent in iis, quæ ipsi propriò suô geniò assignant, fidei fundamentis, semper toti antiquitati incognita fuit. Pb. Nihil frequentius apud antiquos seu Patres seu fideles, quàm nomen Ecclesiæ, quam se credere publicè profitebantur, imò & nomen Catholicæ, quo sæpissimè utebantur, ut Ecclesiam, cujus professione gloriabantur, distinctiùs significarent. Atqui his nominibus nusquam intellexerunt societatem universalem, quæ omnes complecteretur; sed unicam communionem, à qua quilibet Hæretici excluderentur, his nominibus significari clarè ac distinctè docuerunt.

82 Ut S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 4. ubi dicit, veritatem in sectis hæreticorum quærendam non esse, quam facilè est invenire in Ecclesia; cujus centrum esse Romanam Ecclesiam tradit ibid. c. 3. *ad quam*, inquit, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.* Et lib. 1. c. 10. asserit, *omnium Ecclesiarum eandem esse traditionem & fidem.*

Tertullianus lib. de Præscript. cap. 4. ait, *non minorem esse Ecclesiæ persecutionem per hæreses, quàm per ipsum Antichristum.* Et cap. 30. *Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ hæreticis Sectis opponit.*

Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. docet, „Conciliabula Hæreticorum longè „ esse posteriora antiquâ Ecclesiâ, quam unicam tantùm esse affirmat, quamvis optarent hæreses eam in plures sectas dividere„ quod & nunc optant Acatholici seu Novatores nostri. *In unius*, inquit, *natura sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere; eaque, quæ antiqua est & Catholica, una est propter unitatem fidei.*

Origenes lib. 1. in Job. *Ad dimicandum*, inquit, *adversùs Ecclesiam, non tria tantùm cornua, sed innumera atque inæstimabilia omnes sectæ, atque hæreses faciunt, per quas universas adversus Ecclesiæ unitatem incessanter dimicant.*

S. Hilarius lib. 7. de Trinit. num. 4. *Hæretici*, ait, *omnes contra Ecclesiam veniunt. Sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat ..... Et inter hæc fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.*

S. Justinus Dialog. cum Triphon. *Sunt igitur*, inquit, *& fuerunt viri amici permulti, quia athea (hoc est, impia) & blasphema, & dicere & facere docuerunt, in nomine JEsu progressi: & sunt à nobis, sub nomine eorum virorum, unde doctrina & sententia qualibet extitit, denominati ..... cum quibus nihil nobis est communionis, atheos atque à Deo alienos, & impios, & injustos, & iniquos ipsos esse scientibus.*

Alexander Patriarcha Alexandrinus Ep. ad Alexand. Patriarch. Constantinop. (*p*) dicit *se credere unam & solam Catholicam Apostolicam Ecclesiam, inexpugnabilem semper, etsi totus eam mundus oppugnare instituat, victricemque omnis impiæ diversa sentientium rebellionis.*

S. Hieronymus Dial. cont. Luciferianos circa finem dicit, *Societatem Marcionitarum, Valentinianorum, Montanistarum, Novatianorum non esse Ecclesiam Dei, sed Synagogam Antichristi.* Paulò ante dixerat,

(*p*) Apud Theodoret. Hist. Eccl. lib. 1. cap. 3.

rat, *se omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare posse.*

Ex his SS. Patrum textibus & sententiis patet, eos nomine Ecclesiæ, quam profitebantur, quamque interdum, ut distinctiùs eam significarent, Catholicam appellant, unicam intellexisse communionem, à qua quilibet Hæretici excluderentur. Nullum hîc ab ipsis positum discrimen, inter illos hæreticos, qui in fundamentalibus, ut ajunt Novatores nostri, fidei articulis ab ea dissentirent, & illos, qui nonnisi in non fundamentalibus ab ea sejuncti essent. Ergo perperam ab Adversariis nostris, & contra mentem antiquorum Ecclesiæ Patrum conficta videtur erronea hæc distinctio.

83 Id ultro Prob. 2do. Ex Conciliis. Concilium Nicænum in nostro sensu duobus in locis utitur nomine Ecclesiæ Catholicæ, scilicet in Symbolo, ubi dicit eos, qui non credunt filium esse cum Patre ejusdem substantiæ, *anathematizari à Catholica & Apostolica Ecclesia.* Et Can. 8. ubi loquens de Catharis seu Novatianis redire *ad Ecclesiam Catholicam volentibus*, necessariò supponit, eos ab Ecclesia Catholica separatos fuisse.

Concilium Laodicenum Can. 9. *prohibet iis, qui sunt de Ecclesia, suas preces offerre in oratoriis Martyrum, quæ ad Hæreticos pertinent.* Et Can. 10. *iisdem vetat, ne filios suos cum Hæreticis matrimoniò conjungant.*

Concilium Constantinop. I. quod est Universale II. (*q*) Can. 6. *Eos Hæreticos appellat, qui ab Ecclesia abdicati sunt, & anathematizati: & eos, qui se sanam fidem confiteri præseferunt, avulsi autem sunt, & abscissi, & adversùs Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt.* Item Can. 7. postquàm statuit, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, Appollinaristas sola unctione recipiendos esse, subjungit, ab iis postulandam esse fidei professionem, qua scriptò etiam declarent, *se anathematizare omnem hæresim, quæ non sentit ut sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.*

Concilium Sardicense in Epistola ad omnes totius Orbis Episcopos, quæ refertur apud Athanasium Apologiâ 2. de fuga sua, Arianos nominatim excommunicans, dicit, *æquum esse, eos, qui separant Filium à Patre, & Verbum à suo Patre alienant, ab Ecclesia quoque Catholica separari, & alienos, indignosque haberi Christiano nomine.*

Episcopi (*r*) Africani in errorum abjuratione facta à Leporio postulaverunt, ut profiteretur, *se suscipere & tenere, quod Ordo Ecclesiæ tenet aut suscipit.*

Cœlestinus in Epistola ad Nestorium, quæ refertur in Concilio Ephesino, & in Quinto Generali, monet, ipsum separandum à communione Ecclesiæ Catholicæ & Universalis, nisi amplecteretur doctrinam, quam sequitur Ecclesia Romana, & Alexandrina. Non comminatur Pontifex, Nestorium excludendum fore à communione omnium sectarum, quarum nomine sic loqui non poterat, & quæ ejus auctoritatem prorsus spernebant. Ut & adducta à nobis Concilia per Ecclesiam universalem, nullam aliam intelligunt, quàm Catholicam, Apostolicam & Romanam, qua omnes totius orbis Ecclesiæ sub unica eademque communione continentur, & à qua omnes Hæreticos, sive in fundamentalibus, sive in non fundamentalibus fidei articulis ab ea discrepent, exclusos pronuntiant.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 1mo. 84
Si Ecclesia ita una sit, ut non excludat Hæreticorum societates, quæ non errant in præcipuis fidei fundamentis, sequeretur universam Ecclesiam Orientis & Occidentis per multa sæcula errasse. Hoc autem dicere omnino absurdum, ne dicam, impium est. Ergo &c.

Prob. sequela Maj. Tunc erravit, quando Baptismum ab Hæreticis, qui in fundamen-

(*q*) Celebratum an. 381. (*r*) [illegible] 383.

mentalibus fidei articulis errabant, collatum admisit. Atqui hujusmodi Baptismum admisit. Ergo &c.

Sequela Majoris prob 1 Juxta Acatholicos, Baptismus ab hujusmodi Hæreticis collatus non est validus. Ergo si Ecclesia universalis eum admisit, tunc erravit. Pb. ant. Juxta Acatholicos, sola vera Ecclesia potest legitimum conferre Baptismum. Atqui sola & omnis societas, quæ non errat in articulis fundamentalibus fidei, est vera Ecclesia. Ergo omnis societas, quæ in hujusmodi articulis errat, cum non sit vera Ecclesia, neque etiam legitimum conferre potest Sacramentum. Adeoque, qui illum admittunt, in errore versantur.

Pb etiam min. prioris argumenti. Ariani, Macedoniani, Appollinaristæ &c. in fundamentalibus fidei articulis errabant. Atqui horum omnium Baptismum admisit Ecclesia universa Orientis, & Occidentis. Ergo erravit.

Prob. Maj. Ariani, divinitatem filii; Macedoniani, divinitatem Spiritûs sancti; Apollinaristæ, animam rationalem à Christo assumptam negabant. Atqui hi, juxta Acatholicos, sunt fundamentales fidei articuli. Ergo hi Hæretici hujusmodi articulos negabant, adeoque in iis errabant.

Prob. etiam min. Ex Conciliis Nicæno & aliis, item ex SS. Augustino lib. 3. de Baptismo c. 15. & lib. 4. c. 16. Hieronymo Dial. cont. Luciferianos. Qui id testantur. Unde patet, aut Ecclesiam universam Orientalem & Occidentalem per tot sæcula non fuisse veram Ecclesiam, utpote quæ erraverit, dum illorum Hæreticorum Sacramenta admisit; vel, si fuit vera Ecclesia, non distinxisse illos duplicis generis errores: nec existimasse, excludendos solùm ab Ecclesiæ universalis societate eos, qui in fundamentalibus fidei articulis errarent.

2do. Ex sententia Acatholicorum sequeretur, per sexdecim sæculorum spatium nullum ex fidelibus Symbolum professionis suæ fidei, quo par est, modo intellexisse. Atqui dicere insanum est. Ergo &c.

Prob. maj. Fideles isti Symbolum suum non alio modo intelligebant, quàm eo, qui ipsis exponebatur à Doctoribus & Episcopis horum temporum: Atqui Articulum de Ecclesia nunquam alia ratione exposuerunt SS. Patres, Episcopi, & Ecclesia universa, quàm eo sensu, qui excludit omnes Hæreticorum sectas & societates. Ergo &c.

3tio. Ex sententia eorundem Novatorum, illusoriæ, falsæ, & injustæ fuissent fidei professiones, quas à tempore Concilii Nicæni semper ab Hæreticis postulavit utraque Ecclesia Orientis & Occidentis; dum nempe ab ipsis exegit, ut omnes hæreses ab eadem Catholica Ecclesia damnatas, & proscriptas ejurarent. Atqui hoc tueri plusquam absurdum est. Ergo &c.

4to. Omnes Episcopi tum Orientis, tum Occidentis insignis calumniæ & injustitiæ rei fuissent, dum ita apud se esse Catholicam Ecclesiam professi sunt, ut ab ejus sinu omnes Hæreticos excluderent. Atqui nemo huic usurpationi per duodecim & amplius sæcula contradixit. Ergo &c.

5to. Juxta Acatholicos non essent fugienda Hæreticorum consortia, ut qui vera non secus ac cæteri fideles Ecclesiæ Universalis, adeoque Catholicæ, membra essent. Atqui hoc pugnat contra sensum omnium sanctorum Patrum ipsiusque Universalis Ecclesiæ sententiam; hi enim hujusmodi consortia fugienda docent, & passim inculcant. Ergo &c.

6to. Denique. Non possunt Adversarii præcisè & clarè designare, quinam fidei articuli sint fundamentales, quinam verò ab iis excludendi. Ergo nec possunt eas societates designare, quæ ad Ecclesiam universalem pertineant, eique conjungantur; quænam verò ab ea sint extorres.

Consequentia patet; cùm enim, juxta ipsos, unitas Ecclesiæ universalis ab unitate articulorum fidei fundamentalium duntaxat repetenda sit; manifestum quoque est, quòd, si non possint clarè & distinctè demonstrare, quinam pro fundamentalibus, quinam verò pro non fundamentalibus

bus fidei articulis habendi sint, nec etiam societates illas designare valeant, quæ ad Ecclesiam universalem pertineant, vel non pertineant; cùm si semper ipsis ignotum futurum sit, num hæ societates fundamentalium articulorum fidem teneant, necne.

Ant. Prob. Si hujusmodi articulos designare valerent, tunc id ab ipsis præstari deberet vel auctoritate sacrarum Scripturarum, vel Ecclesiæ ipsius, vel denique spiritus privati. Atqui nec prima, nec secunda, nec denique tertia auctoritate id præstare valent. Ergo nullatenus id præstare possunt.

Major propositio denuò manifesta est, ultroque eam admittere debent Adversarii, nec enim ullum aliud hujusmodi articulos designandi aut probandi genus ab ipsis fingi potest.

Min. prob. quoad. 1mum. S. Scripturæ passim sunt obscuræ, atque in varios sensus trahi possunt, & re ipsa trahuntur ab Adversariis. Ergo ipsarum auctoritate demonstrari non potest, quinam sint articuli fidei fundamentales, quinam non fundamentales.

Ant. patet ex iis, quæ in Tractatu de S. Scriptura fusè disseruimus. Consequentia ex eo autem manifestè sequitur; atque magis adhuc sequenti, prætermissis pluribus aliis, illustratur exemplô. Juxta Protestantes Calvinistas & Lutheranos Articulus de SS. Trinitate est fundamentalis fidei articulus. Atqui, omissô, quòd in S. Scripturis nuspiam satis clarè & distinctè exprimatur; ex iisdem S. Scripturis Ariani, & Sociniani probare totis viribus allaborant, illum nedum non fundamentalem, sed omnino erroneum esse. Et sic de pluribus aliis fidei articulis inter Acatholicos controversis. Ergo auctoritate S. Scripturæ neutiquam clarè & distinctè demonstrari potest, quinam fidei articuli sint fundamentales, quinam verò non fundamentales.

Prob. Min. quoad 2dum. Non potest ostendi, quòd unquam in Ecclesia universali, vel etiam quadam particulari agnita fuerit distinctio illa articulorum fidei fundamentalium, & non fundamentalium. Ergo etiam auctoritate Ecclesiæ hujusmodi articulorum distinctio designari non potest.

Ant. ex se patet, atque à nobis firmatum fuit tum Patrum, tum Conciliorum sententiâ paulo superiùs, ubi ostendimus, fideles omnes per Ecclesiam universalem semper intellexisse unicam communionem, à qua quilibet Hæretici, sive societates, quæ cum ea in quibuscunque fidei articulis non convenirent, excluderentur. Ergo &c.

At fortè Adversarii nostri Lutherani & Calvinistæ novam sibi fabricabunt Ecclesiam, quæ id affirmet: at caveant ne & alii, qui in pertensis suis fidei fundamentalibus articulis cum ipsis non consentiunt, sibi suam etiamnum fabricent, quam eis opponant, & quæ id neget, quod ipsi affirmant.

Equidem, ut omnis hîc tollatur verborum ambiguitas, nos Catholici, & nobiscum Universa Ecclesia, non diffitemur, aliquos fidei articulos dici posse præ aliis, ad quos comparantur, fundamentales duplici sensu: nempe vel quia aliquorum, non verò omnium distincta & explicita fides ad salutem est necessaria, ut sunt articuli SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. vel quia unus articulus est radix & fundamentum alterius: v. g. duplex in Christo natura radix est, ac fundamentum duplicis in eo voluntatis, & operationis. 85

Atqui verò ubi de fide horum articulorum agitur, atque ad fidem & revelationem comparantur, seu fide divina revelati creduntur, contendimus omnes articulos revelatos eo sensu esse fundamentales, quòd, qui illos negare aut impugnare ausi fuerint, ab Ecclesiæ universalis communione prorsus extorres fiant, nec salvi fieri possint. Similiter errores fundamentales eos esse tuemur, qui ab Ecclesia damnati & proscripti fuerint, neminique sub eadem interminatione unquam esse licitum, eos contra sententiam Ecclesiæ propugnare. Ergo Ecclesia no-

nostra seu Catholica & Universalis nullos fidei articulos nisi fundamentales, nullosque contra fidem errores nisi etiam fundamentales ad fidem nempe & revelationem comparatos seu expensos agnoscit, nec unquam agnovit.

Prob. denique eadem Minor quoad tertium. Si auctoritate spiritûs privati demonstrari posset, quinam forent fundamentales fidei articuli, quinam verò non fundamentales, tunc tot forent hujusmodi articuli, quot forent privati spiritus, id est quot essent homines, quilibet enim eorum privato spiritu suo gaudet, atque pro eo sibi suos fundamentales fidei articulos effingere potest, & sic *quot capita*, ut vulgaris fert paroemia, *tot erunt sententiæ*; & cum, ex Adversariorum sententia, verum Ecclesiæ universalis Systema ab unitate fundamentalium fidei articulorum pendeat, tot erunt universales veræ Ecclesiæ, quot ferè erunt in Orbe Christiano homines. Quod quam paradoxum sit & inauditum, ne quid amplius dicamus, vel lippus videt.

86 ## CONCLUSIO II.

Ecclesia Catholicorum illam habet unitatem, quæ nota est, ac character veræ Ecclesiæ Christi: Non autem Ecclesia Protestantium.

Prob. 1ma pars. Unitas, quæ nota est & character veræ Ecclesiæ in tribus potissimum consistit, nempe in universali fidei & doctrinæ consensione, simili ubique regimine, & communione cum uno Capite visibili Romano Pontifice, qui sit unitatis origo & centrum. Tria enim præcipuè requiri dignoscuntur ad unitatem societatis alicujus, scilicet, unitas spiritûs, regiminis, & capitis. Quæ tria ubi sunt, ibi profectò perfecta unitas invenitur. Atqui hæc tria occurrunt in Ecclesia Catholicorum. Ergo &c.

87 Prob. 2da. Conclusionis pars, nempe Protestantium Ecclesiam non habere hanc unitatem. 1mo. Protestantes non habent consensionem in doctrina. Hæc enim duobus potissimùm momentis probari potest; constanti scilicet eorumdem fidei dogmatum professione, & ejusdem fidei publicis Confessionibus: Atqui Protestantes in neutro capite consensionem habent. Ergo &c.

Prob. min. Non habent consensionem in articulis seu dogmatibus fidei. Nam ut de multis taceamus, in quibus profectò infinitæ propemodum fuêre variationes, tum apud Lutheranos tum apud Calvinistas, prout fusè demonstrat Benignus Bossuet Meldensis Episcopus in suo Gallico Opere de Variationibus Ecclesiarum Protestantium, unum duntaxat articulum præsentiæ realis Christi in Eucharistia hîc attingemus. Anno Christi 1631. In Synodo Nationali Charentoniana Calvinistæ Galli solemni Decretô sanciverunt pacem & fœdus cum Lutheranis Confessionis Augustanæ, qui præsentiam realem Christi in Eucharistia tuentur, nihilque in eorum cultu esse, quod perfectæ unioni atque eorumdem Sacramentorum participationi obstare posse declararûnt. Hinc Dallæus Minister Calvinianus in Apologia hujus Synodi c. 7. & in Epistola ad Mongiatium, fatetur, doctrinam de præsentia reali nullum continere venenum, nec esse contrariam pietati, aut gloriæ Dei.

Attamen ante hanc Synodum palam dicebant, hoc momentum esse unicam suæ ab Ecclesia Romana separationis causam. In Actis Martyrum eorum nihil frequentiùs legitur, quàm ob solam realitatem tot ab ipsis sustineri tormenta, per quam ipsius fidei & pietatis fundamentum subverti existimabant. Nihil sæpiùs in eorum libris legimus, quàm horrendam esse Catholicorum præsentiam realem tuentium doctrinam, quos cyclopes, antropophagos, parricidas, humanæ Christi naturæ & ejus Ascensionis in cœlum hostes & inimicos, idololatras &c. vocant. Imò hac nostra ætate plurimi, quibus hæc eorum variatio comperta non est, ingenuè con-

fessi sunt, se facilè in aliis omnibus nobiscum consensuros, si præsentiæ duntaxat spiritualis opinionem non damnaremus.

88 Nec habent consensionem in Confessionibus suis, utpotè quæ variæ sunt & contrariæ tam apud Lutheranos, quàm Calvinistas.

Lutherani primam ediderunt annô 1530. quæ Augustana dicta est, quòd in hac urbe Carolo V. Imperatori fuerit oblata. Postea annô 1537. articuli Smalcaldenses fuêre collecti, qui Concilio Tridentino, quod Mantuæ à Paulo III. Papa indictum fuerat, offerri debebant. Alia deinde Confessio, quæ dicta est Saxonica Synodo Tridentinæ oblata annô 1552. Alia Wittembergensis annô sequenti eidem Concilio oblata. Quæ quidem omnes, licèt inter se in plurimis contrariæ, ab universa tamen Lutheranorum societate subsignatæ fuerunt; ita ut in eadem Saxoniæ Provincia intra decem annos prodierint contradictoriæ sententiæ publico nomine, decretisque publicis consignatæ de re omnium gravissima. Nam in Synodo Dresdensi annô 1571. communi consensu rejecta fuit sententia Brentii, Illyrici & aliorum de Persona Christi seu ejus Ubiquitate; & tamen illam ipsam sententiam, tametsi priùs à se damnatam, publicè receperunt in libro Concordiæ; & tam Synodus, quàm ipsa Concordia Wittembergæ impressæ fuerunt Principis Saxoniæ auctoritate.

89 Calvinistæ autem & Defensores sensûs figurativi in Eucharistiæ Sacramento, aliam quoque fidei Confessionem Carolo V. eodem tempore obtulerunt, quæ vocatur Argentinensis. Parùm & illa suis placuit. Helvetii quatuor successivè scripserunt. Galli, & Genevenses suam quoque peculiarem habere voluerunt. In Anglia duæ etiam eodem fermè tempore visæ sunt, & duæ aliæ sub nomine Ecclesiarum Scotiæ. In Belgio etiam alia conscripta fuit, quæ in Synodo Dordracena approbata fuit. Nec defuit etiam Polonis sua, quæ in Synodo Sendomirensi edita est annô 1570. Legi possunt omnes illæ Confessiones variæ in unum corpus collectæ, & typis excusæ Genevæ apud Petrum & Jacobum Ghovet annô 1612. Ergo Protestantes non habent consensionem inter se in suis fidei Confessionibus.

Prob. idem argumentum 2do. Protestantes non habent certum & constans fidei suæ motivum. Ergo nec consensionem in doctrina habere possunt. Consequentia patet. 90

Prob. ant. Pro fidei suæ motivo statuunt vel Verbum Dei seu S. Scripturam, vel spiritum privatum. Sed nec Verbum Dei, nec spiritus privatus potest esse certum & constans fidei suæ motivum. Ergo &c.

Maj. est ipsorum. Min. prob. Ipsis constare non potest de librorum in quibus Verbum Dei seu fidei veritates continentur, fideli versione, & legitimo sensu. Neque etiam quidquam certum haberi potest per spiritum privatum, utpotè qui in ipsis varius est, & varias atque oppositas sententias suggerit, prout ipsimet volentes nolentes, experientiâ & factorum veritate ipsos convincente, fateri coguntur. Ergo &c.

Prob. eadem secunda Conclusionis pars quoad secundum membrum, nempe quòd Protestantes non habeant Regimen simile. 91

Aliud est regimen apud Lutheranos, aliud apud Calvinistas. Inter Lutheranos etiam non est idem, ut videre est in Anglia, ubi diversæ prorsus sunt Ecclesiarum administrationes. Calvinistæ autem nullam habent hierarchiam, seu regimen spirituale & Ecclesiasticum, quippe apud quos nulli sunt Episcopi, nulli Presbyteri, &c. Ergo.

3tio. Denique non habent Caput visibile Romanum Episcopum. Nulli enim ex ipsis agnoscunt Episcopum Romanum tanquam centrum unitatis, cum quo servent communionem tantopere necessariam in Corpore Christi, quod est Ecclesia. 92

Ergo cùm tribus hisce conditionibus, quæ, ut ostendimus, potissimùm requiruntur ad Ecclesiæ Unitatem, quæ est nota & chara-

character veræ Ecclesiæ, destituatur Ecclesia Protestantium, manifestè concluditur, eam etiam hac nota carere, adeoque non esse veram Ecclesiam.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo contra 1mam Conclusionem. Explicari non potest, in quo posita sit illa unitas Ecclesiæ universalis; nec facilè intelligitur, quomodò huic unitati non adversetur tanta hominum ex quibus constat, multitudo, tantaque temporum diversitate & locorum distantia ab invicem separatorum. Ergo Conclusio 1ma non subsistit.

Resp. neg. ant. In quibus consistat Ecclesiæ unitas Conclusione secunda explicavimus. Nec ejusdem unitati obesse potest hominum multitudo, temporumque, & locorum diversitas; modò sit eadem fides, idem regimen, idem caput, quod hanc hominum à se invicem dissitorũ multitudinem in eadem fidei doctrina & communione contineat; prout hactenus in Ecclesia Catholica semper factum est, quæ laus est & conditio ipsi plane singularis; dum è contra videmus Protestantium Ecclesiam, si vel ita nuncupari meretur, in se ipsa perpetuò divisam esse, & variis contrariisque etiam in fide sententiis & opinionibus discerptam esse.

94 Ob. 2do. Nota debet esse propria & sensibilis, atque ipsa re, quam significat, notior. Atqui hæc non conveniunt unitati. Ergo neque ipsa dici potest Nota Ecclesiæ Christi.

Resp. Neg. min. Nam 1mo Unitas est propria Ecclesiæ Christi; cùm nulla Secta constantem habuerit doctrinam, constans regimen, & idem Caput Romanum nempe Pontificem. 2do. Est sensibilis & notior Ecclesiâ; cùm hæc tria facilè cuivis attendenti occurrant, & quænam sit vera Ecclesia satis manifestè indicent.

95 Ob. 3tio. Unitas quidem doctrinæ & Regiminis necessaria est, ut Ecclesia sit una, imò & requiritur unitas Capitis invisibilis, scilicet Christi; sed dependentia ab Episcopo Romano, & cum ipso communio minimè necessaria videtur. Ergo saltem respectu hujus Unitas non est nota Ecclesiæ Christi.

Resp. 1mo. Id saltem ex hac propria Adversariorum confessione à nobis evinci, ipsorum nempe Ecclesiam non habere eam unitatem, quæ tanquam veræ Christi Ecclesiæ nota requiritur; ut in qua nec doctrinæ, nec regiminis unitas reperiatur.

Resp. 2do. Neg. postremam antecedentis partem. Profectò, cùm Ecclesia sit corpus visibile, & externum, requiritur etiam, ut habeat aliquod Caput visibile, & externum, cui adhæreant, & consocientur singula Ecclesiæ membra. Caput illud autem est summus seu Romanus Pontifex, qui est centrum unitatis, à quo secessionem facere non licet, ut probant SS. Patres, quos supra Cap. 1. §. 1. laudavimus, ubi de natura Ecclesiæ agebamus.

Ob. 4to. Doctrina de Unitate Ecclesiæ hîc exposita multa secum infert absurda & incommoda: 1mo. Damnat omnes, qui errant vel in minimo fidei articulo, vel communionem non habent cum Episcopo Romano, quod certè durum & inhumanum est. 2do. Non distinguit inter ea, quæ Ecclesiæ sunt Essentialia, ut Fides, Sacramenta, Ministri; & ea, quæ sunt ipsi accidentalia, ut communio externa, & convenientia in articulis non fundamentalibus. 3tio. Statuit Ecclesiam posse suis judiciis facere quosdam articulos, qui ante ejus sententiam non erant. Ergo non est admittenda. 96

Resp. Neg. ant. quoad singula. Ad 1mum. Plurima sunt in Christiana Religione, quæ sunt verissima, licèt humanæ rationi duriora videantur: ut reatus peccati originalis propter unum hominem; parvulorum absque Baptismo morientium damnatio; pœnæ externæ iis omnibus peccatis indictæ, de quibus mentio fit in Epistola ad Galatas; æternitas ignis in vindictam vel unius peccati mortalis; prædestinatio unius, & reprobatio alterius. &c. Hæc omnia tamen, quamvis duriora videantur, negare aut improbare non licet; Deus quippe summè ju-

Qq 2 stus

ftus eft, atque judicia ejus cum tremore funt adoranda. Similiter etfi fortè durum videatur, damnari omnes Hæreticos, & Schifmaticos, qui videlicet communionem non habent cum Pontifice Romano; id tamen non ideò minùs verum eft, cùm tota paffim Traditio doceat, extrà Ecclefiam non effe peccatorum remiffionem, non effe charitatem, non effe falutem.

Ad fecundum. Hæc omnia Ecclefiæ funt effentialia. Communio externa eft ei effentialis; cùm enim fit Corpus vifibile, debent etiam ejus partes vinculò vifibili & externò inter fe colligari & uniri, id autem haud fieri potérit, nifi fit conjunctio membrorum inter fe & cum vifibili Capite fuo. Convenientia & confenfio in articulis non fundamentalibus eft etiam ei effentialis: cùm enim debeat effe una & eadem fides à Deo revelata, & ab Ecclefia tanquam infallibili Judice propofita, neceffe eft, omnes fideles in eadem fide confentire; adeoque eosdem planè effe apud omnes fidei articulos. Adde, quòd incognita fit toti antiquitati hæc articulorum fundamentalium & non fundamentalium diftinctio. Neque etiam inter Proteftantes hactenùs conveniri potuit, quinam diftinctè fint fundamentales: aliis aliter definientibus, aliis alios articulos affignantibus. Ecclefia autem Catholica femper fenfit, eos errores, qui femel profcripti funt, à nemine citra hærefim, & peccatum propugnari poffe.

Ad 3tium: Ecclefia fidei articulos non facit, fed qui funt à Deo revelati, eos proponit ac definit ex Scriptura & Traditione; eosque aliquando evolutè magis & explicitè pro temporum neceffitate, aut Hæreticorum infurgentium oppugnatione aperit, & explanat. Ipfius autem effe fideles fuos inftruere ac docere, vel id unum probat, quòd per fexdecim Sæcula non aliam SS. Patres ac fideles omnes habuerint Ecclefiæ ideam, quàm decidentis, definientis, ac docentis. Hanc certè habuit Concilium Nicænum, cùm ubi varias Arianorum fidei expreffiones attulit: ait, *Ecclefiam Catholicam & Apoftolicam fimiliter fentientes condemnare.*

Ob. 5to. Auctoritas S. Auguftini qui Ep. 97
43, aliàs 162. ad Glorium, Eleufium, & alios, quos agnofcit à fua communione feparatos docet, extrà externam Ecclefiæ Romanæ communionem nonnullos falutem affequi poffe. Ergo &c.

Refp. S. Auguftinum cit. Ep. loqui de iis, *qui*, ut ipfius verbis utamur, *fententiam fuam, quamvis falfam & perverfam, nulla pertinaci animofitate defendunt, præfertim etiam, quam non audaciâ fuæ præfumptionis pepererunt, fed à feductis, atque in errorem lapfis parentibus acceperunt, ac cauta follicitudine quærunt veritatem, corrigi parati, cùm invenerint. Et hi nequaquam funt inter Hæreticos deputandi.* Quia fi non actu, faltem defiderio & quidem fincerô pertinent ad externam Ecclefiæ communionem; atque, fi nihil obfit, internum Ecclefiæ fpiritum participant; atque apud nos Hæretici materiales duntaxat nuncupantur, quales funt, infantes, multi ruftici, fœminæ &c. Separationem verò ab externa Ecclefiæ communione fummè improbat & damnat in eadem Ep. c. 8. n. 24. idem S. Auguft.

Ob. 6to Ecclefia fucceffit Synagogæ ita, 98
ut hæc in veteri Teftamento id hominibus præftiterit ad falutem, quod nunc ipfis in novo præftat Ecclefia. Atqui non erat tanta Synagogæ neceffitas, ut extrà eam nullus poffet falvari: multi enim ex gentibus, penes quos fuit unius veri Dei cognitio, ut Melchifedech, Job, & alii, fola legis naturalis obfervatione ad falutem pervenerunt. Ergo &c.

Refp. 1mo. Dift. maj. Ecclefia fucceffit Synagogæ tanquam perfectum imperfecto; & non quantùm ad omnia, fed quantum ad aliqua duntaxat, conc. maj. tanquam perfecto, neg. maj. &c. Sicut Ecclefia Synagogæ non fucceffit, quantùm ad amplitudinem, qua toto terrarum orbe diffunditur; quantùm ad perpetuitatem, qua usque ad confumationem Sæculi perfeveratura eft; quantùm ad perfectionem cultûs divini &

& sanctitatis, atque alia ejusmodi, quibus Synagogâ longè super greditur, ita nec ipsi successit, quantùm ad necessitatem salutis.

Resp. 2do. Neg. maj. Synagoga tantùm ad Judæos pertinebat, & fuit veluti propria ipsorum Ecclesia, ita ut extra illam quidem nullis Judæis potuerit esse salus; sed non fuit Ecclesia Universalis, quæ sinu suo omnes veros Dei cultores complecteretur; adeoque hinc potius confirmatur nostra sententia: sicut enim Judæorum nemo salvari poterat separatus à veteri Synagoga, ita quoque nunc nemo salvus esse potest, si separetur ab Ecclesia.

99 Ob. 7mo contra 2dam Conclusionem. Ex ipsa Apostolorum Ecclesia variæ ortæ sunt divisiones & Sectæ contrariæ, ut Simonianorum, Nicolaitarum, Valentinianorum, Marcionitarum, Gnosticorum, &c. Ergo non mirum esse debet, si ex Ecclesia Protestantium ortæ fuerint divisiones & Sectæ contrariæ.

Resp. neg. ant. Sectæ illæ variæ in Ecclesia quidem ortæ sunt, non verò ex Ecclesia; at contra Sectæ contrariæ apud Protestantes ex propria Societatis indole nascuntur. Deinde Ecclesia Sectas in illa ortas rejicit & damnat, illarumque auctores & fautores à sua communione extorres esse jubet nec eos tolerat. Secùs autem Protestantes. Sic Calvinistæ tolerant Lutheranos, quamquam agnoscant v. g. Corpus Christi realiter & verè præsens esse in Eucharistia, quod negant Calvinistæ.

100 Ob. 8vo. Tot sunt apud Catholicos schismatum Conventicula, tot Sectæ & divisiones, quot sunt Monasteria vel certè Monachorum ordines; qui licèt olim separatim ab aliis viverent, attamen separatim non recipiebant Sacramenta, sed in conventibus publicis cum reliqua plebe Sacris intererant: nunc autem sibi privata altaria erexerunt: atque ita separatim ab aliis vivunt, & Christianorum titulô haud contenti, alii vocantur Benedictini, alii Franciscani, alii Dominicani &c. Ergo apud ipsos non viget illa unitas quæ est nota ac character veræ Ecclesiæ.

Resp. neg. ant. Nam variæ Monachorum societates non adversantur unitati Regiminis Ecclesiastici; tùm quia ab Ecclesia sunt approbatæ, ab ea foventur, & sub ejus cura & protectione singulari degunt; tùm quia non minùs quàm cæteri fidelium legitimis Ecclesiæ Pastoribus, nimirum Summo Pontifici, & etiam Episcopis subjiciuntur; proinde nullas Sectas aut divisiones constituunt, quæ unitati Regiminis Ecclesiæ sint contrariæ.

Altaria autem privata, quæ habent Monachi, sunt similia aliis publicis altaribus, nec in signum aliquod separationis & abruptæ communionis erecta; unde propterea Schismatici dici non possunt, nisi quoque Parochi & Episcopi omnes dici debeant Schismatici, ut qui diversa habeant altaria; imò Monachorum altaria æque sunt publica ac cætera, ut quorum Sacris intersint, quotquot cupiunt, Catholici. Falsum quoque est, Monachos primævis temporibus non habuisse privata altaria. S. Epiphanius enim testatur (s), se in Monasterio S. Hieronymi Paulinianum ordinasse in Presbyterum, qui cæteris Monachis Sacramenta dispensaret. Cassianus etiam Collat. 8. cap. 15. ait, in ipsa eremo quosdam è Monachis fuisse Presbyteros. Idem refert S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 33. Idem sæpè referunt Auctores Ecclesiastici, ac præsertim ii, qui de rebus Asceticis scripserunt.

Variæ autem illæ Monachorum appellationes non denotant Sectas ullas peculiares alienas & sejunctas à corpore Ecclesiæ, neque sunt nomina doctrinæ aut fidei diversæ, sed sic vocantur ab Institutore severioris & arctioris disciplinæ,

Qq 3 cujus

(s) Epist. ad Joan. Hierosol.

cujus professionem & institutum ad majorem perfectionis Evangelicæ gradum aspirantes, amplexi sunt.

101 Ob. 9no. Non est apud nos doctrinæ consensio, imò mira est nostrorum Theologorum sentiendi varietas: alia enim est doctrina Scotistarum, alia Thomistarum, alia Augustinianorum, alia Carmelitarum &c. nec ullus est, qui se non existimet pro veritate pugnare, & oppositam sententiam esse erroneam. Ergo perperam Protestantibus suas divisiones opponimus, ac doctrinæ consensionem velut certam unitatis Ecclesiæ notam laudamus.

Resp. dist. ant. Non est apud nos doctrinæ consensio, sed mira sentiendi varietas in opinionibus Scholarum libertati ab Ecclesia permissis, conced. in fidei dogmatibus neg. ant. Distingui hîc debet dogma fidei ab Ecclesia definitum, ab opinione libera Scholæ. Circà dogma fidei nulla est inter nostros sententiæ varietas: dogmata verò hæc æstimari non debent ex privatis doctorum placitis, sed ex publicis Symbolis, fidei professionibus, Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium decretis: quicunque autem ab hujusmodi dogmatibus discedit, pro Hæretico habetur. Non ita est de aliis Scholæ opinionibus, quas varias in partes agitari permittit Ecclesia ad elucidationem veritatis, ingeniorum & Scholæ exercitium: *In quibus*, ut ait S. Augustinus (*t*), *salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur, quid verum sit . . . aut aliter quàm est, humana & infirma suspicione conjicitur.* In quibus proinde & refellere quisque sine pertinacia, & sine iracundia refelli paratus esse debet. At Protestantes, qui hæc nobis objiciunt, de rebus etiam ad fidem pertinentibus inter se se dissentiunt, & alii alios habent pro Hæreticis, sicut videre est apud Cardinalem Hosium lib. 1. contra Brentium, & apud Canisium in præfat librorum Andreæ de Vega Coloniæ excusorum. Hinc Anabaptistæ pro Hæreticis habentur à Lutheranis & Zwinglianis, & vicissim; tametsi omnes eundem agnoscant parentem Lutherum. Similiter Zwingliani aliique Sacramentarii à Lutheranis habentur ut Hæretici, sicut patet ex Testamento Brentii, imò & ex ipso Luthero passim in suis libris: his tamen non obstantibus, Calvinistæ Galli Lutheranos ad suam Communionem admiserunt, adeò *mentitur iniquitas sibi.*

Ob. 10mo. De Capite visibili Ecclesiæ Romano Pontifice ejusque auctoritate 102
tam varia & opposita in Scholis nostris disputantur, ut nihil certi circa ipsum statui possit. Alii enim ejus auctoritatem in immensum extollunt, quam esse absolutam, non tantùm in res spirituales, sed etiam in temporales contendunt: alii eandem auctoritatem ad res duntaxat spirituales limitant, alii eam Concilio generali subjiciunt, alii eam illi superiorem tuentur &c. Ergo unitas Ecclesiæ, quæ ab isto illius Capite sic repetitur, non ita firma est, ac asserimus.

Resp. Dist. ant. Et hæc, quæ in Scholis circa auctoritatem Romani Pontificis disputantur, sunt de fide neg. non sunt de fide conc. ant. Circa summum seu Romanum Episcopum hoc unum duntaxat de fide est, de quo consentiunt omnes Orthodoxi; nempe illum esse Caput visibile Ecclesiæ, ac primatum honoris & jurisdictionis in cæteros Episcopos obtinere: cætera omnia, quæ hinc inde disputantur, salvâ semper, quæ ipsi debetur, reverentiâ & obedientiâ, ad opinionem Scholæ, non ad fidei dogma pertinent.

Ob. 11mo. Nonnulli veteres Ecclesiæ 103
Patres varios docuère & tuiti sunt etiam in fide errores, ut Millenarii, Rebaptizantes,

(*t*) Lib. 2. de pec. orig. c. 23.

zantes, &c. Ergo non semper fuit in Ecclesia eadem doctrinæ consensio.

Resp. conc. ant. neg. cons. Frustra id nobis opponitur; neque enim docemus, singulos Patres errare non posse. Fatemur eorum aliquos in errorem lapsos esse, antequam veritas ab Ecclesia fuisset apertè definita; fatemur in Disciplinæ quæstionibus, veluti de die celebrandi Paschatis, de jejunio Sabbati &c. discordes illos fuisse. At contendimus, fieri non posse, ut omnes simul conspirent in defensionem erroris; quia fieri non potest, ut pereat vera doctrina in Ecclesia Christi, quæ est columna & firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi nunquam prævalebunt &c.

104 Ob. 12mo aliquæ rationes Theologicæ. 1ma. Si Ecclesia esset una, tunc maximè propter Charitatem: Ergo, si hoc ita est, sequitur, eos, qui non sunt in Charitate, Ecclesiæ unitos non esse. 2da. Quæ habent easdem qualitates, sunt quidem similia, sed non unum. Ergo licèt in omnibus Ecclesiis particularibus sint eadem fides, Sacramenta, leges, non sequitur eandem esse Ecclesiam, sed ad summum esse similes Ecclesias. 3tia. Licèt diversa regna habeant eundem Principem, easdem Leges generales, non sequitur, esse unum Regnum. Ergo &c. 4ta. Unitas seu concordia, & ordinata dispositio non conveniunt soli Ecclesiæ Christi, sed etiam multis aliis Societatibus. Ergo &c. 5ta denique. Si in sola Romana communione vera Ecclesia constituitur per exclusionem aliarum societatum, vix defendi potest ejus Catholicitas seu universalitas; Romana quippe communio intra angustos limites planè coarctatur. Ergo &c.

Resp. ad 1mam. Unitatem seu unionem Charitatis maximè optandam esse inter omnia & singula Ecclesiæ membra; hac tamen in aliquibus (non in omnibus, quod fieri non potest) deficiente, supersunt aliæ rationes unionis, nempe in fide, in regimine, in Sacramentis, in subjectione legitimis Pastoribus, quæ sufficiunt ad veram Ecclesiæ unitatem. Unde Dist. ant. Si Ecclesia esset una, tunc maximè propter charitatem solam neg. ant. non solam, & ita, ut ipsa etiamnum deficiente in aliquibus, ii tamen ex aliis rationibus Ecclesiæ corpori conjuncti maneant conc. ant. & neg. cons.

Ad 2dam Distinct. ant. Quæ habent easdem qualitates, sunt similia, sed non unum, si non habeant eundem finem, nec ad eum tendant, ut partes ejusdem totius, conc. ant. secus neg. ant. Ecclesiæ particulares eundem habent finem, eadem media, eandem primo Pastori subjectionem &c. Atque sicut omnia membra simul sumpta, licèt inter se diversa unum corpus constituunt, sic particulares Ecclesiæ simul sumptæ unam universalem constituunt Ecclesiam.

Ad 3tiam neg. cons. Plura regna uni Principi subjecta etsi simul sumantur, non tamen possunt dici constituere unum totum tanquam partes, atque sic unicum regnum efficere. At contrà Ecclesiæ particulares ex ordinatione quidem Christi, uni Capiti subjiciuntur; uno spiritu foventur, & animantur; operantur tanquam partes totius corporis mystici, scilicet Ecclesiæ; Ipse enim dedit Caput, Episcopos, Pastores, Presbyteros, Diaconos, regulam fidei, fidem ipsam, & Sacramenta, quibus inter se conjunguntur fideles, adeoque unum corpus per se efficiunt ac constituunt.

Ad 4tam Dist. ant. Unitas seu concordia &c. non convenit soli Ecclesiæ Christi; unitas quæ fundatur in consensu fidei ejusdem, eorumdem Sacramentorum participatione, & subjectione legitimis Pastoribus inprimis verò Romano Pontifici neg. Unitas cuilibet societati & Sectæ communis non convenit soli Ecclesiæ Christi conc. ant. & neg. cons. Convenit quidem unitas aliqua cuilibet Sectæ &

& societati; sed nulli competit ea, quæ Ecclesiæ Christi singularis est & propria.

Ad 3tiam: patebit ex dicendis paulo pòst, Romanam Ecclesiam verè Catholicam esse, nec tam angustis finibus contineri, ac fingunt Adversarii.

§. II.

105 *De Sanctitate Ecclesiæ.*

Ecclesiam Christi in se sanctam esse consentiunt omnes: *Pro ea enim se ipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret;* ait Apostolus. (*u*) Cùm ergo Protestantes Ecclesiam Christi se habere jactent æquè ac Catholici, dispiciendum hîc nobis est, cuinam illorum societati hæc Sanctitatis proprietas conveniat, an Protestantium, an verò Catholicorum Ecclesiæ. Pro quo sit

CONCLUSIO.

Ecclesia Catholicorum est sancta, ea sanctitate, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est & singularis, non verò Ecclesia seu societas Protestantium.

Prob. Conclusio. Sanctitas, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est ac singularis posita est præsertim in tribus: scilicet, in sanctitate doctrinæ & professionis; in sanctitate eorum, qui primùm eam fundârunt; in gloria miraculorum, quibus Ecclesiæ suæ veritatem & sanctitatem confirmavit Dominus. Atqui societas Catholicorum triplicem illam habet sanctitatem, non verò societas Protestantium. Ergo &c.

Prob. min. quoad primam partem. 1mo. Quia Ecclesia Catholicorum nihil docet, quod non sit sanctissimum; de fide nihil proponit credendum, nisi vel scriptum sit in sanctis Libris, vel constanti ac perpetua Traditione ad nos transmissum, ac Conciliis definitum. Unicum Deum in spiritu & veritate colit: verum agnoscit Mediatorem Dei & hominum Christum JEsum; & si quas in cultu Dei usurpat cæremonias, non alio fine id agit, quàm ut mentem hominum ad cœlestia erigat. Non aliam habet moralem doctrinam, quàm quæ à Christo Apostolis & SS. Patribus tradita est.

Prætereà illa doctrina est sancta, quæ ejus est virtutis & efficaciæ, ut ipsa sanctitatem & sapientiam aliis inspiret, ac convertat animas. Atqui talis est doctrina, quam profitetur Societas Catholicorum. Norunt enim omnes, quos progressus fecerit in universo Orbe statim atque annùntiata est; & quidem nullus suffulta præsidiis hominum, per Apostolos externa specie contemptibiles, sine vi, sine ulla arte, aut verborum pompa; quamquam ea doceret, quæ naturæ dura planè sunt, & adversa; ac longo usu in vitio obfirmatos reperiisset hominum animos. Ergo necesse est, divinam prorsùs esse sanctitatem doctrinæ, quæ tantam vim habuit, & efficaciam.

Meritò igitur S. Augustinus ait (*x*): *Nihil* (in Christianis Ecclesiis) *turpe aut flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut beneficia postulantur.*

Hanc verò Sanctitatem non habet Societas Protestantium; hæc enim longè abesse vult ea, quæ dura & onerosa sunt; ut jejunia, carnis macerationes, auricularis confessio &c. & cujus doctrina innovat antiquos veterum errores, ut inutilitatem bonorum operum cum Simonianis, Valentinianis, & Eunominianis. (*y*) Ita Protestantium Synodus Wormatiensis anno 106

(*u*) Ephe. [illegible] 5. v. 26. (*x*) Lib. 2. de Civit. cap. 28. (*y*) Apud Iren. adv. hæref. lib. 1. c. 23 [illegible] 20 Theodoret. lib. 1. hær. fab. c. 1. Aug. lib. de hæref. c. 55.

anno 1557. Confessio Gallica art. 20. & Helvetica art. 16. In filiis fidelium non dari peccatum originale, hosque sine Baptismo è vita decedentes salvari. Nullum quoque dari peccatum veniale, sed omne peccatum suâ naturâ esse mortale. Ita Zwinglius lib. de Baptism. Bucerus in c. 3. Matth. Calvinus lib. 15. Instit. c. 16. & seq. Calvinistæ in Catechismo Dom. 50. & in forma Baptismi n. 11. Qui fuerunt errores Pelagianorum. (z)

Cum Novatianis, nulla esse Sacramenta Pœnitentiæ & Confirmationis. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. n. 5. & 17. Confessio Augustana art. 12. Docebant enim Novatiani, non esse in Ecclesia potestatem homines Deo reconciliandi, nisi per Baptismum; neque debere rebaptizatos Chrismate inungi ab Episcopo. Apud Theodoretum lib. 3. Hæretic. fabul. cap. 5. & Cornelium Papam in Eusebio lib. 6. Hist. c. 43.

Cum Donatistis (a) Ecclesiam Christi ex solis Sanctis constare, & proinde esse invisibilem. Ita passim Protestantes post suos antesignanos.

Cum Aërianis (b) nec pro mortuis orandum, nec pro iis oblationes offerendas; nec statuta jejunia celebranda esse, & Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ discerni debere. Ita Calvinus lib. 3. Instit. cap. 5. num. 6. & 7. Item lib. 4. cap. 12. n. 20. Magdeburgenses Cent. 4. qui asserere non verentur doctrinam his tribus Aërianorum erroribus oppositam potiùs erroneam esse; parùm suâ interesse arbitrantium, eos à veteri Ecclesia velut hæreses fuisse proscriptos.

107 2do. Probatur, & patet doctrinam Protestantium non esse sanctam, quia adversatur sanctæ morum disciplinæ, quæ vigebat etiam purissimis, & sanctissimis Ecclesiæ temporibus, Sanctorum nempe Basilii; Gregorii Nazianzeni; Gregorii Nysseni; Ephrem; Theodoreti; Cyrilli Hierosolymitani; Concilii Chalcedonensis, cui interfuère Patres sexcenti; Ambrosii; Hieronymi; &c. Dum Sanctorum invocationem, tanquam idololatriam, remque veræ fidei, & pietati contrariam; Ministrorum verò Ecclesiæ celibatum tanquam quid iniquum, & Verbo Dei contrarium inverecundè traducunt, ut & alia similia sanctæ morum disciplinæ capita, quamvis à memoratis veteris Ecclesiæ Patribus tanquam sancta & verè pia ultrò agnita & laudata, necnon à Conciliis stabilita, & sancita fuerint.

3tio Prob. Doctrinam Protestantium non esse sanctam. Illa doctrina non est sancta, cujus principia non ducunt ad sanctitatem. Atqui moralis doctrinæ Protestantium principia non ducunt ad sanctitatem. Ergo &c. 108

Prob. min. Quia viam omnibus vitiis aperiunt, virtutibus autem præcludunt. Nam 1mo. In sententia Protestantium, sola incredulitas potest damnare: quibuscunque tandem cupiditatibus aliquis serviat; adulterii, homicidii, aut cujusvis alterius criminis reus sit, modò credat se electum esse à Deo, gratiam nunquam amittere potest, quia etsi timorem Dei amittit, fidem tamen justificantem non amittat. Ita passim docent, Lutherus lib. de captiv. Babyl. cap. de Baptismo. Calvinus lib. 3. Instit. c. 13. Beza in confessione c. 4. art. 20. 2do. Juxta principia Protestantium, nullæ leges humanæ, seu Principum spiritualium, seu temporalium, conscientiam fidelium ligant. Ita Lutherus lib. de captiv. Babyl. Calvinus lib.

(z) Apud S. August. lib. 6. cont. Julian. cap. 2. & 3. & lib. 4. ad Bonifac. cap. 2. & 4. lib. de hæres. cap. 88. & lib. 1. de anima &c. cap. 9. Conc. Milevit. apud eundem Ep. 176. aliàs 92. Conc. Carthagin. Hieron. lib. 2. cont. Pelagian. (a) Apud S. Aug. lib. de unit. Eccles. cap. 12. (b) Apud Epiph. hæres. 75. Aug. hæres. 53.

lib. 3. Instit. cap. 19. n. 14. ubi, *omnium hominum potestate*, inquit, *exemptas esse conscientias constituimus.* Danæus in Antibellarmino lib. de Baptismo. Wittakerus lib. adversùs Campianum. Atqui hujusmodi doctrinæ moralis principia sunt impia, & seditiosa, unde ea semper detestata est Ecclesia Catholica. Quid enim magis impium cogitari potest, atque magis omnibus vitiis patentem viam aperit, virtutibus autem præcludit, quàm ubi sceleſtiſſimi quique salutis suæ securi redduntur? Et quid tranquillitatem publicam certiùs turbare & evertere potest, quàm doctrina, quæ contemnit leges Ecclesiæ, Principum, Magistratuum, & harum observatione conscientiam fidelium non alligari docet? Ergo &c.

Prob. min. quoad secundam partem. Ecclesiam scilicet Catholicorum habere sanctitatem in primis sui instituti fundatoribus.

Habet enim eam in Christo, qui est primus ejus auctor, fons & origo totius sanctitatis & justitiæ. Habet in Apostolis & SS. Patribus, qui contra singulas suorum sæculorum hæreses dimicaverunt. Habet in Martyribus, qui firmô, ac constanti animô pro Christo occubuêre. Habet in tot Episcopis & Pastoribus, in tot Religiosorum Ordinum Institutoribus eximiæ virtutis ac pietatis: Nihil verò tale apud se esse probare possunt Protestantes nostri. Ergo &c.

Hanc, inquam, primorum suorum Institutorum sanctitatem evincere neutiquam possunt. Neque audebunt dicere prætensæ suæ Reformatæ Religionis auctores, Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Bezam &c. sanctos fuisse. Nec opus arbitramur, ut tàm notam horum Pseudo-Prophetarum turpitudinem hîc revelemus, hujusmodi argumenti Domino Weislinger strenuo ac famoso Ecclesiæ nostræ vindici relinquentes tractationem.

Prob. eadem min. quoad tertiam partem; Catholicam videlicet Ecclesiam habere sanctitatem doctrinæ miraculis à Deo confirmatam. Habuit 1mo Sæculo miracula Christi, & Apostolorum in sacris libris memorata. Secundô Sæculô miracula militum Christianorum in exercitu Marci Antonii Imperatoris, quæ referuntur à Tertulliano lib. ad Scapulam c. 4. & Apologetici c. 5. ab Eusebio lib. 5. Hist. cap. 5. Tertiô Sæculô, miracula S. Gregorii Thaumaturgi, apud S. Basilium lib. de Spiritu S. c. 29. apud S. Gregorium Nyssenum in vita ejus; apud S. Hieronymum lib. de Viris illust. Quartô Sæculô, miracula Antonii, Hilarii, Martini, Nicolai, apud S. Athanasium, Hieronymum, Sulpitium. Quintô Sæculo, miracula quæ describuntur à S. Augustino lib. 22. de Civ. c. 8. & quæ suo tempore Carthagine, & Mediolani contigisse narrat. Sextô Sæculô, miracula, quæ narrantur à S. Gregorio Magno in suis Dialogis; & multa alia, prout Annales Ecclesiasticos percurrenti facilè constare potest; quæ omnia à tot & adeò sanctis viris tam frequenter patrata fuêre in testimonium ejusdem doctrinæ & fidei, quam nunc quoque nos profitemur, quæque proinde eam sanctam probant. Ubi enim vera miracula, ibi & sancta ac vera fidei doctrina. Deus enim præcipuus, imò unicus miraculorum auctor, mendacii & erroris testis & assertor esse non potest. Atqui mendacii testis & auctor esset, si fides nostra & doctrina sancta & vera non esset, ut qui permitteret in ejus testimonium & firmamentum miracula fieri.

Protestantes sanè nulla miracula in medium afferre possunt, quibus doctrinam suam confirment; cumque nulla apud se inveniant, nostra Dæmonum præstigiis deputant, aut falsi postulant, non alia quidem ratione, quàm quòd pugnent cum novis ipsorum placitis.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

110 Ob. 1mo. Societas Catholicorum corrupta est in doctrina ob infinitos errores & superstitiones, quibus verus Dei cultus corrumpitur; & in moribus, ut patet ex reformatione, quæ subinde adhibita fuit, tam in capite, quàm in membris. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Si quidam errores & superstitiones interdum in Ecclesia irrepserunt; atque etiam subinde adhibenda fuit morum reformatio, id fecêre privatorum quorumdam errores ac vitia, quæ ipsi Ecclesiæ immeritò imputantur; ut quæ, teste S. Augustino, *errorem nec facit, nec jubet, nec patitur.* Ut objectio quidquam probaret, proferri deberet aliquod Ecclesiæ judicium vel Canon, quo vel error, vel morum corruptela aliqua approbata fuerit.

Solemne fuit omnis ætatis Hæreticis Catholicam Ecclesiam, à qua ejiciebantur, calumniis proscindere. Manichæi eidem objiciebant hypocrisim, superstitionem, sepulchrorum adorationem, & luxuriam. (*c*) Luciferiani, eam diaboli & Antichristi Ecclesiam nuncupabant. (*d*) Donatistæ eam pestilentiæ cathedram nuncupabant. (*e*) Caveant proin Protestantes, ne dum Catholicorum Ecclesiam calumniis onerant, antiquis his adnumerentur Hæreticis.

111 Ob. 2do. Efficacia doctrinæ certum non est ejus sanctitatis argumentum: tùm quia Infidelium & Hæreticorum doctrina magnos etiam fecit progressus, ut patet exemplis Mahumetanorum, Lutheranorum, & Calvinistarum: tùm quia si quos suâ doctrinâ converterunt Catholici, id non fecit doctrinæ simplicitas, sed dolus, promissa, minæ. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Ad exemplum Mahumetis, non est, quod miremur ejus Sectæ progressus, nam præterquam quòd hominum libidini plurimum faveat, armorum vi, non persuasione doctrinæ tàm longe lateque diffusa est. Imò Mahumetes ipse Alcorani cap. 18. & 19. bellô & armis cogendos esse homines ad suas partes & doctrinam amplectendam affirmat. Nihil quoque mirum videri debet, quòd Lutheri, & Calvini hæresis tot regiones occupaverit: quid enim non potest Novitas, ubi sub specie severioris & sanctioris morum disciplinæ ea rescinduntur, quæ in Catholicorum Religione magis ardua sunt, & onerosa, ut v. g. Confessio Sacramentalis, Jejunium, Celibatus in Ministris Ecclesiæ &c. At quòd ea Religio, quæ nonnisi dura docet, quæ tota naturæ inclinationi contradicit tàm stupendos fecerit progressus, id profectò soli ejus doctrinæ sanctitati, & auctoris ipsius efficaciæ adscribendum est. Quas verò strages, quas tempestates ac rebelliones in Gallia, Germania, Anglia excitaverit prætensa Novatorum reformatio, nemo ignorat. Quod ajunt de dolo, promissis, ac minis à nostris usurpatis, ut faciliùs ad Christum homines converterent, putida fabula est.

Ob. 3tio. Miracula non sunt firmum argumentum sanctitatis alicujus doctrinæ, quia fieri possunt à Magis & Ariolis, Exod. 7. & 8. Ab Anti-Christo, & Pseudo-Prophetis, Matth. 24. Ab Ethnicis, ut à Vespasiano factum, qui cæco lumen reddidit, claudo gressum, Suetonius in vita num. 7. Ab Hæreticis, ut de Paulo Novatiano Episcopo refert Socrates lib. 7. Hist. c. 17. Ergo &c. 112

Resp. Neg. ant. Ad exempla dicimus & quidem ad 1mum falsa fuisse miracula, quæ ediderunt Magi & Arioli, Exod. 7. & 8. necnon artificia Dæmonum, & fascinatio-

(*c*) Apud Augusti. lib. de mor. Eccles. cap. 34. (*d*) Apud Hieron. Dial. adv. Luciferian.
(*e*) Apud Aug. lib. 2. cont. litt. Petiliani cap. 51.

ſcinationes &c. habeturque tùm ex eo, quod draco, in quem virgam ſuam convertit Moyſes, illorum dracones devoraverit; tum, quia plagas populo inferre potuerunt, non verò eum ab illis liberare; aquam potuerunt vertere in ſanguinem, at non ſanguinem in aquam; nec ranas à ſe priùs confectas ab Ægypto removere; tùm quia ſciniphes non potuerunt producere; Deo ſcilicet, ut obſervat Theodoretus, Magorum imbecillitatem, artemque, qua utebantur, procul abeſſe à virtute divina, tunc manifeſtante; adeò ut confeſſi fuerint, in illa plaga eſſe digitum Dei, hoc eſt, ſingularem potentiæ Dei operationem.

113 Porrò dantur Notæ quædam & ſigna, quibus vera miracula dignoſci poſſunt à falſis. 1mo. Diuturnitas & perſeverantia effectûs, quæ eſt maximum veritatis indicium; quæ enim fictè fiunt, brevi evaneſcunt. Hinc Pharaonis Magi poſt aliqua opera, quæ prodigioſa videbantur, deprehenſi ſunt deficere, atque hoc publicè confeſſi ſunt, Exod. 8. v. 19. Similiter falſitas miraculorum Simonis ſtatim manifeſta fuit, cùm ad Petri orationem decidit mortuus. 2do. Attendendi ſunt effectus, quibus miraculorum veritas declaratur, quales maximè ſolent eſſe actiones vitæ, ut manducare, loqui in Lazaro reſuſcitato, videre in cœco à nativitate, & ita de aliis. 3tio. Circumſtantiæ, quibus fiunt illa miracula: ſi v. g. per orationem ad Deum; ſi finis talium operum non ſit aliquid temporale & pravum; ſi adjunctum habeant aliquod opus Dei proprium, ut ſecretarum cogitationum manifeſtationem.

114 Ad 2dum Reſp. miracula Pſeudo-Prophetarũ & Antichriſti mendacia erunt, non vera miracula, ut dicit Apoſtolus 2. Theſſal. 2. id eſt non vera & ſolida, ſed falſa & ad ſummum apparentia, vel mirabilia hominibus, qualia arte Dæmonis fieri poſſunt, & quæ naturam non ſuperant, ut excitare tempeſtates, ignem de cœlo deducere, quosdam languidos ſubitò ſanare; non tamen abſolutè miracula. At miracula Sanctorum ſunt illuminationes cœcorum, curationes claudorum, ſuſcitationes mortuorum, quæ à ſolo Deo fieri poſſunt.

Ad 3tium Reſp. non vera fuiſſe miracula Veſpaſiani, quia nec verè cœcus, nec verè claudus fuerunt illi, qui ab eo ſanati dicuntur, ut obſervat Cornelius Tacitus lib. 4. hiſt. num. 81. Adde cum Tertulliano Apologetici cap. 22. totum illum morbum fuiſſe à Diabolo, qui illorum binorum hominum membrorum uſum impediebat, *ut videretur deindè ſanare, cum deſineret nocere.* 115

Ad 4tum. De Novatiani Epiſcopi illius miraculo Reſp. illud factum eſſe, non in confirmationem fidei Novatiani hujus Epiſcopi, ſed Catholici Baptiſmi. Cùm enim, prout narrat Socrates cit. loc. Judæus quidam impoſtor, qui Baptiſmum ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano ritu Catholico jam ſuſceperat, ad hunc Novatianum Epiſcopum acceſſiſſet, ut denuò ab eo baptizaretur, alveus Baptiſmatis divinitùs exhauſtus eſt, quo miraculo illius iterationem illicitam eſſe Deus teſtari voluit. 116

Ob. 4to. S. Auguſtinus Tract. 13. in Joan. ait, non eſſe credendum Donatiſtis, etiamſi miracula faciant. Et lib. de unit. Eccleſ. cap. 16. docet, Eccleſiam non demonſtrari ex miraculis, ſed Scripturis, additque, nec fidem adhibendam eſſe miraculis Catholicorum. Ergo &c. 117

Reſp. Miracula Donatiſtarum non fuiſſe vera miracula, quæ citatò locò S. Auguſtinus contemnit, ſed occultas viſiones quasdam duntaxat, quas ſine ullo teſte jactabant ſe habuiſſe. Deinde, ut ex ipſius verbis patet, nihil aliud vult, quàm quòd non credendum ſit miraculis, etiam-

etiamsi fierent ab iis, qui sunt extra unitatem Ecclesiæ. Quòd autem hic S. Doctor vera miracula non contempserit, patet vel ex solo libro 22. de Civit. Dei cap. 8. ubi adversùs Paganos plurima opponit miracula facta ad Reliquias Sanctorum, & præcipuè S. Stephani. Et cap. 9. probat, universa miracula, quæ per Martyres Christi nomine fiunt, ei fidei testimonium ferre, qua in Christum Martyres crediderunt.

118 Ad 2dum vult tantùm eo loco S. Augustinus, miracula non esse sacris Scripturis præponenda. Sed quia hîc ipsi res cum Donatistis erat, qui miracula apud suos patrata jactabant, ex quibus veram esse suam Ecclesiam dicebant, longum nimis ipsi visum est, eorumdem falsitatem demonstrare, unde ad Scripturas, quas & ipsi Donatistæ admittebant, ut breviùs disputationem expediret provocavit, ex quibus multò apertiùs de vera Ecclesia judicari posset.

At etiam ex miraculis demonstrari veram Ecclesiam Christi, alibi docuit idem S. Doctor (*f*), ubi dicit, *illa esse vincula, quæ illum in Ecclesia Catholica tenent*. Disputans quoque adversùs Manichæos, qui miracula admittentes Scripturas rejiciebant, docet (*g*), Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non verò ex Scripturis. Ergo sanctus hic Doctor, pro ratione personarum, quibuscum res ipsi intercedebat, modò Ecclesiam ex Scripturis, modò autem ex miraculis demonstrat, ex quo nihil absurdum sequitur, cum præstet cuique sententiam suam tuenti, se genio adversariorum suorum accommodare, ut sic tutiùs vincat.

119 Ob 5to. Miracula, quæ à nostris auctoribus referuntur, vel sunt ficta, vel imaginaria, id est, non ita contigère, prout narrant Historici, vel sunt Dæmonum præstigia, vel hominum illusiones. Ergo non possunt esse nota Sanctitatis Ecclesiæ nostræ. Prob. ant. 1mo. Quia eorum est nimium prodigiosa multitudo; e. g. à S. Francisco, Dominico, Bernardo, & aliis perpetrata leguntur propè innumera, ita ut nusquam Apostoli ipsi tot ac tam stupenda patrarint, cùm confirmata jam Religione Christiana ad nihil esse videantur: unde testatur S. Chrysostomus hom. 49. in Matth. jam sua ætate sublatam fuisse miraculorum operationem. 2do. Quia pleraque eorum tantam stoliditatem & ineptiam præseferunt, ut Majestate divina omninò indigna videantur. 3tio. Quia vera miracula confirmant Evangelium, prout testatur S. Marcus cap. ult. vers. ult. At miracula Catholicorum illud evertunt, & idololatriam confirmant, nempe Reliquiarum & Imaginum cultum, Sanctorum invocationem, Missam, & alia id genus.

Resp. Neg. ant. Si enim pro lubitu & absque ratione licitum est negare facta olim miracula, inquit S. Augustinus (*h*), peribit fides librorum, historiarum, atque Scriptorum, & nostra non solum, sed etiam quæcunque alia Religio labefactabitur.

Stultum insuper potiùs Luthero, Calvino, Magdeburgensibus aliisque Sycophantis circa antiquas historias fidem adhibere, quàm Cypriano, Athanasio, Augustino, Hieronymo, Gregorio Magno, & aliis veteribus sanctis Patribus, qui ut plurimùm referunt res à se visas, aut saltem suis temporibus cognitas.

Quòd autem dicant Adversarii, nostra miracula esse Dæmonum præstigia, id

(*f*) Lib. de utilit. credendi cap. 17. Et lib. cont. Ep. fundamenti c. 4. (*g*) Lib. cont. Epist. fund. c. 4. & 5. (*h*) Lib. 10. de Civit. c. 18.

id æquè ac priùs falsum est. Id ipsum olim Christo objecerunt Judæi, Apostolis & Martyribus Gentiles. Id etiam Ariani, Eunomiani, & alii veteres hæretici vulgò de SS. nostris miraculis effutiebant. Novatoribus autem frons periisse videtur, cum sanctos Patres viros tantæ pietatis ac sanctitatis mendacii, fraudis ac doli in re tanti momenti, utpotè à qua doctrinæ Christianæ veritas potissimùm pendere videtur, accusant.

120 Ad 1mam antecedentis probationem dicimus, eâ nihil probari; neque enim omnia ea miracula, quæ vulgus circumfert, admittimus, sed solùm ea, quæ post serium & diligens examen agnoscit & probat Ecclesia; unde monet Concilium Tridentinum Sess. 25. Nova miracula sine gravissimo consilio, ac diligenti examine ab Episcopis non esse admittenda; sicut autem non omnia sunt leviter admittenda, ita nec omnia temerè rejicienda.

Quod ex Chrysostomo additur, apocryphum est: omnium enim eruditorum judiciô ipsius opus non est illud unde petitur objectio, sed alicujus hæretici.

121 Ad 2dam Resp. Si quæ vulgus spargat miracula, quæ inepta & stolida videntur, imò Dei majestate indigna, hæc minimè probat Ecclesia, ut jam diximus. Sequendum hîc Concilii Tridentini mox adducti consilium & voluntas.

122 Ad 3tium. Miracula nostra, prout innumeræ testantur historiæ, nedum homines in vera fide confirmant, & ad pietatem adducunt, sed & hæreticos ad nostras partes, veramque Religionem trahunt; evertunt quidem Evangelium sed Lutheri, Calvini &c., non autem Christi. Nec cultus Reliquiarum, Imaginum, & Sanctorum ritu Catholico adhibitus idololatriam redolet, ut ostendemus in Tractatu de Incarnatione. Sed cum Novatores apud se nulla habeant miracula, nostra calumniantur.

Ob. 6to. Si Protestantes nulla proferant miracula ad probandam doctrinæ suæ sanctitatem, inde fit, quòd miraculis non indigeant, quandoquidem nonnisi purum Dei verbum, ac puram Apostolorum doctrinam tot miraculis ab ipsis olim confirmatam, edocent. Et certè S. Joannis Baptista, licèt à Deo extraordinariè missus fuerit, nullum tamen signum fecit, ut expresè asseritur Joan. 10. vers. 42. Ergo Ecclesia aliqua non minus sancta dici debet, quamvis nulla proferat miracula. 123

Resp. Neg. suppositum. Supponunt equidem Novatores, se veram & puram Christi doctrinam sectari & profiteri, sed falsò, contrarium enim invictis, ubi opus est, demonstramus argumentis. Neque urget, quod de S. Joanne additur. Etsi enim miracula non fecerit, ipse tamen miraculum fuit auctoritatis divinæ pondus habens, quam ipsi conciliaverat miraculosa nativitas ex matre sterili & annosa, vita solitaria, victûs austeritas, conversationis innocentia, prædicationis libertas & efficacia, ipsum Joannis nomen ipsi ante circumcisionem divinitùs impositum, ab Angelo prænuntiatum, & notatione sua gratiam significans & designans; ut nihil dicatur, de tot aliis, quæ ortum ejus antecesserunt, & circumsteterunt prodigiis; denique Baptismus ab ipso Judæis nulla sive summorum Sacerdotum, sive Magistratus alicujus, sed sola divina auctoritate collatus, tot sunt ab ipso edita miracula. Producant Novatores nostri tot in suis Auctoribus & Pseudo-Prophetis portenta, ostendantque eos hanc vivendi rationem iniisse & prædicasse, tùm nulla ab ipsis alia miracula expetemus, quibus suæ doctrinæ sanctitatem probent.

probent. At procul absunt, ut id faciant.

Equidem fatemur ad fidei nostræ veritatem, tot jam antiquis miraculis confirmatam, ultrò comprobandam miracula, absolutè loquendo, non ita forè necessaria; at cùm in nostra Ecclesia hujusmodi miracula inveniantur, meritò inde illius doctrinæ sanctitatem evincimus. Deus enim, ut jam insinuavimus, qui præcipuus est miraculorum auctor, in testimonium impietatis ea patrare non potest.

124 Ob. 7mo. Juxta nos Ecclesia demonstratur ex miraculis, & vicissim miracula demonstrantur ex Ecclesia. Atqui hoc est absurdum, atque circulum vitiosum redolet. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Nam rectè & legitimè utrumque fieri potest in diverso scilicet genere demonstrationis: quemadmodùm ex effectu demonstratur causa, & vicissim ex causa effectus. Etenim ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quidem quoad evidentiam & certitudinem rei, sed quoad evidentiam vel certitudinem credibilitatis. Ratio est, quia ante judicium & approbationem Ecclesiæ non habetur evidentia aut certitudo fidei de ullo miraculo, quòd sit verum; tùm quia sic fides esset evidens; tùm quia sic illud nobis non constat eâ evidentiâ, cui non possit subesse falsum & Dæmonis illusio, licèt tale sit, ut nobis rem efficiat evidenter credibilem.

125 Ob. 8vo. Morum corruptela non est certum falsæ doctrinæ argumentum; Ergo nec sanctitas morum est Nota veræ doctrinæ, & per consequens, veræ Ecclesiæ.

Resp. Transf. ant. neg. conf. Quia Christus, qui docuit in Ecclesia sua futuros esse bonos & malos, statuit signum veræ Ecclesiæ & doctrinæ in sanctitate bonorum. Sicut igitur signa vitæ in aliquibus corporis humani membris apparentia arguunt vitam totius corporis; atque signa mortis in aliis membris non inferunt totius corporis mortem; ita sanctitas vera, quæ in aliquibus Ecclesiæ membris occurrit, ostendit originem veræ sanctitatis in Ecclesia reperiri.

Ob. 9no. Propter sanctitatem aliquorum Ecclesia non debet sancta nominari: cum enim accidens aliquod convenire potest toti & parti, si soli parti conveniat, non prædicatur de toto: Atqui sanctitas convenit tantùm aliquibus fidelibus. Ergo &c. 126

Resp. Neg. maj. Ecclesia enim potest dici sancta propter magis præcipuas & nobiliores ejus partes, quæ sanctæ sunt. Sic dicitur exercitus fortis, licèt in eo multi sint ignavi; quia aliquos habet viros fortes & strenuos. Sic dicitur civitas opulenta, etsi multos, & in majori numero habeat cives inopes. Similiter & Ecclesia. Ad paritatem ab accidenti deductam, dicimus eam non valere, quia sanctitas Ecclesiæ non est accidentalis, sed essentialis. Deinde datur accidens uni duntaxat corporis parti propriè conveniens, quod tamen de totó corpore seu subjecto prædicatur. Sic vir firma duntaxat habens latera & brachia robusta, vir fortis dicitur, quamvis ejus fortitudo in brachiis duntaxat & lateribus consistat.

Ob. 10mo. Si Ecclesia Catholicorum propter sanctitatem aliquorum sancta dici potest, tunc etiam dici poterit prædestinata vel reprobata, quia in ea sunt electi & reprobi. Atqui sequela est absurda. Ergo &c. 127

Resp Eam posse dici quidem prædestinatam ob singularem ejus à Deo factam prædestinationẽ; tum etiam propter præcipuas ejus partes singulari Dei beneficiô electas; non verò damnata, quia denomi-

denominatio semper desumitur à parte nobiliori, non à majori, ut patet exemplis suprà adductis de exercitu & civitate. Unde in forma neg. secundum membrum sequelæ Majoris propositionis.

§. III.

128 *De Catholicitate Ecclesiæ.*

Per Catholicitatem Ecclesiæ nihil aliud intelligitur, quàm ejus Universalitas, hoc est, ejus diffusio per omnia loca, per omnia tempora, per omnia hominum genera, sive per gentes, populos, ac nationes. Ita Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. Augustinus lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 38. Et Epist. 52. aliàs 170. ad Severinum. Optatus Milevitanus lib. 2. cont. Parmenionem. Vincentius Lyrinensis commonitorio adv. profanas hæreticas Novit. cap. 3. Ergo illa Ecclesia dicitur *Catholica*, quæ per totum orbem est diffusa.

129 Quod nomen Ecclesiæ Christi jam vicinioribus ad Apostolos temporibus adhæsisse prodit Epistola fratrum Smirnæorum de Martyrio Beati Polycarpi (*i*) apud Eusebium lib. 4. cap. 15. Et Epistola B. Ignatii ad Smirnæos. Unde rectè Valesius in notis in lib. 7. Hist. Eusebii cap. 10. ait: Videri, hoc cognomen Ecclesiæ inditum fuisse circà primam Apostolorum successionem, cùm nempè hæreses multis in locis exortæ veram Christi fidem, & Apostolorum Traditionem evertere conarentur. Tunc enim, ut vera, & germana Christi Ecclesia ab adulterinis hæreticorum cœtibus distingueretur, *Catholicæ* cognomen soli orthodoxorum Ecclesiæ attributum est.

129 Ecclesiam Christi porrò verè esse Catholicam apud omnes, qui Christiano nomine utuntur, in confesso est. Idque probat sanctus Augustinus lib. de Unitat. Eccles. à cap. 6. usque ad 17. 1mo. Ex Lege veteri, in qua promissiones factæ sunt Abrahæ, *In semine tuo*, inquit nempe Deus ad eum, Genes. 22. vers. 18. *benedicentur omnes gentes.* Et Isaaco, Genes. 26. v. 4. Et Jacob, Gen. 28. v. 14. Hoc autem semine Christum intelligi docet Apostolus Galat. 3. vers. 16.

2do. Ex Prophetis. Isaias cap. 11. vers. 10. *Et erit*, inquit, *in illa die radix Jesse, & qui exurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt.* Et cap. 17. vers. 6. *Germinabit & florescet Israël, & replebitur orbis terrarum fructu ejus.* Et cap. 49. vers. 5. *Posui te in Testamentum gentis in lucem gentium, ut sis salus usque ad fines terræ &c.* Quas quidem & alias similes Isaiæ prædictiones, in ipsa Christi Ecclesia, quæ in totum orbem diffusa est, adimpletas esse ostendit.

3tio. Ex Psalmis, ex quibus profert Psalm. 2. vers. 7. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psal. 21. vers. 28. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ* seu patriæ *gentium.* Et Psalm. 71. vers. 8. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Quæ Psalmistæ testimonia, de Christi Ecclesia intelligenda esse ostendit sanctus Doctor.

4to. Id probat ex Evangelio & verbis ipsius Domini Luc. 24. v. 46. *Quoniam scriptum est*, ait Christus, *& sic oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes,*

(*i*) Fuit Polycarpus Discipulus Apostolorum.

tes, incipientibus ab Jerusalem. Unde sic concludit c. 10. *Teneamus ergo, Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cæptura, & quousque perventura esset; cæptura scilicet ab Jerusalem, & perventura in omnes gentes.*

5to. Probat ex Actibus Apostolorum c. 1. v. 8. ubi Christum Apostolos suos sic alloquentem refert S. Lucas. *Et eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria usque in totam terram.* Percurrit deinde idem S. Doctor ea, quæ de Ecclesiæ amplitudine observantur in memoratis Actibus Apostolorum; ac tandem c. 19. concludit, *nullo Interprete indigere*, Canonicarum Scripturarum testimonia, quæ commendant, Ecclesiam in totius Orbis communione consistere; utpote quæ apertè demonstrent illius Catholicitatem seu Universalitatem.

130 Porrò hanc Catholicitatem esse veram ac singularem Ecclesiæ Christi Notam, vel ex eo patet; quia ipsa per Catholicitatem semper ab omnibus aliis Hæreticorum societatibus, tanquam per indubitatum signum secreta fuit, prout docent SS. Patres.

Augustinus passim, præsertim lib. cont. Ep. fundam. c. 4. *Multa*, inquit, *sunt alia, qui ejus* (Catholicæ Ecclesiæ) *gremio me justissimè teneant ..... tenet me postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas Hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullum Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et serm. 131. de temp. n. 242. ubi ait, idcirco Ecclesiam Christi in Symbolo appellari *Catholicam, quia toto Orbe diffusa est. Diversorum autem Hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur. Hæc verò à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Item lib. de vera Religione c. 7. n. 12. *Tenenda est nobis*, inquit, *Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo Orbe nuncupatur.*

S. Hieronymus Dialogô adv. Luciferianos, *In illa*, inquit, *Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat. Sic ubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non à Domino JEsu Christo sed à quoquam alio nuncupari; utpote Marcionitas, Valentinianos, Montanistas &c. Scito non esse Ecclesiam, sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit*, &c.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. *Quòd si fortè*, inquit, *veneris in civitates, non simpliciter interroga, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus & matris omnium nostrûm, quæ est Sponsa Domini nostri JEsu Christi.* Quasi dicat, si hoc petas, nullus Hæreticus suam Ecclesiam ostendet.

S. Pacianus Ep. 1. ad Sympronianum Novatianum, quæ Epistola de Catholico nomine agit: *Catholicum istud* (nomen) inquit, *nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit Auctores ..... Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.*

S. Epiphanius Hæres. 68. n. 3. refert, eos, qui Meletio Schismatis Alexandriæ orti Auctori adhærebant, ut se ab iis, qui Episcopum Alexandrinum sequebantur, distinguerent, suam Ecclesiam vocasse Eccle-

Ecclesiam Martyrum: alios verò scilicet Petri Præsulis Alexandrini Sectatores, penes quos veteres erant Ecclesiæ, retinuisse titulum & nomen Catholicæ Ecclesiæ.

Ante ipsos S. Justinus Dial. cum Triph. *Sunt*, inquit, *à nobis, sub nomine eorum virorum, unde doctrina & sententia qualibet extitit, denominati .... Et sunt eorum quidam, qui vocantur Marcionitæ: quidam verò Valentiniani, Basilidiani, Saturniani, & alii alio præditi nomine, à principe sententiæ quisque nomen obtinens.*

Idem asseruit S. Irenæus lib. 1. c. 23. aliàs 20. *Habent*, inquit, *& vocabulum à principe impiissimæ sententiæ Simone dicti Simoniani.*

Idem etiam testabatur S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa, per Orbem totum radios suos porrigit .... ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latiùs expandit.*

His ita de nomine & natura Catholicitatis prælibatis superest hîc probare, num ergo hæc Ecclesiæ Christi Nota Romanæ Ecclesiæ conveniat, an verò Protestantium societati. Pro quo sit

131 CONCLUSIO.

Ecclesia Romana est Catholica, non autem societas Protestantium.

Prob. 1ma. pars Conclusionis 1mo. Ut Ecclesia Romana sit verè Catholica, satis est, quòd illa fidelium societas, quæ Episcopo Romano ut Capiti suo adhæret, sit verè universalis; hoc est semper fuerit, & in omnem locum diffusa. Atqui talis est societas, quæ communionem habet cum Episcopo Romano. Ergo &c.

Prob. min. Ac 1mo quidem hæc societas semper fuit: tum quia Christus ipse eam fundavit, quando Petrum illius fundamentum constituit, atque voluit, eum primum inter Apostolos sedere, ejusque Successores primos esse inter Episcopos, ut posteà ex professo probabimus. Tum quia semper & omnibus Sæculis spectata est hæc communio cum Sede Romana, tanquam signum veræ ac Catholicæ fidei certissimum, ut 5to hujus Capitis Paragrapho demonstrabimus.

2do. In omnem etiam locum diffusa est hæc societas: tum quia iidem SS. PP. qui declarant Ecclesiam Christi in totum terrarum Orbem esse diffusam, eandem cum Episcopo Romano communione conjunctam esse asseverant. Ita inter complures alios imò omnes Tertullianus, & S. Irenæus Sæculô secundô. S. Cyprianus Sæculô 3tiô. SS. Optatus, Augustinus, & Hieronymus Sæculô 5tô. Tum quia reverà societas illa, quæ Romanum Episcopum tanquam Caput suum agnoscit, in omnes hujus Orbis partes latè diffunditur. Est enim in Oriente, apud Indos, apud Persas, apud Sinenses, Japonitas, Siamenses, & in omnibus fermè Insulis maris, quod has provincias alluit. In Occidente, apud utriusque Americæ incolas, & in tota Europa, in cujus majori parte florentissima est, quamquam in quibusdam aliis partibus persecutionem patiatur. In Meridie habuit olim illustrissimas Sedes & notissimas frequenti Episcoporum numerô Synodos; & licet nunc à Barbaris occupentur hæ regiones, habet tamen & suos in iis fideles, qui hujus antiquæ fidei sunt etiamnum cultores.

Prob. eadem min. 2do. Illa societas verè est universalis seu Catholica, quæ sola semper sic vocata fuit, & etiamnum adhuc ita vocatur. Atqui Societas seu Ecclesia, quæ communionem servat cum Romano Pontifice semper universalis seu Catholica vocata fuit, & etiamnum adhuc ita vocatur. Ergo.

Major patet, nec nisi ab insano, & qui totum Orbem mendacii arguere velit, negari potest.

Min. Prob. quoad primum: Certum est e. g. SS. Augustinum, & Hieronymum in ea fuisse societate, quæ communionem

habet

habet cum Romano Pontifice, ut patet ex testimoniis eorum passim jam relatis, & adhuc referendis. Atqui S. Augustinus sæpiùs contra Donatistas asserit, eos deseruisse veram Ecclesiam, quæ est Catholica: agens verò contra Manichæos ait, se vel ipso *Catholicæ* nomine in Ecclesia Catholicorum retineri. Ergo juxta S. Augustinum, nec Secta Donatistarum, quam impugnabat; nec Manichæorum, quam reliquerat, erat Catholica, sed sola illa Ecclesia, in cujus gremio post suam conversionem vivebat, & quam, prout primùm recensuimus, lib. de Unit. Eccles. ex Lege, Prophetis, Psalmis, & Evangelio diffusam esse probat.

Eodem argumento utitur S. Hieronymus Dial. adv. Luciferianos.

Prob. etiam quoad secundum. Unaquæque societas nomen suum desumit vel ab Auctore suo, vel à sua doctrina: sic olim dicti sunt Eutychiani, Nestoriani, Macedoniani, Ariani, Valentiniani, ab Auctoribus suis; & nunc Lutherani dicuntur à Luthero, Calvinistæ à Calvino, Sociniani à Socino; Anabaptistæ, Sacramentarii, à suis, quos defendunt, erroribus, prout omnibus notum est: soli verò nunc vocantur Catholici, qui communionem habent cum Ecclesia Romana.

Prob. eadem min. 3tio. Illa societas verè est universalis, quæ præter diffusionem in omnia tempora & loca, habet etiam doctrinæ universalitatem; hoc est, quæ nullum docet errorem, sed veteres, & recentiores Lutheranorum & Calvinistarum errores unacum priorum Sæculorum Ecclesiâ damnat: Atqui talis est societas nostra, quæ Episcopo Romano adhæret. Ergo &c.

132 Secunda pars Conclusionis, societatem Protestantium nempè non esse Catholicam, Prob. 1mo. Quia nec fuit semper, nec est ubique. Primò, non semper fuit: tùm, quia ante exortas Lutheri & Calvini Sectas nobiscum communicabant in eadem Sacramentorum, & precum participatione, atque iisdem Pastoribus subjectione. Tum quia ne quidem ratione doctrinæ, quam tunc profitebantur, est universalis; cùm illos omnes illorum articulos à nostris diversos primitiva Ecclesia jam damnaverit in veteribus Hæreticis, quorum errores ferè jam extinctos excitàrunt ac renovârunt Lutherani & Calvinistæ. Secundò, Non est ubique: Neque enim præter Occidentem alias Orbis partes illorum doctrina nonnisi leviter infecit, quidquid ipsi jactent in contrarium. Vix in Oriente cognoscuntur Lutherani, & Calvinistæ; aut si de iis aliquid ibidem auditum est, habentur tanquam partium Occidentalium Hæretici: Ecclesia verò Catholicorum ubique nota est.

Prob. Conclusio 2do. Quia fatentur ipsi Protestantes, multitudinem credentium non esse semper notam veræ Christi Ecclesiæ, quam aliquando in paucis & prædestinatis conservari tuentur.

Solvuntur Objectiones. 133

Ob. 1mo. Universalitas seu diffusio Ecclesiæ per totum Orbem in Scripturis prænuntiata, non potest convenire societati, seu Ecclesiæ Romanæ, utpote quæ apud multas sive Occidentis sive Orientis Nationes non vigeat. Ergo aut verè Catholica non est Romana Ecclesia, aut si est, necesse est asserere Ecclesiam Christi omnes societates complecti, modò non errent in fundamentalibus fidei articulis.

Resp. Neg. ant. 1mo. Illa Ecclesiæ diffusio à Prophetis prædicta non strictè & metaphysicè sumenda est, sed moraliter, id est, pro majore Orbis parte & præcipuis mundi partibus. Sic apud Jeremiam c. 34. v. 1. & Danielem c. 2. v. 39. & c. 8. v. 21. dicitur Nabuchodonosor occupasse omnia Regna terræ, & Alexander imperaturus universæ terræ, quamvis nunquam contigerit, ut alteruter eorum in uni-

universo Orbe regnaverit; sed significare duntaxat vult hìc Scriptura, utriusque hujus Imperatoris dominationem in plurimas terræ partes diffusam fuisse.

Sic etiam illam Ecclesiæ diffusionem à Prophetis prænuntiatam intellexerunt SS. Patres, atque inter alios S. Augustinus (*k*), qui docet, Ecclesiam suo tempore nondum ubique constitutam, nec ad extremum terræ perventuram ante finem hujus mundi: has tamen Prophetias in Ecclesia sui temporis esse adimpletas, fusè & invictè probat adversùs Donatistas locis in margine citatis.

2do. Triplex distingui potest in vera Christi Ecclesia diffusio: *successiva* nempe, quâ successu temporum Evangelium omnibus annuntiari debet; hæc autem diffusio omnem omninò terram complectitur, quia nulla erit pars in quam non perveniat fides Christi; atque hæc successiva diffusio soli Ecclesiæ Romanæ convenit, cùm ipsa sola Christum apud exteras Nationes annuntiaverit. Alia est *permanens perpetua & tota visibilis*. Atque ut de illa intelligantur Prophetiæ, hæ non sumi debent in sensu metaphysico, sed morali. Tertia denique Ecclesiæ Christi diffusio dicitur *permanens partim visibilis & partim invisibilis*; hæcque complectitur non tantùm omnes societates, quæ in Christum credunt, & communionem habent cum Episcopo Romano, sed & eos omnes, qui degunt inter Hæreticos, neque hæresi eorum actu & explicitè participant.

3tio. Istud Protestantium argumentum nimium probat, quia inde etiam sequitur, quòd, cùm Societates illorum qui in fundamentalibus fidei articulis non errant, totum Orbem non occupent, neque etiam Ecclesia illa, quam dicunt esse universalem, re ipsa universalis sit. Ergo in sensu morali, ut dictum, sumendæ sunt allatæ de Ecclesiæ Catholicitate Prophetiæ.

Ob. 2do. Nusquam legitur promissa diffusio Ecclesiæ Romanæ; neque etiam legitur præcepta à Christo vel ab Apostolis communicatio implicita vel explicita cum Romano Pontifice. Ergo &c. 134

Resp. Neg. ant. quoad utrumque. Ad 1mum. Vel promissa est illa diffusio Ecclesiæ, quæ primis quingentis annis communicabat cum Episcopo Romano, vel alicui alteri: Si primum, frustrà dicunt Adversarii, eam non actu esse diffusam, quasi divinæ promissiones non fuerint efficaces; frustrà dicunt, eam non complecti omnia tempora, cùm eadem fuerit Ecclesia sub Christo & Apostolis, quæ cum Romano Pontifice primis quingentis annis communicavit. Si secundum, tunc designent aliam, cui facta sit illa promissio. Certè S. Augustinus & Optatus promissiones illas Dei de Ecclesia, in qua vivebant, & quæ communionem habebat cum Episcopo Romano, intelligendas esse existimarunt.

Ad 2dum. Certum est, Christum & Apostolos præcepisse communionem tùm implicitam, tùm explicitam inter fideles & Ecclesiæ Pastores: atqui inter Pastores Episcopum Romanum agnovit antiquitas, cum quo ordinariè communicabant fideles; imò communionem hanc veluti certissimum Catholicitatis argumentum habuerunt.

Ob. 3tio. Ecclesia, quæ primis quingentis annis toto Orbe diffusa fuit, non habebat fidem communem cum Leone Papa X. sub quo secessio facta est, neque cum iis Pontificibus, qui aliquot Sæculis eum antecesserunt. Ergo non receditur ab Ecclesia Catholica, licèt à communione Episcopi Romani discedatur. 135

Resp.

(*k*) Ep. 93. aliàs 48. & 197. aliàs 78. Item Ep. 149. aliàs 80.

Resp. 1mo. Neg. suppositum. Quæstio enim non est, utrum Ecclesia, quæ fuit primis illis temporibus hanc habuerit fidem; sed quæritur, an extiterit Ecclesia verè Catholica, tempore inchoatæ secessionis, quæ non communicaverit cum Episcopo Romano, aut ejus communionem neglexerit. Si nulla fuit; ergo illa, quæ communionem cum ipso servabat, erat verè Catholica vi promissionum Dei; ac proinde Protestantes, qui eam deseruerunt, verè fuerunt Schismatici.

Resp. 2do. Neg. ant. Eadem fuit Ecclesiæ primorum Sæculorum, ac Leonis & ipsius Antecessorum temporum fides, nec contrarium unquam probare valebunt Adversarii.

136 Inst. 1mo. Tempore inchoatæ Reformationis Ecclesia Catholica in multis membris externam communionem non habebat in fide cum Romano Episcopo. Nam Ecclesiæ Africanæ, Græcæ, Syræ & aliæ Orientales Ecclesiæ erant universæ Ecclesiæ membra, quæ tamen cum Episcopo Romano non communicabant; negabant enim præcipuum Romanæ communionis fundamentum, scilicet potestatem Pontificis Romani. Ergo &c.

Resp. Neg. totum ant. Perperam dicunt Adversarii illas societates membra fuisse universalis Ecclesiæ. Tùm quia, ipsis ultro fatentibus, lapsæ sunt in capitales errores, quod sufficit, ut non pertineant ad veram Ecclesiam, prout denuò ipsimet fatentur. Tùm quia debet esse communio inter omnia membra universalis Ecclesiæ; adeoque, si Ecclesiæ Orientales & Protestantium sint veræ Ecclesiæ membra, debet esse aliqua inter has & illas communio in fide vel explicita vel implicita: neutram tamen probare possunt; non explicitam, cùm nullum sit vel litteris, vel congressibus, vel legationibus inter ipsas commercium; non implicitam, cùm non eandem fidem teneant; nam in sententia Protestantium, Ecclesiæ Orientales lapsæ sunt in errores fundamentales; & in sententia Ecclesiarum Orientalium, doctrina Protestantium in multis est hæretica.

Inst. 2do. Catholicorum est ostende- 137
re, Ecclesiam universalem tempore separationis, in fide cum Episcopo Romano communicasse. Ergo &c. Resp. neg. ant. Facile quidem foret Catholicis istud probare, sed cùm nostram communionem deseruerint Protestantes, ut à crimine Schismatis se purgare possint, debent designare Ecclesiam, quæ sit membrum Ecclesiæ Catholicæ & universalis, & quæ non communicaverit cum Romano Pontifice, cui sese post separationem conjunxerint. At verò nullam talem ostendere possunt.

Inst. 3tio. Etiamsi constaret omnes 138
Ecclesias cum Romana societate communionem servasse tempore reformationis, nondum tamen constaret communionem illam fuisse perfectam, hoc est, in interna fidei professione: imò verisimile est, omnes mansisse quidem in Cœtu Papistico, non in sensu; in Ecclesia, non in factione Ecclesiam premente; in communi veritatis professione, non in opinionibus Doctorum. Ergo &c.

Resp. Neg. secundum membrum ant. Qui fuerunt in externa communione Ecclesiæ Romano-Catholicæ etiam præsumuntur fuisse in interiori fidei communione, nisi contrarium probetur; ideoque & præsumuntur consensisse in capitales articulos Ecclesiæ Romanæ. Fueritne consensus ille quoad nonnulla explicitus, vel implicitus, parum refert, modò illa explicitè tenuerint, quæ sunt omnibus necessaria: nunquam autem alligati fuerunt fideles aliquibus Doctorum opinionibus, quemadmodum neque nunc alligantur.

139 Ob. 4to. Ex multitudine praecise non potest inferri veritas. Ergo diffusio Ecclesiae non potest esse nota sufficiens, per quam cognoscatur vera Ecclesia, quando praesertim disputatio est de doctrinae veritate.

Resp. Dist. ant. Si multitudo illa veritatem non teneat, conc. secus, neg. ant. Non dicimus solam sufficere multitudinem, ubi non occurrit veritas; sed dicimus, eam doctrinam veram esse, quam per Orbem universum diffusa Ecclesia profitetur; & ideo cum S. Optato ad orbem terrarum provocamus, juxta promissiones divinas, orthodoxa fide in Christum credentem. Ad eundem sensum provocabat S. Augustinus disputans contra Donatistas. Addimus nos cum ipso, nihil esse apud Protestantes, quod nos invitet, & teneat; sola ibi personat veritatis pollicitatio. Tenet ergo nos multorum populorum consensus, adhaeremus multitudini juxta promissiones divinas: Protestantes verò à multitudine recesserunt, nec habent eam, ad quam provocant, multitudinem.

140 Ob. 5to. Ecclesia Christi non semper fuit diffusa. Ergo diffusio &c. non est nota ipsius.

Prob. ant. 1mo. ex S. Augustino, qui testatur (*l*), innumerabiles extitisse Barbaros in Africa suo tempore, quibus nondum praedicatum fuerat Evangelium. 2do. Arianorum tempore tam pauci erant verae fidei cultores, ut teste S. Hieronymo Dial. adv. Lucifer. *Ingemuerit totus orbis, & se esse Arianum miratus sit.* Alibi dicit (*m*), Arianismum totum Orientem possedisse. Ergo.

Resp. Neg. ant. ad ejus probationem, & quidem ad auctoritatem S. Augustini, diximus jam, necessarium non esse, ut Ecclesia Christi totum simul mundum occupet, vel ut sit diffusior omnibus sectis simul sumptis, sed satis esse, si qualibet secta sit diffusior. Certum est enim eam Catholicam fuisse tempore S. Augustini, prout ipsemet adeò invictè probat adversùs Donatistas.

Ad 2dum. Resp. Longè plures fuisse tunc in Orbe Catholicos, quàm Arianos, idque demonstrat invicta fortitudo, qua fidelis populus Alexandriae, Constantinopoli, Antiochiae, Samosatae, Mediolani, Arianis constanter restitit, ubi suae sectae Episcopos in illas Sedes intruserunt. Demonstrant innumerae sanctorum Monachorum turmae, qui Aegypti deserta incolebant, & quos tanquam strenuos Nicaenae fidei defensores impensè colebat Athanasius & fovebat. Demonstrat enumeratio omnium provinciarum, quae in Nicaenae fidei professione, & Arianae haeresis damnatione consentiebant, & persistebant; prout refert S. Athanasius Ep. Synodicâ de fide ad Jovinian. Imp. quam describit Theodoretus lib. 4. Hist. cap. 3. Idem constat ex Lucifero Calaritano in lib. cui titulus, *Quòd moriendum sit pro filio Dei.* Item Ex Ep. Synodica Damasi & aliorum Occidentalium ad Episcopos Illyrici, quam refert idem Theodoretus lib. 2. Hist. c. 22.

Ad testimonia S. Hieronymi Resp. ad 1mum. Hîc loquitur hyperbolicè & eo sensu, quòd, cùm in nova fidei regula Patres Ariminensis Concilii praetermisissent in suo decreto *Substantiae* vocabulum, & eam ob rem Arianis ad oppugnandam fidem Catholicam aditum patefecissent, eidem S. Hieronymo visi fuerint, velut fidei Nicaenae proditores, unde ait, *miratus est orbis terrarum, se esse Arianum.*

Ad 2dum. Resp. Eo sensu illum dixisse, totum Orientem exceptô Papâ Athanasiô, atque Paulinô possedisse Arianam haeresim, quia in multis duntaxat partibus grassabatur, atque in iis sumpserat initium, necnon à multis illarum regionum Episcopis, ut & ab Imperatoribus praesidium acceperat. Quamvis à longè pluribus

(*l*) Ep. 199. aliàs 80. (*m*) Ep. 58. aliàs 61.

bus aliis egregiè propugnaretur doctrina Catholica, quæ filium Patri consubstantialem statuebat.

§. IV.

141 *De Apostolicitate Ecclesiæ.*

Illam Ecclesiam esse, & dici debere Apostolicam, quæ ab Apostolis fundata sit, atque ab ipsis originis suæ antiquitatem & doctrinæ suæ conformitatem trahat, extra dubium apud omnes est; idque passim veteres Patres docent. Ut Tertullianus de Præscript. Cap. 20. 36. & 37. Item lib. adv. Marcion. c. 4.

Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. Hieronym. Ep. ad Pamach. & Ocean.

Unde laudatus Tertullianus ostendit, quòd, etsi possent hæretici de quadam apud se successione gloriari, nondum tamen quidquam obtinerent, necnon falsitatis redarguerentur ex contrarietate & pugna doctrinæ ipsorum cum Apostolica.

Memoriâ quoque proditum est, Veteres exortas in Ecclesia de Religione controversias ex conformitate doctrinæ cum Apostolica dijudicasse. Sozomenus quoque laudat Imperatorem Theodosium, quòd hac via hæreticos sui temporis compescere tentaverit.

142 Sed & legitimam Pastorum missionem necessariam ac veram Apostolicæ Ecclesiæ notam esse, apertum est.

Neque enim sive in veteri, sive in novo Testamento ullus unquam fuit legitimus Pastor, qui non fuerit à Deo missus. In veteri quidem, nullus, nisi qui foret ex stirpe Aaronis, sacris se immiscere ausus est, ac quicunque extraneus thuribulo manum admovere tentavit, severè punitus est, ut exemplis Dathan, & Core; necnon Regis Oziæ compertum est.

In novo, *nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, inquit Apostolus, ad Heb. 5. v. 4. Et Rom. 10. v. 15. *Quomodo verò prædicabunt*, inquit, *nisi mittantur.* Item Ephes. 4. v. 11. ab eodem dicitur Christus *dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.*

Inde est, quòd, qui sine missione honorem sibi arrogare præsumpserunt, velut Schismatici habiti sint, iisque annumerati, de quibus dicit Dominus apud Jeremiam c. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant.*

Hujusmodi homines Christus ipse furibus & latronibus comparat, dum ait Joan. 10. v. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.*

De iisdem quoque loquitur Tertullianus, de Præscript. c. 37. ubi, *Qui estis*, inquit, *quando, & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? Qua licentia Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate Appelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res.*

Item S. Cyprianus lib. de Unit. Eccles. de Hæreticis loquens, *Hi sunt*, inquit, *qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt; qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui, nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

Adde, quòd Ecclesia non possit esse sine Episcopo. *Ecclesia*, inquit S. Hieronymus Dial. adv. Lucifer., *non est, quæ non habet Sacerdotes.* Et S. Cyprianus Ep. 69. *Ecclesia*, inquit, *est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, Ecclesiam esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia; & si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Idem habet Ep. 27.

Deni-

Denique, successionem Pastorum ab Apostolis non interruptam esse Apostolicæ Ecclesiæ notam, & quidem Ecclesiæ Christi propriam ostendunt

1mo. Tertullianus de Præscript. cap. 32. *Cæterùm*, inquit, *si quæ* (hæreses) *audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modò Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est?*

2do. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. hanc etiam continuam Episcoporum successionem Hæreticis opponit, atque Catalogum texit Episcoporum Romanorum, qui à S. Petro usque ad Eleutherium, qui sua ætate rebus Ecclesiæ præerat, Romanam Ecclesiam gubernârunt. *Quoniam*, inquir, *longum valde est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.*

Et lib. 4. c. 26. aliàs 43. n. 2. *Eis*, inquit, *qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatûs successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris, acceperunt: reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi Hæreticos & malæ sententiæ; vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes &c.*

Idem ab Hæreticis sui temporis postulabat S. Optatus. *Vos*, inquit lib. 2. cont. Parmenian. *vestræ cathedræ originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.*

Ex hactenus delibatis ergo habetur, quòd, ut quædam Christiana societas præclarâ ac præstanti Apostolicitatis notâ decorari mereatur, necesse sit 1mo. ab Apostolis originem ducat. 2do. Ut eandem cum ipsis doctrinam sectetur, & profiteatur. 3tio. Ut illius Pastores legitimam missionem & successionem habeant ab Apostolis, quæ minimè interrupta fuerit.

His ita positis, ut quæ post ea, quæ differuimus, minimè controversa esse possint; videndum modò, cuinam hæ conditiones conveniant, an Ecclesiæ Catholicorum, an verò Protestantium societati. Sit igitur

CONCLUSIO. 143

Hæ Apostolicitatis conditiones soli Ecclesiæ Catholicorum conveniunt, non verò Protestantium societati

Prob. Conclusio quoad primam conditionem seu originem. Ecclesia nostra, seu Catholicorum est eadem cum Ecclesia quinque primorum sæculorum. Atqui hanc verè Apostolicam fuisse, atque ab Apo-

Apostolis originem suam traxisse ipsimet fatentur Adversarii. Ergo & nostra.

Prob. Maj 1mo. Ex unione ipsius cum Cathedra Papali, quam ut tesseram & centrum unitatis & communionis Ecclesiasticæ agnovit, & habuit tota antiquitas, prout hactenus tum Conciliorum tum SS. Patrum auctoritate jam demonstravimus; & fusius adhuc demonstrabimus c. 5to. ubi de auctoritate summi Pontificis, seu Romani Episcopi agemus. 2do. Ex publica veteris & quinque primorum sæculorum Ecclesiæ professione, qua Sedem Romanam & Universale Concilium tanquam supremum Ecclesiæ Tribunal in causis fidei & Religionis dijudicandis agnovit. 3tio. Quia, ut loquitur Bellarminus de Notis Ecclesiæ c. 5. Si à primæva Apostolica Ecclesia nostra defecisset, necnon mutationem passa fuisset, certè vel saltem una ex iis, quæ in omni insigni Religionis mutatione observantur, demonstrari posset, nempe auctor hujus defectionis, & mutationis; dogma aliquod novum; tempus quo cœpit; locus ubi cœpit; quis eam oppugnaverit; exiguus cœtus, ex quo cœperit; & unde paulatim aliorum accessu creverit. Hæc enim omnia evenisse demonstrantur in celebri illa Ecclesiæ mutatione, cùm scilicet auctore Christo à statu veteris ad statum novi Testamenti ipsâ transiit. Atqui defectionis hujus à pristina Ecclesia, atque insignis mutationis in nostra societate seu Ecclesia nullum ex prædictis signis proferri potest. Ergo &c.

144 E contrà societatis Protestantium auctor, tempus, quo nata est, & locus; necnon dogmata illius, quæ ipsius auctor fabricavit, vel potius ab antiqua Ecclesia jam dudum in Simonianis, Pelagianis, Novatianis, Donatistis, Aërianis damnata, denuò innovavit, facilè consignari possunt, prout videre est apud Coccium in Thesauro lib. 8. de Signis Ecclesiæ Art. 3. & Bellarminum de Notis Ecclesiæ lib. 4. cap. 9. Ipsique fatentur Adversarii, dum ajunt, se in multis ab antiqua quinque priorum sæculorum Ecclesia dissentire. *Omnes ferè Veteres*, inquit Calvinus lib. 3. Inst. cap. 4. num. 38. *quorum libri existunt, ubi de satisfactione agitur, aut hac in parte lapsi fuerunt, aut nimis asperè & durè locuti sunt.* Item cap. 5. n. 10. *Ante mille, inquit, & trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis, sed in errorem lapsi sunt Veteres.* Ita etiam loquitur circa cœlibatum Sacerdotum, circa pœnitentiam publicam, quæ olim in Ecclesia vigebat, circa jejunium quadragesimale; aitque Veterum austeritatem immodicam, & superstitionem circa hæc capita nullatenus excusari posse; neque ipsi Augustino parcendum existimat, quem aliàs tamen magni facere videbatur, quòd nempe votum matris de sacrificio pro sui memoria & requie offerendo adimplevisset contra Sacræ Scripturæ normam. Alia multa, quæ passim apud Protestantes occurrunt, prætermittimus.

Præterea, cùm nostri Reformatores 145 ante suam separationem in Communione Catholicorum fuerint; necesse est, ut fateantur, vel hanc Catholicorum societatem fuisse veram Ecclesiam, & sic erunt Schismatici, quòd ab ea recesserint; vel se novam instituisse, & hinc originis suæ novitatem demonstrabunt; vel alicui alteri tandem, quæ Catholicâ antiquior esset, se adjunxisse; verùm nullam assignare possunt, cum qua societatem & consortium habere solliciti fuerint, aut cui ea obsequia, quæ veræ Ecclesiæ debentur ab Hæreticis recèns conversis, præstiterint.

Prob. Conclusio quoad 2dum. Quòd 146 scilicet Societas nostra sit Apostolica ratione doctrinæ ab Apostolis ad nos usque derivatæ.

1mo. Quia fidei nostræ Capita omninò conveniunt cum iis, quæ quinque primis sæculis vetus & Apostolica Ecclesia

propugnavit; prout facilè demonstramus, cùm de singulis fidei nostræ capitibus cum Novatoribus disputamus; necnon decursu Theologiæ nostræ ostendemus.

2do. Quia, ut primùm annotavimus, ipsi Adversarii nostri se in iis ab antiqua primorum quinque sæculorum Ecclesia dissentire ultrò asserunt, quæ tamen cum antiqua illa Ecclesia nobis esse communia sciunt, & fatentur. Vid. Luther. lib. de Capt. Babyl. Calvin. lib. 3. Instit. c. 4. num. 38. & cap. 5. num. 10. sup. cit. Centuriat. & alios passim Acatholicos Scriptores.

147 At contrà societas Protestantium non habet hanc doctrinæ ab Apostolis derivatæ antiquitatem. 1mo. Quia eam doctrinam renovant & propugnant, quam vetus & Apostolica Ecclesia dudum jam in antiquis Hæreticis proscripsit, prout fusè ostendit Bellarminus lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 9. Ut 1mo. Simonianorum, qui docebant, salvari homines secundùm gratiam tantùm non verò secundùm opera justa. 2do. Eunomianorum, qui tuebantur, non posse homini ulla peccata nocere, modò fidem habeat. 3tio. Florini, qui docebat, Deum esse causam peccatorum. 4to. Origenis, qui asseruit, Adamum perdidisse imaginem Dei, ad quam creatus fuerat. Item, infernum nihil esse, nisi conscientiæ horrorem. 5to. Peputianorum, qui mulieribus eum honorem tribuebant, ut etiam Sacerdotiò apud ipsos fungerentur. 6to. Procli, qui dicebat, peccatum in Renatis semper vivere: concupiscentiam quippe verè esse peccatum, nec tolli per Baptismum, sed sopiri per fidem: Idem postea docuerunt Messaliani hæretici. 7mo. Novatianorum, qui tuebantur, non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per Baptismum, nec debere baptizatos inungi Chrismate ab Episcopo, id est, Sacramentum Confirmationis suscipere. 8vo. Sabellii, qui docuit, unam tantùm esse personam in Deo, non tres. 9no. Manichæorum, qui hominum naturam damnabant, & liberum auferebant arbitrium, nec peccatorum originem libero arbitrio tribuebant. 10to. Donatistarum, qui Ecclesiam ex solis justis constare volebant, atque inde deducebant Ecclesiam visibilem periisse de Orbe terrarum, & in sola Africa remansisse. Romanam Sedem pestilentiæ Cathedram appellabant, altaria frangebant, Ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant, Eucharistiam canibus dabant, sacrum Chrisma projiciebant. 11mo. Arianorum, qui docebant filium Dei esse Patre minorem, nec ullo modo traditiones non scriptas recipiebant, quos in hac hæresi imitati sunt multi alii, ut Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut habetur in Synodo VII. Act. 1. 12mo. Aërianorum, qui docuerunt, non oportere orare vel offerre pro mortuis oblationem; nec statuta solemniter celebranda esse jejunia; neque Presbyterum ab Episcopo ullâ differentiâ debere discerni. 13tio. Joviniani, qui asseruit, hominem post Baptismum peccare non posse, si verè baptizatus fuerit, id est, si revera fidem, & gratiam Dei acceperit: ciborum delectum, & jejunia non esse meritoria: conjugium virginitati dignitate & merito æquari: beatorum præmia esse paria: B. Mariam in partu carnis virginitatem amisisse. 14to. Vigilantii, qui docuit, Sanctorum reliquias non esse venerandas; Orationes mortuorum pro aliis non exaudiri, adeoque Sanctos frustra invocari: Ecclesiasticos debere esse uxoratos: non expedire relinquere omnia, & dare pauperibus, & ad Religionem, relictô sæculô, properare. 15to. Pelagianorum, qui docebant, non esse in hominibus peccatum originale, & præcipuè in filiis fidelium: Per quodlibet peccatum, quamvis levissimum, perdi justitiam; ac proinde omne peccatum esse mortale. 16to. Ne-

Nestorianorum, qui docuerunt, in Christo esse duas naturas, & duas personas: omnes Veteres contemnebant. 17mo. Aliorum Hæreticorum, fortè Nestorianorum etiam, ut qui iisdem temporibus grassati fuerint, qui docebant, in Eucharistia non manere corpus Christi, si servetur in alteram diem. 18vo. Eutychianorum docentium, unam esse in Christo naturam. 19no. Xenaiæ Persæ, qui asseruit, Christi & Sanctorum imagines non esse venerandas. 20mo. Lampetianorum docentium, Monasteria debere esse libera, id est, sine votis perpetuis. 21mo. Denique, aliorum quorundam, qui negabant, Eucharistiam verè esse carnem Christi, & tantùm figuram, seu imaginem Corporis Christi esse volebant.

Hos verò errores habitos esse communiter ab Ecclesia quinque primorum sæculorum pro exploratis & damnatis hæresibus, testes locupletes sunt Irenæus, Hieronymus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, & alii, qui omnium illius temporis hæresum texere Catalogum & quarum aliquæ in Synodis etiam recensentur, & damnantur.

Atqui hos errores omnes tuentur nostri Novatores, & licèt aliqui quibusdam eorum duntaxat sint peculiares, tamen omnibus notum est, nec ipsimet diffitentur, plerosque ab ipsis propugnari, ut videre est apud Bellarminum loc. cit.

2do. Quia, ut priori argumentô dictum, fatentur Protestantes ipsi, se in multis ab antiqua & primitiva Ecclesia recedere. Quò magis adhuc confirmantur ea, quæ modò deduximus.

148 Prob. Conclusio, quod 3tiam partem. Quòd nempe Pastores Romanæ communionis habeant legitimam missionem; quia legitima missio nihil aliud est, quàm vocatio, seu ordinatio ad Ministerium Ecclesiarum facta per impositionem manuum Episcopalium; qualis legitur in Scripturis ab Apostolis usurpata, cùm Ministros ordinârunt Act. 6. 2. Timoth. 1. & 5. Tit. 1. Qualis etiam semper in Ecclesia usurpata fuit ad nostra usque tempora. Prout in Tractatu de Sacramento Ordinis fusiùs ostendemus.

Item quia quoties in aliqua societate perfecta est subordinatio Ministrorum & membrorum cum Capite, toties est legitima Pastorum ejusdem societatis missio; ut enim hæc legitima sit, satis est, quòd fiat ab habentibus legitimam potestatem & auctoritatem: atqui in Societate Catholicorum est perfecta subordinatio Ministrorum & membrorum cum Capite. Ergo &c.

At è contrà Adversariorum nostrorum Societas non habet legitimam in suis Pastoribus missionem. Si enim eam haberet, vel esset ordinaria, vel extraordinaria. Neutrum est verum. Ergo &c. 149

Prob. min. Non primum. Si enim ordinaria esset, tunc illam Pastores ipsius accepissent vel ab Ecclesia Romana, in cujus communione vivebant; vel ab alia ad quam secesserunt. Non ab Ecclesia Romana, hæc quippe secundùm ipsos est hæretica, per consequens non habet potestatem mittendi Ministros; Hæretici enim, prout tota antiquitas, ipsique Adversarii fatentur (*n*), omni auctoritate & jurisdictione in Ecclesia Christi semper privati fuerunt. Si verò ab alia Ecclesia illam acceperunt, tum proferant eam Novatores nostri.

(*n*) Disciplina Gallica cap. 1. art. 2. & cap. 14. art 12. Confessio Scotica art. 22.

Sed neque extraordinariam habent missionem. Hæc enim miraculis confirmari debet; qualis fuit missio Moysis, Prophetarum, Apostolorum, Christi ipsius. Aut saltem extare deberet in Scripturis hujus extrordinariæ Missionis testimonium aliquod, ut vel hoc pactò distingui possint verè à Deo missi ab intrusis. Atqui neutrum ostendere possunt Protestantes, ut patet. Ergo &c.

150 Apertum denique est; in Romana Ecclesia esse successionem non interruptam Pastorum, præsertim Romanorum Pontificum, prout supra laudati Tertullianus & Irenæus demonstrant. Hinc S. Augustinus contra Ep. fund. cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et in Psalmo contra partem Donati. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

151 At Protestantium Societas non potest gloriari de hac Apostolica in suis Pastoribus successione. Nam, ubi erat Secta Lutheranorum ante Lutherum? Ubi Calviniana, ante Calvinum? Hinc meritò ipsis dici potest, quod sui temporis Hæreticis dicebat Tertullianus antea laudatus: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum.* Vel quod S. Cyprianus Epist. 76. ad Magnum de Novatiano, *Novatianus*, ajebat, *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini succedens, à se ipso ortus est.* Et infra: *Pastor haberi quomodò potest, qui (manente verò Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succidanea præsidente) nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus fit, & profanus?*

Solvuntur Objectiones 152

Adversus Conclusionem.

Ob. 1mo. Antiquitas est argumentum rei deficientis, & ad suum interitum vergentis. Ergo ex illa duci non debet veræ Ecclesiæ perpetuæ & indeficientis Nota.

Resp. Ita quidem esse in rebus naturalibus, vel hominum arte, & industria constitutis, quæ sorti rerum humanarum sunt obnoxiæ: at in Ecclesia, quæ à Deo ipso constituta est, ac Spiritu sancto regente ac docente animatur, quæ habet perennitatis ac perpetuæ durationis divinas promissiones, ista locum non habent; ac puerile planè est illud argumentum, & risu potiùs excipiendum, quàm seriò refellendum.

Ob. 2do. Romanæ Ecclesiæ Ministri, 153 v. g. summus Pontifex, & Episcopi non videntur legitimam habere missionem: siquidem summus Pontifex eligitur à Cardinalibus, qui sunt institutionis humanæ; Episcopi à Canonicis, seu ab Imperatoribus & Regibus, imò olim populi consensus erat necessarius &c. Ergo &c.

Resp. neg. primum ant. membrum. Aliud est eligi, aliud ordinari; Episcopi eliguntur ab hominibus tanquam institutionis humanæ, sed ordinantur ab Episcopis, qui sunt juris divini. Et in hac ordinatione consistit missio legitima, non in electione, quæ solùm disciplinam respicit.

Ob. 3tio. Triplex distinguitur succes- 154 sio Pastorum; vel ratione loci scilicet,

vel

vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ. Sed nulla ex his probare potest veram Christi Ecclesiam. Ergo successio in Pastoribus etiam non interrupta non potest esse Nota veræ Christi Ecclesiæ.

Prob. min. Successio ratione loci non tenet in Ecclesia, quippe quæ certis locis aut regionibus non est alligata. Nec ratione personarum; hæc enim communis est pluribus aliis societatibus, quæ veræ Christi Ecclesiæ non sunt, ut societates Græcorum, Armenorum, Syrorum, Æthiopum &c. qui suarum Ecclesiarum longissimas successiones enumerant. Nec denique ratione doctrinæ; de ea enim controvertitur; quærimus enim, ubi sit vera doctrina?

Resp. Neg. min. Ad primam illius probationem dicimus, successionem Episcoporum Romanorum minimè interruptam fuisse, cùm eorum aliqui Avenione sederunt. Sive enim Romæ sint, sive alibi Summi Pontifices, semper sunt Petri Successores. &c.

Ad 2dam dicimus, jam pridem defecisse legitimam Pastorum successionem apud Orientales. In Syria quidem jam ab anno 768. abrupta fuit Mahometanis Antiochiam occupantibus. Jerosolymis quoque ab anno 636. quæ quamvis post annos 500. recuperata fuerit, tamen iterum unacum tota Syria in infidelium potestatem reducta fuit. Adde, quòd antequam extincta esset personalis illa successio, jam hæreses istas provincias invaserant; & Græci, præter Schisma, quod ab aliquot Sæculis foverant, & cujus in tribus Conciliis Lateranensi scilicet, Lugdunensi, & Florentino convicti fuerunt, in apertum etiam errorem contra processionem Spiritûs sancti à Filio, æquè ac à Patre, lapsi sunt. Certum autem est, etiam juxta Adversariorum principia, Hæreticos semper omni auctoritate & jurisdictione esse in Ecclesia Christi privatos. Deinde, non est necesse, ut, qui ad Ecclesiam Christi pertinent, suorum particularium Pastorum successionem continuam ostendant, sed sufficit, si successionem Episcoporum universalium, Romanorum nempe Pontificum, exhibeant: atque hanc ob causam, in una Pontificum Romanorum collectione sistebant veteres Episcopi; de illa principali successione solliciti magis, quàm de sua. Hinc nec Irenæus Lugdunenses Præsules, quos secutus fuerat, nec Eusebius Cæsarcenses suos decessores, nec Epiphanius Salaminenses, nec Optatus Milevitanos, nec Augustinus Hypponenses in medium adducunt; sed communi consensu in uno solo Romanorum Antistitum albo inscribendo conspirant: satis illis erat, Ecclesiæ illius principalis, cujus se membra esse gloriabantur, & unde unitas Sacerdotalis exorta est, continuam successionem enumerare.

Addit Bellarminus (o), argumentum à successione legitima præcipuè à nobis adduci, ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non est hæc successio; quod quidem evidens est: ex quo tamen necessariò non colligitur, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio. Itaque hoc argumento probamus evidenter, non esse Ecclesiam apud Lutheranos, apud quos nulla est Episcoporum successio.

Ad 3tiam Resp. Doctrinam sanam à successione legitima separari non posse, imò in ipsa includi; ubi enim aliquis legitima ordinatione succedit, nec à communione, & doctrina, in qua ordinatus est, recedit, tunc necessariò sanam profitetur doctrinam, utpote, qui unitatem servet. Non tamen sanam doctrinam assignamus tanquam veræ Ecclesiæ Notam,

(o) De Not. Eccles. l. 4. c. 8

sed ipsam Pastorum sibi invicem succedentium legitimam vocationem, & ordinationem: Doctrina enim ipsa non loquitur, sed à Pastoribus legitimis docetur.

155 Ob. 4to. Periit in societate Catholicorum legitima Episcoporum Romanorum successio. Ergo vel hæc non potest assignari tanquam veræ Ecclesiæ Nota, vel illâ destituitur Ecclesia Romana. Prob. ant. In hanc Sedem intrusi fuêre viri moribus corrupti, prout fatetur ipse Baronius ad annum Christi 897. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. ad ejus probationem neg. conf. Solent hîc Novatores aliquorum Pontificum flagitia in apertam lucem proferre, ut invidiam Romanæ Sedi concilient; sed quid inde assequuntur? Nihil profectò. Ipsa enim Sedes sancta est, sancta & legitima successio, licet aliqui Pontifices flagitiosè interdum vixerint. Supra Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ docent, non quæ faciunt, imitanda sunt. Neque in hos nonnullorum Pontificum corruptos mores conjicere debent oculos Christiani, nisi ut divinam admirentur, ac laudent providentiam, & singularem protectionem, qua Romanam Sedem, non obstante illa aliquorum ex ipsis Pontificibus morum corruptela ac depravatione, incolumem semper ac firmam conservavit.

156 Ob. 5to. Ecclesia Protestantium non est nova, sed antiquissima, imò est illa ipsa, quam Christus fundavit; licèt per multa Sæcula non apparuerit, sed posterioribus tantùm temporibus visa fuerit. Ergo malè eam novitatis arguimus.

Resp. Neg. ant. Nam unde hæc ipsorum Ecclesia ortum habeat non possunt ostendere, nisi dicant, illam deduci ex antiquis hæresibus ab Ecclesia dudum damnatis, quod ultrò eis damus, atque primùm ex Bellarmino ostendimus.

Ad illud, quod dicunt, eam nempe per multa Sæcula non apparuisse &c. urgemus contra illos argumentum S. Augustini. (p) Aut illa Ecclesia, quæ nunc primùm apparuit, ante perierat, vel non perierat, sed tantùm latebat. Atqui neutrum dici potest. Non primum: tum quia si periit mater, quomodò renasci potuissent filii? tum quia, ut dictum, undenam ipsi ortum habeant, exponere non possunt; tum quia falsæ essent promissiones Christi Matth. 16. v. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Non secundum: vel enim illa Ecclesia tunc latens profitebatur fidem suam, vel non profitebatur: si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta; si verò manifesta, quomodò nullus illam animadvertebat? Si non profitebatur, ergo nulla tunc erat Ecclesia; cùm ipsimet contendant, confessionem fidei Notam esse veræ Ecclesiæ essentialem.

Deinde, si tamdiu delituit Ecclesia, ea certè pejoris conditionis fuit, quàm quælibet Hæreticorum Secta, atque etiam ipse Judæorum populus post eversionem Jerosolymæ: nulla enim est Hæreticorum Secta, quæ sua non habuerit Templa, suos Episcopos, sua Sacramenta; imò Judæi post eversionem Jerosolymæ aliquas habuêre hinc & inde sparsas Synagogas.

Ob. 6to. Ante reformationem Ecclesiæ factam à Protestantibus, adeò corruptus erat ubique ejus status, ut jure potuerint, imò debuerint, vocatione ordinaria minimè spectata, meliores & docti quique reformationem Ecclesiæ instituere; neque necesse erat, eos habere extraordinariam propriè dictam vocationem. Ergo &c. 157

Resp.

(p) Lib. 3. de Bapt. c. 2.

Resp. Neg. ant. Hoc argumento via panditur omnibus hæresibus: nullus quippe erit Novator, qui non fingat, ita corruptum esse Ecclesiæ statum, ut debeat absque ulla vocatione ordinaria vel extraordinaria ipsius reformationem aggredi: & hoc etiam hodie contendunt fanatici quidam Galli in Angliam transfugæ, qui jam temeritatis suæ, ac factæ populis illusionis pœnas dederunt.

158 Inst. Etsi propter defectionem Pastorum, missio ordinaria fuit interrupta, atque adeò ad extraordinariam fuit confugiendum, non tamen inferri debet, si defierint Pastores, continuò perituram Ecclesiam: neque enim promissio Christi de perpetuitate Ecclesiæ, necessariò importat perpetuitatem Pastorum. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Quænam enim esset Ecclesia, quæ Pastores non haberet? Quis Grex, Quod Ovile sine Pastore? Perpetuitas ergo Ecclesiæ infert etiam & includit perpetuitatem Pastorum; atque *à tempore Christi huc usque fuisse Pastores in Ecclesia non interrupta successione*, docet Confessio Helvetica art. 18. Et *Ministerium Ecclesiæ esse perpetuum*, tuetur Confessio Saxonica art. 12. ac denique, *Pastoribus nunquam posse carere Ecclesiam*, tradit ipse Calvinus ad C. 4. Epist. ad Ephes.

159 Ob. 7mo. Lutherus, Calvinus, Zwinglius ordinati fuerunt ab Ecclesia Romana. Ergo habuerunt missionem ordinariam.

Resp. Ægrè Adversarii concedent antecedens; cùm enim juxta ipsos Ecclesia Romana in idololatriam lapsa sit, nullam utique habet ordinandi potestatem; quòd si autem vera sit Ecclesia, tunc immeritò eam deseruere Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. & alii.

Adde, quòd si Sacerdotium conferendi potestatem habuit Ecclesia Romana, certè & habuit auferendæ jurisdictionis: ac proinde acceptam illam potestatem amiserunt, cùm ab Ecclesia excommunicati sunt.

§. V. 160

An vera Christi Ecclesia sit Romana.

In vera Christi Ecclesia duo præcipuè distinguenda veniunt: doctrina fidei scilicet, & morum disciplina. Disciplina verò in ea duplex est: una universalis, quæ per omnes Ecclesias pervasit, & ab omnibus observatur, quæ maximè locum habet in publica & solemni Sacramentorum administratione. Tales sunt v. g. Exorcismi in Baptismo; Communio Laicorum sub unica specie in Eucharistia; in Ordinatione cœlibatus majorum Clericorum saltem apud omnes Occidentales Ecclesias, & aliæ Sacramentorum cæremoniæ. Alia verò est disciplina particularis, quæ spectat proprios particularium Ecclesiarum mores, usus, ritus, jura, privilegia, immunitates, libertates.

Catholica porrò Christi Ecclesia dicitur Romana, tum à disciplina illa generali, tum maximè ab ipsa fide, quæ una esse debet cum Romana in omnibus & singulis Ecclesiis; non verò a disciplina particulari, quæ, salva fide, diversa esse potest ac discrepans. Prout habetur ex Concilio Ephesino Act. 7. S. Hieronymo Ep. 52. aliàs 28. ac S. Gregorio Magno lib. 1. Ep. 43. aliàs 41. His prænotatis, ponitur

CONCLUSIO.

Vera & Catholica Christi Ecclesia est, ac dici debet Romana. 161

Prob.

Prob. Conclusio 1mo. Quia Romana Ecclesia ab Apostolis Petro & Paulo fundata est, ac eorum sanguine consecrata. Constans enim est Veterum Traditio, Petrum & Paulum venisse Romam, ibique fidem Christi disseminasse, quam proprio sanguine obsignârunt. Ita Tertullianus lib. de Præscript. c. 36. Irenæus lib. 3. adv. Hæres. c. 3. Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum. Eusebius lib. 3. hist. c. 4. Et in Chron. annô 44. à Christo nato. Item lib. 2. Hist. c. 25. S. Hieronymus de Vir. Ill. in Petro. S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 1. S. Augustinus lib. 2. cont. litt. Petiliani c. 51. n. 118. Optatus Milevitanus l. 2. adv. Parmen. n. 2. Orosius lib. 7. hist. c. 6. Sulpitius Severus lib. 2. Hist. Et alii complures.

162 2do. Quia Fidem ab ipsis annuntiatam hæc Romana Ecclesia constanter retinuit, atque cæteris per Orbem Ecclesiis communicavit, unde ob id singularis præeminentiæ, dignitatis, & auctoritatis prærogativâ donata est, atque illarum Mater ac Magistra dicta; quam enim Petrus primatûs præeminentiam super alios Apostolos à Christo acceperat, hanc ipse Sedi suæ Romanæ necnon suis in ea Successoribus transmisit, & communicavit. Ita etiam communi suffragio universa docet Ecclesiæ Traditio. S. Cyprianus Ep. 45. & 55. ad Cornelium. Tertullianus de Præscript. c. 36. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. Augustinus Ep. 43. aliàs 162. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 16. Theodoretus Ep. 116. Fulgentius lib. de Incarn. & grat. c. 11. n. 21. Tria Africæ Concilia, Numidiæ, Byzanzenii, & Mauritaniæ, Ep. ad. Theodorum Papam, quæ lecta fuit Sess. seu Secret. 2. Concilii Lateran. seu Romani sub Martino I. annô 640. in causa Monothelitarum. Joannes Papa VIII. Ep. 75. & 76. ad Michaelem Bulgarorum Regem. Hincmarus Rhemensis lib. de prædestin. c. 24. Petrus Chrysologus Epist. ad Eutychium. Denique, ut multos alios prætermittamus S. Bernardus Epist. 190. Qui omnes unanimi ore fatentur, Romanam seu Apostolicam Sedem tanquam Caput cæteris Ecclesiis, dignitate, auctoritate, fidei constantiâ præeminere: Præcipuas Orientis Ecclesias variis hæresum procellis diu agitatas, tandem triste in fide naufragium fecisse; Romanam verò in ea, quam ab Apostolis Petro & Paulo accepit, fide firmiter ac constanter, in hanc usque diem permansisse: & in qua Romana Ecclesia, dicebat S. Irenæus (q), *conservata est ea, quæ ab Apostolis est, Traditio.*

3tio. Quia Ecclesia Romana centrum est ac vinculum Catholicæ Communionis; necnon apud Veteres conjunctio cum Sede Romana seu Apostolica semper habita est pro Nota veræ ac Catholicæ Ecclesiæ. Id iterum ex constanti ac perpetua Ecclesiæ Patrum Traditione. 163

Ita Tertullianus lib. de Præscript. c. 30. Irenæus lib. 3. adv. Hæres. c. 3. Cyprianus Ep. 45. ad Cornelium. Et Ep. 52. ad Antonianum. Ambrosius de excessu fratris sui Satyri n. 47. Hieronymus Epist. 14. & 16. ad Damasum. Et in Epitaphio Marcellæ. Optatus Milevitanus lib. 2. de Schismate Donatist. Basilius Epist. 75. Augustinus Epist. 43. & 44. aliàs 162. & 163. Et in Psalmo cont. part. Donati. Et Serm. in Psalm. 101. n. 8. Item Serm. 103. aliàs 26. de Verbis Domini. Leo Ep. 10. aliàs 89. ad Episcopos Viennensis Provinciæ. Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 3. Synodus Con-

(q) Lib. 3. adv. Hæres. c. 3.

Constantinop. IV. anno 869. Qui omnes unanimiter tenent, unionem fidei ac doctrinæ cum Romano Pontifice seu Sede Romana necessariam esse, & signum veræ doctrinæ & Catholicitatis; eumque solum Catholicum esse & audire, qui cum dicta Ecclesia communionem habet. Vid. ea quæ in Opere nostro de Auctoritate & Infallibitate Summi Pontificis cap. 5.7. 9. 11. disseruimus.

164 Prob. 4to. Quia, cùm Ecclesia una sit, prout supra §. 1mo. ostendimus, atque res quælibet eò perfectior habeatur, quò propiùs tendit ad unitatem, necesse prorsùs est, ut in Ecclesia sit unum aliquod commune centrum, in quo fidelium multitudo, quasi totidem lineæ colligantur, & adunentur: aliàs vix declinari poterit periculum illius dissensionis & Schismatis, de quo conquerebatur Apostolus 1. Corinth. 1. v. 12. cùm varii, quisque pro suo affectu, dicerent: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Nam, ut scitè omninò & appositè ait Barlaamus Hieracensis apud Græcos Episcopus (r), Epist. 1. *Omnis multitudo ordine per se caret, nisi reducatur ad unum principium; pluralitas enim principiorum, & carentia principii, similis sunt inordinationis. Hujus quidem gentis* (Romanæ) *universa multitudo sub uno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana, & ejus Præsule, quem omnes honorant.* Et Epist. 2. argumentum nostrum prosequitur.

165 Prob. denique 5to. Ecclesia Christi hîc in terris debet esse visibilis, atque in fide indefectibilis, prout duobus sequentibus Paragraphis demonstrabimus. Ergo etiam ab Apostolorum tempore usque ad hanc nostram ætatem sine ulla interruptione visibilis & incorrupta permanere debuit.

Atqui nulla alia visibilis Ecclesia, præter Romanam seu Apostolicam, sine ulla interruptione aut corruptione intemerata permansit. Ergo etiam sola Romana seu Apostolica Ecclesia vera & visibilis Christi Ecclesia dici & esse debet.

Prob. min. ab inductione cæterarum Ecclesiarum, seu potiùs Societatum. 1mo. Ecclesia Judæorum morte Christi finita, abrogata, & sepulta fuit. Secta Mahometica, seu Turcica non semper fuit, sed primùm anno 622. initium habuit. Ariana, Macedoniana, & aliæ Sectæ longè post Ecclesiam excitatæ, & pleræque statim extinctæ fuerunt. Lutherana & Calviniana adeò recentes sunt, ut vix ducentos annos excedant. At verò notum est, Ecclesiam Romanam, ab Apostolis Petro & Paulo fundatam esse, atque usque ad hæc nostra tempora sine ulla in fide labe aut errore perpetuò, & sine ulla interruptione Christo fidelem perstitisse. Ergo etiam ea sola est vera Christi Ecclesia.

Solvuntur Objectiones. 166

Ob. 1mo. Meletius Antiochenus Episcopus communione Damasi Summi Pontificis non fruebatur, unde S Hieronymus dicebat: *Meletium respuo.* Attamen magna fidei, & sanctitatis laude & vivens, & mortuus floruit, prout refert Sozomenus lib. 7. Hist cap. 10. Ergo potest quis extra communionem Romani Pontificis constitutus, & veram fidem profiteri, & sanctitatem adipisci.

Resp. Dist ant. Meletius communione Damasi non fruebatur, ante initam cum Paulino, quocum de Episcopatu Antiocheno contendebat, pacem & concordiam, transf. post initam illam pacem & concor-

(r) Circa an. 1303. de unione utriusque Ecclesiæ. *Biblioth. PP. Tom. 26. p. 5. B.*

concordiam. neg. ant. Damasus Papa è partibus Paulini stabat, unde & Meletio Paulinum sede sua pellere nitenti succendebat. Vid. Theodoretum lib. 5. Hist. cap. 3.

Dixi *transeat*, nam factum istud non adeo certum est & exploratum. Quin potiùs ideo Meletium à sua communione exclusisse videtur Damasus, quòd Arianus esset, quem deinde in communionem recepit, postquam ab Ariana hæresi recessisset; id innuere videtur Theodoretus, dum ait (s), *Meletium ab impietate Ariana recessisse.* Cùm ergo S. Hieronymus ait, se illum respuere, vel dubius erat de illius communione cum Damaso, adeoque de illius fide; vel saltem loquitur de tempore, quod antecessit initam Paulinum inter & ipsum concordiam.

167 Ob. 2do. S. Cyprianus à Stephano excommunicatus fuit; & tamen Martyr sanctissimè obiit. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. de hoc facto disseremus cap. 5. Excommunicationem comminatus quidem fuit in Cyprianum Stephanus, sed intra minas hæsit, nec tulit sententiam: vicit enim pax in cordibus eorum, inquit S. Augustinus.

168 Ob. 3tio. Qui injustè ab externa Ecclesiæ communione pelluntur, ii nullum tamen inde spirituale damnum ac detrimentum patiuntur. Ergo &c.

Resp. conc. ant. neg. cons. Eo casu illi pertinent ad eam Ecclesiæ partem, quæ nobilior est, animam scilicet, ut qui ei Fide, Spe & Charitate junguntur, tametsi à corpore seu societate fidelium visibili sint exclusi. Præclara de hujusmodi fidelibus habet S. Augustinus lib. de vera Religione c. 6. n. 11.

169 Ob. 4to. Cùm vacat Sedes Romana vel per mortem, vel per absentiam Summi Pontificis aliò transmigrantis, vel per Schisma multorum de Papatu contendentium; non potest servari communio cum Ecclesia Romana. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Ubicunque degat Romanus Pontifex, ibi Romana Sedes est, & debet agnosci. Eo autem mortuo, Sedes, seu Cathedra principalis, Romana scilicet remanet, in qua Petrus Sedem fixit, & à cujus communione recedere non licet. Cùm verò tempore Schismatis dubius est legitimus Papa, Cathedræ Petri eo animo ita semper est inhærendum, ut quis paratus sit futuro legitimo Pontifici obtemperare.

§. VI.

De Visibilitate Ecclesiæ. 170

De Visibilitate Ecclesiæ, sextâ ejus Notâ, acturi, non hîc illam intelligimus Ecclesiæ partem, quæ interior nuncupatur, quamque constituunt soli Sancti, qui veræ in Christum fidei, & sinceræ charitatis vinculô inter se colligantur: secundùm hanc partem enim, quam Ecclesiæ animam nuncupamus, tota invisibilis est. Sed illam spectamus secundùm exteriorem statum suum, id est, secundùm corpus ipsius, & quatenus est Societas eorum, qui publica ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum & Pastorum communione conjuncti sunt, prout tum in Præloquio, tum capite primo hujus Tractatus fusè exposuimus. Hoc prænotato sit

CONCLUSIO. I. 171

Ecclesia Christi est visibilis ex natura sua adeò, ut oculis omnium semper conspicua fuerit.

Prob. Conclusio 1mo ex Scripturis, in quibus constantem hanc Ecclesiæ visibilita-

(s) Lib. 5. Hist. c. 3.

bilitatem prædixerunt Prophetæ, docuit Christus, confirmaverunt Apostoli.

Prophetæ prædixerunt visibilem Ecclesiam. Isaiæ c. 2. v. 2. Ecclesia montis nomine proponitur, qui sit omnibus obvius, & ab omnibus possit conspici. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes colles, & fluet ad eum omnes gentes &c.* Quem montem S. Hieronymus in hunc locum de Ecclesia exponit

Danielis 2. v. 34. & 35. lapis, qui percussit statuam, dicitur *factus mons magnus, & implevisse universam terram.* Quem locum pariter de Christo & Ecclesia intelligit idem S. Hieronymus.

Psalm. 18. Ecclesia juxta interpretationem S. Augustini comparatur Soli. (*t*) *In Sole posuit tabernaculum suum.*

Christus Ecclesiam suam esse visibilem docuit, imo parabolis quibus eam expressit, *Areæ*, *Agri*, *Sagenæ*. 2do. Cùm in ea Pastores instituit Joan. 20. vers. 1. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. 5. v. 13. 14. & 15. *Vos estis sal terræ. . . . . Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. . . . . Sic luceat lux vestra &c.* Ex quibus patet, nec Ecclesiam, nec ejus Pastores abscondi posse. Quæ etiam de Ecclesia explicat S. Augustinus. (*u*) 3tio. Cùm ipsam *supra petram ædificandam* promisit; ex quo patet Ecclesiam non minùs esse visibilem, quàm ædificium supra petram. 4to. Cùm jubet adiri Ecclesiam, hoc est, Superiores Ecclesiæ, ubi fraterna correctio privata ob contumaciam delinquentis nihil proficit. Matth. 18. v. 17. 5to. Cùm in ea instituit visibilia Sacramenta, quorum communi participatione, tanquam certissimô vinculô, inter se, & cum capite Christo colligantur fideles.

Apostoli idem docuerunt; atque inter alios Apostolus Paulus Act. 20. v. 28. ubi advocatis ex Epheso Presbyteris, eos hortatur, ut vigilantes sint in regenda Ecclesia & universo grege, in quo Dominus posuerat eos Episcopos: quis autem regere potest, quos non novit? Et Ephes. 4. v. 11. cùm dicit, Christum dedisse Ecclesiæ suæ *Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi . . . . ut non circumferamur omni vento doctrinæ.* Quæ certè omnia perfici non possunt absque mutuis inter Pastores & Oves officiis, & notitia, qua se mutuò noverint. Et 1. ad Timoth. 3. v. 15. ubi eum monet, *quomodò debeat conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia.* At nemo potest assequi modum, quo se in aliqua communitate gerat, quam nescit.

Prob. 2do ex SS. Patribus. Origenes 172 Hom. 30. in Matth. *Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem.*

S. Cyprianus de Unit. Eccles. *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit.*

S. Chrysostomus Hom. 4. in c. 6. Isa. *Facilius est*, ait, *Solem extingui, quàm Ecclesiam deleri.*

Denique, ut alios omittamus, S. Augustinus passim contra Donatistas, qui Ecclesiam in solis Africæ plagis aspectabilem esse volebant, toto Orbe conspicuam esse omnibus ostendit, Tract. 1. in Epist. Joan. num. 13. ubi postquam singula propemodum Scripturarum testimonia mox adducta in unum collegit, sic habet: *Nonne ille lapis crevit, & factus est mons magnus, & implevit universum orbem terrarum? nunquid digitô ostendimus istum montem quomodò hominibus ostenditur tertia luna? v. g. quando* volunt

(*t*) Tract. 2. in Epist. S. Joan. (*u*) Lib. de Unit. Eccles. & alibi passim.

volunt homines videre Lunam novam, dicunt, ecce Luna, ecce ubi est; & si sunt ibi, qui non valeant intendere aciem, & dicant, ubi? intenditur illis digitus, ut videant. . . . . Nunquid sic ostendimus Ecclesiam fratres mei? nonne aperta est? nonne tenuit omnes gentes? Ecce mons implens universam faciem terræ; ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita.

173 Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 1mo. Ut Ecclesia verè dicatur & sit naturâ suâ visibilis, sufficit, si una ex ipsius partibus sit visibilis & conspicua. Sicut enim homo dicitur visibilis, licèt animam habeat, quæ ex natura sua videri non potest: quia nempe constat ex corpore, seu ex iis partibus, quæ cadunt sub sensus; & aliunde anima se externis suis operationibus, prodit ac manifestat. Atqui Ecclesia Christi constat ex iis partibus, quarum una visibilis est & conspicua, & altera licet invisibilis, se tamen suis externis operationibus manifestat; constat enim ex fidelibus externa fidei professione, iisdem Sacramentis, & iisdem Pastoribus inter se unitis: Hæc pars visibilis est, hos enim fideles ubique gentium diffusos facilè quisque conspicere potest. Pars autem ejus interior & invisibilis, suis etiam operationibus aspectabilis est: licèt enim in privatis non sint certissima sinceræ fidei, pietatis, & charitatis argumenta, utpote, quæ vel in hypocritis occurrere possunt; certi tamen sumus, quòd in illa Societate, in qua sunt fides exterior in Christum, Sacramenta & Pastores legitimi & Apostolici, seu Apostolorum successores, sit quoque charitas sincera, & fides, juxta promissum Christi: *Ero vobiscum usque ad consummationem Sæculi*: Ergo &c.

2do. Ecclesia est cœtus seu Societas hominum Deum ritè colentium, atque hoc suo cultu salutem æternam sperantium. Atqui ad salutem æternam assequendam non tantùm interior Dei cultus, sed etiam exterior est necessarius, præsertim per externam fidei professionem, juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde S. Augustinus (*x*), *Fides*, ait, *à nobis officium exigit & cordis & linguæ . . . . nec salvi fieri possumus, nisi etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.* Exterior autem fidei professio non potest esse sine externa & sensibili verbi prædicatione. Ergo Ecclesia Christi necessariò visibilis esse debet.

3tio. Eo præsertim fine Ecclesia à Christo est instituta, ut sit columna & firmamentum veritatis; pugnando nempe adversùs hæreses, & eas, quantum fieri potest destruendo. Atqui nec dignosci potest velut columna & firmamentum veritatis, nec hæreses impugnare & destruere potest, nisi visibilis & conspicua sit. Ergo &c.

4to. Omnes, sub periculo æternæ damnationis, adjungere se tenentur veræ Christi Ecclesiæ, & in ea usque ad extremum spiritum perseverare: atqui id præstare haud possunt, nisi illa vera Christi Ecclesia sit visibilis, ut patet. Ergo &c.

5to. Si Ecclesia, vel etiam per aliquod tempus duntaxat, posset latere, tunc possent etiam cessare omnia Ministeria, propter quæ instituta est, Sacramenta nempe, ritus &c. imò ipsemet verus Dei cultus. Atqui sic certè salus tunc temporis obtentu impossibilis redderetur, mysterium crucis evacuaretur, atque ipsa etiamnum Ecclesia absolutè everteretur, ita ut nulla omninò superesset, nequidem invisibilis & electorum; cùm & ipsi carerent Sacramentis, sine quibus salus obtineri non potest. Ergo &c.

6to. Ecclesiam Christi esse visibilem ipsemet fatentur Protestantes: Lutherani quidem in Confessione Augustana art. 7. In

(*x*) Lib. de Fide & Symbolo c. 1.

In Apologia ejusdem; In Articulis Smalcaldensibus, quibus subscripsit universa eorum Secta; In Confessione Saxonica cap. de Ecclesia. In Confessione Wittembergensi cap. de Ecclesia. Et in Confessione Bohemica, quam approbavit ipse Lutherus.

Calvinistæ autem in Confessione Argentinensi c. 15. & 16. In Confessione Basileensi anno 1536. art. 13. & 14. In Confessione Helvetica an. 1566.

Et quamvis postmodùm, Catholicis nempe eos prementibus, ut, cùm Ecclesia Christi vera visibilis esset, ostenderent nempe, ubinam Ecclesia Protestantium fuerit ante annos 200, sententiam mutarint, atque cœperint docere, & tueri eam fuisse aliquando invisibilem, tamen præcipuus quidam ex illorum Secta præteriti Sæculi scriptor (y), probat adversùs ipsos, Ecclesiam perpetuò visibilem fuisse & conspicuam &c. Ergo &c.

174 CONCLUSIO II.

Prædicta visibilitas, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est & singularis, convenit Societati Catholicorum; non verò Protestantium.

Prob. Conclusio quoad 1mum Membrum. Visibilitas, quæ propria est, & singularis Ecclesiæ Christi, est ea, qua hujusmodi Ecclesia eminenti quadam & permanenti claritate inter alias societates per totum orbem omnibus conspicua fuit. Atqui talis est societas Catholicorum. Ergo &c.

Prob. min. 1mo. Societas Catholicorum eminenter fuit conspicua in suis Pastoribus præsertim Romanis Pontificibus, ex quorum successione non intermissa post Petrum, nec unquam deinceps intermittenda, SS. Patres veritatem, & perennitatem Ecclesiæ demonstrant.

Conspicua fuit etiam in suis Conciliis sive generalibus, sive particularibus, in quibus & fidei controversias compescuit, & Ecclesiasticam disciplinam stabilivit; ut videre est in quatuor primis Conciliis, quæ ab Adversariis tanquam legitima admittuntur.

Conspicua denique fuit in debellandis Hæreticis, atque è sinu suo ejiciendis iis, qui monita sua & definitiones contemnebant. Omnes enim, quotquot hactenus visi fuerunt Hæretici, ex societate Catholicorum prodierunt, à qua priùs in Christo regenerati fuerant; imò nullus est, qui originem suæ Sectæ aliis possit exponere, nisi priùs mentionem faciat societatis Catholicorum, quam deseruit: adeò certum est etiam omnibus Hæreticis, visibilem eam & conspicuam fuisse.

2do. Societas Catholicorum permanenter & perpetuò visibilis fuit; nullum enim ab Adversariis assignari potest tempus, in quo illa cum nostro Capite Romano Pontifice non fuerit visibilis.

3tio. Per totum orbem fuit conspicua, prout §. 3tio, ubi de ejus Catholicitate seu Universalitate disputavimus, à nobis abundè demonstratum fuit. Ergo &c.

Prob. Conclusio quoad 2dum membrum. 175 Illa Societas non est eminenter, continuò, & ubique visibilis, quæ suæ visibilitatis argumenta nulla proferre potest ex iis temporibus, quæ illam præcesserunt. Atqui societas Protestantium nulla suæ visibilitatis argumenta ante prætensam Reformationem suam proferre potest. Ergo &c. Major patet; minorem eludere non valent Adversarii.

Dicant enim nobis, ubi ipsorum societas fuerit, ante Lutherum & Calvinum? Nempe inter Hæreticos ab universa Ecclesia damnatos & anathemate perculsos. Quamvis nec de ipsorum societate esse

(y) Jurius lib. 5. de vero Systém. fidei & vera fidei analysi c. 25. & seq.

esse possint, ut qui ea docuerint, quæ ipsi Reformatores nostri, vel Novatores potiùs, ultro improbant & damnant.

Et ne de remotiorum Ecclesiæ Sæculorum Hæreticis quidquam dicamus. Petrobussiani, qui duodecimô Sæculô gallicanæ Ecclesiæ partem vexaverunt, docuerunt inutilem esse parvulis Baptismum antequam ad usum rationis pervenerint (z); non esse ædificanda Templa; frangendas, & contumeliosè tractandas cruces. Quæ non probant nostri Reformatores.

Waldenses sic nominati à Petro Waldo cive Lugdunensi, qui vixit circa an. 1160. docebant, nullum esse Sacramentum illud, quod ab improbo Ministro confertur; communem esse Ministris Ecclesiæ & Laicis etiam fœminis verbi prædicationem; omne juramentum esse mortale peccatum. Item, antequam Lutherus prodiret, non negabant præsentiam realem Christi in Eucharistia, nec transubstantiationem. (a)

Albigenses, quorum hæresis ex Italia in Gallias pervasit circa an. 1017. vetus & novum Testamentum rejiciebant; Christum non esse natum ex Virgine, nec pro hominibus passum, nec à mortuis resurrexisse; nullam esse in Baptismo remissionem peccatorum asserebant.

Wiclefitæ, quorum dux fuit Joannes Wiclef Anglus, & qui vivebat circa finem Sæculi 14ti negabat certitudinem prædestinationis; docebat adorandam esse Eucharistiam; Matrimonium esse Sacramentum; Sanctos esse invocandos, & honorandas eorum imagines; esse Purgatorium. (b) At docuit, Papam esse Antichristum; & hoc satis fortè erit, ut Adversariis annumeretur.

Hussitæ, à Joanne Hus Bohemo Wiclefi Discipulo sic dicti: admittebant necessitatem Confessionis auricularis, Sacrificium Missæ, realem Christi in Eucharistia præsentiam, Sanctorum invocationem; transubstantiationem, cæterosque omnes Romanæ communionis articulos, præter illum, qui spectat communionem sub utraque specie. (c)

Verùm fortè ad fideles occultos, & in medio Romanæ communionis degentes provocabunt Protestantes cum Claudio Ministro Calviniano. (d) At hoc ita absurdum est, ut nihil absurdius cogitari possit. 1mo. enim debebant occulta illa veræ Christi Ecclesiæ membra nullam ex iis opinionibus habere, quæ cum salute compati non possunt: hoc est, nullum cultum exhibereSanctis; eos non invocare; sanctam Eucharistiam nunquam adorare. At quis probabit illos hæc observasse, vel saltem quis non judicabit, illos omnes fuisse hypocritas?

2do. Impossibile est, fuisse ejusmodi occultos fideles: Nam, aut nunquam publicis officiis interesse debebant; aut cùm Catholici adorabant flexis genibus hostiam, illi stare debebant; nunquam vel Litaniis, vel Supplicationibus adesse, alioqui idololatriæ participes fuissent; nunquam ad sacram Synaxim accedere; nunquam extremam Unctionem vel Viaticum accipere. At quis fingat, id à Catholicis tunc toleratum fuisse.

3tio. Si autem occulti erant tunc temporis illi fideles Reformatorum nostrorum antecessores; ergò vera est nostra conclusio; eorum nempe societatem semper ac perpetuò visibilem non fuisse. Meritò igitur postulare jam idem possumus, quod ipsimet an. 1571. ab Anabaptistis postulabant; ubinam scilicet fuerit eorum societas usque ad an. 1522. quo primùm visi sunt eorum doctrinæ auctores?

Solvun-

(z) Petrus Cluniac. adv. Petrobuss. (a) Reynerus, qui floruit circa an. 1250. lib. adv. Valdens. cap. 5. Petrus Pilichdorf, qui vivebat circa annum 1395. Tract. advers. eosdem c. 25. (b) In Trialogis Wiclefi. (c) Ex Operibus Joan Hus. Item de la Roque Minister Calvinianus in sua Hist. Eucharistiæ. (d) In defensione Reformationis.

176 *Solvuntur Objectiones*

Contra primam Conclusionem.

Ob. 1mo. Jeremiæ 31. v. 33. *Dabo*, inquit Deus, *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Quibus verbis distinguit Deus Ecclesiam veterem à nova, quòd illa fuerit cœtus quidam exterior & visibilis, atque idcircò legem habuerit scriptam in tabulis exterioribus & lapideis; hæc autem sit populus quidam interior, ideoque legem habeat scriptam in tabulis cordis. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Hîc enim non confertur Synagoga cum Ecclesia Christi, sed vetus Testamentum cum novo. Illud legem terroris & extrinsecùs sonantem tantùm continebat; Istud verò est Lex gratiæ & charitatis, sive ipsa charitas & gratia scripta in cordibus hominum, prout loquitur Apostolus 2. Corinth. 3. v. 3. Ecclesia ergo secundùm hæc est invisibilis, non verò secundùm cætera, ut sunt externa professio fidei; unitas Pastorum & Fidelium; participatio externa Sacramentorum &c.

177 Ob. 2do. Lucæ 17. v. 21. *Regnum Dei*, inquit Christus, *intra vos est.* Ergo Ecclesia, quæ hîc per Regnum Dei significatur, est interna & invisibilis.

Resp. Neg. conf. Non hîc Christo sermo est de Ecclesia, sed vel de Gratia Dei, per quam ipse regnat in cordibus hominum, ut exponit Theophylactus, & hoc sensu verissimum dicitur, *Regnum Dei intra vos est.* Vel ut alii volunt hîc intelligitur ipse Christus, nam ibi quæstio erat de Regno Messiæ seu de adventu ipsius; respondet Christus, illum, adeoque Regnum Dei, jam venisse sed *non cum observatione*, id est, cum signis, seu pompa & apparatu, prout exspectabant Judæi &c.

178 Ob. 3tio. Joan. 4. v. 23. ait JEsus ad mulierem Samaritanam: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Ergo Ecclesia, quæ hîc præsignatur, est invisibilis & interna duntaxat, ut quæ cultum internum Deo exhibere debeat.

Resp. Neg. conf. Ex hoc textu nihil aliud evincitur, nisi quòd præcipuus Dei cultus in Ecclesia futurus sit internus; non verò inde sequitur, Ecclesiam futuram esse omninò invisibilem, atque omnem externum cultum esse removendum, destruenda esse Templa, abrogandos ritus, cæterasque omnes exteriores cæremonias.

Ob. 4to. Heb. 12. v. 18. & 22. *Non accessistis*, inquit Apostolus, *ad tractabilem montem & accensibilem ignem.... Sed ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis.* 179
Ergo juxta Apostolum Ecclesia, quam hîc per montem Sion designat, est invisibilis.

Resp. Neg conf. Per montem Sion & civitatem Dei viventis non intelligit Apostolus Ecclesiam hîc in terris militantem, sed triumphantem in cœlis, quæ ex beatis Spiritibus & Angelis constat, prout ipse textus manifestè prodit. Confert ergo Apostolus Synagogam (quæ accessit ad montem Sina corporeum, atque per imagines corporeas vidit quidem Deum) cum Ecclesia, quæ non re quidem, sed spiritu accessit ad montem Sion, & ad civitatem Dei viventis, id est, ad gloriam beatorum, ubi videtur Deus facie ad faciem.

Vel dici potest, quòd Apostolus intelligat simul Ecclesiam militantem & triumphantem: Ecclesia igitur novi Testamenti quatenus militans est comparatè ad Synagogam appellatur mons Sion, seu mons spiritualis & civitas Dei viventis, atque Jerusalem cœlestis, non quòd sit ita spiritualis, ut nullô prorsùs modô sit conspicua; sed quòd eo fine sit instituta, ut hominem ad cœlum provehat, necnon ad bona spiritualia, quod Synagogæ minimè

minimè conveniebat, quæ non ad perfectum adducebat, sed meris temporalibus promissionibus nitebatur. Vid. Estius in hunc locum.

180 Ob. 5to. 1. Pet. c. 2. v. 5. hæc leguntur: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo.* Ergo juxta Apostolum Ecclesia est domus spiritualis duntaxat, adeoque invisibilis

Resp. Neg. cons. Ecclesia hìc dicitur domus spiritualis, non quòd secundùm se sit occulta & invisibilis, sed tùm ad differentiam domûs materialis, quæ ex materia merè corporali constat: vult enim S. Petrus Ecclesiam non esse domum ex lapidibus & lignis ædificatam, sed ex hominibus Deo dicatis & consecratis. Tùm propter significationem mysticam; quia v. g. per domum materialem & propriè dictam, quale fuit Templum Salomonis, aut Tabernaculum Moysis, fuit præfigurata. Vid. Estius in hunc locum.

181 Ob. 6to. Quod est fidei objectum, conspici non potest Atqui Ecclesia est fidei objectum. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Quod est fidei objectum conspici non potest sub ea ratione, sub qua creditur, conc. maj. Sub alia ratione neg. maj. &c. Videmus hominum cœtum, qui est Ecclesia, eumque sensibiliter cognoscimus ex fidei professione, cultu externo, Sacramentorum participatione, & Pastorum subjectione: At quòd iste hominum cœtus vera sit Ecclesia non videmus, sed credimus, vera enim Christi Ecclesia est illa, quæ veram fidem profitetur, & hoc sensu Ecclesia dici potest objectum fidei, seu ad quod fides mea refertur, vel quod ego credo.

182 Ob. 7mo. Ecclesia juxtà Apostolum Rom. 12. v. 5. & 1. Corinth. 12. v. 27. est Corpus Christi mysticum: Atqui Corpus Christi mysticum est invisibile, cùm solis constet prædestinatis. Ergo &c.

Resp. 1mo. Neg. min. quòd nempè Corpus Christi mysticum ex solis prædestinatis constet, ut postea c. 4. ostendemus.

2do. Dist. maj. Ecclesia est Corpus Christi mysticum ratione animæ seu partis interioris conc. maj. ratione corporis & partis exterioris, seu fidelium eandem fidem sub legitimis Pastoribus externè profitentium, neg. maj. Sufficit Ecclesiæ ad hoc, ut dicatur visibilis, si secundùm unam sui partem conspicua sit.

3tio. Ecclesia est Corpus Christi mysticum, quatenus habet vitam spiritûs à Christo per internam & occultam subministrationem gratiæ sanctificantis; verùm est etiam corpus Christi externum, in quo sunt Ministri, Pastores, Sacramenta, externa fidei professio &c.

Ob. 8vo. Forma Ecclesiæ, Fides, Spes, & Charitas, est planè invisibilis. Ergo & ipsa Ecclesia. 183

Resp. 1mo. Retorquendo Argumentum. Forma hominis, nempe anima est invisibilis. Ergo & ipse homo. Quod est absurdum.

In forma ergo neg. cons. Ecclesia est visibilis propter Notas exteriores quibus distinguitur à qualibet alia societate, quamvis secundùm formam suam seu animam sit invisibilis.

Ob. 9no. Ecclesia ita fuit aliquando afflicta & turbata, seu persecutionibus, seu hæresibus, ut certè tunc non videatur fuisse visibilis. Ergo non semper est visibilis. 184

Resp. Neg. ant. Ecclesia semper visibilis est & conspicua, sive cùm floret, ac triumphat, sive cùm affligitur & perturbatur: imò nunquam illustrior visa est, quàm ubi vel persecutionibus Ethnicorum, vel Hæreticorum disputationibus fuit impugnata. Ejus triumphum in persecutionibus nobis exposuerunt antiqui Patres, Tertullianus Apolog. c. 37. & lib. ad Scapulam. Origenes lib. 1. cont. Cels.

Cels. Clemens Alexand. lib. 6. Strom. Amb. lib. 9. in Luc. c. 10. S. Aug. lib. 16. de civ. Dei c. 2. S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. c. 7. inprimis autem Hilarius lib. 7. de Trinit. Victoriam autem ejus contra Hæreses prædixit ipse Christus, cùm dixit, *portas inferi adversùs eam non prævalituras.*

§. VII.

185 *De Perpetuitate seu Indefectibilitate Ecclesiæ.*

Indefectibilitas Ecclesiæ considerari potest vel quoad durationem temporis, quæ *permanentia* dicitur; vel quoad fidei constantem professionem, quæ solet appellari *infallibilitas*, seu *inerrantia* Ecclesiæ in fidei & morum doctrina sancienda. De prima hìc duntaxat dicemus. De altera sequenti Capite dicturi.

Quæstio ergo hìc est, num visibilis Christi Ecclesia aliquando defecerit, vel etiamnum defectura sit. Igitur ponitur

186 CONCLUSIO.

Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec unquam est defectura.

Prob. Conclusio 1mo. Ex Scripturis. Perpetuam fore Ecclesiæ durationem prædixerunt Prophetæ, promisit Christus, Apostoli declarârunt.

Prædixerunt Prophetæ. Isaiæ 60. v. 19. dicitur: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Et v. 21. *Populus tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram.* Item c. 61. (quod caput intelligi de Ecclesia novi Testamenti docuit Christus Luc. 4. v. 21.) v. 8. & 9. *Fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Hæc ad Christi Ecclesiam dirigi ac de ea intelligi nemo dubitat; quæ proinde ipsius indefectibilitatem abundè indicant.

Danielis 2. v. 44. *In diebus regnorum illorum* (nempe Romani Imperii) *suscitabit Deus cæli regnum* (Christi Ecclesiam videlicet) *quod in æternum non dissipabitur.*

Osee 2. v. 19. Et sponsabo te (Ecclesiam) *mibi*, inquit in persona Christi, *in sempiternum, & sponsabo te mibi in justitia & judicio ..... & sponsabo te mibi in fide* &c.

Michææ 4. v. 1. & 5. *In novissimo dierum erit mons domus Domini* (Ecclesia videlicet) *præparatus in vertice montium, & sublimis super colles; & fluent ad eum populi .... Nos autem* (Ecclesiæ populi & fideles) *ambulabimus in nomine Domini nostri in æternum.*

Psalmo 47. v. 9. *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate* (Ecclesiâ) *Domini virtutum, in Civitate Dei nostri: Deus fundavit eam* (Ecclesiam) *in æternum.* Et Ps. 88. v. 29. *In æternum*, inquit Deus, *servabo illi* (Ecclesiæ) *misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.*

2do. Eandem perpetuitatem ac permanentiam Ecclesiæ suæ promisit Christus Matth. ult. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis innuit, Apostolos ad consummationem usque mundi esse permansuros, in eorum scilicet successoribus nunquam defuturis; necnon se eisdem, seu Ecclesiæ suæ semper adfuturum jugi Spiritûs sancti assistentiâ & influxu; atque ut statim promissi fidem impleat, verbo de præsenti utitur: *Ecce ego vobiscum sum &c.*

Eò tendit similitudo Petræ super quam ait, se *suam ædificaturum Ecclesiam* Matth. 16. v. 18 ut nimirùm ejus inconcussam firmitatem ac constantiam significet; unde subjungit statim, *Adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.*

Eò etiam pertinet similitudo *civitatis supra montem positæ, quæ abscondi non potest.* Matth. 5. v. 15. Unde meritò Gamaliel Legis Doctor Act. 5. Judæos ab impedienda prædicatione Evangelii hac ratione avocare studebat, *Quoniam*, inquiens, *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere.* At Ecclesia utique à Deo fundata est.

Lucæ 1. v. 32. *Dabit illi Dominus Deus Sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quæ de Christo & ejus Ecclesia sunt intelligenda, super quam Christus hîc usque ad finem mundi regnaturus est, & in cœlo per totam æternitatem.

3tio. Apostoli eandem Ecclesiæ perennitatem declarârunt. Ephes. 4. v. 11. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei.* Quo textu declarat Apostolus, Ministerium Ecclesiasticum, quod per Pastores exercetur, & quô stat Corpus Christi Mysticum, id est, Ecclesia, usque ad consummationem sæculi perseveraturum, & quod haud dubiè est visibile, utpote in prædicatione seu doctrina, & in administratione Sacramentorum maximè positum. *Euntes*, ait Christus ad Apostolos Matth. 28. v. 19. *docete omnes gentes &c.*

Prob. Conclusio 2do. ex SS. Patribus. 187 Tertullianus in Apologet. Imperatores alloquens, *Nec quicquam*, inquit, *proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis Sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.*

S. Hilarius lib. 7. de Trinit. n. 4. *Hoc Ecclesia proprium habet*, inquit, *ut tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm deseritur.*

S. Chrysostomus Homiliâ, cum de ejus expulsione ageretur, *Christi Ecclesiâ nihil fortior*, inquit, *si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est; tale est enim, velut si cœlo bellum meditetur inferre...... fortior enim Ecclesia multò quàm terra, imò fortior & cœlò. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt &c.* Idem argumentum tractat Hom. in Isaiam.

S. Ambrosius lib. de Salomone c. 4. *Navem*, inquit, *Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi constitutam, ... Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium &c.*

S. Hieronymus ad cap. 4. Isajæ. *Super petram fundata Ecclesia*, inquit, *nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertetur.* Et ad cap 8. Amos. *Ex quo intelligimus*, inquit, *Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, id est, Ecclesiæ, se facturum esse pollicitus est: cujus promissio lex natura est.*

S. Augustinus in Ps. 101. concione 2. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, &

in

in solis quibusdam justis in Africa remansisse, *sed*, inquit, *illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem!*

188 Prob. 3tio. Ratione Theologica: Quia si Ecclesia aliquando defecisset, vel defectura esset, via salutis, quæ nemini patere potest, nisi per Ecclesiam visibilem, esset tunc omninò impossibilis: nemo enim ingredi potest in aliquam societatem, quæ invisibilis est, & quæ ignoratur, quo loco sit constituta. Ergo.

Inde itaque colligitur, necesse omnino esse, ut perpetuò in Ecclesia sint Episcopi, qui eam regant, Presbyteri, qui Sacramenta administrent & dispensent; uno verbo, ut nunquam deficiat publicum Ministerium, sine quo salutis instrumenta, & ipsa salus æterna obtineri non possunt. Ideo Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei Act. 20. v. 28. Ideo Christus Pastores dedit ad consummationem Sanctorum in opus ministerii. Ephes. 4. v. 11. Eisque ligandi, atque solvendi auctoritatem concessit. Joan. 20. v. 23.

189 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Prædicitur in Scripturis fore tempus, quo defectura omnino sit Ecclesia. Ut 2. Paralip. cap. 15. v. 3. *Transibunt multi dies, in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque lege.*

Danielis 9. v. 27. *Deficiet hostia & sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consumationem & finem perseverabit desolatio.*

Lucæ 18 v. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?*

2. ad Thessalon. 2. v. 3. *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis*, id est, Antichristus. Peribit ergo Ecclesia tempore Antichristi. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Ad textus adductos Resp. ad 1mum. Ibi sermonem esse de Regno Israelitico, in quo vera Religio tandem universim extincta est; non de Judaico, in quo vera Religio mansit usque ad Christum.

Ad 2dum. Loquitur Daniel de eversione Urbis Jerusalem, & cessatione Legalium ac Sacrificiorum veteris Synagogæ, quibus Christus morte sua finem imposuit. Ita hanc Prophetiam explicat Christus ipse Matth. 24. v. 15. & Lucæ 21. v. 20. Ita etiam SS. Patres omnes.

Ad 3tium. Loquitur ibi Christus vel de quadam eximia fide, quæ montes transferre valeat; vel de fide per charitatem formata, ita ut hoc dictum sit propter iniquorum abundantiam, & bonorum paucitatem, juxta illud Christi Matth. 24. *Quoniam abundavit iniquitas, frigescet charitas multorum.* Ita exponunt Hieronymus Dial. adv. Luciferian. Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ, & Serm. 36. de Verb. Dom. nunc 115. Juxta quas expositiones evidens est, prædictis Christi verbis significari, apud multos quidem extinguendam fore fidem, sed non apud omnes simpliciter & absolutè. Hac enim loquendi ratione, *Putas, Filius hominis veniens inveniet fidem?* inquit Theophylactus, *Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum.*

Ad 4tum. Per *discessionem* vel intelligit Apostolus ipsum Antichristum, qui vocatur discessio per *Metonymiam* seu verbi mutationem, quia erit causa, cur multi discessuri sint à Christo, ut exponunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alii Græci, quibus accedit S. Augustinus lib. 20. de

civ. Dei c. 19. Vel intelligit defectionem ab Imperio Romano, quam disertè exprimere noluit Apostolus, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat, constans ac perpetuum fore suum imperium. Vel denique defectionem à fide particularem, multorum nempe; non verò generalem, prout ipsimet adversarii fateri coguntur; hi enim tuentur, jam venisse Antichristum, scilicet Romanum Pontificem, nec tamen, cùm ipsi, suô quidem judiciô, fideles sint, omnes fideles à fide defecisse arbitrantur.

190 Ob. 2do. Re ipsa sæpius defecit, & ita obscurata fuit Ecclesia, ut planè fuerit invisibilis. 1mo. Initiô mundi, cùm Adam & Eva peccaverunt, atque peccando fidem amiserunt. Ita docent S. Ambrosius lib. 3. de Paradiso cap. 6. S. Augustinus Enchiridii ad Laurent. cap. 45.

2do. Tempore Noe, *cùm cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum, & multa malitia esset hominum super terram.* Genes. 6.

3tio. Tempore Moysis, cùm Aaron summus Sacerdos proposuit vitulum adorandum, & omnis populus clamavit: *Hi sunt Dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Exod. 32.

4to. Temporibus Judicum, cùm populus dimisit Deum & ejus cultum, ut serviret idolo Baalim. Judic. 2.

5to. Tempore Captivitatis Babylonicæ, quo penitùs intermissa fuisse videtur Judæorum Religio.

6to. Tempore Eliæ 3. Regum cap. 19. *Dereliquerunt*, inquit, *pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladiô &c.*

7mo. Tempore Isaiæ. *Israel me non cognovit*, ait Deus Isa. cap. 1. *& populus meus non intellexit.*

8vo. Tempore impiorum Regum Achaz & Manasse: tunc enim nulla fuerunt publica ministeria, nulli Conventus, nulla Sacramenta.

9no. Tempore Jeremiæ, cùm dicebat Deus: *Omnes me dereliquistis.* Jerem. 2.

10mo. Tempore Achab Regis Israel, quem quadringenti Prophetæ deceperunt, unusque Michæas legitur ab errore immunis. 3. Reg. 22.

11mo. Tempore Nativitatis Christi, quando tantùm Maria & Joseph, Zacharias & Elisabeth, Pastores, Simeon, Anna, & pauci alii credebant; quando tota Judæorum natio à Christo defecit. Denique cùm Apostoli moriente Christo ab ejus fide defecerunt, de quibus ipse Christus Matth. 26. dicebat: *omnes scandalum patiemini in me ista nocte.* Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Ad textus adductos Resp. 1mo. Quæ adducuntur ex veteri Testamento ad probandum, Synagogam defecisse, non videntur facere ad rem præsentem. Quamvis enim probaretur, quòd Synagoga defecerit, non tamen inde sequeretur, Ecclesiam Christi etiam defecisse, aut defecturam; huic enim à Deo promissa fuit indeficiens perpetuitas & permanentia, non illi. Deinde extra Christi Ecclesiam nulli salus patere potest, unde necesse est, ut perpetuò sit visibilis; at extra Synagogam quidam salvi facti sunt, ut Melchisedech, Job, & alii.

Resp. 2do. Ad singula. Ad 1mum. Ex eo sequitur, etiam invisibilem Ecclesiam defecisse, quod non admittunt adversarii. Item Ecclesia non in Adamo & Eva, sed primùm in Abel formata, & constituta fuit, atque sumpsit initium, prout cap. 1. §. 2. hujus Tractatus probavimus. Denique Ecclesia omninò extingui non potest, nisi per peccatum infidelitatis; at peccatum Adami non fuit contra fidem, sed contra præceptum obedientiæ duntaxat.

Ad

Ad 2dum negamus, tempore Noë ad unum omnes à Deo defecisse. Quinquenniô ante diluvium obiit Lamech Noë pater, Mathusalem autem ipso anno & septimo ante diluvium die, & procul dubio non pauci alii mortui sunt veri Dei cultores. Sem & Japhet pii erant, ut & uxores eorum. Hi omnes constituebant Ecclesiam visibilem; licèt non adeo numerosa fuerit, extitit tamen aliqua, habuit quippe Ecclesia initium suum & incrementum. Scriptura verò phrasi consuetâ, ut magnam significet hominum depravationem, ita generatim loquitur, quasi nulli omninò fuissent justi, quamquam aliquos extitisse certissimum sit.

Ad 3tium falsum est, peccato populi Israelitici vitulum adorantis ad unum omnes consensisse, utpote à quo Moyses omnesque Levitæ fuerunt immunes. Unde Apostolus 1. Cor. 10. v. 7. significat, aliquorum duntaxat, non plane omnium hoc scelus fuisse.

Ad 4tum. Quòd Judicum tempore Israelitæ aliquando à vero Dei cultu defecerint, id non de omnibus, sed de aliquibus tantùm est intelligendum. Qua etiam ratione multa alia loca Scripturæ interpretanda veniunt. Ut Exod. 9. *Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Isai 2. *Et fluent ad eum omnes gentes.* Philipp. 2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Joan. 3. *Et testimonium ejus accipit nemo.* In quibus locis vox *omnes* in sensu accommodo duntaxat, prout Schola loquitur, accipienda est, ita ut per *omnes* multi tantùm intelligantur, non verò absolutè omnes & singuli.

Ad 5tum. Non erat tanta Judæorum captivitas, ut propriis non uterentur legibus, & cultu; quamvis Sacrificiis abstinerent, quippe quæ alibi, quàm in Templo Jerosolymitano, agere non licebat eis. Persistebat apud ipsos Concilium Sanedrim, rituumque suorum ratione ab aliis nationibus facile distinguebantur, prout Aman Assuero Regi dicebat, Esther. c. 3. v. 8. *Est populus per omnes provincias Regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, novis utens legibus, & caremoniis.*

Ad 6tum. Eadem est responsio ac ad 4tum. Enimverò tempore Eliæ, quamvis multi ex populo Israelitico a idola defecissent, nunquam tamen eò deventum est, ut vera Religio prorsùs extingueretur, quemadmodùm passim ex ipso tertio libro Regum elicitur. Cùm ergo Elias dicit, *filios Israel pactum Dei dereliquisse, & se solum esse relictum*, non eo sensu id intelligendum est, quasi ipse solus justus fuerit in Israel; Deus enim hoc ipso cap. 19. libri 3tii Regum v. 18. ait: *Derelinquam mihi in Irael septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Sed isto duntaxat sensu, quòd ipse solus inter Prophetas fuisset derelictus, ut ipsemet ait. lib. 3. Reg. c. 18. v. 21. quia nempe alii Prophetæ omnes aut occisi fuerant à Jezabel, ut Elias ipse arbitrabatur, aut in captivitate detinebantur, sicque causam veri Dei defendere non poterant. Nec mirum, quòd ignoraverit Elias, tam multos fuisse in Israel veri Dei cultores, ut Judææ populos sub Josaphat piissimo Rege lib. 2. Paralip. c. 17. v. 3. cùm jam ipse præ metu in spelunca montis Horeb delitesceret. Unde & nesciebat, Dispensatorem domus Achab, qui & ipse unacum multis aliis Israelitis Dominum timebat, cùm Jezabel Prophetas Domini interficeret, centum eorum servasse, & in speluncis absconditos pane & aqua sustentasse. 3. Reg. c. 18.

Ad 7mum & 9num. Eadem est, quæ ad 4tum Responsio.

Ad 8vum Resp. Neque etiam illis temporibus invisibilem fuisse Ecclesiam, aut veri Dei cultores defuisse; cùm Reges illi nemini libertatem ademerint veri Dei adorandi, ut colligitur lib. 4. Reg. c. 16. v. 15. Sanguis quoque innoxius, quem fudit Manasses, insigne fuit per Martyres suos Ecclesiæ triumphantis argumentum.

Ad 10mum Resp. Id contigisse in Regno Israel non Judæ, ubi verus Dei cultus erat. Præterea illi Prophetæ non erant ex collegio Prophetarum Dei, sed Baal, & iis similes.

Ad 11mum. Dicimus, ipsam objectionem probare, tunc Ecclesiam fuisse visibilem, quamvis exiguam. Tempore mortis Christi autem, periit cum omnibus suis cæremoniis Judaica Religio, quæ eo usque tantùm durare debebat. Quod Apostolos attinet, merus fuit in iis defectus constantiæ & fortitudinis, non verò fidei. Necdum etiam fuerant Episcopi constituti, nec uberiori Spiritûs Sancti gratiâ confirmati; non ergo mirùm, quòd humani quid passi fuerint.

191 Ob. 3tio. Cùm moritur Romanus Pontifex, qui Caput est visibile Ecclesiæ, ac per longum tempus vacat Sedes Romana, tunc deficit Ecclesia; Capite enim præciso perit corpus. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Romanus Pontifex est caput morale Ecclesiæ; porrò non tanta est capitis moralis, quàm naturalis necessitas; resectò quippe capite naturali, ne uno quidem momento corpus vivere potest. At verò non perit corpus civile seu morale, deficiente Rectore seu illius civili vel morali capite. Sic etiam per mortem Romani Pontificis non perit Ecclesia; Sedes enim Romana semper perseverat, semper & subsistit fidelium Societas sub legitimo Pastorum regimine.

192 Ob. 4to. Quo tempore per Orbem universum grassabatur hæresis Ariana, ac furebat in Catholicos Constantii persecutio, lapsis in errorem Episcopis ferè sexcentis Conciliorum Ariminensis, & Seleuciensis; invisibilis facta est vera Ecclesia ac prope extincta; prout ipse S. Hieronymus testatur his verbis: *Miratus est universus Orbis, se esse Arianum.* Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Qua de re sequenti Capite ex professo disseremus. Certè, prout pluribus demonstrat Jansenius Iprensis (*e*), cùm vel maximè sæviret illa Constantii persecutio, verissimum fuit illud Augustini effatum, quòd Ecclesia scilicet in suis firmissimis tanquam columnis ædificii immobiliter stantibus eminceret. Innumeri quippe, quos enumerare nimis longum foret, tum Orientis tum Occidentis Antistites & Ecclesiæ avitam semper retinuêre Religionem & Catholicam de consubstantialitate filii cum Patre ab Arianis tunc temporis impugnatam fidem constanter retinuêre; Imò illi ipsi Episcopi, qui tædio & metu impulsi in Concilio Ariminensi (*f*), fidei formulæ ab Arianis oblatæ, & in speciem Catholicæ, licèt ab ea abesset vox *consubstantialis*, subscripserant; hi enim, cùm sibi non essent conscii Arianæ perfidiæ, ingemuêre de impostura perduellium Arianorum, atque mirati sunt, quòd sine conscientia sua Hæretici ferrentur; enimverò hi Catholici Episcopi non solùm generatim, sed etiam nominatim singulos Arianæ hæresis articulos ab Ursacio & Valente abjurari fecerant. Ergo hos Episcopos significat, quandò ait: *Miratum esse universum orbem se esse Arianum.* Et ut jam alibi annotavimus hyperbolicè loquitur. Quoad Concilium Seleuciense, non est quod de eo quidquam loquamur, cùm ex meris Arianis conflatum fuerit, atque paucis, qui illi intererant, Catholicis Antistibus Arianis morem gerere renuentibus dissolutum fuerit. (*g*)

Hæc de Notis veræ Ecclesiæ, extra quam nulla salus sperari potest, prout ipsamet S. Scriptura, SS. Patres unanimiter testantur, ipsaque ratio suadet. Vera Christi Ecclesia enim, prout ex Scripturis habetur, est Corpus Christi cujus membra sunt singuli fideles; manifestum utique est, quòd

(*e*) In Spongia Notarum &c. c. 76. (*f*) Celebratum fuit annô 359. (*g*) Anno 360.

quod membrum, quod in corpore non manet, neutiquam habere vitam possit. Præterea Christus est verus Ecclesiæ Sponsus, prout denuò sacræ produnt litteræ, proinde filios generare non potest, nisi ex sua Sponsa. Demum nulla salus est extra Regnum Dei, extra Templum, Domum, & Civitatem Dei; sic autem vocatur Ecclesia per Scripturam; Ergo nec extra ipsam salus aliqua obtineri potest, quemadmodùm tempore diluvii nulla fuit salus iis, qui non fuerunt in Arca Noë conclusi.

Cùm autem abundè probaverimus, has veræ Christi Ecclesiæ Notas soli Catholicæ Apostolicæ & Romanæ nostræ Ecclesiæ convenire, viderint modò Protestantes, qua ratione salutem consequi valeant, ut qui ab ea sine ulla ratione sed temerè, & solius libidinis explendæ gratiâ discesserint.

193 ## Caput III.

De auctoritate Ecclesiæ in rebus ad Religionem pertinentibus.

Solent equidem Gallicani Theologi, ubi ipsis de auctoritate Ecclesiæ in rebus ad Religionem pertinentibus sermo est, eandem distinguere in Ecclesiam *dispersam*, & *coadunatam*. Per *dispersam* intelligunt omnes Ecclesiæ Episcopos separatim & singillatim in suis Episcopatibus aut Provinciis Ecclesiasticæ jurisdictioni suæ subjectis degentes. Per *coadunatam* verò seu in unum coactam exhibent eosdem Episcopos in Concilio simul congregatos, parique utramque in rebus ad Religionem pertinentibus auctoritate pollere volunt.

Verùm de isthoc auctoritatis Ecclesiæ dispersæ commento, quod hactenus in Ecclesia ignotum fuit (*b*), plura fortè dicemus Capite 5to hujus Tractatus, cùm de summo Pontifice, ejusque auctoritate nobis sermo erit.

Nos vestigiis cæterorum totius orbis Catholici Theologorum inhærentes, hìc de Ecclesiæ auctoritate agentes eam, ut coadunata & in unum coacta est, intelligi potissimùm volumus, adeò ut perinde nobis sit, sive Ecclesiam sive Concilium nominemus.

Tribus proinde Paragraphis hocce Caput concludimus. In primo, quid nominis quid rei, & quotuplicis generis sint Concilia, necnon eorum numerum examinabimus. In secundo, an Ecclesia seu Concilium sit Judex controversiarum fidei &c. In tertio denique, quale sit à Christo institutum Ecclesiæ suæ Regimen, an Monarchicum, an Aristocraticum, an Democraticum, an verò Monarchico-Aristocraticum &c. Sit igitur

§. I.

Quid nominis, quid rei sit Concilium &c. 194

Concilii nomine idem in Ecclesia significatur, quod in Regnis nomine Comitiorum: undè quemadmodùm Comitia nihil aliud sunt, quam Principum, Procerum, Magistratuum in unum locum congregatio, ut de rebus ad Regnum spectantibus tractent: ita Ecclesiæ Concilia nihil aliud sunt, quàm Ecclesiæ Præsulum Conventus, ut de rebus ad Ecclesiam spectantibus tractent, & agant.

Definitur ergo Concilium genericè sumptum, *Prælatorum Ecclesiæ Congregatio ad fidei controversias definiendas, vel fidelium mores reformandos, à legitimo Capite convocata.*

Di-

(*b*) Certè nusquam legimus, Ecclesiam dispersam communi aliquô decretô seu definitione in rebus ad fidem & Religionem pertinentibus auctoritatem suam exercuisse.

295 Dicitur à Latinis hæc Prælatorum Congregatio *Concilium*, à conciliando, nomine sumpto à *Con* & *Cilium*, inquit Archidiaconus; eò quòd sicut dum oculorum cilia clauduntur, conveniunt in unum & conciliari dicuntur oculi; ita, quia simul congregati, dum concludunt & definiunt aliquid, in unum conveniunt, & conciliari dicuntur Episcopi, ideo cœtus eorum, sive congregatio jure *Concilium* à conciliando vocatur.

Ex hac Concilii definitione habetur triplicis speciei seu generis dari Concilia, *Provincialia*, ad quæ unius provinciæ Episcopi à suo Archiepiscopo vocati conveniunt. *Nationalia*, ad quæ unius Regni, aut Nationis Episcopi, & Archiepiscopi à suo Primate convocati congregantur. Et *Generalia* seu *Oecumenica*, ad quæ totius Orbis Episcopi & Præsules à summo Pontifice invitati conveniunt. Hisce quartum Conciliorum, seu, prout Græci nuncupant, Synodorum genus adjungunt, nempe *Concilia Diœcesana*, in quibus unius Episcopatus Presbyteri ab Episcopo vocati reperiuntur; verùm cùm non Præsulum, sed Presbyterorum duntaxat sit hæc congregatio, & in ea ordinariè nullus adsit, qui jurisdictionem habeat præter Episcopum unum, qui eidem præest, nonnisi improbriè Concilium dici potest.

Horum Conciliorum quædam ab Apostolica Sede approbata fuerunt, atque ab universali Ecclesia recepta, quædam omninò reprobata; quædam partim approbata, partim rejecta; quædam nec approbata, nec reprobata, quod potissimùm in Conciliis particularibus, id est, vel Nationalibus, vel Provincialibus, vel denique, si velis, Diœcesanis locum habet; hîc solùm Generalia enumeramus.

297 Concilia igitur Oecumenica approbata Novemdecim numerari possunt.

1mum. Nicænum, quod celebratum fuit annô 325. Nicææ Bythiniæ Metropolis sub Sylvestro Papa, cujus nomine eidem præfuit Osius Cordubensis Episcopus, atque trecenti decem & octo, prout communiter Scriptores Ecclesiastici testantur, interfuère Episcopi. In eo Ariana hæresis damnata est.

2dum. Sardicense annô 347. Præfedit nomine Romani Episcopi Julii idem Osius, subscripsère 344. Orthodoxi Episcopi. In eo Athanasius absolutus fuit, fides Nicæna confirmata, appellationes ad Sedem Apostolicam seu Romanum Pontificem agnitæ fuerunt.

3tium. Constantinopolitanum I. annô 381. sub Damaso Papa 150. Episcoporum. In eo damnatus est Macedonius, qui Spiritûs sancti divinitatem negabat.

4tum. Ephesinum annô 431. cui nomine Cœlestini Papæ I. præfuit Syrmius Alexandrinus Episcopus; interfuère Episcopi 200. In eo damnatus est Nestorius, duas in Christo personas statuens.

5tum. Calcedonense annô 451. sub Leone I. Pontifice maximo. Præfedère ipsius Legati Pascasinus Liliberanus, Lucentius Asculanus Episcopi, Bonifacius & Basilius Presbyteri, quibus adjunctus est Julianus Coënsis Episcopus. Interfuère Episcopi 630. In eo damnatus est Eutyches Archi-mandrita, unam tantùm in Christo post Incarnationem naturam admittens.

6tum. Constantinopolitanum II. sub Vigilio Papa annô 552. In eo damnati Origenes, Dydimus & Evagrius ejus Sectatores, qui inter alios errores tuebantur, quòd omnes animæ initio mundi peccavissent, atque secundùm peccatorum suorum merita è cœlo in terram ac in varia corpora velut tot carceres amandatæ fuerint, quapropter Deus Orbem hunc aspectabilem creaverit. Item quòd cœlestis Electorum beatitudo, sicut & infernales Dæmonum & damnatorum pœnæ post mille años finem fuerint accepturæ &c. Damnata item tria Capitula, de quibus tam frequens & celebris est in historia Ecclesiastica mentio, nempe Theodori Mopsuesteni libri, Theodoreti Cyrensis in Cyrillum anathematismi, & Ibæ Edesseni ad Marim

Marim Perſam Epiſtola, tanquam Neſtorianæ doctrinæ faventia. (*i*) Eidem Concilio, conſentiente, & per ſe adeſſe nolente Vigilio Papa, qui tum Conſtantinopoli aderat, præſedit Eutychius Mennæ in Sede Conſtantinopolitana Succeſſor. Interfuêre Epiſcopi 165.

7mum. Conſtantinopolitanum III. annô 680. in quo damnatus Monotheliſmus, ſeu error unius voluntatis & operationis in Chriſto. Interfuêre Epiſcopi 289. præſedêre Agathonis Romani Pontificis Legati, Theodorus & Gregorius Presbyteri, necnon Joannes Diaconus.

8vum. Nicænum II. annô 787. Convenêre 350. Epiſcopi. Præfuêre nomine Adriani I. Petrus Archipresbyter Baſilicæ S. Petri, & Petrus Abbas S. Sabbæ ipſius Legati. Damnati Iconomachi.

9num. Conſtantinopolitanum IV. annô 869. Interfuêre 102. Epiſcopi. Præſedêre Stephanus & Donatus Epiſcopi, necnon Marinus Diaconus Adriani II. Papæ Legati. In eo damnatus Photius Sedis Conſtantinopolitanæ invaſor; imaginibus ſacris quoque cultus denuò reſtitutus.

10mum. Lateranenſe I. annô 1122. Præfuit Calliſtus II. Papa. Interfuêre 300. & ampliùs Epiſcopi. In eo Schiſma Sacerdotium inter & Imperium ex uſurpatis ab Imperatoribus Beneficiorum inveſtituris ortum extinguitur. Bellum adversùs Saracenos decernitur.

11mum. Lateranenſe II. ſub Innocentio II. Romano Pontifice, cui & ipſemet præfuit, annô 1139. In eo extinctum fuit Schiſma Petri Leonis Antipapæ, qui pulſô Innocentiô II. legitimô Pontifice Sedem Romanam invaſerat. Damnati Petrobuſiani, à Petro de Bruis natione Gallo ſic dicti, qui tuitus erat, Miſſæ Sacrificium nihil eſſe, fidelium preces nihil defunctis prodeſſe, & Baptiſmum ſine fide nihil prodeſſe parvulis. Quos errores ſecutus eſt Henricus quidam Toloſanus Monachus excucullatus, unde etiam Henriciani dicti. Anathemate item in eodem Concilio perculſi Arnaldiſtæ, à quodam Arnaldo de Brixia ſic nuncupati; Hic Hæreticus Petri Abeilardi diſcipulus poſt eum doctrinam ex Arianorum, Neſtorianorum & Pelagianorum erroribus conſutam diſſeminabat, atque inter alia tuebatur, nihil eſſe credendum, niſi quod mens humanæ rationis viribus comprehendere poſſet. Concitatis quoque ſeditionibus, in id incumbebat, ut omnem regiminis politici auctoritatem ad Primates laicos & plebem revocaret, eisque Pontifices & Eccleſiam ſubjiceret. Reſtaurata item, quæ collapſa fuerat, Eccleſiæ diſciplina, atque Cleri privilegiis & juribus cautum.

12mum. Lateranenſe III. ſub Alexandro III. ſummo Pontifice, annô 1179. Interfuêre 300. Epiſcopi. In eo cautum adversùs Schiſmata, modusque eligendi Summum Pontificem præſcriptus. Damnati Waldenſes, à Petro Waldo cive Lugdunenſi ſic dicti, quique Catharorum (*k*) & Manichæorum hæreſes per Vaſconiam, Albigeſium, Toloſam, finitimasque oras diſſeminabant, docentes, viros Eccleſiæ miniſterio addictos, nec bona nec pecunias habere debere; in Romana Eccleſia neminem ſalutem poſſe conſequi; Indulgentias, ſacrorum Ordinum collationes & cæremonias eſſe contemnendas; Eccleſiæ Prælatis non eſſe obediendum; Eos per peccatum aliquod mortale omni auctoritate in Laicos privari, eosque ſolos verè ſacris

(*i*) Damnata eſt quoque ibidem horum trium Epiſcoporum memoria, qui tamen, dum viverent, à Chalcedonenſi Concilio abſoluti, & in Communionem recepti fuerant. (*k*) *Catharus* vox græca latinè idem eſt, ac mundus & purus. *Cathari* iisdem fermè temporibus orti ac *Novatiani*, iidem fuiſſe cenſentur, ſed alio nomine *Cathari* dicti.

cris Ordinibus esse præditos, qui sine peccato essent, unde Sacerdotem, per peccatum mortale, Sacerdotem esse desinere, sic nec consecrare, nec absolvere, nec baptizare, aut alia similia præstare posse; & quemlibet è contrà justum, licèt Laicum, hæc omnia posse. Nullam aliam orationem, præter Dominicam *Pater noster &c.* admittendam esse, proinde inanes esse horas Canonicas, & cæteras Ecclesiæ preces; atque Eucharistiæ Sacramentum sine solita Ecclesiæ forma confici posse, dicendo videlicet septies *Pater noster &c.*

13tium. Lateranense IV. sub Innocentio III. annô 1215. Interfuêre Episcopi 412. Decreta in eo expeditio in Palæstinam; damnatùsque error Abbatis Joachimi, qui in Trinitate Divina unitatem similitudinis duntaxat, non verò essentiæ seu naturæ admittebat.

14to. Lugdunense I. annô 1245. sub Innocentio Papa IV. cui & ipsemet præsedit. In eo anathemate perculsus Fridericus II. Imperator, multiplicis perjurii & fractæ, quam juraverat pacis accusatus; item quod hæresis suspicionem ob contemptum Ecclesiæ censurarum, & initum cum Saracenis fœdus, incurrisset &c. Thaddæus, qui Imperatoris nomine Concilio aderat, appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Imperator, latam in se ab Innocentio Papa sententiam, qua è piorum communione eum dejiciebat, Imperiique & Siciliæ Regno privabat &c., contempsit, seque semper pro Imperatore gessit. Præter celebrem Friderici causæ discussionem, renovatum est in hoc Concilio decretum de sacra in Saracenos Cruciatorum expeditione, pro terra sancta recuperanda; cujus sanctæ expeditionis designatus est Dux S. Ludovicus Galliæ Rex, & varia pro omnibus Cruce signatis concessa & statuta privilegia.

15tum. Lugdunense II. annô 1274. à Gregorio X. coactum. Ad illud exuniversis mundi regionibus convenêre Patres circiter mille, videlicet Summus ipse Pontifex Gregorius ut Præses; Cardinales 15. Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Antiochenus; Archiepiscopi 60. vel 70. Episcopi 500. Abbates multi, aliique inferiores Prælati non pauci &c. In eo Orientales ad fidem & communionem reducti. Processio Spiritûs sancti à Filio æquè ac à Patre, & vox *Filioque* Symbolo Constantinopolitano jam pridem addita, confirmatur &c.

16tum. Viennense annô 1311. In eo præsedit Clemens Papa V. Interfuêre 300. & ampliùs Episcopi. Atque Templarii execrandorum scelerum & criminum accusati damnantur, eorumque Ordo supprimitur & extinguitur. Anathemate quoque percelluntur Beguardi seu Beguini & Beguinæ seu Fratricelli & Bizochi. Fuêre utriusque sexus personæ, quæ 13tio Sæculô sumpto Religionis habitu, & monachali velatæ cucullâ collegiatè, & monasticè vivebant, licet cælibatum non servarent, distinctis quidem in Cœnobiis degentes, mulieres sine voto & liberè, viri verò cum trium monasticorum votorum emissione. Alio nomine Fratricelli seu fratres de paupere vita nuncupabantur. Docebant autem, hominem in hac præsenti vita talem perfectionis gradum assequi posse, ut reddatur impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valeat. Hominem illum, qui ad hunc perfectionis gradum pervenit, non teneri ampliùs orare, nec Ecclesiastica jejunia servare, nec ullos virtutum actus exercere, nec ulla bona opera præstare; imò nec assurgere ad adorandum, dum elevatur Eucharistiæ Sacramentum; quia tunc sensualitas ita planè rationi subdita est, ut possit homo suo corpori, quidquid placuerit, permittere. Hominem in hac vita finalem beatitudinem ita perfectam assequi posse, ac in patria. Quamlibet naturam intellectualem in se ipsa esse naturaliter

beatam

beatam, nec indigere lumine gloriæ ad Deum videndum &c. Damnati item fuêre Dulcinistæ, sic dicti à Dulcino quodam impio & impuro, qui præter Valdensium sordes, quibus inhærebat, dicebat se venisse, ut tertium Spiritûs sancti prædicaret regnum; addens Patris æterni regnum durasse usque ad Christi adventum; regnum verò Christi usque ad annum 1400. Et hæc impia dum disseminabat deliria, interim sub charitatis prætextu turpia patrabat & horrenda plura, plures-que utriusque sexus sequaces habuit &c.

17mum. Florentinum annô 1438. Primæ sessioni præsedit Eugenii Papæ IV. Legatus Nicolaus Albergatus Cardinalis, cæteris ipse Eugenius, subscripsêre 141. Patres, præter eos, qui ante subscriptionem discesserant. In eo declarata sunt irrita omnia, quæ in Concilio Basileensi post illius ab Eugenio revocationem actitata fuerant. Unio cum Græcis inita.

18vum. Lateranense V. annô 1512. Interfuêre 114. Patres sub Julio II. & Leone X. Romanis Pontificibus In eo damnata sunt Pisani Conciliabuli Acta; pœnæ in Schismaticos Cardinales, qui annô 1511. Conciliabulum istud adversùs Julium II. congregarânt, decretæ & inflictæ. Sanctio Pragmatica Regni Franciæ proscripta. Concordata Leonem X. Papam inter & Franciscum I. Galliæ Regem Bononiæ inita comprobantur. Expeditio in Turcam decernitur.

19num Tridentinum inchoatum annô 1545. finitum annô 1563. sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Summis Pontificibus. In eo Protestantium errores damnati. Interfuêre sex Cardinales, Summi Pontificis Legati quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiscopi 32. Episcopi 228. Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi.

Hæc de numero Oecumenicorum Conciliorum. Et quamvis vulgò Scriptores & Tractatores Ecclesiastici octodecim tantùm numerent, necnon, ubi ipsis de primis Ecclesiæ Conciliis generalibus sermo est, solummodò hæc quatuor recenseant, Nicænum I. scilicet, Constantinopolitanum I. Ephesinum & Chalcedonense, Sardicense verò, quod nos secundô locô, juxta temporis, quo celebratum fuit, epocham, collocavimus, prætereant, eoquòd nonnisi appendix esse videatur ad Concilium Nicænum; nos tamen, quia verè Oecumenicum fuit, atque ut tale ab universâ Ecclesiâ acceptum, illud omittere noluimus.

Concilia autem Oecumenica penitùs reprobata septem potissimùm numerantur. 198

1mum. Antiochenum annô 344. vel 345. In eo damnatus Athanasius, & via patefacta ad eversionem Concilii Nicæni I.

2dum. Sardicense, seu potiùs Philippense, quod à septuaginta tribus Arianis Episcopis Sardicensi Oecumenico Concilio, de quo supra numerô inter Oecumenica 2dô fecimus mentionem, & ad quod vocati fuerant, opposuerunt eodem 347mo anno Philippis Thraciæ urbe. In eo ab ipsis Athanasius damnatus; in Julium Romanæ Sedis Antistitem anathema pronuntiatum.

3tium. Mediolanense annô 355. sub Liberio Papa. In eo Legati ipsius pessimè habiti, ut & ii, qui pro Athanasio & Nicæna fide pugnabant. Damnatus Athanasius, & Liberius ipse in exilium actus.

4tum. Ariminense annô 359. Interfuêre 400. circiter, vel, ut alii volunt, 600. Episcopi, quorum juxta Athanasium 50. vel juxta Severum Sulpitium 80. Ariani, inter quos erant Valens, Ursacius, Demophilus Mediolanensis Ecclesiæ invasor pulsô in exilium Dionysiô. (*l*) Præfuit Vincentius Capuæ Episcopus Legatus Apostolicus. Ibi Patres quà animorum dejectione, quà precibus & pollicitationibus, quà minis, quà vi, quà dolis & artibus, quà longioris moræ tædiô, & quà quietis, & Ecclesiarum suarum revisendarum desideriô consensêre, ut de Symbolo nomen *homousios* seu *consubstantialis* deleretur, atque scriberetur duntaxat, *filium Dei non esse creaturam ut cætera creata*, arbitrantes, se duas stabilire propositiones Catholicas, nempe quòd Verbum non sit creatura, &, quòd cæteris creaturis dignitate præcellat. His tamen nec Vincentius Capuanus, nec alii quidam consensum præbuêre, cæteri verò, qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliore postmodùm consilio hæc sibi displicere testati sunt. Vid. Theodoret. lib. 2. Hist. c. 17.

5tum. Annô 449. Ephesinum II. In eo factione Dioscori Alexandrini Episcopi Flavianus Episcopus Constantinopolitanus Patriarcham Apostolicum seu Romanum Antistitem appellans trucidatur, Legati Papæ Leonis I. fugantur; ac demum Eutychiana hæresis confirmatur.

6tum. Constantinopolitanum sub Leone Isaurico Imperatore Iconomacho annô 730. contra sacras imagines.

7mum. Constantinopolitanum, sub Constantino Copronymo Imperatore. Interfuêre 358. Episcopi. In eo iterum definitum, abolendas esse Christi & Sanctorum imagines.

Inter Concilia autem, quæ partim ap- 19
probata, partim reprobata à Romana Sede, & consequenter ab universa Ecclesia fuerunt, numerantur præcipuè hæc tria, Constantiense, Pisanum, & Basileense.

Constantiense celebratum est annô 1414. usque ad annum 1418. sub Joanne XXIII. qui verus & legitimus Papa censebatur, à quo indictum fuit, & sub Martino V. legitimo Pontifice, à quo finitum fuit annô 1418. Ejus sessiones 4ta & 5ta, ubi definit Concilium esse supra Papam videntur damnatæ in Concilio Florentino, & Lateranensi ultimo. Easdem, velut in legitimum & indubitatum Pontificem vibratæ, omnes totius Christiani Orbis Theologi, si Gallicanos, non quidem omnes, excipias, modò execrantur.

Ante Concilium Constantiense Pisis annô 1709. convenerant Cardinales, qui Schismati, quod inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. de Papatu contendentes vigebat, finem impostituri, ambos Papatu abdicarunt, atque Alexandrum V. elegerunt; sicque procul ut, Schisma extinxerint, illud potiùs auxerunt, multiplicatô Pontificum numerô. Quod demum à Concilio Constantiensi sublatum est. Hocce Pisanum Concilium inter ea reponendum censet Bellarminus (*m*), quæ nec approbata nec reprobata sunt, at multi alii cum S. Antonino (*n*) & post ipsum illud tanquam Conciliabulum respuunt.

Basileense inchoatum est annô 1431. atque tum Basileæ tum Lausanæ continuatum usque ad annum 1449. Quo tempore Nicolao V. Papæ cessit tam Concilium istud, quàm Pseudo-Pontifex Felix V. in Schismate ab ipso Concilio creatus.

Hu-

(*l*) Scribit S. Athanasius Ep. ad African. Ariminum convenisse Episcopos Catholicos ferè ducentos, &, ut lib. 2. Hist. Severus Sulpitius refert octoginta Arianæ factionis. Sicque omnes trecentorum numerum non explent. (*m*) De Eccles. lib. 1. c. 8. (*n*) 3. part. tit. 22. c. 6. §. 2.

Hujus Concilii nihil ratum & probatum est, nisi quædam dispositiones circa Beneficia Ecclesiastica, quæ ab ipso factæ fuerant, quas pacis & unitatis gratiâ prædictus Nicolaus V. approbavit. Concilium verò ipsum reprobatum fuit in Concilio Lateranensi ultimo sess. 11ma.

Hæc de Conciliis Oecumenicis universim; de particularibus vid. passim Scriptores. Genebrard. lib. 2. Chronographiæ. Cabassut. in Notitia Eccles.

200 Enumeratis ita Conciliis Oecumenicis, nunc adhuc nobis exponendum est, ad quemnam spectet ea convocare eisque præsidere, atque confirmare &c. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Solius summi Pontificis est convocare Concilia Oecumenica.

Prob. Conclusio 1mo. Ex S. Scriptura. Nullum Ecclesiæ Concilium dici potest legitimum, nisi congregetur *in nomine Christi*, ut dicitur Matth. 18. v. 20. Atque congregari *in nomine Christi*, nihil aliud significat, quàm congregari *auctoritate Christi*, hoc est ab eo, qui à Christo habeat auctoritatem congregandi. Atqui talem auctoritatem à Christo habet Summus Pontifex. Ergo.

Secunda pars Majoris illustratur ex eadem S. Scriptura, ubi illud *In nomine*, ubique ferè accipitur pro eo, quod est *ex auctoritate*, ut Marci ult. v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Joan. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei.* Matth. 7. v. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus.* Act. 4. v. 7. *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis?*

Min. prob. Ille à Christo habet auctoritatem convocandi seu congregandi Concilium Oecumenicum, cui Christus Ecclesiam gubernandam commisit. Atqui Summo Pontifici Christus Ecclesiam suam gubernandam commisit. Ergo &c.

Maj. est aperta. Min. prob. ex his S. Script. textibus Matth. 16. v. 18. &c. ubi Christus Petrum hisce alloquitur. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam .... & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Et Luc. 22. v. 31. & 32. *Simon Simon ...... & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Itemque Joan. ult. v. 17. ter ipsi oves suas, id est fideles & Ecclesiam, committit dicens: *Pasce oves meas.* Hos autem textus ad Petri Successores Romanos Pontifices extendi & de iis intelligi debere nemo dubitare debet; nosque Capite 5to. fusè demonstrabimus. Atqui cui Christus promisit, se supra ipsum fundaturum Ecclesiam suam, & quodcunque super terram solveret aut ligaret, fore in cœlo solutum aut ligatum; cui jussit confirmare fratres suos, fideles nempe, cui pascendas commisit oves suas, id est Ecclesiam; huic etiam Ecclesiam suam gubernandam commisit. Ergo &c.

Prob. 2do. Ex traditione Ecclesiæ, qua 201 habetur, omnia Concilia Oecumenica a Summis Pontificibus, ipsisque consentientibus convocata fuisse. 1mo. de Nicæno I. legimus in Synodo VI. act. 18. Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse. Damasus quoque in Pontificali scribit, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium.

2do. De Constantinopolitano I. Theodoretus refert (o), Theodosium litteras Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt Episcopi in illo Concilio congregati ad Damasum, *Mandatô litterarum superiore anno à vestra Reverentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium mis-*

(o) Lib. 5. Hist. cap. 9.

sarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus.

3tio. De Ephesino Prosper indicat in Chronico, Synodum Ephesinam factam esse Cyrilli industriâ & Cœlestini auctoritate; ad quam Cyrillus tanquam Apostolicæ Sedis Legatus profectus est. (*p*)

4to. De Chalcedonensi patet ex Epistola Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense: in qua Imperator indicturus Concilium, rogat Pontificem, ut ipse veniat, & Concilium faciat, vel si nolit venire per litteras significet, quid agi velit: & in fine concludit, se scripturum ad omnes Episcopos, ut ad certum locum conveniant: *Et quæ Christianorum religioni*, inquit, *atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definivit, sua dispositione declarent.* Extat etiam inter Epistolas ad Chalcedonense Concilium pertinentes, quædam Epistola Episcoporum secundæ Mœsiæ ad Leonem Imperatorem, ubi sic ajunt: *In Chalcedonensium civitate multi sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Denique Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Dardaniæ dicit, solam Apostolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sua auctoritate decrevisse. Sola ergo Sedes Romana eam Synodum fieri voluit, & re ipsa effecit, quamquam non sine ope pii Imperatoris Martiani.

De Sardicensi Concilio, quod à Julio Papa indictum fuerit, habetur ex Socrate lib. 2. Hist. c. 19. ubi dicit, Orientales Episcopos culpam absentiæ suæ in Julium Episcopum Romanum contulisse, eoquòd nimis angustum tempus præscripsisset. Ex quo apparet ab eo potissimum Concilium fuisse indictum.

Concilium V. Constantinopolitanum II. Consentiente Vigilio celebratum fuit, quod illius Acta commemorant.

Concilium VI. Oecumenicum Constantinopolitanum III. rogante & invitante Constantino Imperatore convocavit Agatho summus Pontifex.

Concilium VII. Oecumenicum Nicænum II. pariter Constantino & Irene rogantibus indixit Adrianus Papa I.

Synodus quoque octava Constantinopolitana IV. assentiente Adriano II. Romano Pontifice coacta est, ad quam Legatos suos misit, qui & ei præfuerunt.

Cætera quæ secuta sunt Concilia tacemus, cùm nemo neget, ea omnia à Romanis Pontificibus convocata & coacta fuisse. Ergo ex Traditione patet, solius summi Pontificis esse Concilia Oecumenica convocare, nec ea sine illius assensu valere.

Prob. 3tio. Conclusio auctoritate Conciliorum. 1mo. Concilium Nicænum I. antiquissimum Canonem illum, quem Apostolicum esse scribit Beatus Marcellus Papa (*q*), & quo statuitur, *præter sententiam Romani Pontificis non posse celebrari Concilia*, renovavit, prout testatur Synodus Alexandrina (*r*), & Julius I. (*s*) 202

2do. Concilium Chalcedonense act. 1. Dioscorum Alexandrinum Episcopum prohibet sedere inter Episcopos, eoquòd Synodum facere ausus fuisset sine auctoritate Sedis Apostolicæ; *Quod*, inquit, *numquam licuit, nunquam factum est.*

3tio. Concilium VII. Oecumenicum act. 6ta. irritum judicat Concilium quoddam Constantinopolitanum, quia sine Con-

(*p*) Evagrius lib. 1. Hist. cap. 4. Item ex Ep. Cœlestini ad Cyrillum, quæ habetur inter Opera Cyrilli. Et ex Photio lib. de septem Synodis. (*q*) Ep. ad Episc. Antiochenæ Provinciæ. (*r*) Ep. ad Felicem Papam (*s*) Epist. ad Episc. Orient. apud Socrat. lib. 2. Hist. cap. 13. Sozom. lib. 3. c. 9. Niceph. lib. 9. c. 5.

Consensu Romani Pontificis coactum fuisset ab Imperatore.

4to. In Concilio Romano IV. sub Symmacho Papa celebrato, cùm Rex Theodoricus diceret, se Synodum convocasse, ut judicaretur causa hujus Pontificis: responderunt Episcopi omnes, à Papa non à Rege debuisse vocari Synodum, etiamsi Papa accusaretur. Rex verò ait, se *ex voluntate & consensu Pontificis* Synodum convocasse: Episcopi tamen non priùs acquieverunt, quàm Rex litteras Pontificis proferret, & Pontifex ipse præsens testaretur, ita esse.

5to. In Concilio Florentino sub Eugenio Papa IV. act. 25. dicitur, Auctoritatem ac facultatem convocandi Synodum Oecumenicam, ubi opus fuerit, competere Romano Pontifici, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.

6to. In Concilio Lateranensi V. sub Leone Papa X. sess. 11. asseritur pariter, Romani Pontificis esse, generalia Concilia indicere. Quod decretum factum est paulò antequam Lutherana hæresis nasceretur. Ergo &c.

203 Prob. 4to. Auctoritate summorum Ipsorummet Pontificum; quibus semper persuasum fuit, sibi competere Jus convocandi Concilia Oecumenica.

1mo. Julius I. sup. cit. Orientales reprehendit, quòd sine suo consensu Concilium Antiochiæ celebrassent; cum tamen ex præscripto Ecclesiæ ipsius, præter sententiam Romani Pontificis non possent Concilia celebrari.

2do. S. Leo. Ep. ad Turbium, quæ est 93. c. 17. *Dedimus*, inquit, *litteras ad fratres, & Coëpiscopos nostros, eisque Concilium Synodi generalis indiximus.*

3tio. Pelagius II. Ep. 1. ad Orientales: *Conciliorum generalium convocandi auctoritas*, inquit, *Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegiô tradita est.*

4to. Sixtus III. Pelagii & Leonis Antecessor Ep. ad Orientales: *Valentinianus*, ait, *Augustus nostra auctoritate Synodum convocavit.*

5to. Adrianus II. Ep. ad Basilium Imperatorem, q[illegible]ecta est in Synodo VIII. act. 1. *Volumus*, inquit, *per tua pietatis industriam Constantinopoli numerosum convocari Concilium.*

6to. His accedat ipse Valentinianus Imperator, qui cùm ab Episcopis rogaretur, ut permitteret eis Concilium celebrare respondit (*t*): *Mihi qui sum in sorte plebis, fas non est, talia curiosiùs perscrutari; Sacerdotes, quibus ista cura sunt, quocunque voluerint, loco conveniant.*

7mo. Legi possunt multi hac de re Canones apud Gratianum in Decret. dist. 17.

Prob. 5to. Rationibus Theologicis: 204

1mo. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, constat, nemine contradicente, imò omnibus sive Clericis sive Laicis consentientibus, celebrata fuisse omnia Concilia Oecumenica. Romanis Pontificibus consentientibus & illa vocantibus. Ergo omnibus sive Clericis sive Laicis semper persuasum fuit, jus istud esse penes Romanos Pontifices; alioquin enim nonnulli aut ex Clericis aut ex Laicis, præsertim Principes ejusmodi convocationi obstitissent, cùm primùm ab Episcopis Romanis tentatam advertissent.

2do. Illius solius est congregare Concilia Oecumenica, qui potest singulis totius Orbis Episcopis præcipere, ut ad Concilium conveniant: qui enim conventum, cœtum, vel congregationem jure indicit, non precibus, non invitatione tantùm, sed præceptò utitur, ut patet ex diplomatis convocationum, quæ hucusque aut ab Imperatoribus, aut ab Ecclesiarum Pastoribus factæ sunt. Atqui solus Romanus Pontifex potest singulis totius orbis Episcopis præcipere, ut ad Concili-

(*t*) Sozom. lib. 6, cap. 7.

cilium conveniant, ipse namque solus omnium orbis Episcoporum Episcopus est & Pastor, totamque sibi subjectam habet Ecclesiam. Unde S. Leo: *Per sacram B. Petri Sedem* inquit (u), *caput orbis effecta* (Roma) *latius p*[illegible]*les religione divina, quàm dominatione terrena.* Et Prosper ita canit: (x)

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
Facta caput mundo quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Quibus habetur latius fuisse & esse dominium Romani Pontificis spirituale, quam temporale Imperatorum, quamvis tunc temporis toti ferè orbi dominati sint. At Papa toti, quà latè per universum mundum patet, Ecclesiæ dominatur.

3tio. Concilia provincialia indicuntur à Metropolitano, & Nationalia à Primate vel Patriarcha, prout omnes cum S. Augustinò Ep. 217. ad Victorinum testantur, ne quidem Protestantibus exceptis. (y) Ergo à fortiori Concilia Oecumenica à Romano Pontifice, utpote totius Ecclesiæ Episcopo Universali & Primario indici & convocari debebunt. Nulla enim hìc disparitatis ratio afferri potest. &c.

205 CONCLUSIO II.

Summi Pontificis est sive per se, sive per suos Legatos Conciliis Oecumenicis præsidere.

Prob. Conclusio 1mo. Ex textibus S. Scripturæ priori conclusione pro jure illius convocandi Concilia Oecumenica adductis, qui æquè pro illius eminentia & jure in iis præsidendi pugnant, & probant, summum Pontificem esse Pastorem & Patrem Ecclesiæ universæ, adeo ut omnes fideles cujuscunque dignitatis & conditionis tam Ecclesiastici, quàm sæculares in rebus fidei & morum ipsi subjecti sint, atque respectu ipsius oves & filii dicantur. Atqui par est, ut Pastor & Pater ovibus & filiis ubicunque præsit, & præsideat. Ergo &c.

2do. Act. 15. Concilio Apostolico præsedit Petrus, prout affirmat Hieronymus Ep. ad Augustinum, quæ est 11. inter Epistolas Augustini; atque ex eo colligitur, quòd Petrus primus surgat, primus loquatur, primus quæstionem definiat, & omnes sententiam ejus sequantur. Ergo &c.

Prob. 2do. Ex Traditione, qua habetur, 206 summos Pontifices omnibus Conciliis Oecumenicis vel per se vel per suos Legatos præfuisse, si Synodum II. & V. Oecumenicas excipias, cujus rei rationem reddemus.

1mo. Nicæno I. Concilio nomine & vice Sylvestri Papæ præfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Vitus & Vincentius Presbyteri. Quod habetur 1mo. ex subscriptionibus, hi tres enim primi omnium subscripserunt. 2do. Ex Cedreno in compendio historiarum, & Photio de septem Synodis, qui dicunt, Sylvestrum per suos Legatos Concilio Nicæno auctoritatem contulisse. 3tio. Ex Athanasio Ep. ad solitariam vitam agentes, ubi dicit, Osium *Principem* fuisse in eo Concilio, & ipsum esse, qui composuit Symbolum, quod dicitur Nicænum. At qua ratione id honoris præ Patriarchis Orientalibus habuisset simplex Occidentalis Episcopus, nisi primæ Sedis vices egisset? Unde in quadam præfatione Concilii Sardicensis, quæ habetur Tom. 1. Concil. disertis verbis dicitur, Osium Cordubensem in Nicæno Concilio Legatum egisse Romani Pontificis. Qui & eidem Sardicensi Concilio præfuit nomine & vice Julii Romani Pontificis, tanquam patronus & director, à quo proponebantur singula in Concilio decernenda, quippe primus omnium subscripsit; prout ex illius Concilii Actis constat.

2do. Concilio Ephesino I. Cyrillus Episcopus Alexandrinus præfuit nomine Cœlestini

(u) Serm. 1. de SS. Petro & Paulo. (x) Lib. de Ingratis. (y) Calvin. Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 8. Illyricus Cent. 4. cap. 7.

stini Papæ, prout testantur omnes historici, Evagrius lib. 1. c. 4. Photius lib. de septem Synodis. Prosper in Chronico. Nicephorus lib. 14. cap. 34. & Liberatus Abbas in Breviario c. 15. Justinianus in edicto. Nicolaus I. Papa Ep. ad Michaëlem Imperatorem, & denique ipse Cœlestinus Ep. ad Cyrillum, quæ extat in hac Synodo cap. 16. Tom. 1. Concil. & inter Opera Cyrilli.

3tiò. Leo magnus per suos Legatos præfuit Concilio Chalcedonensi; *In his fratribus*, inquit ipse in Epistola ad Synodum Chalcedonensem hanc (z), *Paschasinò, & Lucentiò Episcopis, Bonifaciò & Basiliò Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere.* Unde ipsius Legati in singulis Concilii Actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt, ipsi depositionis sententiam in Dioscorum proferunt nomine Summi Pontificis, & totius Concilii: *Sanctissimus ac beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ, Leo per nos Legatos suos*, inquiunt (a), *sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & cœlestis regni janitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, & ab omni opere sacerdotali fecit extorrem.* Idem disertè asserunt ipsimet Concilii Patres in Epistola ad Leonem, ubi hæc eloquuntur (b): *Quibus* (Concilii Episcopis) *tu quidem sicut membris caput praeras in his, qui tuas vices obibant &c.*

4tò. Sexta generali Synodo præfuisse Agathonem Papam per Petrum & Georgium Presbyteros, ac Joannem Diaconum Legatos suos patet tum ex eo, quòd in omnibus actionibus primi nominentur, loquantur, subscribant: Tum etiam quòd in Sermone ad Imperatorem, qui tunc aderat, hujus Synodi Patres hæc de sua definitione loquentes, affirment: *Per Agathonem Petrus loquebatur.* Multa alia ejusdem generis in istius Concilii variis actionibus legere est.

5to. Septimo Concilio generali Nicæno II. sine controversia præfuère Legati Papæ Adriani I. Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas sancti Sabbæ. Isti enim primi nominantur, & primi subscribunt.

6to. Nomine Adriani Papæ II. octavæ generali Synodo præfuerunt Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus, qui primi nominantur, & subscribunt; & in ipsa prima Actione rogati à Concilio, ut ostenderent litteras Papæ, quibus daretur eis præsidentia, mox exhibuerunt litteras Adriani. Denique ad finem Concilii ita subscribit primus: *Ego Donatus Dei gratiâ Episcopus Hostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani Universalis Papæ, huic sanctæ, & universali Synodo præsidens, omnia, quæ superiùs leguntur, promulgavi, & manu propria subscripsi.*

Non opus est, ut de reliquis Oecumenicis Conciliis quidquam hìc addamus, nemo enim negat, aut vel minimùm dubitat, quin iis Pontifex Romanus præsederit. Ergo ex continua Traditione, & Ecclesiæ consuetudine habemus, propriè ad Romanum Pontificem pertinere munus in Conciliis generalibus præsidendi.

Equidem, ut in Conclusione annotavimus, Concilio secundo generali Constantinopolitano nec per se nec per suos Legatos præsedit Romanus Pontifex Damasus. Convocaverat ipse Episcopos Orientis Constantinopolim, sed indè posteà eos Romam venire volebat, ubi ipse coëgerat Synodum Episcoporum Occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum Concilium. Sed cùm emansionis suæ eidem legitimas causas exposuissent, ultrò permisit Pontifex ut emanerent, præsertim cùm

(z) Epist. 47. (a) Act. 13. (b) Act. 3. vel post finem Concilii.

cùm animô & sententiâ, si non præsentiâ corporali, Damasi sententiam in Romano Concilio prolatam amplexi fuissent. Unde factum, ut Synodi Aquilejensis, Romana, ac denique hæc Constantinopolitana continua nec interrupta temporis serie initæ, parique auctoritate, Romani Pontificis scilicet, editæ in unum generale Concilium coaluerint, quod Oecumenicum II. nuncupatum est. (*c*) Certè si Damasus adfuisset, sine dubio præsedisset, cùm Concilium *Caput* suum eum vocet & agnoscat, & vicissim ipse eos *filios* suos nuncupet. Vide citatas Epistolas.

Neque etiam Concilio Oecumenico V. Constantinopolitano II. licèt Constantinopoli esset, Vigilius Papa interesse voluit. Eidem ergo præsedit Eutychius Menæ in Sede Constantinopolitana Successor; qui tamen agnovit, & professus est, præsidentiam debitam fuisse Romano Pontifici, si is Concilio interesse voluisset. Unde Zonaras in vita Justiniani: *Sub hoc*, inquit, *quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa.* Et ipse Eutychius Patriarcha Epist. ad Vigilium (*d*), *Petimus* (inquit nomine Concilii) *præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus capitulis quæri, & conferri.*

207 Prob. Conclusio 3tio. Ex eo, quòd Concilia vocent Papam *Patrem*, ipse verò Episcopos in Concilio congregatos appellet *Filios*. Ut patet ex Theodoreto lib. 5. cap. 10. supra citato, ubi Damasus respondens Episcopis Concilii II. generalis: *Quod*, inquit, *Apostolicæ Sedi debitam reverentiam exhibetis, vobis ipsis magno bonori est, filii bonoratissimi.* Item ex Epistola Concilii Antiocheni ad Julium, quæ sic incipit: *Domino beatissimo & bonorabili Patri Julio &c.* Et Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis, cum tribus Conciliis ita scribit: *Domino beatissimo & sancto Patri Damaso &c.* Et Concilium Chalcedonense in Epistola ad Leonem: *Rogamus*, inquiunt, *tuis decretis, nostrum bonora judicium, ut firmitas tua filiis, quod decet adimpleat.* Atqui nemo ambigit, quin Patres filiis præesse & præsidere debeant. Ergo &c.

Ex hactenus dictis necessariò infertur, etiam ad solum Romanum Pontificem pertinere quæque Concilia confirmare, atque hîc omnia ea argumenta & rationes, quas ad stabiliendas binas priores Conclusiones adduximus, etiam adaptari possunt. Nam utique cujus est Concilia convocare, eis præsidere, huic utique etiam apertè competit jus ea confirmandi. 208

Et verò Nulla Concilia proferri possunt, quæ firma & rata fuerint, nisi priùs à Romano Pontifice confirmata fuerint; è contra, ea omnia velut Conciliabula & Pseudo-Synodi fuêre semper rejecta, quæ Sedes Apostolica non confirmavit, sed rejecit; prout patet exemplo Concilii Ariminensis, de quo ita scribit Damasus Papa ad Episcopos Illyrici (*e*): *Neque enim præjudicium fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quandò constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia expectanda erat sententia . . . talibus præbuisse consensum.*

Item S. Leo confirmans Chalcedonensem Oecumenicam Synodum, Decretum in ea editum, quo Episcopo Constantinopolitano Metropolitani Asiæ Ponticæ, seu Thraciæ subjiciebantur, irritum fecit, & declaravit; quod propterea semper invalidum remansit. At contrà quamvis ea omnia, quæ in Latrocinio Ephesino confecta fuerant, ab hoc ipso Chalcedonensi Concilio rejecta & improbata fuissent, tamen Ordinatio Maximi Antiocheni

(*c*) Vide Epistolas Damasi ad Concilium Constantinop. & Concilii ad Damasum apud Theodoret. lib. 5. c. 9. & 10. (*d*) In fine collationis 1mæ. (*e*) Theodoret. lib. 2. c. 17.

cheni Episcopi in eo facta, jussu ejusdem Papæ Leonis firma permansit.

Denique, ut cætera taceamus, certum est, Synodum Oecumenicam V. ea duntaxat ratione ab Occidentalibus post diutinam tergiversationem tamen curantibus Pelagiô I. & Gregorio Magno Summis Pontificibus acceptatam fuisse, quòd à Vigilio Papa confirmata fuisset.

209 Hîc etiam operosa admodum quæstio movetur inter Catholicos & Protestantes, vel nostri ævi Acatholicos seu Novatores; Quinam nempe ad Concilium sint vocandi, atque in eo jus suffragii habeant.

Ultro concedimus ad Concilia vocari debere eos omnes, qui ipsi sunt necessarii, vel tanquam Judices, vel consultores, vel defensores, vel Actorum exceptores, sive sint Clerici, sive Laici. Neque etiam, etsi Concilia generalia ea esse constet, quæ omnium Christianorum Pontificum & Prælatorum convocatione celebrantur, omninò necessarium est, ut omnes illi intersint; secùs enim, cùm nullum celebratum fuerit Concilium generale, cui omnes omninò totius Orbis Christiani Præsules interfuerint, sequeretur omnia illa Concilia, quæ ab Ecclesia pro Oecumenicis habentur, non fore generalia. Non igitur ad generale Concilium requiritur etiam omnium Episcoporum congregatio, ita ut nullus desit; verùm ad hoc ut ea generalis censeatur, duo hæc duntaxat requiruntur: 1mo ut evocatio Prælatorum fit generalis. Deinde, ut ex diversis provinciis Conventui adsit Episcoporum multitudo sufficiens ad repræsentandam Ecclesiam universam.

Verùm hæc difficultatem aliquam pati non videntur; potiùs in eo sita videtur, quinam in specie tanquam Judices, seu ad ferendum de rebus propositis definitivum judicium vocari debeant. Protestantes enim contendunt, quemque fidelem, sive sit Clericus, sive Laicus, vocari debere ad Concilium, ac habere jus suffragii, seu Judicii definitivi. Contra quos ponitur

CONCLUSIO III. 210

Jure Divino Episcopi soli jus habent in Conciliis ferendi suffragium decisivum. Ex privilegio autem & Jure Ecclesiastico aliquibus abhinc Sæculis Abbates, ac Generales Ordinum Præpositi etiam Jus illud obtinent, licèt non sint Episcopi sed simplices Presbyteri.

Prob. 1ma pars Conclusionis 1mo Ratione desumpta ex S. Scripturis. Episcopi jure divino sunt Pastores & Doctores Ecclesiæ. *Dabo vobis pastores juxta cor meum*, inquit Deus apud Jerem. cap. 3. v. 15. *& pascent vos scientiâ, & doctrinâ.* Et Ephes. 4. v. 11. *Alios autem dedit Deus*, inquit Apostolus, *Pastores & Doctores.* Item Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo ipsorum est definire in Conciliis ea, quæ sunt credenda, vel agenda. Id enim proprium munus est Pastorum; ut videlicet Christianum gregem suum verâ pascant doctrinâ, hoc est, illum doceant, quid credendum sit & agendum. Unde S. Paulus cit. cap. 4. Epist. ad Ephes. nomen Pastoris cum nomine Doctoris conjungit, quia, prout in hunc locum notat S. Hieronymus, & Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, proprium est Pastorum docere.

Prob. 2do. Testimoniô Veterum, qui 211 ubi ipsis de Conciliis sermo est, ad ea celebranda solos Episcopos convenisse eaque celebrasse, ajunt. De Conciliis enim, quæ in Ecclesia celebrata fuêre tempore Victoris Papæ super quæstione Paschatis sic scribit Eusebius (*f*): *Ob quam causam conventus Episcoporum & Conci-*

(*f*) Lib. 5. hist. c. 23.

Concilia per singulas quasque provincias convocantur.

Idem docent Cyprianus Epist. ad Jubajanum, Hilarius lib. de Synodis, Ambrosius Epist. 32. Hieronymus lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, Augustinus Epist. 119. Leo Epist. 16. & seqq. Ruffinus lib. 10. hist. cap. 1. Athanasius Epist. ad vitam solitariam agentes, aliique Patres, qui passim asserunt, à solis Episcopis Concilia celebrari, hæcque ipsorum esse.

Theodosius item junior Epist. ad Ephesinam Synodum, quæ extat Tom. 1. Concilii cap. 32. *Illicitum est*, inquit, *eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

Pulcheria quoque Imperatrix Epist. ad Strategum Bithyniæ, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense, jussit, ut Clerici, Monachi, & Laici, etiam vi repellerentur à Concilio, exceptis paucis illis, quos secum Episcopi duxerant.

In Concilio Chalcedonensi Act. 1. cùm ad Martinum Archimandritam mitteretur, ut subscriberet, respondit, non esse suum sed Episcoporum tantùm, subscribere. Et in eodem Concilio, cùm pro Dioscoro Monachi, & Laici ingressi essent, sæpiùs Patres clamarunt: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.*

212 Prob. 3tio. Ex Conciliis hactenus à Christo usque ad finem Sæculi 16. celebratis, in quibus Episcopi soli fuerunt judices, utpote à quibus omnium Conciliorum decreta à solis Episcopis facta fuerunt, prout patet ex ipsorum subscriptionibus: neque enim alii, quàm Episcopi in iis subscripsisse leguntur, quæ tertiò Ecclesiæ Sæculò habita sunt Romæ in causa Novatianorum, in Africa in causa Baptismatis, in Oriente in causa Montanistarum: nullorum quoque aliorum subscriptum nomen legitur in Conciliis generalibus, quæ per quindecim vel sexdecim priora Sæcula seu in Oriente, seu in Occidente habita sunt. Et si in quibusdam paucissimis, ut in Florentino, Lateranensi, & Tridentino subscripserunt Abbates, & Generales Ordinum, Episcopi tamen hoc addidêre, *Ego Episcopus definiens subscripsi*, juxta usitatam videlicet in omnibus Conciliis ab ipsis formulam; qua neutiquam usi sunt Abbates &c. &c.

Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 213
1mo. Quia negotia Ecclesiastica & publica à personis Ecclesiasticis & publicis tractanda sunt, ut notum est. Atqui tales personæ sunt soli Episcopi.

2do. Ut quis ad Concilium de jure vocandus sit, atque jus suffragii definitivi habeat, oportet ut jurisdictionem spiritualem in foro externo habeat; cùm in Conciliis vel damnari soleant hæreses contra hæreticos, vel condi Canones pro reformatione morum & disciplinæ, vel privatorum Episcoporum, aut aliorum privatæ causæ judicari; qui omnes actus sunt externæ jurisdictionis actus. Atqui soli Episcopi, & nulli alii, habent hujusmodi jurisdictionem. Ergo soli Episcopi de jure sunt ad Concilium vocandi, atque in eo jus suffragii definitivi habent.

3tio. Cùm Concilium sit Ecclesiæ repræsentatio, ad illud hi soli admitti debent, atque in eo jus suffragii definitivi habent, per quos possit Ecclesia repræsentari: atqui hi soli sunt Episcopi, nam, ut ait S. Cyprianus, *Ecclesia est in Episcopo*, hique Ecclesiam repræsentant, quemadmodum primates, & præcipui Regni alicujus seu provinciæ Comitia facientes totum Regnum seu provinciam repræsentare dicuntur. Ergo hi soli de jure ad Concilium sunt vocandi seu admittendi, atque in eo jus suffragii definitivi obtinent.

4to. Si omnes alii quique præter Episcopos ad Concilium admitti deberent, vel nunquam haberi possent Concilia genera-

generalia, quia vix possent omnes convocari & congregari: vel si tandem congregarentur, foret impossibile regere tale Concilium propter nimiam multitudinem; deinde tunc sine dubio plures essent in Concilio inferiores, quàm superiores: adeoque verè vinceret major sententia meliorem, & in Ecclesia regerentur superiores ab inferioribus, non è contrario, quod absurdissimum est. Denique hac ratione, facilè posset unus Princeps, in cujus regione fieret Concilium, curare, ut in eo, quod cuperet, definiretur: posset enim facillimè colligere omnes Presbyteros & doctos homines suæ provinciæ, & in Concilium introducere, id quod non possent alii Principes, qui longè abessent, Ergo &c.

5to. Nulla est Respublica, quæ, ratione naturali docente, non habeat aliquem ordinem in Comitiis, ita ut non quicunque de plebe, sed tantùm Principes, & capita cæterorum locum & suffragium habeant. Ergo & eadem naturalis ratio persuadet, eundem ordinem in Conciliis, quæ sunt Comitia Ecclesiæ & spiritualia, servari debere.

214 Prob. 2da. Pars Conclusionis. 1mo. Consuetudo est locô legis Ecclesiasticæ. Atqui aliquibus ab hinc Sæculis consuetudo & praxis invaluit, ut Abbates, ac Generales Ordinum Præpositi jus habeant in Conciliis suffragii decisivi. Ergo &c.

Prob. 2do. Abbates & Religiosorum Ordinum generales sunt superiores fidelium exemptorum à jurisdictione Episcoporum. Ergo cùm Concilium generale sit universalis Ecclesiæ repræsentatio, & ad illud de jure vocandi sint Episcopi atque in eo jus suffragii decisivi habeant, atque sibi subditos repræsentent fideles; ita pariter ad illud vocandi sunt Abbates & Generales Religiosorum Ordinum Superiores, ut sibi subditos fideles, & ab Episcopis non repræsentatos, utpote Episcopis non subditos, repræsentent, & in quos jurisdictionem quasi Episcopalem habent. Verùm quia hujusmodi jurisdictionem quasi Episcopalem, illamque ab Episcopis exemptionem ex privilegio duntaxat, non ex jure tenent; ideò non de jure sed ex privilegio & consuetudine ad Concilium ut Judices sunt vocandi.

Idem Judicium esto de Cardinalibus non Episcopis. 1mo. Quia ut Cardinales & Papæ collaterales licèt non Episcopi, sunt tamen ipsis Episcopis majores ob amplitudinem suæ dignitatis, & assistentiam, ut habetur ex cap. *Ad Apostolicæ* de judic. in 6. & ex Clementin. *Pastoralis* eodem tit. 2do. Quia Cardinales suis in titulis jurisdictionem habent Episcopalem, ut constat ex cap. *Iisque* de Major. & obedient. Ergo si non de jure, saltem ex consuetudine jure meritô recepta vocandi ut Judices &c.

Circa Concilia generalia id hîc adhuc notatum volumus. Synodum nempe aliquam posse esse generalem seu Oecumenicam tùm convocatione, tum congregatione, tum etiam exitu; vel tantùm quoad evocationem seu convocationem, aut congregationem, non autem exitu; ut in Latrocinio Ephesino contigit &c. 215

Hoc quoque diligenter advertendum est, ad Concilium generale non requiri, ut in unum & eumdem locum, tùm Orientis tum Occidentis Episcopi simul congregentur, sed fieri posse, ut Episcopi Orientis in unam Orientis civitatem, Episcopi verò Occidentis in alteram Occidentis eodem tempore conveniant, & utriusque Synodi simul habitæ consensus pro Concilio generali habeatur. Hac ratione, prout jam supra annotavimus, Concilium Constantinopolitanum I. in quod soli Episcopi Orientis convenerunt, fuit Oecumenicum; simul enim sub Damaso Papa Romæ habita est altera Occidentalium Synodus, quæ cum Synodo Constantinopolitana de retinenda Spiritûs sancti divinitatis fide & confessione consensit. 216

217 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra 1mam Conclusionem. Primorum Ecclesiæ Sæculorum Concilia octo priora ab Imperatoribus convocata fuêre. Ergo falsum est, quòd ea convocare ad solum Romanum Pontificem pertineat.

Resp. 1mo neg. ant. Illius falsitas patet ex iis, quæ ibidem probatione 2da disseruimus; ubi apertè demonstravimus omnia omninò Oecumenica Concilia, etiam octo priora auctoritate & consensu Romani Pontific. convocata & coacta fuisse.

Resp. 2do dist. ant. Primorum Ecclesiæ Sæculorum Concilia convocata fuêre ab Imperatoribus ex consensu & annutu summorum Pontificum, conc. Præter talem consensum neg. ant. & conf. Propter varias rationes primis Ecclesiæ Sæculis ab Imperatoribus tamen ex Romanorum Pontificum sententia, quod nobis sufficit, ut verè dicantur ipsorum auctoritate convocata fuisse, indicta fuerunt Concilia; 1mo quia tunc adhuc vigebat lex illa Imperialis antiqua, quæ prohibebat omnia collegia, & frequentes hominum Conventus sine Imperatoris auctoritate, eo quòd metuerent Imperatores ne seditio aliqua fieret. Vid. L. 1. ff. *de Collegiis illicitis*, & L. *Conventicula* C. de Episcopis & Clericis. 2do. Quia etiamsi lex illa non fuisset, cùm Imperatores eo tempore in magna orbis parte imperarent, non poterat fieri Concilium nisi in aliqua Urbe Imperiali; nulla aut ratio finit, ut in aliquo loco ex toto orbe Conventus fiat, sine licentia Domini loci illius; prout nunc si Concilium fieret in aliis, quàm Romani Pontificis, terris, procul dubio peteretur consensus illius, cujus foret illa civitas vel provincia, in qua Concilium celebrari oporteret. 3tio. Tunc pauper erat Ecclesia, atque vix suis sumptibus potuisset in generalem Synodum convenire: ferebant ergo summi Pontifices, & consentiebant, ut, ubi Ecclesiæ necessitas id exigebat, Imperatores Episcopos ad Concilia vocarent, utpote quibus vehicula & alimenta præbebant, ut patet ex Theodoreto lib. 2. c. 16. Item ex Epistola Constantini IV. ad Pontificem Romanum, quæ habetur initiò sextæ Synodi. Sed nobis sufficit, quòd hujusmodi convocationes annuente & consentiente Papa ab Imperatoribus factæ fuerint, ut verè dicere possimus auctoritate summorum Pontificum Concilia coacta & convocata fuisse.

Denique etsi ultrò concederemus, à solis Imperatoribus olim convocatas fuisse Synodos Oecumenicas, non tamen sequeretur, id ipsis de jure competiisse; nam facta diligenter à jure sunt distinguenda: nec enim sequitur ei jus in rem aliquam competere, qui eam sibi vindicat &c.

Ob. 2do. Dari possunt occasiones, in 218
quibus possunt convocari Concilia ab aliis, quàm à Papa; ut e. g. 1mo quando Papa illud, etsi Ecclesiæ necessitas id exposcat, convocare renuit; 2do. Quando Papa est Hæreticus vel Schismaticus; 3tio. Quando Papa est captivus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, aut renuntiasset. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Hi omnes casus sunt Metaphysici. Nam quoad 1mum. Nullus Pontifex est adeo iniquus, qui non velit Concilium celebrari, si apertè constet, id esse necessarium Ecclesiæ conservationi. Quòd si verò talis esset, tunc procul dubio Deus, qui Ecclesiam conservat, vel ejus mentem mutaret, vel eum de medio tolleret; & si nihil horum fieret, posset haberi tanquam suspectus de hæresi. Nam, ut dicitur Can. *Error* & seqq. Dist. 83. *Qui errori manifesto non resistit, cùm possit & debeat, eum approbare censetur.*

Ad 2dum & 3tium dicimus, si vel per impossibile casus ille contingeret, hujusmodi Concilium fore imperfectum, cùm in nullo casu possit sine Pontificis auctoritate convocari perfectum Concilium, quod

quod videlicet auctoritatem habeat definiendi res fidei, cùm, ut jam demonstravimus, præcipua Ecclesiæ auctoritas in illius Capite sita sit; Erit ergo talis Synodus imperfecta, ut diximus, sed tamen sufficiens ad providendum sibi de Capite; Ecclesia enim sine dubio habet auctoritatem providendi sibi de Capite, quamvis non possit sine Capite de multis statuere, de quibus potest cum Capite, ut rectè docet Cajetanus in opusculo *de potestate Papæ* c. 15. & 16. & multò ante ipsum Presbyteri Romanæ Ecclesiæ in Epistola ad Cyprianum, quæ est 7. lib. 2. in Operibus S. Cypriani. Porrò tale imperfectum Concilium fieri poterit, si vel indicatur à Collegio Cardinalium, vel ipsi per se Episcopi in unum locum conveniant.

219 Ob. 3tio. Contra 2dam Conclusionem. In veteri Testamento præcipui, etiam in rebus spiritualibus, fuerunt Principes seu Reges, ut patet de Moyse, Josue, David, Salomone, Ezechia, Josia. Accedit, quòd Deus commisit Principibus custodiam Legis divinæ, ut dicitur Rom. 13. v. 4. *Si malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat.* Ergo & in novo Testamento Principum erit judicare de Lege Dei, quomodo sit servanda, & punire transgressores; adeoque & in Conciliis Oecumenicis præsidere.

Resp. neg. vel dist ant. In veteri Testamento in rebus etiam spiritualibus præcipui Judices fuerunt Principes & Reges, tanquam meri Principes Sæculares neg. ant. tanquam Sacerdotes etiam & Prophetæ conc. ant. & neg. cons.

Moyses non solùm Princeps fuit sed etiam summus Sacerdos, ut patet ex Psalm. 98. v. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.*

Josue autem, David, Salomon, & quidam alii, non solùm Reges, sed etiam Prophetæ fuerunt, quibus Deus quædam extraordinaria commisit, quæ alioquin ad Sacerdotes spectabant. Hocmodò Salomo Rex amovit Abiathar à Sacerdotio, & constituit pro eo Sadoc 3. Reg. c. 2. v. 27. id enim fecit, non ut Rex, sed ut Propheta ex divina inspiratione; unde ibidem hujus amotionis causa subjungitur: *Ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Sed propter ista extraordinaria non est delenda ex Deut. c. 17. v. 8. lex illa generalis, qua jubentur omnes in dubiis circa legem recurrere ad Sacerdotes. Neque illa Malachiæ cap. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

Ad confirmationem dicimus: Reges esse custodes Legis divinæ, sed non interpretes, & proinde ad eorum officium pertinet, ut Legibus, & Edictis suis jubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent, & Hæreticos ab Ecclesia judicatos coërceant pœnis temporalibus; ut Augustinus docet Ep. 48. 50. & 166. necnon pii Imperatores, Constantinus, Theodosius, Martianus, aliique id sæpè testati sunt, ut patet ex L. *Cunctos populos.* Cod. de summa Trinitate & fide Catholica; & ex toto titulo de Hæreticis eodem Codice.

Ob. 4to. In primis Orientalibus Conciliis semper præfuêre Imperatores, vel eorum Legati, & nunquam summi Pontifices aut eorum Legati. Ergo Imperatoris est, non Romani Pontificis, generalibus præsidere Conciliis. 220

Resp. neg. ant. cujus falsitas patet ex iis argumentis, quæ Conclusione 2da ad stabiliendam sententiam nostram adduximus. Id enim juris non habent Imperatores, seque non habere satis testatus est religiosissimus Imperator Constantinus in primo Nicæno Concilio, in quo nedum minimè voluit præesse, sed nec in eodem, quo Episcopi, locô sedere voluit, atque publicè professus est, se non Episcopos judicare, sed ab Episcopis judicari debere. Quòd si primum locum materialem in Conciliis interdum tenuerunt Imperatores, tenuêre non ut Judices & definientes,

sed

sed solùm honoris causâ; non ut Concilii Præsides aut Judices, sed ut defensores ac tutores.

221 Ob. 5to. Imperator Theodosius facultatem fecit Dioscoro, ut secundo Concilio Ephesino præesset. (*g*) Ergo Imperatori persuasum fuit, penes Imperatores esse jus præsidendi Conciliis aut per se ipsos, aut per alios, etiam quoad vim directivam, & jus suffragii.

Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo Imperatori persuasum fuit penes &c. ex errore, conc. ex vera scientia neg. conf. Id, ut patet ex Evagrio, Chrysaphius præfectus Palatii & alii Eutychetis defensores callidè Imperatori persuaserant, ut Flavianum, à quo damnatus fuerat Eutyches, faciliùs opprimerent.

222 Ob. 6to. Carolus Magnus quoad vim directivam & jus suffragii præfuit Concilio Francofordiensi, quod contra Elipandum habitum est (*b*), ut ipsemet testatur in sua ad Elipandum Epistola, ubi sic loquitur: *Scriptam itaque in Epistola vestra hujusmodi precationem invenimus: Poscentes ut per te arbiter sedeas: ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationis Sacerdotum auditor & arbiter adsedi.*

Resp. neg. ant. Ibi equidem arbiter fuit Carolus Magnus, quoad ordinem formandum, & conciliandam in Synodo pacem; non verò quoad jus suffragii. Certè Carolus Magnus non alia ratione arbiter fuit in Concilio Francofordiensi, quàm fuerit in Concilio Ratisbonensi priùs, annô videlicet 792. in eadem Elipandi & Felicis causa celebrato, in quo præfuisse dicitur; at in isto Concilio non habuit directionem ac jus suffragii, ut habetur ex Alcuino, qui lib. 1. contra Elipandum, in Concilio Ratisbonensi, eodem glorioso Principe præsidente, Felicem præsentem damnatum fuisse *Synodali auctoritate Sacerdotum Christi*, ait.

Ob. 7mo Illi præfuerunt Conciliis quoad jus suffragii, qui ea confirmarûnt approbante & consentiente Ecclesia. Atqui Imperatores, approbante & consentiente Ecclesia seu Episcopis, Concilia confirmârunt. Ergo &c. Prob. min. testimoniô Eusebii lib. 3. de vita Constantini cap. 17. ubi refert Epistolam, qua laudatus Imperator confirmavit Nicænam Synodum: *Planè* (inquit in ea Imperator) *divinum mandatum suscipite: quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne referendum est ad divinam voluntatem.* Patres alterius Concilii generalis rerum à se in Concilio gestarum confirmationem petunt ab Imperatore Theodosio: *Rogamus*, inquiunt, *tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum.* Idem in Actis primi Concilii Ephesini, & in Actis tum sextæ, tum septimæ Synodi generalis videre est. Ergo &c. 223

Resp. dist. maj. Illi præfuerunt &c., qui ea confirmarunt, quoad vim obligandi in conscientia, conc. maj. quoad externam tantum executionem, neg. maj. &c. Principes confirmatione, de qua agitur, Conciliis auctoritatem intrinsecam non conciliârunt, sed externam tantùm, seu effecerunt, ut executioni mandarentur. Undè per eam confirmationem non se exhibuerunt Judices rerum Ecclesiasticarum, sed executores duntaxat decretorum à Conciliis emanatorum. *Convenit*, inquit Rex Gunthramnus confirmans alterum Concilium Matisconense, *ut distinguat legalis ultio Judicum, quos non corrigit canonica prædicatio Sacerdotum.*

Ob. 8vo.

(*g*) Evagrius lib. 1. c. 10. *Item* Sacra Theodosii ad Dioscorum. (*b*) An. 794. Elipandus Nestorii hæresim renovabat duas in Christo personas afferentis, socium habuit Felicem Urgelitanum; ambo Episcopi Hispani ille Toletanus, ille Urgelitanus.

224 Ob. 8vo. Contra 3tiam Conclusionem. In Concilio generali Apostolico pro determinanda Legalium cessatione Jerosolymis habito, quodque cæterorum Conciliorum norma esse debet, interfuêre non solùm Apostoli, sed etiam Presbyteri omnes, juxta illud Act. c. 15. v. 6. *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc* Ubi nomine Seniorum intelliguntur Presbyteri curam animarum habentes; imò interfuêre & Laici, ut colligitur ex contextu sequenti: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus, cum omni Ecclesia.* Ergo non solùm Episcopi, sed etiam Presbyteri, præsertim curam animarum habentes, seu Parochi, imò & alii viri docti, licèt Laici, sunt ad Concilium ut Judices vocandi.

Resp. Conc. ant. neg. conf. Ratio est, quia licèt hi omnes interfuerint prædicto Concilio, non tamen eodem modo eodemque jure, & ut Judices; nam Apostoli interfuêre, ut judicarent, juxtà illud Jacobi ibidem dicentis: *Propter hoc ego judico &c.* Seniores ut consultarent, & inquirerent, juxta illud, *Et cùm magna disquisitio fieret*; Cæteri verò Laici, ut tacerent, & acquiescerent, *Et tacuit omnis multitudo.* Et hoc idem in cæteris Conciliis fieri consuetum est. Episcopi enim, cæterique habentes vel ex consuetudine vel ex privilegio suffragium decisivum intersunt, ut judicent & definiant; alii viri docti, ut consultent, & inquirant; cæteri Laici, ut taceant, & definitionibus acquiescant. Adde, per *Seniores* hîc intelligi tam Episcopos, quàm Presbyteros, juxta illud Petri Epist. 1. c. ult. v. 1. *Seniores ergo*, id est Episcopos, *qui in vobis sunt, obsecro, Consenior*, id est, Coepiscopus, ... *pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Ergo Seniores illi, qui, ut de legalibus judicarent, cum Apostolis convenerant, erant Episcopi &c.

Ob. 9no. Causa communis communibus votis est ab omnibus tractanda. Ergo, cùm causa fidei, quæ solet in Conciliis tractari, sit Christianis omnibus, etiam Laicis communis, ab iis omnibus est tractanda in Conciliis. 225

Confirmatur ex Canone *Ubinam*, Dist. 96. in quo sic Nicolaus Papa I. loquitur (*i*): *Ubinam legistis Imperatores antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos & omnes omninò pertinet Christianos?* 226

Resp. Dist. ant. Est ab omnibus tractanda diversô modô, conc. Eodem modo neg. ant. & cons. Licèt causa victoriæ à toto exercitu sit promovenda, non tamen eodem modo ab omnibus, sed à Ducibus ut præcipientibus & dirigentibus; à speculatoribus, ut vigilantibus & inquirentibus; à militibus verò ut pugnantibus: ita etiam fidei causa est ab omnibus tractanda; & re ipsa in Conciliis ita tractatur ab omnibus, sed diversô modô; ab Episcopis nempe, ut Judicibus definientibus; ab aliis non Episcopis, sed peritis & doctis, ut consultantibus & inquirentibus; à Laicis ut audientibus & acquiescentibus.

Ad Confirmationem dicimus, in eo valere Nicolai Papæ argumentum, quòd Imperatores communem causam, tanquam fidei defensores, tueri debeant, non autem tanquam Pastores, Doctores, & Judices: unde Theodosius Junior in Epistola ad Ephesinam Synodum sic de se ipso loquitur: *Illicitum est, eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Synodis ergo interesse debet, aut potest Imperator, in quibus de fide tractatur, non quidem ut Judex, sed ut talis, cui incumbit defendere

(*i*) Epist. ad Michaelem Imperatorem.

fendere communem fidem edictis ac legibus, & si oporteat, etiam gladiô.

227 Ob. 10mo. Singuli fideles habent jus suffragii decisivi in cœtibus, qui universam Ecclesiam repræsentant. Atqui Concilia generalia universam Ecclesiam repræsentant, prout videre est ad Caput Conciliorum Constantiensis, & Basileensis. Ergo &c.

Resp. Neg. maj. Ratio est, quia universa Ecclesia perfectè repræsentatur per Clericos, qui illius sunt Duces & Pastores; nam, ut supra ex Cypriano (*k*) retulimus, *Ecclesia est in Episcopo*, seu in Episcopo repræsentatur. Et S. Augustinus asserit (*l*), *Concilium plenarium, in quo soli fuerunt Episcopi, esse totius terrarum orbis consensum.*

229 Ob. 11mo. Nonnunquam Deus idiotis, sed aliunde piis, revelat mysteria, quæ nec Episcopis, nec ipsi etiam Concilio generali revelat. Ergo Idiotis ejusmodi tribui debet in Conciliis judicium decisivum.

Præterea aliqui simplices Clerici, imò etiam Laici doctiores sunt pluribus Episcopis, ac proindè non minùs, quàm Episcopi debent in Conciliis habere suffragium. Undè Gratianus ait Dist. 36. quæst. 2. Can. ult. Hieronymi auctoritatem Scripturâ sacra munitam, toti generali Concilio præjudicasse. Unde Panormitanus in Cap. *Significasti* de Electione ait, unius privati sententiam præponendam esse sententiæ Papæ, si ille privatus moveatur melioribus auctoritatibus Testamenti veteris & novi. Unde denique Gerson part. 1. *de examinatione doctrinarum* docet, quemcunque hominem doctum posse, & debere toti Concilio resistere, si videat illud ex malitia, vel ignorantia errare. Ergo &c.

Resp. ad 1mum argumentum neg. ant. Nempe in rebus, quæ ad fidem aut mores spectant, Concilia generalia post diligens examen semper, Deo specialiter adjuvante, prout sequenti §. demonstrabimus, certò cognoscunt, quid de iis capitibus Scriptura aut Traditio docuerit: ac proinde, quid de iis Deus Apostolis revelaverit.

Ad 2dum conc. ant. neg. conf. ob eandem, quæ modò à nobis prolata est, rationem. Deinde, ut quis ferat judicium decisivum, non sufficit doctrina, sed præterea requiritur jurisdictio; nam ejusmodi suffragium ligat fideles ad credendum, aut agendum, quod eo suffragio, aut credi, aut agi debere definitum est.

Ad testimonia Gratiani, Panormitani, & Gersonis Resp. ea tam exigui ponderis esse, ut à nobis omninò contemnenda sint. Gratianus enim multa falsa suo Decreto aspersit, prout eruditi omnes testantur, præterquam enim, quòd hîc non de generali quodam, sed particulari duntaxat Concilio loquatur, profectò verba illa, quæ ipse hîc Hieronymo tribuit, nusquam in illius Operibus inveniuntur, nec ejus verba esse videntur. Equidem dixit Hieronymus secundùm legem veterem licuisse raptori ducere in uxorem mulierem à se raptam, si pater ejus consentiat: Concilium autem statuit, non obstante veteri lege illa, quæ judicialis est, & Christianos non obligat, non licere raptori in uxorem ducere eam, quam rapuit. Quodnam proinde ex hoc Hieronymi asserto Concilio præjudicium illatum? profectò nullum, Gratianus ergo hîc, ut & alibi sæpiùs, est lapsus, non enim pugnant Hieronymus, & Concilium.

Panormitanum quod attinet, omisso, quòd ipsi non sit sermo de sententia privati cujusdam comparata ad sententiam Oecumenici cujusdam Concilii, sed Papæ tantùm, qua de re hîc non loquimur, certè eum imperitè differere nemo non videt. Unde

(*k*) Lib. 4. Epist. 9. (*l*) Lib. 1. de Bapt. c. 18.

Unde enim habebitur, sententiam seu opinionem hujus privati hominis melioribus S. Scripturæ auctoritatibus munitam esse, quàm Papæ? Certè non ex Scriptura ipsa, hæc enim circa eas auctoritates ab ea erutas nihil certò & apertè definit; neque ad spiritum privatum provocari poterit, cum utrique tam Papæ, quàm privato illi sit suus privatus spiritus, quo freti tutò asserere possint, suam opinionem melioribus fulciri S. Scripturæ testimoniis &c. Ignoscendum ergo Panormitano, qui rem meliùs non examinaverit, & perceperit; etsi intelligendus sit, non aliter hîc de Papa disseruisse, nisi prout tanquam privatus Doctor sententiam suam promit, quo casu eum errori obnoxium esse ultrò fatemur, sicque fieri posse ut tunc privati alicujus opinio præponi possit.

Ad testimonium Gersonii eadem est responsio ac ad Panormitani auctoritatem. Nec mirum, quòd tam imperitè hîc loquatur Parisiensis Cancellarius iste, quippe qui alibi tueatur (*m*), vel minimam vetulam, reliquis id facere renuentibus, convocando Concilio Oecumenico aptam esse; quod quàm absurdè, ne quid amplius dicamus, prolatum sit, vel lippus videt.

230 Ob. 12mo. Multi Veteres testantur, quòd coram populo tanquam Judice causæ fidei disputatæ fuerint. Sic disputârunt Apostolus Petrus, & Simon Magus; teste Clemente lib. 1. & 2. Recognitionum. Archelaus Episcopus, & Manichæus; teste Epiph. hæres. 56. Sylvester Papa, & Judæi; apud Zonaram in vita Constantini. Athanasius, & Arius; teste Vigiliô Episcopô Tridentinô. Augustinus, & Maximinus; prout ipse Augustinus refert lib. 1. cont. Maximin. c. 1. Quòd etiam in Concilio Nicæno multi fuerint Laici docti, & eloquentes, patet ex Nicephoro lib. 8. c. 14. Populum esse judicem in fidei causis ultro fatetur etiam S. Ambrosius Epist. 32. ubi, *Causam fidei*, inquit, *in Ecclesia agendam quis abnuat? si quis confidit huc veniat.* Et paulò post: *Iste populus judicat, cujus in corde lex divina est, non humana, lex non atramentô scripta, sed Spiritu Dei vivi.* Et infra: *Sed Auxentius*, inquit, *certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen.* Ergo &c.

Resp. Dist. ant. Causæ fidei disputatæ fuerunt coram populo tanquam Judice privato & cujus judicium neminem obligaret, transf. ant. tanquam Judice publico, cujus judicium cum auctoritate profertur, & cui cæteri omnes acquiescere teneantur, neg. ant. & conf. Responsio patet ex dictis. Certè judicium publicum in causis fidei nunquam populo tributum fuit; judicium autem aliquando eidem tributum fuit, cùm nempe aliud institui non potuit. Tenentur quidem populi sequi judicium Pastorum suorum: tamen quando Hæretici impunè versantur cum Catholicis, multosque seducunt, expedit quandoque publicas disputationes coram populo cum iis inire, eique judicium relinquere, ut sequatur, quos viderit melioribus niti argumentis; prout fecit Elias lib. 3. Reg. c. 18. qui cùm non posset aliter revocare populum à cultu Idoli Baal, instituit certamen cum Prophetis Baal præsente populo, & ait: *Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Id patet ex cit. Ep. 32. S. Ambrosii, ubi ait: *Veniant planè, si qui sunt, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat: sed unusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quem sequatur.* Ubi vides negari populo judicium publicum, tribui privatum, cur autem id fieret, causa erat, quia

(*m*) Tract. de Med. readunandi & reformandi Ecclesiam c. 21. pag. 109. apud von der Hardt Tom. 2. Act. Conc. Constant. part. 5. pag 70. & Tom. 2. Oper. Gerson.

quia tunc Mediolani Imperator Arianis favebat, nec poterat aliud obtineri.

Quod Concilium Nicænum attinet, Laici ad illud vocati non fuerunt, neque Concilii Actis interfuerunt; sed proprio motu venerunt, ut extra Concilium cum Episcopis disputarent, quos audierant ex toto orbe eò convenisse.

§. II.

231 *An Ecclesia seu Concilium sit supremus & infallibilis controversiarum fidei &c. Judex.*

Jam supra hujus Capitis exordio diximus, nobis, ubi de Ecclesiæ auctoritate agimus, perinde esse, sive Ecclesiam sive Concilium Oecumenicum nominemus, nec immeritò; quemadmodum enim in quolibet Regno sive Republica Senatus sive Comitia & Ordines, ut vocant, totum Regnum seu Rempublicam repræsentant, sic etiam Concilia Oecumenica, totam Ecclesiam, quæ Christi Regnum est, repræsentant; & sicut ea, quæ ab hujusmodi Comitiis, & Ordinibus simul congregatis statuuntur, totius Regni aut Reipublicæ decreta nuncupantur, sic etiam Conciliorum Oecumenicorum definitiones & decreta, quæ omnium Episcoporum ibidem congregatorum consensu fiunt, totius Ecclesiæ definitiones & decreta vocantur, ac proinde Concilium hujusmodi universalis Ecclesiæ consensum obtinet.

Id confirmat S. Scriptura, ubi 3. Reg. c. 8. v. 22. cœtus Principum, qui cum Salomone in Templo convenerant, vocatur *Ecclesia Israel*, impossibile enim erat, ut omnis Israel, qui superabat numerum mille millium hominum, in Templo simul esset; adde, quòd initio capitis dicatur, convenisse ad Regem Sacerdotes, & Capita Tribuum. Ergo quemadmodùm hi Ecclesiam Israel repræsentabant, ita etiam Concilium, seu Episcopi in Synodo congregati Ecclesiam Christianorum exhibent.

Et S. Cyprianus, cùm lib. 4. Epist. 9. ait, *Ecclesiam esse in Episcopo*, procul dubio intelligit, in omnibus Episcopis esse omnes Ecclesias.

Item Atharasius Epist. de Synodis Ariminensi & Seleuciensi; & in Epist. ad Episcopos Africanos. Epiphanius in fine Anchoratûs. Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Augustinus lib. 1. cont. Donat. c. 18. & lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 6. Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniæ. Gregorius lib. 1. Epist. 24. ad Joannem Eulogium aliosque Patriarchas. Octava quoque Synodus Act. 5. vocant Concilium generale *Conventum orbis terræ.* Denique Martinus V. in fine Concilii Constantiensis jubet interrogari suspectos de hæresi, ***an non credant, Concilium generale universam Ecclesiam repræsentare.*** Sit igitur

CONCLUSIO. 232

Ecclesia seu Concilium Oecumenicum est supremus & infallibilis controversiarum fidei Judex, etiam in quæstionibus facti dogmatici. (*n*)

Hæc Conclusio prorsus convenit cum iis, quas in Tractatu de S. Scriptura cap. 5. & 6. partis 1mæ posuimus circa Canonem & sensum S. Scripturæ, & ubi probavimus ad Ecclesiam pertinere supremô & infallibili judiciô Scripturarum Canonem & sensum definire, unde, quoad illius primam partem saltem, omnia ea argumenta, quæ ibidem protulimus, hîc adaptari possunt; quæ videri possunt: cùm enim omnes fidei controversiæ circa sensum S. Scripturæ præcipuè versentur, necnon Ecclesiæ, seu Concilii Oecumenici eam repræsentantis de illo judicium esse

(*n*) Vid inf. Exercit. 15. n. 264. & seq.

esse supremum & infallibile ibidem demonstraverimus; apertè utique sequitur, ejusdem etiam judicium de fidei controversiis supremum esse & infallibile. Ulterius tamen

Prob. Conclusionis prima pars 1mo. Ex S. Scriptura. 1mo Matth. 18. v. 17. 18. & 20. hæc ipse Christus eloquitur. *Si frater tuus Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis*, Apostolos tanquam Ecclesiæ Prælatos & Pastores alloquitur, *quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo &c.* Et, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ergo qui Ecclesiæ definitionibus in materia fidei non acquiescit, reputari debet tanquam Ethnicus & Publicanus, adeoque ab Ecclesia extorris. Ergo quæcunque Ecclesia seu Concilium sua definitione ligat super terram, sunt etiam ligata in cœlo. Ergo cum in Concilio in nomine Christi congregati sint Episcopi, etiam in medio eorum est Christus ipse. Adeoque Ecclesia seu Concilium est supremus & infallibilis fidei controversiarum Judex.

2do. Priùs nempe c. 16. v. 18. Petro dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ergo, quia portæ inferi adversùs Ecclesiam nunquam sunt prævalituræ, ipsa in suis circa fidem judiciis supremis sit infallibilis necesse est.

3tio. Ibidem cap. ult. v. 20. *Egò*, inquit, *vobiscum*, id est Apostolis & eorum Successoribus, *omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi.* Ergo si Christus semper est cum Apostolis & eorum Successoribus seu Ecclesia, hæc in suis definitionibus est supremus & infallibilis Judex, nec unquam errare potest, aliàs Christus posset eam deserere.

4to. Apostolus 1. Timoth. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi*, inquit, *est columna & firmamentum veritatis.* Ergo & supremus ac infallibilis fidei controversiarum Judex.

Prob. Conclusio 2do. Ex Conciliis. 233
1mo. Ex Concilio Apostolorum Act. 15. quod omnium Conciliorum post illud celebratorum norma & regula est; ubi dicunt Apostoli: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Ergo etiam omnia Concilia Oecumenica auctoritate Spiritûs sancti pronuntiant, non enim minùs aliis temporibus, quàm Apostolicis, Ecclesiæ, ut se ipsam ab erroribus immunem conservet, opus est Spiritu sancto, à quo veritatem in Conciliis doceatur &c. adeoque sunt infallibilia.

2do. Omnia sive antiqua Concilia sive recentiora pro Hæreticis habuerunt, atque anathemate damnârunt eos, qui Conciliariter editis fidei definitionibus subscribere & acquiescere renuerunt. Jusserunt quoque fidelibus, ut id, quod definierant, ex animo crederent. Spiritui sancto editas à se definitiones, ad exemplum Concilii Apostolici, tribuerunt. (o) Memoriâ quoque proditum est, viros maximè pios, & doctos exilia, mortem ipsam passos fuisse pro generalium Conciliorum definitionibus; nec debere in Conciliis posterioribus iterum examinari fidei aut morum definitiones editas in prioribus generalibus Conciliis. (p) Quæ omnia Concilia legentibus & Historiam Ecclesiasticam aperta sunt. Ergo hujusmodi Ecclesiæ seu Conciliorum Oecumenicorum Judicia suprema sunt & infallibilia.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. S. Irenæus 234
lib. 3. adver. hær. c. 4. *Non oportet*, inquit, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere.*

S. Athanasius Ep. ad Epictetum, quam recitat Epiphanius hæresi 77. miratur, quomodò quidam audeant quæstionem

 move-

(o) Et se in Spiritu sancto congregata affirmant. Ephes. Act. 5. Can. ult.

(p) Vid. Conc. Ephes. circa finem; & Chalcedonense Act. 5. Can. ult.

movere de rebus in Nicæno Concilio definitis, cùm non possint Decreta ejusmodi Conciliorum mutari, nisi errando. Et *Verbum Domini*, inquit (*p*) *per Oecumenicam Nicaæ Synodum manet in æternum.*

S. Leo Epist. 61. ad Concilium Chalcedonense, & Ep. 62. ad Maximum Antiochenum docet, semel in Concil is generalibus definita retractari non posse. Quod etiam statuitur à Gelasio I. Ep. ad Episcopos Dardaniæ. Idem S. Leo Epist. 78. ad Leonem Augustum docet, non posse inter Catholicos computari eos, qui resistunt Nicæno, vel Chalcedonensi Concilio. Et Epist. ad Anatolium 77. jubet quemdam Atticum Presbyterum, aut acquiescere Chalcedonensi Concilio, aut excommunicari. Epistolâ verò 53. ad eundem & 54. ad Martianum Imperatorem affirmat, Nicæni Concilii Canones per sanctum Spiritum esse ordinatos. Et Epist. 37. ad Leonem Augustum asserit, Chalcedonense Concilium per Spiritum sanctum congregatum fuisse.

S. Basilius Epist. 78. in qua explicat fidem, docet suspectis de hæresi proponenda esse Decreta Concilii Nicæni, indè enim appariturum, hæreticine sint, an Catholici.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Athanasium, dicit, Episcopos à S. Spiritu congregatos in Concilio Nicæno fuisse.

S. Cyrillus lib. 2. de Trinitate, vocat Decretum Concilii generalis Nicæni *Divinum*, & *sanctissimum Oraculum.*

S. Ambrosius Epist. 32. *Sequor*, inquit, *Tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.*

Hilarius re ipsa exilium passus est propter Nicænam fidem, ut ipse testatur in fine libri de Synodis.

Victor Africanus in tribus suis libris de Wandalica persecutione describit plurima celeberrima martyria Sanctorum, qui pro fide in Concilio generali explicata mortui sunt.

S. Hieronymus lib. cont. Luciferian. loquens de Athanasio, Hilario, Eusebio, aliisque sanctis Confessoribus: *Quomodò poterant*, inquit, *adversùm Synodum Nicænam facere, propter quam exilia sustinuerunt.*

S. Augustinus lib. 1. cont. Crescon. c. 32. *Cùm ista quæstio* (de Baptismo hæreticorum) *fluctuaret*, inquit, & *varias haberet inter se collegarum salva unitate sententias, hoc per universam Catholicam observari placuit, quod tenemus.* Et lib. 1. de Baptismo c. 18. hac tantùm ratione excusat de hæresi Cyprianum, quòd adhuc eo tempore non extiterit generale Concilium, quo definiretur illa de Baptismo hæreticorum quæstio. Notum etiam est famosum illud hujus sancti Ecclesiæ Doctoris dictum lib. cont. Ep. fund. c. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

S. Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 24. affirmat, se venerari quatuor prima Concilia, sicut quatuor Evangelia, atque anathema dicit, non recipientibus prima quinque generalia Concilia, quæ suo tempore sola fuerant celebrata.

Nicolaus I. Epist. ad Michaelem, Decreta Conciliorum vocat, *divinitùs inspiratas sententias.*

Accedant denique Imperatores Constantinus, & Martianus, quorum primus Decreta Concilii Nicæni cœlestia mandata nuncupat (*r*); alter verò sanxit,

(*q*) Ep. ad Africæ Episcopos. (*r*) Apud Euseb. lib. 3. de Vita Constantini.

xit, ne semel in Conciliis generalibus definita retractentur. (*s*)

235 Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 1mo. Necessariò admittenda est in Ecclesia Christi regula quædam viva & spirans, quæ supremô suô & infallibili judiciô enatas de rebus divinis controversias dirimat, & componat. Atqui talis Regula est Ecclesia seu Concilium. Ergo est supremus & infallibilis fidei controversiarum Judex.

Major tam certis & invictis argumentis probatur, ut à nemine, qui sacræ mentis fuerit, negari possit. 1mo. Quia ad divinam providentiam pertinet, Judicem illum supremum controversiarum fidei statuere. Ita Augustinus lib. de utilitate credendi c. 16. *Si Dei providentia*, inquit, *non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum. Sin verò, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certô innitentes attollamur in Deum.* 2do. Mysteria nostræ fidei sunt totidem facta à Deo revelata: sed factorum veritas non ratione, sed una auctoritate dignosci potest. Ergo oportet dari talem auctoritatem à qua hujusmodi facta dignoscantur. Atqui hanc auctoritatem habet Ecclesia. Christus quippe illa facta Apostolis suis revelavit, Apostoli tum scriptô tum viva voce Episcopis, quos instituerunt, ea intimârunt, hi verò suis Successoribus; & sic nunquam interrupta Sæculorum serie ad nos usque hæc fidei nostræ mysteria fuerunt delata.

3tio. Quia natura mysteriorum Dei, quæ tota in abstruso ac recondito posita est, ipsaque fidei conditio, quæ est *rerum non apparentium*, & in cujus obsequium captivandus est noster intellectus, viam postulat, non tàm examinis & discussionis, cujus paucissimi capaces sunt; sed viam auctoritatis, & quidem infallibilis, quæ sola potest mentis obsequium imperare, & *omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei* reprimere (*t*); & quidem sine labore: *Auctoritati enim credere*, ait S. Augustinus (*u*) *magnum compendium est, & nullus labor.*

4to. Quia, nisi auctoritatis vinculô levis & inconstans retineatur humana mens, nihil erit in Religione fixum ac ratum: unusquisque in suo sensu abundans, ad arbitrium dogmata fidei definiet, quæ tot futura sunt, quot capita; neque enim privatus quilibet id juris habet, ut alios in suam sententiam pertrahat: hinc æternas esse oportebit & interminabiles controversias circa fidem & Religionem excitatas.

Prob. min. Si talis regula non est Ec- 236
clesia seu Concilium, tunc ea est vel sacra Scriptura, vel Spiritus privatus, vel Princeps sæcularis. Atqui hi non possunt esse talis regula. Ergo ea est sola Ecclesia seu Concilium.

Major est adversariorum. Minorem quoad S. Scripturam & spiritum privatum fusè jam probavimus in Tractatu de S. Scriptura parte 1ma c. 5. & 6. ubi clarè demonstravimus, nec Scripturam sacram, nec cujuscunque spiritum privatum valere posse ad definiendum, quinam sint ejusdem S. Scripturæ libri Canonici, & quisnam quoque sit illius genuinus ac verus sensus. Quò proinde provocamus.

Quantùm ad Principem sæcularem, eadem Minor probata manet ex dictis §. præ-

(*s*) Leg. Nemo. Cod. de Summa Trinitate & fide Catholica. (*t*) 2. Cor. c. 10. v. 5. (*u*) Lib. de quantit. animæ c. 7. n. 12.

præcedenti tum in conclusionibus, tum in responsionibus ad objecta. Ubi manifestè ostendimus, Principem sæcularem quemcunque, etiam Imperatorem, aut Regem nullum jus habere propria sua auctoritate, vel convocandi Concilium, vel in eo præsidendi, vel denique in fidei & morum controversiis suffragium vel sententiam ferendi, aut judicandi. Quò etiam provocamus.

237 Equidem, ut ibidem annotavimus, Princeps sæcularis, est *Dei minister*, eaque de causa gladium portat, *vindex in iram ei, qui malum agit* (x); Est legum Ecclesiæ, ac dogmatum Religionis custos, assertor, vindex, & protector, qui acceptam à Deo potestatem convertere maximè tenetur in præsidium, tutelam, & columen Catholicæ Ecclesiæ; at arbiter non est, nec Judex supremus controversiarum fidei. Ex illis quippe non est, quibus dictum fuit à Christo (y): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* (z) *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et quibus Apostolus Paulus dixit (a): *Attendite vobis, & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Princeps quidem interdum vocatur Episcopus exterior (b), non à spirituali Ordinis potestate, sed à cura, sollicitudine, protectione, qua res Ecclesiæ juvat ac promovet.

238 Distincti omninò sunt utriusque potestatis, spiritualis nempe & temporalis fines ac limites, nec una in aliam excurrere potest: non spiritualis in temporalem, non temporalis in spiritualem. *Nec te rebus misceas Ecclesiasticis*, scribebat olim Osius Episcopus Cordubensis ad Constantinum Imperatorem, *nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed à nobis potiùs hæc edifcas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodùm qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrabas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem.*

Sanctus quoque Ambrosius Ep. 21. aliàs 32. ad Imperatorem Valentinianum Juniorem: *Certè*, inquit, *si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare ..... si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit Sacerdotibus judicium .... Pater tuus vir maturioris ævi dicebat: Non est meum judicare inter Episcopos &c.* Addit insuper, Laicos, dum intra Palatium Constantii Imperatoris de sententia Episcoporum judicare voluerunt, meruisse in errorem incidere.

Ipsimet denique Imperatores agnovêre, sibi jus non esse de rebus fidei ac Religionis decernere. Constantinus Magnus, teste Eusebio (c), in Concilio Nicæno non priùs assedit, quàm Episcopi, ut sederet, annuissent, quo satis indicavit, se Concilio non præesse. Deinde finitò Conciliò scripsit Epistolam ad omnes Ecclesias, quam ibidem integram refert Eusebius, in cujus fine sic ait (d): 239

Quæ

(x) Rom. 13. v. 4. (y) Matth. 28. v. 19. (z) Joan. 20. v. 23. (a) Act. 20. v. 28.
(b) Apud S. Athanas. Epist. ad solitariam vitam agentes. (c) Lib. 3. de vita Constantini c. 10.
(d) Edit Valesf. pag. 494. B.

Quæ cùm ita ſint, cæleſtem gratiam & planè divinum mandatum libenter ſuſcipite. Quidquid enim in Sanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum eſt voluntatem.

Theodoſius Junior in Epiſtola ad Synodum Epheſinam (*e*): *Igitur*, inquit, *Candidianum Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: neque fas eſt enim, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe immiſcere.*

Valentinianus Imperator Epiſcopis rogantibus, ut eis permitteret celebrare Concilium in quo doctrina fidei rectè conſtitueretur, reſpondit (*f*), *ſibi, qui unus è Laicorum numero erat, non licere ſe hujusmodi negotiis interponere, ſed Epiſcopis ea curæ eſſe &c.*

Martianus Imperator L. Nemo. C. de ſumma Trinitate & fide Catholica: *Injuriam*, inquit, *facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, qui ſemel judicata revolvere, & diſputare contendat.*

Denique, ut alios miſſos faciamus, Baſilius Imperator in VIII. Synodo ſic loquitur (*g*): *De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè converſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hoc enim inveſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi, & ſolvendi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claves: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, ligari, vel à ligamento ſolvi egemus.* Addit ibidem, prædeceſſores ſuos Imperatores Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, & alios nusquam in Synodis ſubſcripſiſſe, niſi hos omnes Epiſcopos.

2do. Si Eccleſia ſeu Concilium non 240
eſſet ſupremus & infallibilis fidei controverſiarum Judex, tunc nullum eſſet in Eccleſia firmum judicium, quo eæ controverſiæ finiri poſſent atque unitas in eadem ſervaretur. Atqui hoc rationi ipſi ita repugnat, ut nihil magis. Ergo &c.

3tio. Si hujusmodi Eccleſiæ vel Con- 241
cilii Judicium ſupremum & infallibile non eſſet, omnes damnatæ dudum hæreſes in dubium revocari poſſent. Dicere e. g. poſſent Ariani, erraſſe Concilium Nicænum; Macedoniani, Conſtantinopolitanum; Neſtoriani, Epheſinum; Eutychiani, Chalcedonenſe; & ſic de cæteris. Atqui. Ergo &c.

4to. Nulla eſſet certitudo de iis ſacræ 242
Scripturæ libris, quos, quamvis antea dubiæ fuerint auctoritatis, ut ſunt ex veteri Teſtamento additamenta Eſther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæorum primus & ſecundus; Ex novo autem, Marci, Lucæ, Joannis Evangeliorum partes quædam, Epiſtola S. Pauli ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, Poſterior Petri; Primæ Joannis particula, ſecunda & tertia Joannis; Epiſtola Judæ, & Apocalypſis, tamen poſt Innocentii I. & Concilii declarationem velut ſacros & Canonicos ſuſcipimus. &c.

5to. Denique ſi Eccleſiæ aut Concilii 243
Oecumenici Judicium in rebus fidei ſupremum & infallibile non eſt, tunc quisque fidelis, quantumcunque plebejus ſit, antequam Trinitatis conſubſtantialitatem, Verbi incarnationem, aliaque Religionis Chriſtianæ myſteria credat, tenebitur in examen adducere definitiones, quæ de iis

(*e*) Tom. 1. Concil. c. 32. (*f*) Apud Sozom. lib. 6. c. 7. (*g*) Tom. 8. Concil. p. 1154.

iis articulis editæ sunt in Conciliis Oecumenicis quondam ab Ecclesia adversùs Hæreticos celebratis : ac proinde certò credere debebit, quòd veriùs ac saniùs de Scripturis, in quibus illa mysteria saltem implicitè continentur, judicare possit, quàm Patres, qui à Christo ad hæc usque Sæcula vixére : Atqui absurdissimum est hoc tueri, ut nemo non videt. Ergo &c.

241 Priusquam ad probandam secundam Conclusionis partem, qua dicimus Ecclesiam seu Concilium esse supremum & infallibilem Judicem etiam in facti dogmatici quæstionibus, notatum volumus, Quæstiones, quas Ecclesia suô judiciô definire valet, duplicis esse generis, nempe *Juris* & *Facti*. Quæstiones Juris apud Theologos dicuntur illæ, in quibus attenditur præcisè veritas aut falsitas doctrinæ in materia fidei vel morum sine ullo respectu ad Auctorem, qui illam doctrinam tradidit, aut ad librum, unde excerpta est; vel sunt eæ, quæ ex solo Jure Divino solvi possunt, id est, quæ ex S. Scriptura, vel Traditione, quibus Jus Fidei nostræ continetur, definiri ac decidi possunt, atque in his Ecclesiam seu Concilium supremum & infallibilem esse Judicem hactenus demonstravimus.

Quæstiones verò Facti eæ dicuntur, in quibus attenditur Auctor doctrinæ alicujus, vel liber, in quo ea continetur & unde excerpta est. Res exemplô illustratur : Si quæstio sit, num Christus sit Creatura aliqua, hæc *quæstio Juris* nuncupatur, eoquòd ex Jure divino, Scripturâ nempe & Traditione, resolvi possit. At si quæratur, num Arius docuerit Christum esse creaturam, est quæstio Facti, quæ non ex Scriptura & Traditione, sed ex ipsius Arii libris, vel dictis solvi debet. De ista quæstione nobis hîc duntaxat est sermo.

Circa quam ulteriùs notandum est, eam esse duplicis generis; alia enim quæstio facti personalis, in qua de personis tantùm agitur; de qua hîc nobis nullus sermo, ultrò enim fatemur, in iis interdum Ecclesiam seu Concilium errare posse, cujus manifestum nobis suppeditat argumentum historia trium Capitulorum, de qua supra in Concilio VI. Oecumenico disseruimus. Quamvis enim Theodorus Mopsuestenus, Theodoretus Cyrensis, & Ibas Edessenus suspecti de Nestoriana hæresi à Concilio Oecumenico IV. Chalcedonensi absoluti & in Communionem recepti fuissent; tamen postmodùm in supra memorato Concilio VI. Oecumenico & Constantinopolitano II. eorum memoria damnata fuit.

Alia autem est quæstio Facti, dogmatici nempe, in qua agitur vel de auctoritate alicujus doctrinæ in materia fidei & morum, vel de libro, in quo doctrina illa continetur, vel de sensu proprio propositionis alicujus ex libro Auctoris cujusdam desumptæ : de hacce ergo controversia est, num in ea solvenda Ecclesia infallibilis sit necne. His prælibatis

(*b*) Prob. 2da Pars Conclusionis nostræ. 1mo. Ex sacra Scriptura : Matth. ult. v. 19. &c. hisce Christus Apostolos suos alloquitur : *Euntes docete omnes gentes . . . . docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis, & ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem Sæculi.* Item Joan. 14. v. 16. & 17. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum, Spiritum veritatis.* Manifestum est, hisce textibus Christum Ecclesiæ promisisse infallibitatem cùm in rebus ad fidem pertinentibus docet fideles. Atqui Ecclesia seu Concilium, cùm definit facta dogmatica, 242

(*b*) *Vid. inf.* Exercit. 15. n. 264. & seq.

gmatica, seu fidelibus libri alicujus textus ut orthodoxos vel hetorodoxos proponit, eos docet de re aliqua ad fidem pertinente; ut patet. Ergo &c.

243 Prob. 2do ex praxi Ecclesiæ, quæ semper sibi infallibilem auctoritatem vindicavit & exercuit in decidendis factis dogmaticis. 1mo. Concilium Ephesinum Oecumenicum Act. 1. Epistolam Cyrilli ad Nestorium velut orthodoxam approbat, Nestorii verò tanquam heterodoxam reprobat, atque, ut eam omnes damnent, sub anathemate præcipit.

2do. Idem factum est à Concilio Chalcedonensi; ipseque Theodoretus, quamvis generatim cuilibet hæretico anathema diceret, tamen à Concilio tamdiu pro Hæretico & Nestoriano habitus est, donec Nestorium ipsum, & Scripta ejus damnasset.

3tio. Concilium Oecumenicum V. anathema dicit iis, qui Arium, Eunomium, Macedonium &c., unà cum scriptis eorum non anathematizaverint.

4to. Concilium Romanum sub Martino I. anathema dicit iis omnibus, qui animo & ore non damnaverint omnes Hæreticos & eorum Scripta, prout damnantur ab Ecclesia Catholica.

5to. Annô circiter 400. Anastasius Papa damnavit Origenis errores unacum libris ipsius. Idem præstitère Synodus Oecumenica V. Collat. 8. Sexta generalis Act. 17. & 18. Septima denique Act. 1. 3. & 7.

6to. In Alexandrina Synodo damnatur Nestorius unacum Scriptis suis, & Joannes Antiochenus nonnullique alii Episcopi, qui ei, quòd illum crederent Orthodoxum, favere videbantur, non priùs ad communionem recepti fuerunt, quàm eum absolutè unacum ipsius de Christo sermonibus, & Scriptis damnassent. &c. Atqui si Ecclesia seu Concilium in decidendis Factis dogmaticis non esset infallibilis, non posset sub æternæ damnationis comminatione obligare fideles, ut hujusmodi à se emanatis decisionibus, & definitionibus præberent assensum. Sic enim graviter erraret, proponendo fidelibus doctrinam aliquam, tanquam fidei, de qua tamen dubium esse posset, num vera esset necne.

Idem passim tuentur SS. Patres, quorum testimonia hîc adducere supervacaneum arbitramur.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 244
1mo. Quia juxta omnes Ecclesia est infallibilis in approbandis Scriptis & textibus alicujus Auctoris. Sic e. g. Ecclesia est infallibilis in approbandis iis, quæ S. Augustinus de Gratia contra Pelagianos scripsit. Ergo etiam est infallibilis in proscribendis Scriptis & textibus alicujus cujuscunque demum Auctoris. Qua enim ratione quis dicet, eam esse magis infallibilem in approbandis, quàm reprobandis Auctorum textibus & Scriptis? an fortè textus seu Scripta Auctorum, quæ Ecclesia judicat hæretica minùs perniciosa sunt ad corrumpendam fidem, quàm textus seu Scripta orthodoxa sint salutaria ad eam confirmandam?

2do. Quia, ut ait Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 14. obligamur sub anathematis pœna credere Ecclesiæ in omnibus. *Quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18. v. 17. Et Concilia omnia dicunt anathema non assentientibus Ecclesiæ Decretis. Atqui iniquum esset, sub tam gravi pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis.

3tio. Quia Ecclesia jus habet censuram ferendi in libros. Ergo eô ipsô potest judicare, an liber quidam contineat sanam doctrinam necne.

4to. Quia nisi Ecclesia infallibiliter Facta dogmatica decidere valeret, tunc pascua salubria à noxiis discernere non posset, nec formam servare sanorum verborum, profanas vocum novitates devitare, &c.

 5to. Quia

5to. Quia aliàs tutò quisque omnes, quotquot hactenus extitère, Hæreticos, eorumque libros & sententias contra Ecclesiæ definitiones tueri posset, quod asserere profectò impium est. Ergo concludendum, Ecclesiam seu Concilium supremô & infallibili judiciò de Factis dogmaticis decernere posse.

245 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra primam partem Conclusionis Sacerdotes omnes veteris Testamenti sæpè accusantur non solùm improbitatis, sed etiam ignorantiæ & erroris Isai. 56. v. 10. & 11. Jerem. 6. v. 13. Ezech. 22. v. 25. Osee 9. v. 8. &c. Ergo etiam Concilia ex hujusmodi hominibus conflata possunt errare, consequenter non sunt infallibilia &c.

Resp. neg. cons. Quæ Prophetæ de Sacerdotibus iniquis veteris Testamenti privatim & separatim sumptis edixerunt, ineptè trahuntur ad Sacerdotes in unum congregatos & Concilium facientes; nam ad hujusmodi Sacerdotum Concilium omnes mittuntur, Deut. 17. v. 8. Ineptiùs adhuc transferuntur ad Sacerdotes novi Testamenti præsertim in Concilio congregatos: certiores enim & majores Dei promissiones habet Ecclesia, quàm Synagoga, non enim Synagogæ, sed Ecclesiæ dictum est, *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. 16. v. 15. *Eam esse columnam veritatis &c.* Denique frequentissimum est in sacris litteris, ut propter aliquos malos omnes reprehendantur, & propter aliquos bonos laudentur omnes, quò videlicet vehementior sit tum vituperatio, tum laudatio. Unde patet objectio minime esse ad rem.

246 Ob. 2do. 2. Pet. 2. v. 1. Act. 20. v. 29. & Matth. 24. v. 24. Prædicatur, falsos Doctores, & Pseudo-Prophetas atque lupos rapaces futurós in Ecclesia novi Testamenti, sicut olim in veteri Testamento reperti sunt. Atqui hujusmodi falsi Doctores possunt etiam esse Episcopi in Concilio congregati. Ergo &c.

Resp. conc. Maj. & neg. min. Quod de Pseudo-Prophetis, lupis rapacibus &c. in adductis Scripturæ locis prædicitur, intelligendum est de Hæreticis & Novatoribus nostris; non verò de Pastoribus seu Episcopis in unitate fidei Catholicæ persistentibus. Tantumque abest, ut de Conciliis Episcoporum intelligi debeant aut possint ea loca, quæ monent, ut à falsis Prophetis caveamus, quin potiùs ideo Concilia fiant, ut falsi Prophetæ detegantur, & confutentur, & tanquam lupi rapaces ab ovili Christi procul arceantur.

Ob. 3tio. S. Gregorius Nazianzenus Epist. 55. ad Procopium: *Ego*, inquit, *si vera scribere oportet, ita animô affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quàm accessionem & incrementum habuerit.* Ergo hic S. Pater Concilia nedum inutilia, sed omninò errori obnoxia atque ad augenda mala quàm avertenda potiùs apta judicavit. 247

Resp. neg. cons. S. Gregorius hîc loquitur de Conciliis, quæ sua ætate, & inter Concilium I. & II. generale celebrata fuère Arianis faventia, qualia fuère Seleuciense, Tyriense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense &c. Quorum proinde non faustum fuisse exitum conqueritur. Aliunde autem certum habemus, eum legitima Concilia magni fecisse; nam Concilium Nicænum I. summis laudibus commendat (*i*), & Constantinopolitani I. Oecumenici II. adversùs Macedonium pars maxima ipse fuit.

(*i*) Hist. Tripartita lib. 9. c. 9.

fuit. (*k*) Viderat autem Concilia quædam particularia duntaxat, aut à Sede Romana neutiquam confirmata, & ab universa Ecclesia, velut Conciliabula, rejecta, in quibus Ariana factio prævaluerat: de istis igitur loquitur in citata Epistola, non de legitimis & verè Oecumenicis. Confirmatur Responsio ex Basilio, qui eodem tempore floruit, id est, post primum, & ante secundum Concilium; atque Epist. 52. ad Athanasium dicit, videri sibi impossibile, ut eo tempore fieret legitimum Concilium, & ideo oportere scribi ad Romanum Pontificem, ut ipse sua auctoritate irritaret Acta Concilii Ariminensis.

248 Ob. 4to. S. Augustinus lib. 2. aliàs 3. contra Maximinum cap. 14. ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris, &c.* Et lib. 2. de Baptismo cont. Donatist. cap. 3. asserit, *Concilia priora posterioribus emendari posse.* Ergo Concilia haud infallibilia censuit &c.

Resp. neg. conf. Primò locò Augustinus non vult dicere, Maximinum nullo modo teneri auctoritate Concilii Nicæni, sed non teneri in illa disputatione, qua Augustinus id promittebat: quia enim Maximinus Concilio Nicæno opponebat Concilium Ariminense, nec Augustino videbatur tunc operæ pretium tempus consumere in ostendendo, Concilium Nicænum fuisse legitimum, Ariminense verò illegitimum, cùm haberet commodiora ex sacra Scriptura, & Traditione argumenta, quibus eum convinceret, ait: nunc nec ego hujus, nec tu illius auctoritate detineris, id est, non cupio nunc, ut detineamur Conciliorum auctoritatibus; omittamus Concilia, & ad Scripturas veniamus. Quanti autem fecerit S. Augustinus Nicæni Concilii auctoritatem, demonstrant hæc ipsius verba locô citatô: *hoc est*, inquit, *illud Omousion, quod in Concilio Nicæno adversùs hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate & auctoritatis veritate firmatum est &c.*

Ad 2dum locum ex eo adductum Resp. 1mo. Hîc fortè loqui Augustinum de Conciliis illegitimis, quæ procul dubio ab aliis posterioribus emendari possunt, ac debent. Resp. 2do. Hîc non aliud velle S. Augustinum, quàm quòd Concilia Oecumenica priora per posteriora emendari possint in quæstionibus Factorum personalium, in quibus ea falli posse omnes concedunt, non Juris. Et profectò videtur, hîc ipsi de hujusmodi Factis personalibus quæstionem fuisse, agebatur enim præcipuè de Cæciliano, num videlicet sacrorum Librorum traditor esset nec ne. (*l*) 3tio. Quòd si contendant Adversarii, eum loqui de universalibus quæstionibus, Resp. Concilia priora emendari per posteriora, quoad præcepta morum & disciplinæ, *quando nempe*, ut ibidem ait, *experimentô aliquô aperitur, quod clausum erat*; non verò quoad dogmata fidei; præcepta morum enim & disciplinæ mutari possunt, nunquam autem fidei dogmata, quod neutiquam ignoravit S. Augustinus.

Ob. 5to. Leo I. Papa Epist. 53. ad Anatholium, & 54. ad Martianum, & 55. ad Pulcheriam, agnoscit Chalcedonensem Synodum legitimam fuisse, & tamen non dubitat, ei attribuere ambitionem 249

(*k*) Id patet ex subscriptione, & oratione, quam habuit ad 150. Concilii istius Patres.

(*l*) Præceperant Imperatores Ethnici Christianis sub pœna capitis, ut sacros suos libros, Scripturæ nempe codices, traderent igne comburendos; qui proinde metu pœnæ eos tradidisse deprehensi fuerant à Christianis, ex Ecclesia ejiciebantur &c.

bitionem & inconſultam temeritatem. Ergo putabat legitimum Concilium poſſe errare.

Reſp. neg. conſ. Concilium legitimum in rebus fidei & in iis quæ legitimè agit, errare non poteſt; benè autem in iis, quæ illegitimè factitat, circa quæ proinde legitimi Concilii nomen non meretur. Patres quidam Concilii Chalcedonenſis diremptò jam Conciliò, & abſentibus Sedis Romanæ Legatis Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis fraude per occultam conſpirationem tres Canones adjunxerunt, (*m*) Romano Pontifici & Antiochenæ necnon Alexandrinæ Sedibus Patriarchalibus injurioſos & Nicæni Concilii Conſtitutioni contrarios: eos improbat, ac præcipuè 1mum, quo etiam Epiſcopus Conſtantinopolitanus Alexandrino & Antiocheno anteponebatur, Leo tanquam à privatis quibusdam Antiſtitibus Concilii Actis inſertos, non velut ab ipſo Concilio emanatos.

250 Ob. 6to. Iſidorus apud Gratianum diſt. 50. Can. *Domino ſancto*, aſſerit, cùm Concilia inter ſe diſſentiunt, ſtandum eſſe Antiquioribus, magisque probatis, contra S. Auguſtinum, qui, ut ſupra vidimus, poſteriora prioribus anteponit. Ergo Iſidorus cenſuit Concilia aliquando inter ſe pugnare, & proindè aliqua eorum errori eſſe obnoxia; ſi aliqua, tunc omnia.

Reſp. 1mo. Exigui momenti apud omnes eruditos eſſe Gratiani auctoritatem, ut qui multa falſa, velut Patrum effata, ſuo libro ſeu Decreto inſeruit; unde & nos hunc textum Iſidori eſſe negamus, donec nobis ex ipſo ille oſtendatur.

Reſp. 2do. Dato, id Iſidorum edixiſſe, profectò, prout ex Gratiano liquet, loquitur de Conciliis, *quorum non eſt certa auctoritas*, quæ videlicet non ſunt à Romano Pontifice expreſsè confirmata, quæ inter ſe pugnare, & errare poſſe, non negamus.

Neque in hoc S. Auguſtino contradicit Iſidorus, nam iſte loquitur de fidei doctrina, ille verò de quæſtionibus Facti, vel morum ſeu diſciplinæ præceptis.

Ob. 7mo. Idem Gratianus in ſuo De- 251
creto de Conciliis agens hunc titulum habet: *Concordantia Diſcordantiarum.* Ergo ſibi invicem repugnare Concilia reputat.

Reſp. neg. conſ. Loquitur ibi de diſcordantiis *apparentibus* duntaxat, non veris; ſi enim veræ eſſent, concordari utique non poſſent.

Ob. 8vo. Idem Gratianus Diſt. 18. 252
Can. 1. ait: Concilia Epiſcopalia eſſe invalida ad definiendum, & conſtituendum, non autem ad corrigendum. Ergo cenſuit ea non eſſe in fidei deciſionibus ſuis infallibilia.

Reſp. neg. conſ. Si de Oecumenicis Conciliis ſit ſermo. Gratianus non quælibet Concilia vocat Epiſcopalia, ſed ea duntaxat quæ ſunt *Provincialia*, hæc nempe ſunt apud ipſum Epiſcopalia, in quibus nempe Epiſcopi ſoli, non verò Archiepiſcopi aut Patriarchæ conveniunt: hujusmodi autem Concilia ordinariè non inſtituuntur ad dogmata fidei conſtituenda; id enim proprium eſt Conciliorum generalium; ſed tantùm ad reſtituendam diſci-

(*m*) 1mus. Ut in poſterum Eccleſia Conſtantinopolitana pari cum Romana privilegiò & dignitate præfulgere deberet &c. 2dus. Ut Epiſcopi dignitate moti, ſi juſta cauſa fuerit, etiam Sacerdotii gradu excidant; ſi verò juſta cauſa non fuerit, utrumque retineant. 3tius. indulget Epiſcopis ſuas ad Epiſtolam S. Leonis, & ad præſentis Synodi decreta ſubſcriptiones differre, donec Sedi Alexandrinæ per Dioſcori abdicationem vacanti novus fuerit proviſus Epiſcopus &c.

disciplinam Ecclesiasticam, & mores constituendos. Itaque *ex se* & *ordinariè* invalida sunt ad constituenda fidei dogmata; si tamen aliqua urgente necessitate definiant aliquid de fide, & eorum decretum à Sede Apostolica approbetur, nihil obstat, quò minùs valida esse possint.

253 Ob. 9no. Multa Concilia Oecumenica in suis fidei & morum decisionibus errorem protulerunt. Ergo non sunt infallibilia.

Ant. prob. inductione Conciliorum illorum. 1mo. In ipso Concilio Apostolorum, quod Jerosolymæ celebrarunt, sibimet ipsis contradicunt Apostoli: decernunt quippe ex una parte, Gentiles ad fidem conversos non subjiciendos esse Legi Moysis: ex altera verò necessitatem ipsis imponunt abstinendi à sanguine suffocato, quæ lex Judæis fuerat imposita Genes. 9. v. 4.

2do. Vox *Consubstantialis* qua unâ fides orthodoxa exprimitur, rejecta fuit à Concilio Antiocheno annô 272. à Nicæno autem annô 325. consecrata. Posteà ab Antiocheno altero annô 341. à Syrmiensi annô 351. ab Ariminensi annô 359. & à Constantinopolitano an. 360. rejecta & proscripta fuit.

3tio. An. 449. Concilium Ephesinum Eutychetis doctrinam approbavit, quam postea annô 454. Chalcedonense anathemate perculit.

4to. Concilium generale Nicænum Can. 12. damnat & improbat Christianos, qui armis seu militiæ sæculari nomen dant, cùm tamen nec Christus, nec Apostoli, nec S. Joannes Baptista Luc. 3. v. 14. eos damnaverint.

5to. Definitio Concilii Oecumenici V. an. 553. celebrati, & à Papa Vigilio confirmati à plurimis Occidentalibus Ecclesiis acceptata non fuit, nec tamen propterea communione privatæ fuerunt.

6to. An. 730. & 755. in duobus Conciliis Constantinopolitanis rejectus fuit cultus sanctarum Imaginum. Contrà, annô 781. in Concilio Nicæno II. approbatus. Quod tamen Concilium in Synodo Francofordiensi an. 794. plane improbatum fuit, cultusque sacrarum Imaginum denuò explosus.

7mo. Annô 694. in Concilio Quinisexto, quod Constantinopoli in Trullo celebratum est, plures editi sunt Canones, quos Romana Ecclesia rejecit.

8vo. In Concilio Lugdunensi annô 1245. erravit Ecclesia, dum sibi auctoritatem arrogavit deponendi Fridericum secundum Imperatorem, re vera enim talem auctoritatem Christus suæ Ecclesiæ non concessit.

9no. Concilium Constantiense annô 1414. & Basileense annô 1431. definierunt Concilium esse supra Papam: at dogma hoc rejectum fuit à Conciliis Florentino sub Eugenio IV. & Lateranensi sub Leone X. Necnon à plerisque Theologis impugnatur.

10mo. Ipsum Tridentinum nec à Græcis, nec etiam à multis Occidentis Ecclesiis receptum est. Hæc autem omnia non possunt facilè componi cum idea infallibilis & supremæ auctoritatis, quæ Ecclesiæ affingitur. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Ad illius probatio- 254
nes dicimus: ad 1mam. Id sapienter ab Apostolis statutum fuit, ut nempe præcipuâ quadam notâ Christiani distinguerentur à Paganis, quibus solemne erat vesci sanguine & suffocatis, non tantùm causâ nutritionis, sed etiam Religionis, ita ut usus ille sanguinis & suffocatorum certissimum esset ac velut inseparabile signum Paganismi, ut præter Tertullianum in Apologet. c. 22. & de Idolol. c. 24. Origenem contra Celsum lib. 8. observat Porphyrius Ethnicus de abstinentia lib. 2. §. 42.

Ad

Ad 2dam. Dicimus, Antiochenam Synodum cum Nicæna universali non pugnare circa sensum orthodoxum hujus vocis *Homousios*. Ad sensum nempe Pauli Samosateni, qui, secundùm creatæ substantiæ modum, per divisionem & partitionem Filium Patri consubstantialem dicebat, eam damnavit Synodus Antiochena; & meritò, cùm unica sit in tribus Divinis Personis essentia seu substantia. At verò Nicæna adversùs Arium, qui negabat Filium esse ejusdem cum Patre Naturæ seu substantiæ, meritò definivit, Filium esse Patri Consubstantialem (*Homousion*) eamque vocem, quâ solâ omnes Arianorum astutiæ ac doli elidebantur, consecravit. Ubi nulla apparet utriusque Synodi contradictio.

Quod Ariminense Concilium spectat, à quo suppressa fuit vox *Homousios*, dicimus, quamdiu liberum fuit, & verè Oecumenicum, tamdiu ab eo retentam fuisse fidem Nicænam, vocemque *Homousios*; & nonnisi dolis & fraudibus Arianorum deceptos Episcopos, atque tædio exilii, & diuturnæ à suis Ecclesiis absentiæ, imò minis sibi intentatis victos, tandem consensisse suppressioni hujus vocis *Homousios*, ratos, nihil, eâ etiam suppressâ, periculi fidei imminere; *Non erat cura Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto*, inquit S. Hieronymus. (*n*)

Quod additur de altero Antiocheno Concilio, ut & de Syrmiensi, & Constantinopolitano, à quibus vox eadem supressa est non modò, sed etiam damnata, minimè facit ad nostrum propositum; tum, quia particularia hæc fuere Concilia non verò Universalia, de quibus unicè hìc nobis est sermo; tum, quia nullus ignorat, in iis prævaluisse Arianos, ad quorum arbritrium omnia peragebantur; tum denique, quia ab omnibus Catholicis improbata semper fuerunt & rejecta.

Ad 3tiam dicimus, Ephesinam hanc Synodum Conciliabulum fuisse, quod passim Latrocinium Ephesinum nuncupatum est; in quo vi & armis Dioscorus Alexandrinus Episcopus omnia jura subvertit, Flavianum Constantinopolitanum Patriarcham interfecit, Romanum Pontificem excommunicavit, Legatos ipsius fugavit, Episcopos inauditos condemnavit, Orthodoxos non admisit, ipsam Eutychetis hæresim approbavit, & confirmavit. Immeritò ergo illud nobis objiciunt Adversarii.

Ad 4tam. Canon Nicænus intelligendus est de lapsis pœnitentibus, qui, cùm amore pietatis, & pro pœnitentium more cingulum militiæ deposuissent, cæterisque publicis officiis ac muniis renuntiassent, abjecto pœnitentium statu, facultatem ea munia denuò assumendi oblatâ pecuniâ redimebant. Tales ignavos, ac voti sui immemores meritò damnat Canon Nicænus, non verò alios.

Ad 5tam dicimus, in Concilio V. Oecumenico de personis duntaxat, factisque personalibus actum fuisse, non de fidei rebus, ut ipse S. Gregorius Magnus testatur. (*o*) Ecclesiam autem in iis, quæ fidem aut Religionem haud spectant, non omninò esse infallibilem, constans est omnium Theologorum sententia. Inde factum, ut, cùm multi Occidentis Episcopi arbitrati sint, licèt immeritò, Synodum hanc in damnatione trium Capitulorum deceptam fuisse, illam initiò recipere noluerint, quo superdeinde veritatem edocti, illam postmodùm susceperunt. Errore

(*n*) Dial. adv. Luciferianos. (*o*) Lib. 3. Ep. 37. ad Constantium Mediol. Episc.

rore igitur facti laborantes hi Occidentis Episcopi Concilio aliquamdiu obstiterunt. Quodsi ab errore illorum, qui Conciliis obsistunt, argumentum adversùs Ecclesiæ auctoritatem petere fas est, tunc evacuari oportebit omnium Conciliorum, & eorum etiam, quæ ab Adversariis admittuntur, auctoritatem omnem; cùm nulla sint, quibus aliqui, præsertim illi, quorum errores ibidem damnati fuerunt, non restiterint.

Adde, quòd dubitaverint hi Occidentis Episcopi, an hæc V. Synodus esset Oecumenica, eoquòd Vigilius Papa eidem nec per se nec per suos Legatos præsedisset, necnon primùm post minas, tetrique ac diuturni carceris squalorem ei subscripsisset.

Ad 6. dicimus, hæc Constantinopolitana Concilia adversùs Ss. Imagines celebrata nusquam à Catholicis pro veris & Oecumenicis, sed pro spuriis ac reprobatis semper habita fuisse, & ab Oecumenico VII. Nicæno II. expressè damnata. Nec ulla hìc reperitur pugna, nisi quæ inter errorem, & veritatem intercedit.

Francofordiensis verò Synodus Oecumenica non fuit sed particularis duntaxat. Quæcunque ergo fuerit illius sententia, ad præsentem rem non facit; enimverò Synodi omnes siveparticulares sint, sive universales, nisi ab universa Ecclesia receptæ sint, & à Romano Pontifice confirmatæ, vim fidei divinæ non obtinent.

Adde, quòd errore facti laboraverint Patres Francofordienses, arbitrati à Patribus Concilii Oecumenici VII. eundem cultum attributum fuisse Ss. Imaginibus ac Deificæ Trinitati, cultum Latriæ scilicet; necnon ignorarint, an Oecumenica esset illa septima Synodus, & à Romano Papa Adriano confirmata, cujus sententiæ subscribere paratos se esse declarabant.

Ad 7. Eadem est Responsio, quæ ad priorem, Trullanam hanc Synodum vide-licet ab Ecclesia Romana fuisse rejectam, quamvis nonnullos ejusdem Canones suis moribus congruentes approbaverit.

Ad 8. Respond. Non esse rem fidei, an Ecclesia possit Reges & Imperatores &c. ob crimina amovere, sed disciplinæ: unde ad propositum nihil facit objectio. At hac de re plura, ubi de summo Pontifice agemus, nempe Cap. 5to.

Ad 9. Concilium Constantiense Decretum suum, quo definivit Concilium esse supra Papam, ad Schismatis calamitatem restrinxit, ubi nempe Papa dubius est. Plerique præterea Doctores contendunt, minimè conciliariter factam fuisse hanc definitionem, proinde non esse Concilii alicujus Oecumenici, prout infra Cap. citatô fusiùs demonstrabimus.

Basileense Concilium autem, quamdiu legitimo Papæ adhæsit & obedivit, legitimum fuit; at ubi ab eo recessit, tum in Latrocinium degeneravit.

Ad 10. Concilium Tridentinum in iis, quæ fidem spectant, ab omnibus Orthodoxis Ecclesiis susceptum est &c.

Ob. 10mo. Si Concilia Oecumenica sunt infallibilia, atque, in definiendis fidei & Religionis quæstionibus, à Spiritu sancto diriguntur; tunc sequitur, ea esse paris cum S. Scriptura auctoritatis. Sequela est absurda, & ab omnibus Theologis exploditur. Ergo &c. 255

Resp. Neg. Sequelam Maj. Ratio est 1mo. Quia Scriptoribus sacris nova semper affulsit revelatio, non autem Episcopis Synodicè congregatis, quibus Spiritus sanctus assistit duntaxat, ne à vero deflectant, in detegenda & exponenda veritate revelata. 2do. Quia Scriptores sacri non debuerunt multùm laborare in suis libris edendis, satis enim fuit ipsis, cùm vaticinia sua scriberent, vel dictarent, ad summum revocare in memoriam, quæ viderant, vel audiverant, & verba cogitare, quibus ea scriberent, si histo-

historias, aut Epistolas, vel aliquid simile scriberent. At verò Patres in Conciliis debent rem ipsam quærere, id est, Conclusiones investigare disputando, legendo, cogitando; cùm sacri Scriptores soli Deo tribuerent ea omnia, quæ scripserunt, unde tam crebrò repetebant Prophetæ illud, *Dicit Dominus.* 3tio. Quia Scriptores sacri ne in minimis quidem errarent à Spiritu sancto regebantur; at Episcopis Synodicè congregatis, quamvis in fidei & morum definitionibus infallibiles omninò sint, in aliis tamen errare possunt.

256 Inst. S. Gregorius ait: *Se quatuor prima Concilia suscipere, ac venerari sicut quatuor Evangelia.* Ergo arbitrabatur ea esse paris cum S. Scriptura auctoritatis.

Resp. Neg. conf. Illud *sicut* S. Gregorii sonare similitudinem non æqualitatem, quemadmodùm illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester in cœlis perfectus est.* Vel, si æqualitatem significat, dicimus, non comparari à S. Gregorio Concilia cum Evangeliis in omnibus, sed tantùm in ipsa certitudine eorum, quæ in Scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur; cùm enim utraque sint infallibilis veritatis, æquè certa dici possunt.

257 Ob. 1mo. Nullum fructum ex Concilii definitionibus percipere possumus, nisi certò nobis constet, definitiones illas esse Concilii legitimi & Oecumenici; Episcopos in eo congregatos omnem humanam industriam adhibuisse in veritate perscrutanda; libera fuisse eorum suffragia; ac juxtà Scripturam, Traditionem, & Ecclesiasticas regulas sine ullo perturbato animi affectu, ex uno veritatis amore formandis Decretis allaborasse; veram proinde, ac sinceram fidem in corde habuisse, verè esse baptizatos, & ordinatos. Atqui nullâ profectò viâ id certè cognosci potest. Ergo &c.

Resp. Neg. min. & dicimus, id fide humana certò cognosci posse, quemadmodùm ex eadem fide humana facta historica recipimus, quæ nemo cordatus in dubium revocare audeat. Iis enim, qui Concilio præsentes adsunt, evidens esse potest, sine ulla alia probatione, illud esse legitimum. Vident enim convenisse in unum Episcopos, qui habentur ab omnibus tanquam veri Episcopi, eosque convenisse ex variis provinciis, & vocatos esse ab eo, qui habet auctoritatem; & si quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre possunt. Posteris autem, vel absentibus idipsum notum est humanæ fide, & quidem certissima, quæ evidentiæ naturali comparari potest, quippe quæ tot omnium ætatum testimoniis fulta est, ut nihil prorsùs dubitationis in animis nostris relinqui possit. Neque necesse est, ut sciamus, Episcopos, qui ad Concilium conveniunt, habere veram fidem, veramque ordinationem, sed satis est, si de contrario non constet. Nam etiamsi Summus Pontifex, & omnes Episcopi, quod fieri non posse credimus, qui ad aliquod Generale Concilium ab ipso Summo Pontifice vocantur, essent corde hæretici, & sola externa professione Catholici, nec verè accepissent invisibilem sacri Ordinis characterem, sed nudam duntaxat manuum impositionem, tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi Concilium in suis Decretis formandis erraret: assistit enim Concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quàm propter ipsam Ecclesiam universam, quæ divinô præceptô tenetur Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erret universa Ecclesia, Divina fecit providentia, ut etiam Concilium illud fictorum, qui per impossibile supponuntur, Episcoporum, vellet nollet, verissimam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret. Quæ, ut diximus, hypothesis tamen videtur, & re vera est impossibilis, quia Deus, cui Ecclesiæ suæ salus curæ omninò est, quique omnia suaviter disponit, nunquam permittet, ut in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi, aut omnes aut

aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici.

258 Ob. 12mo. Infallibilem esse Ecclesiam probamus ex Scriptura; & vicissim Scripturam esse verbum Dei, probamus ex Ecclesia. Atqui hoc est circulus vitiosus, & petitio principii. Ergo &c.

Resp. Neg. min. Ut vitiosus sit circulus in quodam ratiocinio, oportet, ut duæ propositiones sint æquè ignotæ, atque se ipsas eodem modo, seu in eodem causæ genere mutuò demonstrent. At non ita fit in præsenti ratiocinio: Nam 1mo. istæ propositiones, Ecclesia est infallibilis, & Scriptura, quæ id declarat, est Verbum Dei, non sunt æquè ignotæ: prior enim immediatiùs notior est per motiva credibilitatis scilicet, seu splendidos illos characteres, quibus vel minimùm attendenti manifestè apparet Ecclesiæ auctoritas, & veritas; qua semel adepta facile est devenire in cognitionem revelationis seu Scripturæ. Necessariam enim esse aliquam Ecclesiæ auctoritatem, qua ad credendum inducamur, vix ullus Adversariorum negat; ex quo proinde facile est, eidem Ecclesiæ Scripturam talem velut Verbum Dei proponenti assentire; in qua Scriptura subinde deprehendimus promissam Ecclesiæ infallibilem auctoritatem. Probatur à priori igitur Ecclesiæ infallibilitas per Scripturam, tanquam per rationem formalem motivam; & veritas Scripturæ velut à posteriori probatur per auctoritatem Ecclesiæ, tanquam per regulam vivam & animatam, atque causam ministerialem intermediam; eodem ferè modò, quo in Physicis causa instrumentalis non influit in effectum nisi virtute causæ principalis; & in Moralibus auctoritas e. g. Regis proposita per auctoritatem Magistratûs ab ipso instituti sic me movet ad obediendum, ut neutra moveat sine altera; non enim obedio Magistratui, nisi quia Rex, à quo ille institutus est, per illum suam voluntatem nobis proponit; nec obedio Regi; nisi prout ejus voluntas innotescit mihi per Magistratum Ministrum suum.

Ob. 13tio. In moribus & disciplina errare potest Ecclesia. Ergo &c. 259

Prob. ant. 1mo. Quia nihil à Catholicis fide certa creditur, quod non sit revelatum. Atqui hanc vel illam disciplinæ rationem inducendam esse v. g dandam, vel denegandam esse infantibus Eucharistiam, eam Laicis sub una vel duplici specie concedendam esse, revelatum non est. Ergo &c.

2do. Sanctorum Canonizatio & cultus publicus, quo eos prosequuntur Catholici, ad mores haud dubiè pertinent. Atqui Ecclesia in eo judicio, quo declarat, talem hominem Sanctis esse adscriptum, & consequenter publico cultu honorandum, falli potest; quippe quod pendet ex hominum testimoniis fallibilibus. Ergo &c.

3tio. Ordinum Religiosorum institutio ad mores spectat, atqui quidam inutiliter & noxiè fuère ab Ecclesia approbati, ut Ordo Templariorum, & Humiliatorum, quorum prior in Concilio Viennensi; alter verò tempore S. Caroli Borromæi ab Ecclesia extinctus est. Ergo &c.

4to. Recitatio Breviarii seu Officii Ecclesiastici Breviariô contenti ad mores, & cultum publicum pertinet. Atqui in eo multa falsa & apocrypha facta referuntur. Ergo &c.

Resp. ad argumentum Dist. ant. Ecclesia errare potest in moribus & disciplina quoad ea, quæ ad salutem omninò sunt necessaria, & toti Ecclesiæ communia, Neg. ant. Deus enim in necessariis nunquam Ecclesiæ deest, & quibus dedit pascendi auctoritatem, iisdem & donum indulsit discernendi bona pascua à malis & venenatis, ne error Pastorum fiat omnium fidelium. Quoad ea, quæ non toti Ecclesiæ communia sunt, sed ad privatos homines & Ecclesias referuntur, ut sunt facta merè personalia, & historica, quo-

rum veritas ex hominum testimonio pendet, Conc. ant. *In his enim Judicium Ecclesiæ*, prout ait Innocentius III. apud Melchiorem Canum de Loc. Theolog.c. 5. q. 5. *nonnunquam sequitur opinionem, quam & fallere sæpè contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.*

Ad ea, quæ probationis locô adducuntur Resp. & quidem, Ad 1mum. Revelatum quidem non est, hanc vel illam disciplinam, vel praxim statuendam esse; at verò revelatum est, Ecclesiam in generali morum disciplina statuenda errare non posse, eique esse ab omnibus obtemperandum, nisi tanquam Ethnici, & Publicani haberi maluerint.

Ad 2dum. Deus peculiariter Ecclesiæ providet, ne illa, quantumlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Multum quippe refert ad communes Ecclesiæ mores scire, quinam Religione sint colendi. Hujus peculiarissimæ Dei providentiæ abundè magnum argumentum est, quòd nunquam infirmata sit fides ab humanis testibus semel in hujusmodi Judiciis suscepta; prout tamen in causis civilibus sæpè evenit. Quæ si singula non movent, universa tamen simul & inter se connexa atque conjuncta certè movere debebunt; adeò ut fidem in his Ecclesiæ detrahere prorsùs temerarium & irreligiosum, imò penè hæreticum sit.

Adde, quòd, & si fortè in decernendo cultu alicui homini, & qui talis re ipsa non est, decipi Ecclesiam fas esset, non minùs tamen vera esset ejus publica ac generalis doctrina, qua docet honorandos esse Sanctos: error enim ille facti esset, non juris & dogmatis.

Ad 3tium. Dicimus, Ordines probare vel refellere, quoniam non ex scientia solùm, sed etiam ex prudentia pendet, non pertinere ad ea, in quibus Ecclesia errare nequit. Et verò ad publicam omnium fidelium salutem non pertinet Ordinum Religiosorum institutio. Attamen Ecclesia non potest hujusmodi Instituti alicujus Regulam approbare, quæ aut errorem contineat contra fidem, aut vitium contra mores. Si ergo Ecclesia aliquando Ordines extinxit, id factum ab ea, vel quia hujusmodi Instituti Sectatores à primæva Regulæ suæ institutione defecerunt, vel inutilis, & temporum conditioni ineptus ipse Ordo fuit.

Ad 4tum. Concedimus ultrò, Ecclesiam errare posse in referendis laudabilibus Sanctorum factis historicis, quæ fidem non tangunt, quod illius in fidei & morum regulis constituendis infallibilitati nihil obest.

Ob. 14to. Episcopi, quamquam in 260
Concilium generale coacti & congregati, homines sunt mendacio obnoxii, nihilque humani à se alienum arbitrantur, singuli eorum in suo privato judicio & suffragio errare possunt. Ergo etiam omnes; ex suffragiis enim errori obnoxiis, non potest certò veritas elici.

Resp. Neg. cons. Episcopi simul in Concilio congregati homines quidem sunt, sed præsidem habent & assistentem Spiritum sanctum, qui, juxta Christi promissiones, nunquam permittet, eos errori consentire. Quamvis ergo singuli Episcopi seorsìm sumpti possint errare, non tamen omnes. Neque hîc valet à distributivo ad collectivum illatio, quia promissio infallibilitatis non singulis seorsìm ac distributivè, sed omnibus simul & collectivè facta est: & quamquam inter disputandum varia sint, & diversa suffragia, consentiunt tandem in definitione, & quod à Synodo conciliariter pronuntiatur, omnium Episcoporum est sententia; neque verò suffragiorum numerô, sed pondere hîc judicatur. Vid. Melch. Can. l. cit. quæst. 2.

Ob. 15to contra secundam partem Con- 261
clusionis. Origenes damnatus est in Synodo V. Oecumenica Act. 8. At nihilominùs plurimos postea adhuc habuit defensores. Ergo

Ergo conſtans eſt ſententia, Eccleſiam non eſſe infallibilem in definiendis factis dogmaticis.

Reſp. Neg. conſ. Quidam Origenem ſeu doctrinam ipſius propugnârunt, non quòd arbitrarentur, Concilium V. erraſſe in ſua deciſione, ſed quòd ab Hæreticis fuiſſent depravata Scripta ipſius, quæ Concilium damnavit: vel quòd à quodam falſario locô Dioſcori poſitum fuerit in Decreto Concilii nomen Origenis. Illos autem, qui fortè aliâ viâ Origenem ab errore vindicare conati ſunt, tanquam improbos rejicimus, ut qui inanibus ſuis argutiis Eccleſiæ auctoritatem labefactare auſi ſint.

Ob. 16to. Marcellus Ancyranus à Concilio Sardicenſi, & à Julio Papa tanquam Orthodoxus habitus eſt; & tamen S. Baſilius eoſdem reprehendit, quòd Marcelli textibus ſe decipi permiſerint, teſtaturque ſe habere autographum, quo demonſtratur error Marcelli. Ergo &c.

Reſp. Neg. conſ. Etſi verum eſſet, quod tamen non conſtat, librum, quem S. Baſilius ſe teſtatur habere præ manibus, eſſe verum Marcelli librum, nihilominùs præferenda eſſet Concilii & Julii ſententia. At veriſimilius eſt, Marcellus poſt Concilium Sardicenſe quædam ſuo libro adſperſiſſe, quibus ad Photini errores accedere viſus eſt, ob quæ ab Athanaſio communione repulſus eſt, ut & à Baſilio liber ipſius improbatus.

262 Ob. 17mo. In Concilio Epheſino rejecta eſt vox *Chriſtotocos Mater Chriſti*, & tamen poſteà eam Eccleſia in ſuis precibus adhibuit.

Reſp. Rejectam fuiſſe in dicto Concilio, quòd eam adhiberent Neſtoriani, ut ſignificarent B. V. Mariam fuiſſe duntaxat hominis Matrem non ſimul Dei. Similiter Eccleſia vocem *Homouſion*, id eſt, ſimilis eſſentiæ in ore Semi-Arianorum, damnavit, quòd per eam negare viderentur, filium eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre; at in ore Catholicorum approbavit, quia nempe eum ejuſdem cum Patre eſſentiæ prædicabant.

Ob. 4to. Has Scythiæ Monachorum propoſitiones, *Chriſtus eſt unus de Trinitate*, &, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, damnaverunt Summi Pontifices Felix III. & Hormiſdas; At poſteà Joannes II. approbavit, ſicut & Synodus V. Oecumenica. Ergo &c.

Reſp. Neg. conſ. Has propoſitiones laudati Summi Pontifices, quòd novæ eſſent, & offenſionem parere poſſent, reticeri voluerunt, non verò damnârunt. At cùm poſteà à Catholicis adhiberentur adversùs Neſtorianos, eas ut orthodoxas Eccleſia probavit, quo nihil contra ejus auctoritatem probatur, quin potiùs ea admodùm firmatur, quippe quæ propoſitiones, de quibus dubium erat, earum vi examinata & pondere, orthodoxas declaraverit.

Ob. 18vo. In Concilio Chalcedonenſi 263
tria Capitula Theodori Mopſueſteni libri ſcilicet, Theodoreti Cyrenſis in Cyrillum anathematiſmi, & Ibæ Edeſſeni ad Marim Perſam Epiſtola unacum auctoribus ſuis fuère approbata; attamen poſtmodùm à Concilio V. Oecumenico reprobata. Ergo &c.

Reſp. Neg. ant. Hæc enim tria Capitula nec probavit, nec reprobavit Concilium Chalcedonenſe, ſed ſuum de iis ſuſpendit judicium, ſolummodò Theodoretum, & Ibam in Communionem admiſit, quòd Neſtorio anathema dixiſſent. Et quamvis ibidem aliqui, ut Maximus Antiochenus Ibæ Epiſtolam orthodoxam judicaverint; nihil tamen inde adversùs Concilium concludi poteſt, quia in Conciliis Concilii judicium dici nequit, quod unus vel pauci, ſed quod omnes, vel ſaltem major pars judicat; Concilium autem Chalcedonenſe nec illam ut orthodoxam, nec ut hæreticam judicavit, ſed ſuum judicium de illa, imò de tribus omnibus, ut jam annotavimus, Capitulis ſuſpendit, nihilque circa ea definivit. Proinde approbata ab

ipso tria illa Capitula dici nequeunt; nec consequenter inferri potest errasse, aut Concilio Chalcedonensi injuriam fecisse Synodum Oecumenicam V. dum tria illa Capitula damnavit. Quod verò personas illas, quas Chalcedonense Concilium admisit, ipsa rejecerit, id res facti personalis fuit, ad quod se non extendit Ecclesiæ infallibilitas.

264 Inst. Ipse Pelagius Papa II. Ep. ad Episcopos Istriæ asserit, quòd etsi omnes Patres Concilii Chalcedonensis suis subscriptionibus Ibæ Epistolam approbassent, tamen adhuc unusquisque eam reprehendere posset. Ergo saltem in sententia Pelagii Concilium etiam Oecumenicum in decidendis factis dogmaticis non est infallibile.

Resp. Conced. ant. Neg. conf. Pelagius paulò ante dixerat, Concilium Chalcedonense in iis tantùm fuisse confirmatum, quæ ad fidem Catholicam spectabant; nihil autem Leonem Papam decrevisse de privatis negotiis quibusdam, quæ in eodem Concilio actitata fuerant. Itaque hîc vult dicere Pelagius, quod etiamsi Episcopi Concilii Chalcedonensis suis subscriptionibus Ibæ Epistolam approbassent, quamdiu tamen Sedes Apostolica huic approbationi assensum suum denegaret, quemadmodùm Leo Papa apertè testatus fuerat, se non consentire nisi iis fidei dogmatibus, quæ contra Nestorium, & Eutychem in hac Chalcedonensi Synodo decreta fuerant, tamdiu unusquisque eandem Epistolam in alio Concilio reprehendere posset, quod contra nostrum assertum nihil facit, ut patet.

265 Ob. 19no. Honorius fuit damnatus tanquam Monothelita in Synodo VI. ob binas, quas ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum exaravit Epistolas, & tamen à multis Catholicis Doctoribus tum ipse, ut Catholicus, tum ejus Epistolæ tanquam orthodoxæ defenduntur, noviter à Baronio, & Bellarmino. Ergo &c.

Resp. Neg. conf. Qui Honorium ejusque binas Epistolas ab errore vindicare conantur Scriptores, non eò rem adducunt, ut Concilium lapsus cujusdam arguant; verùm hæc duntaxat comminiscuntur, illius binas Epistolas confictas, & Concilio insertas ab Hæreticis fuisse. Alii tuentur, eum re ipsa non negasse duas esse in Christo voluntates, sed noluisse, eas dici contrarias, proinde malè eas è Latino in Græcum translatas fuisse. Alii dicunt illius nomen inter eorum, qui à Synodo damnantur, nomina à Romanæ Ecclesiæ æmulis intrusum fuisse. Alii denique eum, non ut hæreticum, sed ut hæreticorum fautorem solùm, propter incuriam & negligentiam in repellenda hæresi damnatum dicunt &c. Igitur objectio ad nihil esse videtur. Quòd si qui tamen forent, qui in damnandis iisdem hujus Pontificis litteris genuinis errasse Synodum VI. affirmare auderent, atque ita facti dogmatici ignorantiâ prolapsos esse, tales defensores nobis adversari fatemur, ac minimè sequendos contendimus, utpotè audaces nimis Scriptores, qui ut Papam aliquem defendant, totius Ecclesiæ causam deserunt. *Qui hujusmodi apologias pro viris ab Ecclesia damnatis in Ecclesiam spargunt*, inquit appositè Lupus, (p) *lavant æthiopes, compescendique sunt, ut ingenia libertina & noxia, nisi etiam brevi pro Martino Luthero, & Joanne Calvino velimus apologias videre.* Et sic de similibus apologiis dicendum.

Ob. 20mo. Ex nostra sententia sequitur, hujusmodi Ecclesiæ definitiones de factis doctrinalibus ad fidem pertinere, easque proinde fide divina credi debere. Atqui hoc absurdum est; Ergo &c. Prob. min. Illud solummodò pertinet ad fidem, quod est revelatum, nihilque est revelatum, nisi quod in Verbo Dei sive scripto sive tradito continetur. Atqui facta ejusmodi nec in Scriptura nec in Traditione revelata 266

(p) Differt. de V. Synodo c. 6. q. 6.

velata sunt, ut per se manifestum est. Ergo &c.

Respondent aliqui neg. maj. & contendunt, ejusmodi definitiones Ecclesiæ seu Concilii esse quidem objectum necessarii nostri obsequii ac reverentiæ, non autem divinæ fidei; atque hîc observant, distinguendam esse revelationem ab assistentia Spiritûs sancti; hæc enim facultatem definiendi, illa objectum definiendum respicit. (*q*) In multis autem, quæ ad fidem ipsam immediatè non pertinent Spiritum sanctum sic adesse ope singulari, ut errare non possit, probavimus tum in conclusionis parte secunda, tum in responsionibus ad objectiones. Ajunt ergo, hujusmodi definitiones Ecclesiæ non quidem fundari in fide simpliciter divina, quippe quarum objectum, seu id, de quo definit Ecclesia, revelatum non sit; nec etiam in fide simpliciter humana, utpote quæ falli potest, & fallere; sed in fide Ecclesiastica, quæ omni humana fide major est, & cujus firmitas & certitudo tota fluit à singulari Spiritûs sancti assistentia; eodem ferè modo, quo præcepta Ecclesiastica nec simpliciter divina, nec simpliciter humana sunt, sed velut media, quæ Ecclesiastica dicuntur, quibus fidelis quilibet obtemperare tenetur, dicente Christo, *Qui vos audit, me audit.*

Dicunt prætereà, hujusmodi Ecclesiæ definitiones, quibus factum cum jure conjungit, ita juri, seu ei, quod ad fidem pertinet, conjungi, ut ab illo sine fidei periculo sejungi non possit. v. g. Vulgatam Scripturæ editionem esse verbum Dei certissimum est: supponit tamen aliquod factum non revelatum, nempe illam Autographo sacro conformem esse. Juris igitur definitioni, seu dogmati mens acquiescit, propter divinam revelationem; facto autem propter Ecclesiæ auctoritatem; quæ hoc sensu divina dici potest, quòd sit à Christo Deo concessa, qui Ecclesiæ suæ semper adest, nec in rebus necessariis ad communem fidelium salutem pertinentibus eam errare permittit; non verò, quòd divinam, & supernaturalem fidem exigat. Defectus igitur revelationis in causa est, cur factum ab Ecclesia definitum non sit de fide; assistentia verò singularis Spiritûs sancti facit, ut certa sit, nec errori obnoxia Ecclesiæ definitio, ejusque auctoritas sit omni humanâ superior.

Deinde retorquent argumentum. Ecclesia e. g. definivit Catholicam de gratia doctrinam contineri in libris S. Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos. Vel judicium istud certum est, & infallibile; vel incertum, & errori obnoxium? Si priùs; est ergo de fide; & tamen nullibi revelatum est, S. Augustinum talem tradidisse doctrinam. Si posteriùs; ergo nec certam fidem nostram, nec obsequium mentis meretur; & Augustini sententiam pro arbitrio deserere possumus. Quod nemo concedet.

Respondent alii neg. min. utriusque argumenti. Ajuntque hujusmodi Ecclesiæ definitiones de factis doctrinalibus mediatè saltem & indirectè pertinere ad fidem, adeoque mediatè saltem esse revelata. Duobus verò modis explicant revelationem illam mediatam. 1mo. Illud omne dicunt mediatè revelatum, quod continetur in ea generali ac immediata revelatione, qua constat, Christum Ecclesiæ suæ in necessariis nunquam defuturum, quomodò mediatè revelatum ajunt, Concilium v. g. Tridentinum legitimum & Oecumenicum fuisse, nec in decretis fidei errare potuisse &c. 2do. Mediatam revelationem etiam vocant eam, quæ in alia immediata propiùs inclu-

(*q*) Assistentia Spiritûs sancti, qua ipse adest Ecclesiæ dum aliquid definit, aut decernit, quod fidem vel mores spectat, se tenet ex parte Ecclesiæ definientis. Revelatio autem Divina connotat, seu se tenet ex parte objecti seu rei, circa quam ipsa edit suam definitionem. Ut autem Ecclesia aliquid infallibiliter definiat, non est necesse, ut illud semper à Deo immediatè sit revelatum; sed sufficit, quòd Ecclesiæ Spiritus sanctus ita assistat, ut errare non possit.

includitur, tanquam aut conclusio in præmissis, aut proprietas in natura, aut pars in toto: ita mediatè revelatum dicunt, Christum adorandum esse in Eucharistia, quia realiter in ea præsens est: pariter duas esse in Christo voluntates & operationes, quia duplex in eo est natura impermixta, & inconfusa. Alterutrô modô autem contendunt ii Theologi, mediatè saltem revelatum esse, doctrinam v. g. Lutheri, aut alius hæretici, in ipsius libris vel libro contentam, & expressam esse erroneam; quæ mediata revelatio in ista generali & immediata includitur, *Ecclesiam columnam esse ac firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt;* quæ consequenter in dignoscenda ac notanda librorum doctrina aberrare nunquam potest.

267 Ob. 2imo. Definitio Ecclesiæ de facto aliquo doctrinali, re ipsa non differt, sed est eadem cum definitione de facto aliquo personali. Atqui hæc juxta nos est errori obnoxia. Ergo & illa. Major prob. Definitio facti doctrinalis e. g. est definitio de libri alicujus sensû ab Auctore intento. Atqui hæc personam ipsam seu Auctorem respicit, adeoque personalis est. Ergo &c.

Resp. ad argumentum neg. maj. Ad illius probationem dist. maj. Definitio facti doctrinalis &c. est definitio de sensu libri alicujus ab Auctore intento, id est, in mente Auctoris delitescente, neg. maj. Id est, verbis in libro expresso. Conc. maj. & pariter dist. minore, neg. consf. Est enim definitio facti doctrinalis, in qua ferenda non sensibus, non hominum testimoniis, non conjecturis incertis, sed ipsa libri inspectione, non sine cœlesti lumine & assistentia, Ecclesia ducitur. Porro de priori sensu, in mente Auctoris scilicet delitescente, certò & infallibili judiciô non pronuntiat Ecclesia; at de altero, qui verbis exprimitur, & præsumitur vulgò esse ab Auctore intentus, firmâ & inconcussâ sententiâ judicat Ecclesia.

Inst. Non est ratio, quare Ecclesia infallibilis potiùs sit in dijudicandis factis doctrinalibus, quàm personalibus. Ergo &c. 268

Resp. Neg. ant. Hîc alia ratio quærenda non est, quàm & Dei voluntas, & ipsa factorum illorum natura. Facta enim doctrinalia non pendent ex testimoniis hominum, aliunde verò pertinent ad publicum totius Ecclesiæ bonum; non item facta merè personalia.

Cæteris, quæ hîc, præsertim contra primam Conclusionis partem, adhuc formari possunt, abundè respondimus in c. 5. & 6. part. 1. Tract. de S. Scriptura, quæ vide.

§. III.

Quale sit institutum à Christo Ecclesiæ Regimen. 269

Triplex distinguitur Regiminis species: Monarchia nempe, quæ est Imperium unius. Aristocratia, quæ est Regimen Optimatum. Et Democratia, hoc est, totius populi Imperium.

Animus non est hîc inquirere, quodnam horum regiminum sit optimum, id enim superfluum meritò videtur, utpotè cujus demonstratio ex ea Ecclesiæ regiminis forma fluat, quam Christus instituit, & præscripsit. Enimverò cùm ipse sit omnium Principum sapientissimus, quis negare ausit, eum quoque optimum & præstantissimum Regimen Ecclesiæ suæ præfixisse. Ergo de forma Regiminis Ecclesiæ à Christo instituta & præscripta nobis hîc est quæstio.

Et quidem velut apertum & indubitatum tenemus, Regimen Ecclesiæ sub Christo ejus summo Capite & Pastore purè Monarchicum esse, Christumque illius esse absolutum Regem & Monarcham juxta illud: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Psal. 2. v. 6. Quo etiam sensû Ecclesia Regnum ejus nuncupatur, Luc. 1. v. 33. *Regni ejus non erit finis.* 270

Supponimus etiam, Regimen illud Ecclesiæ, quod à Christo hominibus traditum est, 271

est, duntaxat ministeriale externum esse, legibusque à Christo positis adstrictum, juxta illud S. Pauli 1. Corinth. c. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei.*

272 Supponimus quoque tanquam rem inter Catholicos omninò certam & exploratam, Regimen Ecclesiæ democraticum non esse, hoc est, plebi & multitudini Christianæ concessum: quia nusquam plebi dedit Christus claves Regni Cœlorum, & auctoritatem ligandi ac solvendi; nusquam jus concessit Ministros ordinandi, ac consecrandi, prout ostendemus Tomo 4. nostræ hujus Theologiæ Tract. 4. de Sacramento Ordinis, ac demonstrat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice c. 6.

273 Supponimus ulteriùs, neque Principibus Sæcularibus à Christo concessam esse Ecclesiæ regendæ, ac gubernandæ auctoritatem. Sunt enim utriusque potestatis spiritualis, seu Ecclesiasticæ; ac temporalis seu Regiæ fines, ac officia planè distincta, prout præcedenti §. annotavimus ac fusiùs infra cap. 5to. demonstrabimus. Si aliquas ergo in tractandis Ecclesiæ negotiis interdum partes habuere Imperatores, ac Reges; si leges condiderunt ad fidei, morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem, ac tutelam, certè non tanquam Religionis Judices, sed tutores duntaxat, Canonum defensores, ac vindices disciplinæ Ecclesiasticæ id fecerunt; prout sup. cit. §. præcedenti pag. 102. & seq. & §. 1mo hujus Capitis pag. 92. & seq. in Respons. ad objecta dictum.

Supponimus denique Regimen Ecclesiasticum Aristocraticum non esse, seu penes solos Episcopos, utpote, qui superiorem agnoscant Romanum Pontificem.

Unde sequitur illud esse Monarchicum: siquidem unus est primus ac summus Ecclesiæ Pontifex, cui, ut jam ostendimus §. primô hujus Capitis, Christus Ecclesiam suam gubernandam tradidit &c. Sit igitur

Conclusio. Regimen Ecclesiæ est Monarchicum, Aristocratiâ tamen temperatum. 274

Prob. 1ma pars Conclusionis. Illud Regimen verè Monarchicum est, in quo est aliquis Superior, cui omnes parêre tenentur in iis, quæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinent. Atqui in Ecclesia agnoscitur aliquis Superior, Romanus nempe Pontifex, cui omnes fideles in iis, quæ Ecclesiæ gubernationem spectant, parêre tenentur, prout Cap. 5. fusè demonstrabimus. Ergo illius Regimen est Monarchicum.

Prob. 2da pars ex eo, quòd Regimen Monarchicum Aristocratiâ temperatum illud sit, in quo est aliquis summus Princeps, qui omnibus imperat, & in quo sunt Præsides, seu Principes provinciarum, vel Civitatum, qui tamen non sunt Vicarii meri summi illius Principis, seu annui Judices; sed veri Principes, qui & Imperio summi Principis obediunt, & interim provinciam suam vel Civitatem non tanquam alienam, sed ut propriam moderantur. Atqui hujusmodi est Ecclesiæ Regimen. Enimverò in ea est summus Pontifex, cui obtemperare omnes tenentur; sunt etiam Episcopi, qui suis quique Episcopatibus imperantes, veri Ecclesiæ Principes & Pastores, non Vicarii duntaxat Romani Pontificis esse dignoscuntur: *eos enim posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. v. 28. Qui & in Conciliis non sunt meri Consiliarii Papæ, sed & Judices fidei, morumque controversiarum: imò ante Papam, sed judicio subordinatô; cùm Papa in Conciliis, & post Papam extra Concilia, sed judiciô adhæsionis de iis possunt judicare. Vide Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 1. & seqq. & præsertim c. 9. ubi Conclu- 275

sionem nostram fusè demonstrat. Sed hac de re plura c. 5to hujus Tractatus.

276 *Solvuntur Objectiones.*

Protestantes plerique contendunt Ecclesiæ Regimen merè Aristocraticum esse, in quam opinionem Gallicani Theologi, licèt ab ea verbotenus duntaxat discedere videantur, re ipsa tamen abire cernuntur, dum contendunt, Romanum Pontificem habere quidem Primatum honoris, & jurisdictionis in Ecclesia supra singulos Episcopos, attamen eum Conciliis & omnibus Episcopis simul sumptis esse subjectum; nec ejus judicia firma esse posse, nisi illorum accesserit consensus; ex quo apertum est, in ipsorum Gallicanorum Theologorum sententia supremum Ecclesiæ imperium penes Concilia & Episcopos simul sumptos duntaxat esse, non verò Romanum Pontificem. Sed quàm imbellè hæc ab his Theologis asserantur Cap. 5to ostendemus; qui vel ob id repellendi sunt, quòd ad suam stabiliendam opinionem iisdem pene argumentis utantur, quæ Acatholici adhibent, ut Aristocraticum Imperium Ecclesiæ, illudque merum, evincant. Igitur

277 Ob. 1mo. Luc. 22. v. 24. 25. & 26. facta contentione inter Christi Discipulos, quis videretur eorum esse major, ait eis: *Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator*, (*r*) &c. Ergo Regimen Ecclesiæ à Christo institutum nullatenus est Monarchicum, sed merè Aristocraticum, aut saltem ita Aristocratico - Monarchicum, ut summus Princeps Optimatibus & Principibus illius simul sumptis subjiciatur.

Resp. conc. textum, & neg. cons. Si textus iste, & alii hujusmodi de Ecclesiæ regimine essent intelligendi, potiùs Democratiam puram innuerent, quam Aristocratiam, vel Monarchiam Aristocratiâ temperatam, prout legenti textum patet. Imò sequeretur, neque ipsum Christum esse absolutum Ecclesiæ Monarcham, addit enim, *se esse ministratorem*, atque *venisse non ministrari, sed ministrare.* Quod utique absurdum est.

Hoc igitur textu Christus tantùm prohibet in Ecclesiæ Superioribus fastum, & ostentationem potestatis, ejusque usum ad gloriam, & dominationem more gentium Principum; vultque, ut Superiores studeant saluti & utilitati subditorum suorum, & non quærant, quæ sua sunt. Quo sensu S. Petrus (*s*) Episcopos monet ut *gregem Dei pascant non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Id est, quærentes non utilitatem propriam, sed commoda, & salutem gregis. Qua ratione & ipse Christus dicit; se non venisse ministrari sed ministrare; necnon summus Pontifex, se *servum servorum Dei* nuncupat. (*t*) Et Paulus Epist. 1. ad Corinth. 9. v. 19. ait: *Omnium me servum feci.* Sic aliis præesse, reverâ est ministrare, atque eorum saluti inservire.

Neque id solùm servare debent Ecclesiæ Præfecti, sed etiam Sæculares; unde Ezechiel. 34. v. 4. Pastoribus, id est, Principibus Israël cum gravi reprehensione dicitur: *Cum austeritate imperabatis, & cum potentia.* Quare nec Principes Christiani Dominium aut potestatem exercere debent ad eum modum, qui hîc Apostolis à Christo prohibetur. Textus ergo isti, ut & alii similes, qui ab Adversariis adducuntur, non satis apti videntur, ut Regimen Aristocraticum, aut etiam Monarchicum Aristocratiâ ad Gallicanorum Theologorum sensum temperatum probent; quin potiùs, imperium merè

(*r*) Eadem habentur Matth. c. 20. v. 26. (*s*) 1. Pet. c. 5. v. 2. & 3. (*t*) Hunc titulum primus inter Pontifices usurpasse legitur S. Gregorius Magnus.

merè Democraticum innuunt, prout jam à nobis dictum est.

278 Ob. 2do. Ephes. 4. v. 11. Apostolus Hierarchiam Ecclesiasticam, quam Christus, post ascensionem suam, in terris reliquit, delineans nullam facit unius Capitis, sed multorum in commune, quibus Ecclesiæ Regimen traditum est mentionem. Sic enim ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Non verò ait, dedit primùm quidem unum summum Pontificem, deinde Episcopos, Parochos &c. Ergo &c.

Resp. Conc. ant. neg. cons. Etsi Apostolus hîc summi Ecclesiæ Capitis mentionem non facit, nec enim hac de re ipsi quæstio erat, non tamen illum excludit; neque ignorare poterat, Petrum omnibus Apostolis à Domino fuisse prælatum, atque super ipsum Ecclesiam suam fundasse, ipsi pascendas oves suas dedisse &c. Enumerat hîc solummodo ministros, quibus Christus usus est ad ædificium Ecclesiæ suæ. Ultrò etiam concedimus, Apostolis tanquam primis Ecclesiarum fundatoribus, & prædicatoribus datam fuisse à Christo summam potestatem & libertatem; hæc enim illis Ecclesiæ primordiis omninò necessarium fuit ad fidem toto terrarum orbe celeriter disseminandam. Mortuis autem Apostolis, Apostolica auctoritas in solo Petri successore permansit. Nullus enim Episcopus, præter Romanum, sollicitudinem habuit unquam omnium Ecclesiarum, & solus ipse vocatus est ab omnibus *Apostolicus Pontifex*, & *Sedes* ejus *Apostolica* simpliciter & per Antonomasiam, necnon munus ejus *Apostolicum*; quasi omnem omnium Apostolorum auctoritatem summam in se suscepisset, prout re vera suscepit. Et testantur Patres & Concilia passim, prout suô locô ostendemus, Cap. 5to scilicet, præter ea, quæ jam alibi texuimus.

Posset etiam responderi, Apostolum hoc loco non delineasse Hierarchiam Ecclesiæ, sed tantùm enumerasse varia dona, quæ sunt in Ecclesia. Primùm enim posuit *Apostolos*, id est, eos, qui primi à Deo missi sunt; 2do. *Prophetas*, id est, qui futura prædicunt. 3tio. *Evangelistas*, qui nempe Evangelia scripserunt. Ultimò, *Pastores* & *Doctores*, quo confusè omnes Ecclesiæ ministros comprehendit. Quibus 1. Cor. 12. v. 10. *addit genera linguarum, curationes*, & alia, quæ non sunt Ecclesiastica ministeria, sed Spiritûs sancti charismata.

Ob. 3tio. Christus est Caput Ecclesiæ 279
Ephes. 4. v. 15. Ergo injuriam facit Christo, qui aliud illius Caput constituit.

Resp. Dist. ant. Christus est Caput Ecclesiæ primarium & invisibile, conc. ant. secundarium, vicarium & visibile neg. ant. & sub pari distinctione, neg. cons.

Nulla fit Christo injuria, ex eo quòd Papa dicatur Caput Ecclesiæ, imò potiùs ejus gloria augetur. Non enim asserimus, Papam esse Caput Ecclesiæ cum Christo, sed sub Christo ut ejus Ministrum & Vicarium; & sicut Regi alicui non fit injuria, si dicatur Prorex esse caput regni sub Rege, quin potiùs ejus gloria augetur, sic nec injuria Christo infertur, quod Papa sit ipsius Ecclesiæ Caput vicarium &c.

Inst. Nusquam Ecclesia dicitur corpus 280
Petri aut Papæ, sed Christi. Ergo &c.

Resp. Conc. ant. neg. cons. Ecclesia solùm corpus Christi in Scripturis dicitur, quia ipse solus est ipsius Caput principale & perpetuum. Ut enim Regnum non dicitur Proregis, sic Ecclesia non est corpus Petri aut Papæ, qui solùm ad tempus, & alterius locô eam gubernat; sed Christi, qui propria auctoritate & perpetuò illam gubernat.

Ob. 4to. Solus Deus oneri totius Ec- 281
clesiæ regendæ par esse potest. Ergo malè illius Regimen Papæ committimus.

Resp. Dist. ant. Solus &c. ut per se ipsam regat. conc. ant. ut per subjectos ministros regatur neg. ant. Papa per se solum non regit Ecclesiam, id enim sine miraculo fieri haud posset; at regit eam per sibi subjectos multos Ministros & Pastores, quod non modò possibile, sed etiam utile, commodum, imò necessarium censemus.

282 Ob. 5to. Si mundus debet gubernari ab uno in iis, quæ ad Religionem pertinent, utile etiam esset, ut regeretur ab uno in iis, quæ ad politicum ordinem spectant. Atqui hoc neque factum est unquam, neque expedit, ut fiat. Ergo neque expedit, ut in iis quæ ad Religionem pertinent, ab uno regatur.

Resp. Neg. seq. maj. Non enim est una eademque ratio politici, & Ecclesiastici Regiminis. Siquidem orbis terrarum non necessariò debet esse unum Regnum; proindè non necessariò postulat unum, qui omnibus præsit: at Ecclesia tota unum est Regnum, una civitas, una domus, & ideo ab uno tota regi debet. Cujus differentiæ ratio est, quòd ad conservationem politicorum Regnorum non necessariò requiratur, ut omnes provinciæ servent easdem leges civiles, & eosdem ritus; possunt enim pro locorum & personarum varietate, diversis uti legibus, & statutis, & idcirco non requiritur unus, qui omnes in unitate contineat. Ad conservationem verò Ecclesiæ necesse est, ut omnes conveniant in eadem fide, iisdem Sacramentis, iisdemque præceptis divinitùs traditis: quod sanè fieri non potest, nisi sint unus populus, & ab uno in unitate contineantur.

283 Ob. 6to. Gallicani Theologi varios Ecclesiæ Canones, quibus subjectos se esse ultrò ipsi summi Pontifices fatentur. Ergo summi Pontifices sunt Ecclesiæ saltem collectivè sumptæ & Conciliis subjecti. Ergo &c.

Prob. ant. 1mo. Julius I. ad Orientales. *Id verò*, inquit, *ad Synodi & Episcoporum, qui in Nicæna Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tantò studiò, & curâ veluti Deo præsente egissent, à nobis ut vana, & futilia abrogarentur... Nos omnia secundùm Canones facimus.*

2do. Liberius in Epist. ad Constantium: *Nunquam*, inquit, *mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata, & custodita perfeci: secutus sum morem, ordinemque Majorum, nihil addidi Episcopatui Urbis Romæ, nihil minui passus sum.*

3tio. Zosimus Epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis. *Quod contra Patrum statuta*, ait, *concedere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem Sedis possit Auctoritas; apud nos enim inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxêre reverentiam.*

4to. Bonifacius I. Epist. ad Hilarium Narbonensem. *Quòd*, inquit, *nequaquam possumus ferre patienter, quia convenit, nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.*

5to. Cœlestinus I. Epist. ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis*, inquit, *Regulæ, non regulis dominemur, simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.*

6to. S. Leo I. Epistolâ olim 53. nunc 80. ad Anatolium c. 3. *Nimis ergo*, inquit, *hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria.* Et Epist. 55. nunc 79. ad Pulcheriam, *Quoniam*, inquit, *contra statuta paternorum Canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis nihil cuique audere conceditur; ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, à cunctis Pontificibus intemerata serventur per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia.* Et Epist. ad Martianum Augustum, *Ad meum*, inquit, *reatum tendit, si paternarum Sanctionum Regulæ, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei*

Dei inſtruente ſunt condita, me, quod abſit, connivente violentur.

7mo. Simplicius Epiſt. ad Acacium, *Contra definitiones Concilii Chalcedonenſis, nihil retractari poteſt, quia per univerſum mundum inſolubili obſervatione retinetur, quod à Sacerdotum univerſitate conſtitutum eſt.*

8vo. Gelaſius Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ ait: *Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis Sedem exequi oportere, quàm primam.*

9no. Felix III. Epiſt. 15. *Apoſtolica*, inquit, *Sedes executrix eſt Concilii Chalcedonenſis.*

10mo. Gregorius Magnus Epiſt. 25. aliàs 24. lib. 1. ad Joan. Conſtantinopol. *Sicut*, inquit, *ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor . . . . cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſed & ſe ipſum, non illa deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſolvere, quos religant, aut ligare, quos ſolvunt.*

11mo. Martinus I. Epiſt. ad Joan. Epiſcopum Philadelphiæ, *Defenſores*, inquit, *Divinorum Canonum & Cuſtodes ſumus*, non prævaricatores. Et Epiſt. ad Amandum Trajectenſem; *Ideo*, ait, *neceſſe habuimus. . . . . Cœtum generalem fratrum, & Coëpiſcoporum in hac Romana Civitate congregare.*

12mo. Leo III. in Dialogo cum Miſſis à Carolo Magno Imperatore de additione particulæ *Filioque* Symbolo facta, negat, ſe quidquam poſſe Symbolo adjicere; *Quia*, inquit, *me illis* (Patribus Concilii Conſtantinopolitani) *non dico, præferam, ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam.*

13tio. Nicolaus I. Epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem; *Neceſſaria*, inquit, *rerum diſpoſitione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Paternorum Canonum Decreta librare &c.* Et Epiſt. ad Photium ait: *Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum eſſe caput, ex qua univerſitas credentium integritatem fidei depoſcit. . . . . Atque ordinem in cunctis utilitatibus & Eccleſiaſticis inſtitutionibus, quas ſecundùm canonicas & Synodicas SS. Patrum Sanctiones inviolabiliter ac irrefragabiliter retinet, exquire, ac ſectari.*

14to. denique, unicô momentô omnium Pontificum, qui poſt octo priora Concilia vixerunt, auctoritas concluditur. In ſolemni Sacramento, ſeu jure jurando, quod in die ſuæ inaugurationis emittunt, ſicut legitur in libro Pontificum, qui Diurnus dicitur, cbſtringunt ſe ad religioſam Conciliorũ & Canonũ obſervationem. *Profiteor*, ait conſecrandus Pontifex, *me ſancta univerſalia Concilia uſque ad unum apicem pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, & ſtatuerunt, omninò ſequi & prædicare; quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde.* Et infra: *Sacroſque Canones, & ſacrorum Pontificum Conſtituta cuſtodire.*

Reſp. ad argumentum 1mo. Diſt. ant. 284
Summi Pontifices fatentur ſe ſubjectos eſſe Eccleſiæ Canonibus, quoad vim directivam, conc. ant. quoad vim coactivam neg. ant. & conſ. Cùm Eccleſiæ Canones in Conciliis ſub præſidio ipſorummet Romanorum Pontificum vel eorundem Legatorum conditi, & ab ipſis confirmati ſint, tenentur iidem omnia ſua Decreta, ſanctiones, & mandata ad illorum normam dirigere, nec ab iis in quoquam ſine gravi neceſſitate deflectere; non verò quòd ad illorum obſervationem vi quadam externa & ſuperiore ullo modo cogi poſſint; Quemadomodum quilibet ſupremus Princeps directivè legibus à ſe latis tenetur quidem, non tamen coactivè.

Reſp. 2do abſolutè neg. ant. Ad lucti 285
ſummi Pontifices hîc vel loquuntur de Canonibus & Statutis in fide vel jure

 divino

divino & naturali fundatis, quibus derogare ipsis, ut & Ecclesiæ ipsi haud fas esse dicimus. Ultrò enim fatentur summi Pontifices cum Apostolo, se nihil contra veritatem posse. Vel si alicubi ipsis de Canonibus ad disciplinam Ecclesiæ spectantibus sermo fit; id ita intelligendum est, quod iis derogare, aut in illis dispensare non possint, nisi id vel ipsius Ecclesiæ necessitas, vel utilitas expetat; tum enim hanc potestatem in ipsis summis Pontificibus agnovêre ipsamet Concilia Oecumenica, ut videre est Act. 1. Synodi VIII. ubi recitata est, & à Patribus approbata Adriani Papæ II. Epistola ad Basilium Imperatorem, ubi inter alia ea repetit, quæ Prædecessor ipsius Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem jam exaraverat, atque hîc ab Adversariis adducta leguntur supra num. 13tio dicens: *Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retrò Præsulum Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest, temperemus.*

Id, inquam, tota retrò agnovit antiquitas, ut fusè demonstrat Eugenius Lombardus (*u*), & hodie omnes consentiunt. *Sic enim nostra ætate* (inquit Dominus de Marca (*x*)) *Episcoporum consecratio, quæ sine Metropolitano fieri non debet . . . . inconsultò Metropolitanò, tribus Episcopis ad arbitrium summi Pontificis committitur contra Canones antiquorum Conciliorum. Duabus Ecclesiis adscribuntur frequenter Clerici contra Canones Concilii Chalcedonensis, dispensationibus indultis ad plura beneficia retinenda. Dispensationes in gradibus prohibitis à Concilio Lateranensi, olim rarissimæ, hodie verò sunt frequentissimæ. Episcopatuum futuræ successiones, & in cæteris beneficiis præsentes successiones per resignationes in favorem dictas, Pontificum arbitriò frequenter admittuntur. Novi Ordines Religiosi contra præscriptum Concilii Lateranensis quotidie approbantur. Multa quoque alia peraguntur, quæ summam quidem, & eximiam in Romano Pontifice à Constitutionibus generalium Conciliorum dispensandi auctoritatem etiam sine causa inesse probant.* Atque hujusmodi dispensationes ubique terrarum recipiuntur; imò nullibi frequentiùs petuntur, quàm in Gallia, ut vix in alio magis, quàm in jure dispensandi Romani Pontificis auctoritatem agnoscere videantur Galli.

Summi ergo Pontifices in Ecclesiæ, & Conciliorum Canonibus nedum dispensare, sed & eos etiamnum abrogare possunt, nec ampliùs urgere, ut observentur; ubi videlicet hominum duriora aspernantium malignitas eos detrectare visa est, temporum quoque ac personarum mutatio inutiles fecit, vel cùm id Ecclesiæ ipsius bonum exigit.

Resp. 3tio. Ex eo, quòd summi Pon- 286
tifices Ecclesiæ seu Conciliorum Canones summa veneratione prosecuti sint, atque declararint, aut eos contemnere, aut transgredi haud posse, non sequitur, quòd falsi sint, se illis esse inferiores; ipsa enim Concilia generalia non minorem venerationem testificata sunt erga Synodos quæ illa antecesserant, quàm summi Pontifices erga sacros Canones professi sint. Concilium Ephesinum, & Chalcedonense Synodi Nicænæ, & Constantinopolitanæ fidei formulas retulerunt, ac declarârunt, nihil se in iisdem immutare, aut tangere posse: id ipsum quoque præstitêre sequentes Oecumenicæ Synodi, atque sub anathematis pœna inhibuerunt, ne quisquam iis vel minimum quid adderet,

(*u*) Regal. Sacerdot lib. 4. §. 3. (*x*) De Concord. lib. 3. cap. 15.

deret, demeretve. Quis autem inde inferat, unum Concilium poſterioribus præeminere? Sic ergo etiam ex eo, quòd nonnumquam Summi Pontifices haud vulgarem obſervantiam ſuam in Canones à ſe, & ab Eccleſia conditos palam teſtificati ſint, non ſatis aptè inferri videtur, eos illis eſſe inferiores. Cùm enim hæ ſacræ Regulæ ab ipſiſmet ſummis Pontificibus, qui Conciliis illis, in quibus ab innumeris penè & ſapientiſſimis, necnon piiſſimis Epiſcopis Spiritûs ſancti inſtinctu propoſitæ fuerunt, vel per ſemetipſos, vel per ſuos Legatos præſederunt, conditæ fuerint, utique non poterant non ingenti erga easdem affici veneratione. Præterea, quia Summorum Pontificum ſemper fuit curare, ut Canones iſti in omnibus totius Orbis Chriſtiani Eccleſiis promulgarentur, & obſervarentur; faſne erat ipſis, quin à recto tramite deviarent, eosdem non obſervare? Imò ad id omninò tenebantur, quoad ea videlicet, quæ Juris Divini aut Naturæ erant, non ſecùs ac tota ipſamet Eccleſia. At hoc minimè oberat, quin in hujusmodi Eccleſiæ Canonibus diſpenſare, imò etiam eos abrogare potuerint, cùm nempe neceſſitas, aut utilitas, aut alia demum ratio id expetere viſa eſt. Quando igitur, ſe ab iis diſcedere non poſſe aſſeverant Pontifices, eorum munus & officium poſtulabat, ut, nulla videlicet in illis diſpenſandi obveniente neceſſitate, aut ratione, eos obſervari curarent.

287 Reſp. 4to. Gallicanos Theologos hîc vel illa eruditione, quæ paſſim illis tribuitur, haud eſſe præditos, vel non ſatis eſſe ſinceros, quòd pro ſua adversùs Romanorum Pontificum auctoritatem opinione, ipſorum horum ſummorum Pontificum adducant teſtimonia, quos tamen conſtat acerrimos fuiſſe auctoritatis ſuæ & poteſtatis defenſores. (y) Unde meritò ad ſingula ex ipſis hîc adducta teſtimonia ulteriùs reſpondere poſſemus omittere, ut quæ ex modò dictis ſatis ſoluta videantur, verùm ut liberales ſimus, nullamque præſtantibus iſtis Theologis cavillandi occaſionem relinquamus ſingulis ſuas reſponſiones adnectimus.

Ad 1mum igitur ex Julio I. dicimus, 288
id à quolibet Superiore convenientiſſimè aſſeri poſſe. Enimverò quodlibet Concilium Oecumenicum de æquo Epiſcopi alicujus judicio ſic loqueretur: *Id verò ad talis Epiſcopi contumeliam vergeret, ſi, quæ ille tantô ſtudiô & cura velut Deo præſente egiſſet, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur.* Itaque illa rei judicatæ aut ſtatutæ juſtitiam arguunt, non autem defectum poteſtatis ad eam retractandam, ſi minùs juſta eſſet. Nihil ergo ad præſentem quæſtionem iſtud Julii Papæ teſtimonium.

Ad 2dum ex Liberio, reſpondemus, nihil eô contineri, quod ipſis ſummis Pontificibus adverſetur. Si enim ibidem Liberius de ſtatutis, quæ ab Apoſtolis ſunt conſtituta, prout ex contextu videtur intelligendum, loquitur, non faciunt ad comparationem Papæ cum Concilio, ac ejus Canonibus. Minùs adhuc, ſi de ſuorum Prædeceſſorum Decretis ipſi ſit ſermo.

Ad 3tium ex Zoſimo petitum reſponſio habetur in hoc ipſo hujus ſancti Pontificis teſtimonio, quod ab Adverſariis fideliter relatum non eſt. Sic enim habet: *Contra ſtatuta Patrum, & ſancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus ex hac Sede directus eſt, concedere &c.* Ibi Zoſimus caſſat id, quod Epiſcopi Synodi Taurinenſis contra ſancti Trophimi reverentiam & Patrum, id eſt, Romanorum præcipuè Pontificum, ſtatuta, in

(y) Plura invenies in Opere noſtro cui Titulus: *Auctoritas & Infallibilitas ſum. Pontif. ſtabilita &c.* à pag. 227.

in Apostolicæ Sedis injuriam decreverant, concedentes Proculo Episcopo Massiliensi jus ordinandi Episcopos provinciæ secundæ Narbonensis. Quis autem ex hoc dicat, summum Pontificem Trophimo, quem sancta Sedes primum Arelatensium Episcopum constituerat, esse inferiorem? Et cùm Conciliorum generalium non meminerit Zosimus, Taurinensis autem Synodi Canonem abroget, perperam farè citatur pro Conciliorum Oecumenicorum Canonibus contra Papam; imò ibidem contra Canones, sextum nempe Concilii Nicæni, & tertium Constantinopolitani statuit, ut Episcopus Arelatensis in alienis provinciis, scilicet in utraque Narbonensi, & Viennensi Episcoporum ordinandorum facultatem obtineat; quia ob sancti Trophimi reverentiam Ecclesiæ Arelatensi privilegium illud putabat à summis Pontificibus fuisse concessum. Patres verò, quorum statutis se derogare non posse profitetur, intelligendi sunt præcipuè summi Pontifices, ut jam diximus, quorum utique Decretis posset derogare illorum Successor, nisi id vetaret reverentia antiquitati debita, aut lex divina vel naturalis; hæc est enim alia ratio, cur Zosimus existimaverit, ne quidem S. Sedis auctoritatem Patrum Decretis posse derogare; quia scilicet Juris Divini aliquid plerumque continent, super quo à nemine valet dispensari. Id ipsum exprimit idem Zosimus Epist. 6tâ, occasione Ursi & Tuentii Episcoporum ab eodem Proculo Massiliensi ordinatorum, his verbis: *Cùm adversùs statuta Patrum venitur, non tantùm illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodò fidei, & Catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quàm penitùs non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica instituta veluti quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus.*

Quartum ex Bonifacio adductum nullatenùs ipsorum causam juvat; quin potiùs illo proditur suprema in omnes Ecclesias Papæ Auctoritas & potestas. Narbonensis quippe Ecclesiæ jura à Zosimo Decessore suo iminuta restituit. Et quamvis dicat, convenire, ut paternarum Sanctionum ipse diligens custos sit, non tamen sequitur, etsi de Conciliorum Canonibus id foret intelligendum, iis inferiorem esse Papam; quod supra fusè ostendimus, adeo ùt supervacaneum videatur, iis quidquam superaddere.

Ad 5tum ex Cœlestino, Respondemus, hîc eum exhortari Episcopos Illyrici, ut Ecclesiæ Canones observent, utque hæc sua adhortamenta meliùs recipiant, præ modestia se illis adjungit, dicens: *Dominentur nobis regulæ:* Id patebit omnibus hanc Cœlestini Epistolam legentibus, ubi totus est in inculcanda submissione, quam erga Decreta Romanæ Ecclesiæ habere tenentur Episcopi, & speciali cura, quam S. Sedes habet pro Ecclesia Thessalonicensi. Datô tamen, Papam hîc de se ipso asserere illud, *Dominentur nobis regulæ &c.* fateri utique potest, se subjectum esse Canonibus, qui aliquid Juris Divini aut Naturalis admixtum habent. Vel si ipsi sermo sit de illis Canonibus, qui nonnisi Ecclesiastica Decreta continent, adhuc dicere potest, *Dominentur &c.* eo sensu nempe, quòd illis ultrò se subjiciat, atque omninò rationi consentaneum sit, iis se conformare, atque directivè duntaxat subjici, non verò coactivè.

Ad 6tum Resp. Hæc S. Leonis loca potiùs contra Adversarios facere, quàm pro ipsis. Non enim alio fine ita loquitur S. Leo, quàm ut palam faciat, se jure suo Canonem XXVIII. Concilii Chalcedonensis rejicere, eoquòd Synodus Nicæna de præeminentia & Jurisdictione Episcoporum aliter disposuerat, quàm adducto Canone Concilium Chalcedonense. In isto negotio summè profectò enituit S. Sedis auctoritas; tanta quippe fortitudine huic Oecumenicæ Synodi

Synodi Canoni restitit S. Leo, ut ob hanc renitentiam, qua se arbitrum & Judicem binorum generalium Conciliorum Nicæni, & Chalcedonensis constituebat, memoratus Canon nec vim, nec auctoritatem unquam obtinere potuerit.

Ad 7mum. ex Simplicio, dicimus, ibi sermonem esse de definitione fidei Concilii Chalcedonensis, quam hic Pontifex vult ubique servari. Quis autem unquam dubitavit, quòd Summi Pontifices, æquè ac alii fideles, teneantur credere ea, quæ Concilia generalia circa fidem de consensu S. Sedis definierunt? An non ipsamet Concilia Oecumenica pariter sequi tenentur ea, quæ de fide ab aliis æquè Oecumenicis fuere definita? Quis ex hoc inferat, unum Concilium alteri esse subjectum, minorisque auctoritatis?

Ad 8vum. ex Gelasio, responsionis locô addenda sunt tantummodò ea, quæ prosequitur Pontifex: *Quæ*, Sedes Apostolica, inquit, *& unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit pro suo Principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesiâ nihilominùs subsequente, & tenuit semper, & retinet.* Quòd si ad Papam pertinet omnes Synodos confirmare, & si Gelasius hîc solum loquitur de cura executioni mandandi Synodos aûctoritate Pontificia confirmatas; patet ex hoc loco inferri non posse, Summos Pontifices Conciliis vel eorum Canonibus esse subjectos; è contrariò, per ea verba, quæ mox retulimus, videtur, quòd Gelasius apertè decernat auctoritatem Pontificiam supra Concilia, quippe quæ tanta sit, ut pro suo Principatu & illa confirmet, & moderetur, id est, in eorum Canonibus, prout ipsi visum fuerit, dispenset. Sed clariùs adhuc supremam hanc Summorum Pontificum auctoritatem commendant ea, quæ Ep. 4tâ subjungit Pontifex, & quibus declarat *Conciliorum Decreta quæcunque vim ac robur nullum nonnisi à summi Pontificis consensu habere, quo nonnunquam ab ipso denegato admissa haud fuêre; ipsius esse judicare de universa Ecclesia, ipsum autem à nemine judicari posse.* Unde patet, quòd hic S. Pontifex non censuerit, se eo, quo Gallicani Theologi cupiunt, modô Conciliorum seu Ecclesiæ Canonibus esse subjectum.

Ad 9num. ex Felice, ultrò concedimus, Summorum Pontificum esse, curare, ut Conciliorum Canones à summa Sede confirmati mandentur executioni; at quis inde concludat, quòd ipsi eisdem sint subjecti?

Ad 10mum. ex Gregorio, respond. ea, quæ hîc Pontifex iste profert, intelligi debere de Conciliis generalibus, quæ Sedes Romana suscepit, & approbavit. Idem enim S. Gregorius Ep. 31. lib. 6. asserit, *Ecclesiam Romanam hactenus non recepisse Canones & Acta Concilii II. sed ea solummodò*, quæ adversus Macedonii hæresim definivit. Unde habetur, memoratum S. Pontificem non censuisse, Romanos Pontifices Conciliorum Canonibus, quibus nihil juris divini aut naturalis immixtum e et, debere dici subjectos.

Ad 11mum. ex Martino, dicimus, ea, quæ ipse ad Episcopum Philadelphiæ scribit, potiùs Adversariorum opinioni obesse, quàm prodesse. Ibidem namque in iis ipsis Canonibus, de quibus loquitur, dispensat, mandatque Episcopo illi, ut recipiat eos, qui contra Canones fuerant ordinati, dummodò fidei professionem ederent. Ex iis verò, quæ ad Amandum Trajectensem scribit, non plus eruitur, quàm quòd Summi Pontifices auctoritate polleant Concilia cogendi, quoties id necessitas, aut rerum exigentia postulare videtur; quod pro nostra sententia omninò facit.

Ad 12mum. ex Leone, respondemus 1mo. hoc argumentô nimiùm probari. Si enim sentit Leo, hanc vocem *Filioque* addi Symbolo non posse, quia hanc additionem prohibuit Concilium Constantinopolitanum, sequeretur Gallicanos Episcopos,

scopos', qui eam Symbolo addiderunt, & supra Concilium, & supra Pontificem esse. 2do. Fatemur, Pontifices directivè obligari Decretis Conciliorum, quæ ipsimet confirmârunt, præsertim in materia fidei. Vel ergo errore facti deceptus Leo Carolo Imperatori respondit, se Symbolo Constantinopolitano quidquam addere non posse, quia id ab ipsa Synodo Constantinopolitana, quam Sedes Apostolica confirmârat, prohibitum fuisset; vel prudenti Oeconomiâ uti voluit, maluitque insigne modestiæ suæ argumentum edere, quàm ut, cùm difficilioris indaginis hæc quæstio ipsi videretur, re nondum satis discussâ, additionem illam *Filioque*, quam Carolus Gallicanorum Episcoporum nomine tantoperè urgebat, probare. Hujusmodi Pontificum Oeconomiæ & modestiæ frequentia exempla nobis subministrat Historia Ecclesiastica. At inde non sequitur, Pontifices arbitratos fuisse, se Conciliorum vel Antecessorum suorum Canonibus esse subjectos. Sanè ipse Leo III. ignorare non poterat illa supremæ Romanorum Pontificum auctoritatis monumenta, quæ ipsius Prædecessores frequenter ediderant.

Ad 13tium. ex Nicolao I. petitum, responsio habetur in ipso textu; sic enim loquitur Pontifex: *Sed his tandem omissis, ad ea, quæ cum universa Ecclesia, quæ apud nos est, dispensatoriè consideravimus, stylum jam dirigemus, & cum Beato Gelasio nostræ Sedis Antistite consultè dicemus: necessaria rerum dispositione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum Decreta librare, & retrò Præsulum, Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantùm potest fieri, temperemus &c.* Quid clarius pro suprema Papæ auctoritate in Canones Conciliorum & Ecclesiæ afferri possit, non videmus. Pluribus insuper supremam in universam Ecclesiam auctoritatem Pontificiam ibidem commendat Nicolaus. Et si ex adducto ab Adversariis ipsius textu quidpiam evinci posset, sequeretur manifestè, eos non modò Conciliorum, sed Antecessorum suorum Canonibus esse subjectos, de his enim præcipuè loquitur hic Pontifex.

Ex iis autem, quæ ex ejusdem Papæ ad Photium Ecclesiæ Constantinopolitanæ invasorem Epistola addunt Adversarii, non aliud colligitur, quàm quòd Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum Caput, quæ Sanctiones Synodicas custodit, ac retinet. Quid inde? Ergo Canonibus subjectus est Pontifex? Præclarè admodùm! Ergo, ut probetur, quòd Papa non subjaceat Conciliorum Canonibus, necessum erit, demonstrare, quòd illos pessumdare cum totius Ecclesiæ scandalo possit? Photius contra Canones, pulsô injustô Ignatiô Episcopô, Sedem Constantinopolitanam invaserat; id se non laturum significat Nicolaus Papa; ut videlicet sacris reclamantibus Canonibus, quorum Sedes Apostolica inviolabilis est custos, eam Ecclesiam possideat &c. An non potiùs per hoc auctoritatem Romani Pontificis commendet Nicolaus, quàm deprimat, ipsi judicent Adversarii.

Ad 14tum. denique, quod ex diurno Romanorum Pontificum profertur, Resp. 1mo. eo nimium probari; scilicet, non modò Conciliis & eorum Canonibus Pontificem subjectum esse, sed & Antecessorum suorum Decretis, & Constitutionibus: nam jurant etiam ibidem Romani Episcopi, *se Sacrorum Pontificum Constituta servaturos*. Sequeretur etiam ita hujusmodi Conciliorum Canonibus, & Pontificum Constitutis Papam fore subjectum, ut nec in iis dispensare possit, nisi sacrilegus, juramentique violator audire malit; quod tamen nec ipsi Galli tuentur, ut qui tam crebrò Romanas fores pulsent pro obtinendis hujusmodi dispensationibus. 2do. ex eo, quòd jurarint Sum-

mi

mi Pontifices, se sacros servaturos Canones, non sequitur, illos iis esse aut fuisse subjectos; quin potiùs opportunè inde inferri videtur, quòd illis sint superiores. Si enim coactivè ab aliis ad illorum observationem cogi possent, quid opus foret, ut ad illorum custodiam se juramentô obstringerent? Adeo ut, si id fecêre, nulla ratione id ab ipsis præstitum fuisse videatur, quàm ut, quia à nemine ad hujusmodi Canonum, & Constitutionum observationem cogi se posse ultrò scirent, saltem propriô juramentô ad eam se adstringerent; quemadmodùm ipse Galliarum Rex, qui quoties inungitur, jurat, se Regni & Decessorum suorum statuta, & decreta inviolabiliter servaturum; quin tamen inde inferri possit, ipsum esse illis inferiorem & subjectum.

289 Ob. 7mo. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus annô 1650. cùm annô 1632. aliqui Episcopi criminis læsæ Majestatis accusati fuissent, summusque Pontifex quatuor tantùm Gallicanis Episcopis causam hanc nomine suo dijudicandam commisisset, adversùs hanc innovationem contra Canones hujusmodi Episcoporum causam nonnisi à duodecim Episcopis dijudicari posse statuentes protestatus est datâ ad Innocentium X. Papam Epistolâ. Ergo Canonibus subjectum Pontificem censuit hic Clerus Gallicanus.

Resp. Neg. conf. Ex hac Præsulum Gallicanorum querela nihil contra Summi Pontificis auctoritatem concludi potest. Licitum quippe est quibuslibet Episcopis, cum Summus Pontifex, ubi nulla Ecclesiæ ipsius utilitas, aut necessitas id exposcit, adversùs consuetudinem in ipsorum Ecclesiis per Canones stabilitam quidpiam vult innovare, desuper conqueri; dummodò id modestè, & cum observantia illa fiat, quam Canon 13tius Concilii Oecumenici VIII. præscribit, nempe *cum decenti reverentia de proposita quæstione percunctando, responsumque admittendo, vel utilitatem admittendo, vel dando, non tamen audacter contra senioris Romæ Pontificis sententiam dicendo.* Imò, ut habet Canon 30mus Synodi Triburiensis, *servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licèt vix servandum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, conferant, & pia devotione tolerent Episcopi. Honoranda quippe est Sancta Romana & Apostolica Sedes; ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis.*

Ob. 8vo. Annô 1682. Clerus Gallicanus Declarationem edidit, qua statuit usum Apostolicæ Sedis potestatis per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos moderandum esse. Ergo censuit Papam esse Canonibus subjectum. 290

Resp. Non multum apud nos valere hanc adversùs Summos Pontifices Cleri Gallicani Declarationem, quòd in ea edenda nimisquam partium studia sectati sint Franciæ Præsules. Eam quippe tum procuderunt, cùm acerbæ Coronam Galliæ inter & Summum Pontificem ob Regaliæ(z) extensionem vigerent contentiones, eo, inquam tempore, quo Ludovicus XIV. tam ob Regaliam, quàm alia capita graves cum Innocentio XI. Papa gerebat simultates. Ministri ergo Regii afflicturi Papam Aulæ addictos Præsules eò induxerunt, ut relicta Majorum suorum traditione, & doctrina, quasdam supremæ illius auctoritati infestas declarationes, atque etiam hanc, quæ modò nobis objicitur procuderent, Regioque, ut fertur, Ministerio examinandas & approbandas exhiberent: nec enim ulla apud Gallos valere videtur Præsulum

(z) *Regalia* jus est percipiendi fructus seu redditus Episcopatus alicujus mortuo illius Præsule & Sede adhuc vacante. Jus istud quod Rex ex privilegio summæ Sedis in plerosque Galliarum Episcopatus jam obtinebat, in omnes, adeoque etiam illos, qui servitute hac immunes erant, extendere tentavit; verùm totis viribus obstitit Summus Pontifex, hinc simultates illæ Pontificem inter & Regem &c.

circa rem Ecclesiasticam definitio, nisi à Regio Ministerio comprobata fuerit. Ita ut apud nos hæc Cleri Gallicani declaratio non plus valere debeat, quam Regiorum Ministrorum effatum aliquod.

2do. Cùm Potestas Papæ à Deo sit concredita ad ædificationem, non ad destructionem, nec contra veritatem, sed pro veritate; ultrò concedimus, fas ei non esse, leges Canonicas nullâ aut levi duntaxat ex causâ solvere. Quid enim hoc aliud esset, quàm, contra monitum sapientis, sepem dissipare, & una manu destruere, quod Apostoli, quod Patres tantô laborum, sanguinis, & vitæ impendiô altera manu construxerunt. Verùm quia incidunt interdum causæ, ob quas à jure communi, atque à Canonibus vel Canonum littera recedendum videatur, Papam tunc, qui Canonum non modò Custos & vindex est, sed etiam Interpres, auctoritate pollere tuemur illos interpretandi, ab eis recedendi, eorumque rigorem paternâ indulgentiâ dispensando mitigandi. Neque hoc contra Canones esse sed maximè juxta eosdem antiqui in Summis Pontificibus agnovêre. Absque ulla verò causa Papam Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos unquam violaturum non existimamus. Quòd si tale quid aliqui ejus Officiales tentarent, id unum à Clero Gallicano postularemus, ut scilicet ea ratione se gerere vellet erga Sanctam Sedem, qua se habet erga Regem suum, cùm à Regiis Officialibus injuriam quamdam patitur. Si igitur eô, quem nunc & alibi jam exposuimus modô & sensu hæc Cleri Gallicani declaratio Pontificiam potestatem moderandam intelligit, ultrò eidem manus porrigimus, secus verò, si vult, Papam Canonibus coactivè subjectum esse, procul eam, velut erroneam, rejicimus.

291 Ob. 9no. Concilii VI. Affricani Patres, inter quos sedebat S. Augustinus, graviter apud Cœlestinum Papam expostularunt, quòd Zosimus ejus Decessor Appiarium Presbyterum in Affricana Synodo damnatum, & gradu suô dejectum appellantem suscepisset contra Concilii Nicæni Canones &c. Ergo hi Affricani Præsules censuerunt, Romanum Pontificem Conciliorum Canonibus adstringi iisque subjici.

Resp. 1mo. Fictitiam esse Epistolam illam, quæ Concilio VI. Affricano tribuitur, vel potiùs alii Carthaginensi Synodo, quæ post quinquennium ab hoc, de quo agimus, plenario Affricano Concilio celebrata falsô commentô dicitur, & unde locus, qui nobis objicitur, depromptus est. Certum enim est, Appiarii causam in laudato plenario Carthaginensi, seu Affricano Concilio VI. ita fuisse finitam, ut eidem Româ, quò Sedem Apostolicam appellaverat, revertenti, atque inter alia crimina etiam se falsis sceleribus Urbanum Siccensem suumque Episcopum apud Zosimum infamasse fatenti, necnon delicti veniam poscenti concessum fuerit, ut communioni restitutus, dummodò in Siccensem Episcopatum nunquam deinceps accederet, alibi ubivis posset ex beneplacito Episcoporum, ad quos diverteret, Sacerdotium exercere &c. Hæc Episcopi Affricani in Epistola ad Bonifacium Zosimi Successorem, quam Romanæ Sedis Legati Faustinus Episcopus, Philippus & Asellus Presbyteri Romam secum detulerunt, in qua addunt prædicti Affricani Patres, se donec exemplaria Nicænorum Canonum acciperent, quoad appellationes ad Sedem Apostolicam à Judiciis Episcoporum Provinciæ suæ factas, & quas in Nicænis Canonibus fundatas in suo ad ipsos Commonitorio dixerat Zosimus, morem Summo Pontifici gesturos.

Ad quid ergo altera Epistola illa, ex qua objectio deprompta est, & quæ supponit, Appiarii causam denuò assumptam fuisse, ipsumque omninò excommunicatum? Quid necesse erat post integrum, quod fingitur, quinquennium eandem iterùm in judicium reassumi, ac Faustinum aliosque Romanæ Sedis Legatos in Africam iteratò diri-

dirigere, ut causæ cognitionem denuò susciperent: & si fides nulla habita Romæ fuerat testificationi universalis Synodi de re visa, & audita scribentis, unacum asseveratione revertentium ex Affrica Romanorum Legatorum, quid opus erat altera testificatione alterius post quinquennium Concilii?

Sanè ea Epistola, inquit Cabassutius (*a*), suam apud omnes, qui judiciô & ratione utuntur, prodit suppositionem, simulque Concilii, cui affingitur, fictionem, cujus nullum alibi extat indicium, aut Sæculi illius testimonium.

2do. Datô etiam, hanc Epistolam non esse fictitiam, nihil tamen ex ea pro Affricanis Episcopis concludi potest in præjudicium supremæ auctoritatis Romanorum Pontificum respectu Canonum in Conciliis editorum. Nimis enim timidè hîc scribere finguntur hi Præsules, quàm ut supremæ, ut dictum, in Canones Summi Pontificis auctoritati quidquam derogare velle videantur. *Præfatô*, inquiunt, *debitæ salutis officiô impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis.* Precantur, non quidem ut penitus non admittat eos, qui ex Affrica venirent, sed ut *faciliùs* duntaxat non admittat. Præceperat Zosimus, ne Episcopos Romanam Sedem appellantes impedirent, idque Nicænâ Synodô statutum asseruerat. Hîc finguntur Affricani Præsules dissimulata ad id responsione, absolutè scribere, ne à se ipsis excommunicatos in communionem ultrà, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè recipere velit Pontifex, *quia*, dicere finguntur, *hoc etiam Nicænô Conciliô definitum facilè advertet Venerabilitas tua*, quô quidem citatum à Zosimo Canonem Nicænum Affricani Præsules non reperisse supponuntur. Sed id mirum non est, inquit Eugenius Lombardus (*b*), qui hujus Epistolæ veritatem supponit, quia Patres isti collectione Ruffini utebantur, quam vel ex ipso Athanasio, qui Nicæno Concilio interfuit, constat esse depravatam, & in ea quamplurimos Canones omissos; ipsa verò exemplaria Nicænæ Synodi partim ab hæreticis corrupta, partim incensa fuisse &c.

Sed demus etiam, neque Canonem à Zosimo citatum de admittendis ad Sedem Apostolicam provocationibus inter Nicænos extare; satis omninò esse videtur, quòd Canon ille extet in Concilio Sardicensi etiam Oecumenico, & cui 344. Catholici Episcopi interfuêre. Causa autem cur Zosimus fortè pro Sardicensi Canone Nicænum allegaverit Concilium, hæc est, quia tametsi duo hæc Concilia fuerint Generalia|parisque auctoritatis, Nicænum tamen notius erat, majorique illud veneratione prosequerentur populi, tum quia primùm de Ariana hæresi triumphaverat, tum quia Sardicense non aliam ob causam fuerat coactum, quàm ut in illo confirmarentur Nicæni Decreta, tum denique, quia in Collectione Canonum, quibus utebatur Romana Ecclesia permixti erant Canones Nicæni & Sardicenses sub eadem Nicæni Concilii inscriptione; quod manifestè apparet in Justellianis, & Quesnelianis Nicænorum Canonum editionibus. At verò in Sardicensi Concilio hæc ipsa, quæ Zosimus à Patribus Africanis de Episcoporum quorumcunque ad Romanam Sedem appellandi jure exposcit observari, dissertè sancita leguntur.

Ob. 1mo. S. Augustinus eodem ferè stylô ac Africani Patres ad eundem Cœlestinum Papam scribit (*c*) occasione Antonii Fussalensis Episcopi, qui administratione suæ Ecclesiæ ob scelera sua privatus, Sedem Apostolicam appellaverat; atque Pontificem obtestatur, ut latam in Antonium sententiam vigere sinat. Ergo &c. 292

Resp. Gratis hæc S. Augustino affingi; procul enim ut in memorata Epistola neget, fas non esse Romano Pontifici Episcoporum Sanctam Sedem appellantium causas

(*a*) Notit. Eccles. Sæcul. 5. in Conc. Carthag. VI. annô 418. (*b*) Regal. Sacerd. lib. 2. §. 8. n. 3.
(*c*) Epist. 209. aliàs 261.

sas dijudicare, quin potiùs jus illud omninò in eo agnoscit. Enaratis quippe, quæ in Fussalensi Ecclesia acciderant, enixè eum precatur, ut quæ ipsi directa erant circa Antonium Fussalensem Episcopum momenta omnia recitari sibi curet &c. Enumeratis deinde Cæsariensis provinciæ Episcopis, quorum causas Sedes Apostolica dijudicaverat, vel dijudicatas confirmaverat, laudat Bonifacium Papam, quòd, Pastorali vigilique cautelâ, ea tantùm conditione Antonium absolvendum censuerit, si nempe rerum gestarum ordinem fideliter sibi exposuisse deprehensus fuisset. Adversùs eum deinde S. Augustinus per Christi misericordiam, & sanguinem, per Apostoli Petri memoriam Cœlestini opem implorat, rogatque, ut, modò certior factus eorum, quæ post laudati Papæ Bonifacii litteras in Africa gesta sunt, Apostolicæ Sedis sententiam executioni mandari non permittat; sed tam erga Fussalenses, quàm ipsum Antonium misericordiam impendere velit. Et post alia omnimodæ in Sedem Apostolicam submissionis testimonia tandem hisce Epistolam suam claudit: *Si autem & membra Christi, quæ in illa regione sunt, ab exitiabili timore, ac tristitia recreaveris, & meam senectutem hac misericordiæ justitia fueris consolatus, retribuet tibi & in præsenti & in futura vita, qui per te nobis in ista tribulatione succurrit, & qui te in illa Sede constituit.*

Omnium proinde, quorum mentem partium studia nondum penitùs obcæcaverunt, arbitrio relinquimus, num non ipse S. Augustinus, contra quàm velint Adversarii, hîc agnoscat in Summo Pontifice supremam Africanorum Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellantium lites & causas dirimendi auctoritatem &c.

293
Caput IV.
De Membris Ecclesiæ.

Ecclesiam esse Corpus vivum animâ & corpore constans, cujus anima sunt dona Spiritûs sancti, Fides, Spes, & Charitas &c. Corpus verò externa fidei professio Christianæ, & eorumdem Sacramentorum communio sub legitimis Ecclesiæ Pastoribus, præcipuè autem Romano Pontifice, jam initiò hujus Tractatus annotavimus. Modò nobis exponendum est, Quinam propriè hujus Corporis membra esse censeantur; mentem nostram 5. §phis aperiemus. Sit ergo

§. I.
An soli Prædestinati sint vera Ecclesiæ Membra. 294

Conclusio. Nec omnes, nec soli Prædestinati sunt in Ecclesia Christi. Est contra Wicleffitas, Lutheranos, & Calvinistas.

Prob. 1ma pars. 1mo. Quia nulli manifesti hæretici & infideles ad Ecclesiæ animam & corpus pertinent. Atqui inter istos multi sunt prædestinati, ii scilicet, qui ejuratâ hæresi, & infidelitate abjecta ad Deum convertuntur, & in vera fide ad finem usque perseverant. Ergo &c.

2do. Quia prædestinatio non est ratio formalis Ecclesiæ, seu à qua propriam & formalem, seu essentialem suam accipiat denominationem: Ecclesia enim est visibilis & conspicua, velut civitas supra montem posita: Prædestinatio verò est tota interior & invisibilis; undè fieret, ut illi prædestinati, qui soli ab Adversariis dicuntur esse de Ecclesia, nec se ipsos cognoscerent, nec ipsam Ecclesiam, quod tamen scire multùm interest juxta ipsos Adversarios.

3tio. Prædestinatio non est necessaria, ut aliquis ad Ecclesiam pertineat; cùm & ipsi reprobi in ea contineantur, prout posteà demonstrabimus. Ergo &c. Vide ea, quæ supra Cap. 2. §.6. de Visibilitate Ecclesiæ disseruimus.

Prob. 2da pars. 1mo. Ex variis nominibus, quibus in Scriptura Ecclesia designatur. Comparatur quippe *Agro Dominico*, Matth. 13. In agro autem inter nitentia

tia culta lappæ, tribuli, & steriles dominantur avenæ. *Area*, Matth. 3. In area verò paleæ frumentum operiunt. *Sagenæ* missæ in mare, in qua boni & mali pisces concluduntur, Matth. 13. *Convivio nuptiali*, ad quòd intrârunt boni & mali, & postea mali non habentes vestem nuptialem projiciuntur in tenebras exteriores, unde concludit ipse Christus, Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi;* id est, multi sunt in Ecclesia, quæ est evocatio quædam, sive cœtus vocatorum, qui tamen non omnes sunt de electis. *Decem Virginibus*, Matth. 25. Quarum quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ. *Ovili*, ibidem. In quo sunt oves & hœdi; illæ Christo Interprete significant electos, isti reprobos. Ergo in Ecclesia continentur boni & mali, reprobi sicut prædestinati.

295 Prob. 2do. Ex SS. Patribus, Cypriano, Epist. 51. ad Confessores, & 52. ad Antonianum, quas sæpè laudat S. Augustinus agens contra Donatistas; S. Hieronymô, Dial. adversùs Luciferianos post medium; S. Augustinô, Tract. 45. in Joan. lib. 2. cont. Crescon. Grammaticum; S. Fulgentiô, lib. de fide ad Petrum c. 43. S. Gregoriô Magnô, Hom. 33. in Evangelia; Qui omnes ex iisdem mox indicatis Scripturæ testimoniis nostram probant, & confirmant Conclusionem. Sufficiat hîc retulisse verba ex Breviculo Collationis cum Donatistis tertiâ die c. 9 n. 16. ubi S. Augustinus & plusquam trecenti Episcopi in famosa collatione anni 411. Donatistis multa Scripturæ loca opponentibus, ut ostenderent, peccatores membra Ecclesiæ non esse, nec ad eam ullatenus pertinere, sic loquuntur: *Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est* (nempe militans) *& qualis tunc erit* (nempe triumphans) *significata ut etiam duabus piscationibus: una ante resurrectionem Christi, quando mitti jussit retia, nec sinistram nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum Sacramentorum futuros doceret:* (En Ecclesiam militantem) *post resurrectionem autem, quando jussit retia mitti in dexteram partem, ut post resurrectionem nostram* (in fine mundi) *solos bonos in Ecclesia* (triumphante) *futuros intelligeremus.*

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 296
1mo. Quia Paulus, cùm Ecclesiam persequebatur, non erat in illa, & tamen erat prædestinatus; è contra Judas erat reprobus, quamvis esset in Ecclesia, utpotè Christi Apostolus.

2do. Quia si Ecclesia ex solis prædestinatis constaret, esset invisibilis, & à nemine certò dignosci posset, consequenter nemo teneretur illam investigare; quod absurdum est.

3tio. sequeretur, omnes infideles prædestinatos esse de Ecclesia, quamvis non sint baptizati, cùm tamen Baptismus sit janua ad Ecclesiam; & è contra viros sanctiores necnon baptizatos non prædestinatos non esse de Ecclesia; cùm tamen dicat Apostolus 1. Cor. 12. & Galat. 3. *eos omnes, qui baptizati sunt, Christum induisse.*

4to. Quia ex adversa doctrina sequeretur, omnem Superiorum auctoritatem, ac debitam ipsis observantiam, & obedientiam labefactari, quippe cùm nec oves Pastores suos, nec Pastores oves suas cognoscerent; & nutari omnem non modò Ecclesiæ, sed & fidei ipsius, Scripturæque auctoritatem, ut & omnium Sacramentorum: nemo enim sciret, quæ sit vera fides, vera Scriptura, vera Sacramenta; cùm à sola Ecclesia tutò ea omnes accipere possint, & debeant; unde autem habebit, hanc esse veram Ecclesiam, si tota lateat in prædestinatis?

5to. Vera Christi Ecclesia est per totum orbem diffusa, ut supra ostendimus. (*d*) Atqui hoc erit falsum, si ex solis prædestinatis constet; hi enim sunt pauci, si cum reprobis comparentur. Ergo &c.

Sol-

(*d*) Cap. 2. §. 3. de Catholicitate Ecclesiæ.

297 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Arca Noë fuit figura Ecclesiæ. Atqui in ea non erant nisi salvandi ex aquis diluvii; Ergo in Ecclesia non sunt nisi salvandi, seu prædestinati

Resp. Dist. Maj. Arca Noë fuit figura Ecclesiæ, quoad aliqua, conc. quoad omnia, neg. Maj. In duobus maximè Arca fuit typus Ecclesiæ, 1mo. Sicut in Arca includebantur omnis generis animalia munda & immunda &c. ita in Ecclesia continentur boni & mali, prædestinati, & reprobi. 2do. Sicut extra Arcam nemo salvabatur ab aquis diluvii, ita extra Ecclesiam nulli ad æternam salutem patet aditus. Hanc comparationem inculcant SS. Patres, Cyprianus lib. de unit. Eccles. Hieronymus Epist. ad Damas. de tribus Symbolis. S. Augustinus lib. 5. de Bapt. cap. ult. Non verò Arca Noë fuit figura Ecclesiæ quoad omnia, aliàs sequeretur, omnes baptizatos esse prædestinatos: cùm enim S. Petrus (*e*) comparet Baptismum cum Arca Noë sequeretur, omnes malos, immundos, peccatores salvandos esse, quia immunda animalia pariter ac munda in Arca salvata sunt, quas consecutiones non admittunt nostri Adversarii.

298 Ob. 2do. Ecclesia, quæ est vera Christi sponsa, Cant. 4. v. 12. dicitur, *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium:* quæ omnia propter electos & prædestinatos dicta fuisse docet S. Augustinus lib. 5. de Bapt. c. 27. Ergo &c.

Resp. 1mo. Hæc S. Augustinus intellexit de Ecclesia triumphante: *Ubicunque,* ait, (*f*) *Ecclesiam commemoravi non habentem maculam neque rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* 2do. Ecclesia militans per Synecdochem (*g*) potest dici hortus conclusus, fons signatus &c. scilicet propter prædestinatos; sic etiam Scriptura sæpè tribuit aliquid toti, quod tantùm parti convenit. 3tio. Dicitur *hortus conclusus &c.* quod solis extraneis, & à fide alienis occludatur: Sicut ergo in horto etiam concluso vepres simul admixti reperiuntur cum floribus, & spinæ cum rosis, sic etiam in Ecclesia simul cum sanctis & prædestinatis sunt reprobi. 4to. Ea, quæ in Canticis de Sponsa dicuntur, non sunt necessariò de Ecclesia intelligenda, sed etiam de Beata Virgine Maria; item de qualibet anima perfecta, quod ultimum probabiliùs videtur.

Ob. 3tio. Ecclesia est unum Ovile 299
Joan. 10. v. 16. Atqui istius Ovilis oves sunt soli & omnes prædestinati, ut innuit Scriptura ibidem. Ergo &c.

Resp. neg. min. Nam etsi interdum S. Scriptura per nomen Ovis denotet prædestinatos, subinde tamen etiam significat alios, quàm prædestinatos, omnes scilicet tam bonos, quàm malos, qui externa saltem fidei professione pertinent ad Ecclesiam; quo sensu Christus Joan. 21. v. 18. allocutus est Petrum: *Pasce oves meas;* & Psal. 73. v. 1. dicitur: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Et Ezechiel. 34. ubi describuntur oves Dei aliæ pingues, aliæ macilentæ, aliæ sanæ, aliæ ægrotæ.

Ob. 4to. Apostolus Hebræorum 3tio 300
innuit nos non pertinere ad domum Dei, id est, Ecclesiam, nisi firmam fidem, & spem retineamus. Atqui soli prædestinati retinent firmam fidem & spem usque ad finem. Ergo &c.

Resp. Apostolum hîc hortari Hebræos, ut in fide & vita Christiana perseverent, neque propter varias tentationes, & Judæorum persecutiones animô frangantur, &

(*e*) 1. Pet. c. 3. v. 21. (*f*) Lib. 2. Retract. c. 18. (*g*) *Synecdoche*, figura Rethoricæ, qua ex parte totum, vel ex toto pars intelligitur.

& à fide deficiant; adeoque eum agere tantùm de perseverantia in Domo Dei, quasi hinc concludere deberent Hebræi, parum esse, quòd essent membra Ecclesiæ, nisi usque in finem perseverarent.

Adde, nos esse Domum Dei, seu Ecclesiæ ipsius membra perfecta, si perseveremus in fide, & charitate, quia tunc non tantùm sumus in corpore Ecclesiæ, sed etiam ipsius animæ hisce fidei, spei & charitatis vinculis conjungimur; secus equidem ipsius membra sumus, sed imperfecta, & mortua.

301 Ob. 5to. Christus non potest esse Caput nisi illius Ecclesiæ, quam salvabit. Atqui ad hujusmodi Ecclesiam pertinent soli prædestinati. Ergo &c.

Resp. Neg. maj. Christus enim eo modo est Caput Ecclesiæ, quo dicitur Salvator. Atqui est Salvator non modò prædestinatorum, sed & omnium hominum, saltem sufficienter, quamvis non efficienter. Ergo est Caput Ecclesiæ, quam salvabit sufficienter saltem, si non efficienter.

§. II.

302 *An soli Justi & perfecti sint membra Ecclesiæ.*

Quæstio hîc est, utrum Ecclesia ex solis justis ac perfectis constet; & an non etiam peccatores admittat & contineat.

Conclusio. Non ex solis justis & perfectis constat Ecclesia; sed etiam admixtos habet imperfectos, & peccatores. Est contra Novatianos & Donatistas, novissimè autem contra Protestantes, qui illorum errorem innovarunt. Hic etiam erat error Pelagianorum, qui etiamnum imperfectos, id est, levioribus peccatis obnoxios, ab Ecclesia excludebant.

Prob. Conclusionis 1ma pars: Duo sunt genera justorum; vel enim sunt, qui nulla, vel etiam veniali labe unquam fuère maculati; vel sunt, qui, quamvis venialia peccata admiserint, lethali tamen noxa nunquam coinquinati fuerunt. Atqui ex solis primi generis hominibus nullatenùs Ecclesiam constare, vel ex eo patet, quòd sic ad solum Christum & Beatam Virginem contrahenda foret, quia hi duo soli, ille per naturam, hæc per gratiam ab omni culpa fuerunt immunes. Restat ergo, ut probemus, non ex solis secundi generis justis Ecclesiam constitui; Quod est secunda pars Conclusionis. Igitur

Prob. 2da pars. 1mo. Ex S. Scriptura, in qua variis nominibus, figuris, & parabolis Ecclesia adumbratur, quas præcedenti §. retulimus, & quæ manifestant, Ecclesiam continere admixtos bonos & malos, justos & peccatores.

2do. Quia Christus jubet peccatorem ad Ecclesiam deferri, Matth. 18. v. 15. & si eam non audierit, ab ea removeri & ejici. Ergo supponit hujusmodi peccatores in Ecclesia contineri, à qua ejici non debeant, nisi ob contumaciam.

3tio. Quia Christus jubet, ut faciamus, quod mali Præpositi & Doctores dicunt, non quod faciunt. Ergo hi sunt in Ecclesia.

4to. Matth. 24. v. 9. Christus sub nomine mali servi percutientis conservos suos, & bibentis cum ebriosis describit malos Ecclesiæ Præpositos, qui dum comessationibus & voluptatibus indulgent, officia sua negligunt, & patrimonia dissipare non verentur; ut docent SS. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus &c. ad hunc locum. Ergo &c.

5to. Quia, ut memorat Apostolus 1. Corinth. 5. in Ecclesia Corinthiorum erant contentiones, & quidem peccaminosæ, ob quas illos objurgat, erat incestuosus, quem Paulus gravissimæ pœnitentiæ subjecit. Atqui Ecclesia Corinthiorum erat vera Christi societas, & Ecclesia. Ergo &c.

Prob. 2do. Ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione, quam Pelagianis & Dona- 303

Donatistis statim ac exortus est eorum error, opposuère SS. Patres, præcipuè S. Augustinus in tribus libris contra Epistolam Parmeniani; in tribus libris contra Epistolam Petiliani, & alibi passim, ubi docet, esse in Ecclesia bonos & malos, justos & peccatores. Ergo &c.

304 Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 1mo. Quia Sacramentum pœnitentiæ non est aliorum, quàm eorum, qui sunt in Ecclesia. Atqui illud non est aliorum, quàm peccatorum. Ergo &c.

2do. Quia sanctitas hominum est interna, & invisibilis. Ergo si hæc requiritur ad Ecclesiæ constitutionem, Ecclesia erit invisibilis. Atqui Ecclesiam non esse invisibilem probavimus supra cap. 2. §. 6. Ergo &c.

3tio. Quia sicut membrum corporis humani quamvis mortuum sit, tamen quamdiu hæret corpori, verè dicitur illius membrum. Ergo etiam peccatores pertinent ad corpus Ecclesiæ, suntque illius membra, vi professionis ejusdem fidei externæ, eorumdemque Sacramentorum participationis, quamvis mortua & imperfecta, quia scilicet illius animam non participant ob defectum charitatis, quæ est illius pars interna & nobilior.

305 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Cant. 4. v. 7. de Ecclesia dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Item Apostolus Ephes. 5. v. 27. vocat Ecclesiam *sanctam & immaculatam.*

Resp. 1mo ad 1mum. Ille textus intelligi debet de Ecclesia triumphante, non verò militante. Ita S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19. & lib. 2. cap. 18. 2do. Etsi intelligatur de Ecclesia militante, nihil tamen nobis officit; nam Ecclesia militans est tota pulchra & sine macula quantum ad doctrinæ veritatem, morum sanctitatem, quam præcipit, ac docet, non autem propter vitæ justitiam, quæ fit in singulis ejus membris. Vel *tota pulchra &c.* dicitur, quòd sit Corpus Christi mysticum variis distinctum membris & ordinibus eam inter sese dispositionem habentibus, quam ejus pulchritudo requirit. Hanc varietatem egregiè describit Apostolus 1. Corinth. 12. Vel tota pulchra &c. dicitur, comparativè ad veterem Synagogam, & alias Ethnicorum Hæreticorumque Sectas; prout loquitur S. Augustinus lib. 2. de Civit. Dei c. 28. Vel denique *tota pulchra &c.* nuncupatur, sumpta denominatione à parte nobiliori Ecclesiæ, animâ scilicet ipsius, quæ in Fide, Spe, Charitate, cæterisque virtutibus posita est.

Ad textum Apostoli eadem est responsio; non enim alia ratione præsentis temporis Ecclesia dicitur immaculata, quàm quòd in præstantioribus suis membris nullam prorsùs habeat hujusmodi maculam.

Vel, ut vult S. Augustinus lib. de perfect. justitiæ cont. Cœlestium, dicitur immaculata, quia fundatur per Baptismum, Fidem, & Charitatem; non tamen ita perficitur hæc mundatio, ut prorsùs immaculata dici possit, donec Christus eam sibi exhibeat in altero Sæculo gloriosam sine macula & ruga; prout loquitur Apostolus cit. loc.

Ob. 2do. Isai. 52. v. 1. De Sion, id est Ecclesia Christi dicitur: *Non adjiciet ultrà, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Et vers. 11. *Recedite, recedite exinde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Quem locum exponens Apostolus 2. Cor. 6. v. 18. addit, *Et recipiam vos dicit Dominus;* quibus verbis videtur effici, Deum in Ecclesiam non admittere nisi eos, qui se ab immundis peccatoribus separant, cujus rationem reddit Apostolus loc. cit. v. 14. & 15. *Quæ enim*, inquit, *participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ conjunctio Christi cum Belial.* Ergo &c. 306

Resp.

Resp. 1mo. cum S. Augustino lib. cont. Donat. post Collationem cap. 8. & 20. Et in Breviculo Collationis diei 3tiæ. Verba Prophetæ esse intelligenda de Ecclesia triumphante. Quod verò additur *Recedite &c.* intelligi de separatione, quæ debet fieri animô & moribus, non autem corporali discessione ab eodem Templo, & Sacramentis. Eodem modo intelligendus est Apostolus; non enim prohibet, Corinthios habitare cum infidelibus, aut cum iis cibum sumere, aut etiam habere conjuges infideles, & cum illis habitare, sicut constat cap. 7. v. 12. Sed iis tantùm arctam cum infidelibus societatem prohibebat, ne videlicet periculum oriretur cum iisdem in moribus, & Religione communicandi.

Resp. 2do cum S. Cyrillo in citatum Isaiæ locum; juxta sensum historicum agi de temporali persecutione Judæorum, ita ut sensus sit: cùm à captivitate redieris, non adjiciet ultra, id est, in longum tempus, aliquis infidelis persecutor per terras tuas, eas vastando, pertransire. Secundùm mysticum sensum verò sermonem esse de Ecclesia, & prædicere Isaiam, fore, ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam, incircumcisi enim, & immundi hostes Ecclesiæ sunt præcipuè Dæmones.

Pari ratione, quod sequitur *Recedite &c.* secundùm sensum historicum intelligitur de Judæis, quos hortatur Isaias, ut exeant de Babylone, cùm finitum sit tempus captivitatis. Juxta mysticum sensum autem intelligitur de Christianis, qui debent post Baptismum separari ab infidelium cœtibus, Templis, Sacrificiis, conjugiis & cæteris rebus, quæ quoquo modo ad Religionem pertinent. Atque sic locum hunc intellexit & citavit Apostolus 2. Corinth. 6. Non enim de commercio cum quibusvis peccatoribus, sed solùm cum infidelibus agit: *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus, quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus Templi Dei cum Idolis?*

Ob. 3tio. Apostolus 1. Cor. 10. v. 17. 307
loquens de universo fidelium cœtu ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Atqui panis ex frumento duntaxat perficitur, non verò ex paleis admixtis. Item Rom. 8. v. 9. *Si quis autem*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et 1. Corinth. 12. v. 13. *In uno Spiritu*, ait, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Atqui peccatores & improbi non habent Spiritum Christi. Ergo non sunt ejus, adeoque nec in ipsius Ecclesia.

Resp. ad 1mum. 1mo. Comparationes & similitudines non in omnibus sunt urgendæ. In hoc valet adducta comparatio, quòd sicut ex multis granis per aquam fit unus panis, ita ex multis hominibus per gratiam Baptismi & Spiritum sanctum fit unus populus Dei.

2do. Panis non tantùm ex puro frumento perficitur & constat, sed interdum mali homines ei admiscent grana lolii, aut alia à tritico diversa. 3tio. Certum est juxta Apostolum, in Ecclesia malos esse bonis admixtos de uno pane Eucharistico participantes; aliàs tam acriter illos non argueret, qui indignè de illo pane manducarent.

Ad 2dum Resp. Eos, qui Spiritu Dei aguntur, & habent in se diffusam charitatem per Spiritum sanctum, pertinere ad Christum tanquam viva membra & palmites fructuosos in vite, adeoque perfectè esse in Ecclesia. Malos verò seu peccatores esse membra Christi mortua, arida, imperfecta, motum tamen aliquem habentia tum propter externam communionem cum reliquo corpore, quod Spiritu Christi movetur, & qui nunquam Ecclesiam deserit; tum propter externam fidem, quæ motum aliquem exercet.

308 Ob. 4to. S. Augustinus passim contra Donatistas probat, immeritò ab iis repeti Baptismum ab hæreticis collatum, eoquòd hi non sint in Ecclesia, cùm tamen ab improbis collatum non repetant, qui æquè parùm sunt in Ecclesia. Ergo juxta illum Ecclesia solis constat justis.

Resp. Ibi S. Augustinus conficit argumentum, quod vocant, ad hominem, atque ex principiis Donatistarum contendentium, Sacramenti valorem pendere à probitate Ministri, quia Spiritum sanctum dare non posset, qui illum non haberet, solis item justis Ecclesiam constare, probat, secundùm ipsos æquè reiterandum esse Baptismum ab impiis collatum, ac ab hæreticis. Ergo juxta S. Augustinum improbi non sunt in Ecclesia tanquam viva ipsius membra animata per charitatem, & ad sensum Donatistarum, qui alia non admittebant Ecclesiæ membra. At sunt in Ecclesia, quamvis tanquam membra arida & mortua, quia habent cum cæteris membris eandem externam fidei professionem, eandem participationis Sacramentorum communionem.

309 Inst. 1mo. Quare ergo idem S. Augustinus lib. 5. cont. Donat. cap. 27. refellit S. Cyprianum, qui scripserat, improbos esse in Ecclesia, adeoque validum esse eorum Baptismum?

Resp. S. Augustinus non improbavit S. Cyprianum, quòd diceret, improbos esse in Ecclesia; imò ex professo hanc ipsius sententiam probat lib. 4. cont. Donat. cap. 12. Sed quia S. Cyprianus tuebatur, ideò hæreticos non esse in Ecclesia, quia non habebant Spiritum sanctum; consequenter & invalidum esse Baptismum ab ipsis collatum; illum arguit S. Augustinus, quòd eadem ratione sequeretur improbos non esse in Ecclesia, cùm nec hi habeant Spiritum sanctum, consequenter & invalidum fore Baptismum ab ipsis collatum.

310 Inst. 2do. S. Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 18. & lib. 7. cap. 51. necnon alibi passim docet, solos Sanctos esse illam Ecclesiam, quæ fundata est supra firmam Petram. Atqui hæc est Ecclesia militans. Ergo &c.

Resp. Dist. maj. S. Augustinus docet solos Sanctos esse de Ecclesia in genere causæ finalis, quia nempe omnia privilegia, quæ à Deo concessa sunt Ecclesiæ universæ, propter solos Sanctos concessa sunt, & in eorum utilitatem ac salutem, conc. solos Sanctos esse de Ecclesia in quocunque alio genere causæ scilicet efficientis, materialis & formalis, quasi Ecclesia pro statu hujus vitæ ita fuerit instituta, ut solis debeat constare Sanctis, neque ejus Sacramenta per alios, quàm Sanctos, possint administrari, neg. maj. &c. Quid sint causæ efficiens, materialis, formalis, & finalis Ecclesiæ vide sup. c. 1. §. 2. hujus Tractatus.

Quodammodò etiam dici possunt impii non utcunque ad Ecclesiam pertinere, utpotè qui ejus partem nobiliorem ac præcipuam, animam scilicet non participant &c. & hoc sensu ait S. Augustinus solos Sanctos esse de Ecclesia interna nempe, non verò externa, id est, de anima non de corpore Ecclesiæ.

311 Ob. 5to. aliquot Rationes. 1mo. Ecclesia est Sancta; Ergo non constat nisi ex Sanctis. 2do. Qui non habent Deum Patrem, non possunt habere Ecclesiam Matrem. Atqui. Ergo. 3tio. Si mali essent Ecclesiæ membra, in eos aliquid influeret Christus, qui ipsius caput est. Atqui Christus nihil influit in malos. Ergo.

Resp. ad 1mum. Dist. ant. Ecclesia est sancta in se & formaliter, quia quæcunque ad eam constituendam concurrunt, sancta sunt, conc. Ecclesia est sancta materialiter & subjectivè, quasi omnes homines, ex quibus coalescit, sint sancti, neg. ant. & cons.

Ad 2dum

Ad 2dum. Quamvis daremus, improbos non habere Ecclesiam Matrem, non tamen sequeretur, eos in ea non esse; in domo enim seu familia, non tantùm sunt filii, sed etiam familiares & servi, licèt hi non maneant in domo in æternum, sed soli duntaxat filii, ut dicitur Joan. 8.

Deinde, cùm dicitur, improbos non habere Deum Patrem, id intelligendum est, quòd scilicet non sint filii Dei per imitationem, vel regenerationem & gratiam adoptionis; quamvis sint filii Dei, adeoque & Ecclesiæ per institutionem & doctrinam.

Ad 3tium. Dicimus, non aliter Christum in improbos influere, quàm per gratias actuales, quibus ipsi resistunt, cùm sint Ecclesiæ membra arida & mortua, quæ nullam vim vitalem aut motricem intùs à Capite suscipiunt; sed pro sui cum aliis membris contignitate exteriori Capiti subsunt, & ab eo motu quodam externo simul cum aliis moventur.

§. III.

312 *An Hæretici sive publici sive occulti sint in Ecclesia.*

S. Augustinus lib. 7. de Baptismo cap. 51. Hæreticos in duos ordines generatim distribuit, in manifestos seu publicos, qui disruptis retibus sunt extra domum; & in occultos seu latentes, qui nondum disruptis retibus in domo remanent, alicujus temporalis commodi desiderio.

De utrisque quæritur, sintne vera Ecclesiæ membra necne. Qua de re sit

Conclusio 1ma. Hæretici publici & manifesti non sunt propriè & verè in Ecclesia, in qua una salus obtineri potest.

Prob. Conclusio 1mo. ex Scriptura. Tit. 3. v. 10. ait Apostolus: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Hoc est, prout interpretatur S. Hieronymus, se ipsum ab Ecclesia ejicit, ipsam Episcopi sententiam atque judicium quodammodò præveniens.

1. Joan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt,* inquit Apostolus, *sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Id est, ex nobis exierunt, quia erant nobiscum in eadem Ecclesia; sed non erant ex nobis secundùm divinam electionem; prout exponit S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ c. 8.

Prob. 2do. iisdem Patrum & Concili- 313
liorum sententiis & textibus, quibus suprà Cap. 2. §. 1. probavimus Ecclesiam ita esse unam, ut omnes alias hæreticorum Sectas excludat; quæ vide.

Prob. 3tio ratione Theologica. Quia 314
illi nullatenùs sunt in Ecclesia, qui nec corpus ejus, nec animam participant. Atqui Hæretici manifesti nec corpus nec animam Ecclesiæ participant. Ergo &c. Non quidem corpus participant; non enim habent eandem externam cum illa fidei professionem, nec eorumdem Sacramentorum communionem, nec legitimis Pastoribus adhærent; quæ tria tamen sunt constitutiva corporis Ecclesiæ. Neque animam ejus participant; non enim habent fidem veram, quia Ecclesiam, quæ est hujus depositi custos, audire renuunt; qui autem Ecclesiam non audit, is tanquam Ethnicus & Publicanus haberi debet; non etiam habent charitatem, charitas enim Christiana, ait S. Augustinus lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 77. nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri; fides autem & charitas sunt præcipua animæ Ecclesiæ constitutiva. Ergo &c. Vide ea argumenta quæ cit. §. 1. c. 2. protulimus.

315 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Parabola Agri apud Matth. cap. 13. ubi dicitur *Homo bonum semen seminasse, cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici.* Agrum Ecclesiam interpretantur SS. Patres, gramen bonos Catholicos, paleas malos & peccatores, zizania verò Hæreticos. Ergo Hæretici etiam manifesti sunt in Ecclesia.

Resp. 1mo. Datô, per agrum intelligi Ecclesiam; non tamen aliud ex hac parabola eruitur, quàm quòd hæretici manifesti sint quidem admixti fidelibus, at non sequitur, eos esse in Ecclesia, quia non habent eandem cum illa fidei professionem, eandem Sacramentorum participationem, eandem ab uno visibili capite Romano scilicet Pontifice dependentiam. Quodsi per zizania occulti hæretici intelligantur, fatemur hos esse in Ecclesia, sed imperfectè, proùt mox ostendemus.

Resp. 2do. Meliùs juxta plerosque SS. Patres Agrum illum interpretari ipsum Mundum, in quo utique sunt hæretici. Huic interpretationi apertè favet ipse Christus ibidem (*b*), ubi ait: *Qui seminat bonum semen, est filius hominis, ager autem est mundus &c.*

316 Ob. 2do. Apostolus 2. Timoth. 2. v. 20. ait: *In magna domo esse quadam vasa in honorem, quadam in contumeliam.* Per *domum* denuò intelligunt Patres Ecclesiam, per *vasa contumeliæ* hæreticos. Ergo &c. Ita præter alios S. Ambrosius, seu Auctor Commentariorum in omnes S. Pauli Epistolas, qui sub nomine Ambrosii circumferuntur.

Resp. Multos ex SS. Patribus præsertim Græcis *Domum* hîc interpretari mundum universum. Qui ex Latinis *Domum* Ecclesiam interpretantur, *vasa autem in contumeliam* hæreticos, intelligendi sunt de hæreticis occultis; vel si etiam de manifestis, tunc dicimus, hos dici posse esse in Ecclesia, sed latiori significatione, & valdè impropria, ratione Baptismi videlicet, & aliquorum, quæ ipsi retinent, Sacramentorum. Illos potiùs de domo, quàm in domo esse asserit Augustinus lib. 3. de Bapt. qui utramque hanc responsionem adhibet.

S. Cyprianus per *vasa* hæc infirmos duntaxat & malos Catholicos intelligit Ep. 52. ad Antonianum.

Auctor verò Commentarii in Epistolas S. Pauli nullius est auctoritatis, quem non Ambrosium esse, sed vel Pelagium, aut Hilarium Luciferianum, eruditi volunt.

Ob. 3tio. S. Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 10. ait, Societatem Donatistarum adjunctam esse Ecclesiæ Catholicæ in uno Baptismate. Ergo juxta S. Augustinum Donatistæ erant in Ecclesia, adeoque & alii hæretici. 317

Resp. Ibidem S. Augustinus asserit Donatistas esse separatos ab Ecclesiæ vinculo charitatis & pacis, convenire autem ei in collatione Baptismatis. At ex hoc minime sequitur, eos fuisse in Ecclesia, quod nec ipse Augustinus asserit, quin potiùs lib. de unit. Eccles. cap. 4. lib. 2. cont. Petilian. cap. 77. lib. 3. de Bapt. c. 41. ait: *Omnes hæreticos nullatenus ad Ecclesiam pertinere.*

Quodsi contendas propter Baptismum, cujus dandi jus, & auctoritatem retinent hæretici, eos dici posse aliquatenus Ecclesiæ conjunctos, nostrô judiciô non est tanti momenti hæc quæstio, ut attentionem aliquam mereatur, sufficit, quòd verè & propriè non sint in Ecclesia.

Ob. 4to.

(*b*) Matth. 13. v. 37.

318 Ob. 4to. Ecclesia tantùm in suos jus habet, non in alienos; *Quid enim mihi est de iis judicare, qui foris sunt*, ait Apostolus, 1. Corinth. 5. v. 12. Atqui Ecclesia jus habet in hæreticos, utpotè quos punit, & anathemate percellit. Ergo pertinent ad Ecclesiam.

Resp. Ecclesiam jus habere in omnes, qui vel pertinent, vel pertinere debent ad eam; at hæretici titulô Baptismi pertinent ad Ecclesiam, licèt è sinu suo eos ejiciat.

319 Ob. 5to. Baptizati, & Sacerdotes sunt Ecclesiæ membra. Atqui remanet in hæreticis character Baptismi, & Sacerdotii. Ergo &c.

Resp. hos characteres non sufficere, ut quis dici possit in Ecclesia; enimverò in damnatis etiam remanent hi characteres, & tamen S. Thomas dicit (*i*), damnatos nec actu, nec potentiâ esse membra Christi, qui character sacramentalis per se non habet vim uniendi hominem cum Christo Capite, sed est merum signum potestatis, & unionis cujusdam, quæ anteà præcessit, nec ampliùs perseverat.

320 Ob. 6to. Apostolus 1. Corinth. 11. v. 18. asserit in Ecclesia Corinthiorum fuisse hæreses; & cap. 15. v. 12. notat, aliquos inter Corinthios negasse resurrectionem. Atqui Corinthii erant in Ecclesia. Ergo &c.

Resp. Vel intelligendum esse Apostolum de aliquibus, qui erant inter Catholicos, quamvis de Ecclesia non essent; vel dè iis, qui inter Catholicos sic perversè vivebant, quasi nulla futura esset resurrectio; vel de iis, qui clam ita sentiebant, & ideò nondum ejecti erant ab Ecclesia; vel denique de iis, qui palam quidem negabant resurrectionem, in Templum tamen simul cum Catholicis conveniebant, quia nondum facilè poterat Ecclesia eos è sinu suo ejicere.

Ob. 7mo. Qui vera habent Sacramenta, quibus multi gratiam consequuntur, ii certè sunt in Ecclesia Christi. Atqui hæretici habent vera Sacramenta &c. Ergo &c. 321

Resp. Neg. maj. quoad primam partem, nempe eos omnes esse in Ecclesia, qui habent vera Sacramenta. Ratio est, quia Sacramenta illa ad veram Ecclesiam pertinent, quæ discedentes ab ea hæretici secum asportarunt; neque tamen propterea ad Ecclesiam pertinere dicendi sunt, nisi sensu maximè improprio, & cum hac restrictione, ratione Baptismi scilicet, & aliorum Sacramentorum.

Ad alteram verò ejusdem propositionis partem, nempe per Sacramenta in hæresi suscepta multos gratiam consequi, Resp. cum distinctione; Multi gratiam consequuntur, qui non consentiunt hæresi, sed necessitate quadam ab hæreticis Sacramenta percipere coguntur, quales sunt infantes, adulti, qui simplici corde veritatem quærunt, parati ei adhærere, ubi primùm eam cognoverint conc. Istos enim sibi generat Ecclesia per uterum ancillarum, inquit S. Augustinus. Multi gratiam consequuntur, qui hæresi consentiunt, nec tantùm *materialiter*, ut ajunt, sed etiam *formaliter* sunt hæretici. Neg. Hæc quoad primam Conclusionem. Modò ponitur

Conclusio 2da. Hæretici occulti sunt in Ecclesia, sed imperfectè duntaxat, & quantum ad Corpus ejus, seu partem externam, & visibilem. 322

Prob. 1ma pars 1mo. Quia Charitas non minus est Ecclesiæ essentialis, quàm fides interna. Ergo cùm improbi, ut §. præce-

(*i*) 3. Part. quæst. 8. art. 3.

præcedenti demonstravimus, quamvis charitate destituantur, tamen sint in Ecclesia, ita & hæretici occulti, quamvis fide interiori destituantur, sunt tamen in Ecclesia, etsi imperfectè, & tantùm quoad ejus partem visibilem, & exteriorem, ut dictum.

2do. Si præcisè propter defectum fidei internæ aliquis non est in Ecclesia, ne quidem imperfectè; duo sequuntur absurda, 1mo. Quòd quamprimùm Pastor aliquis, seu Episcopus in occultam hæresim incidit, omni destituatur auctoritate, nullamque ampliùs in Ecclesia obtineat jurisdictionem; ac proindè invalidi sint & nulli omnes actus ipsius, qui aliàs à vera jurisdictione dimanare debent; tuentur quippe SS. Patres, Cyprianus passim in suis Epistolis; Optatus lib. 1. cont. Parmenian. Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 2. Hieronymus Dial. cont. Luciferian. Augustinus in Enchirid. cap. 65. Eos omnes, qui sunt extra Ecclesiam, nullam omninò habere in Ecclesia auctoritatem & jurisdictionem; non enim intelligi potest, qua ratione, qui ne quidem membrum imperfectum Ecclesiæ est, possit esse ejus Pastor, & Doctor. Ergo &c.

Secundum absurdum est, quòd sic Ecclesia fieret invisibilis, neminique constare posset, quisnam hominum cœtus sit vera Ecclesia; quomodò enim dignosci posset, in quibus sit vera & interior fides? Ergo hæretici occulti sunt membra Ecclesiæ, sed imperfecta, præcisa quidem interiùs, ut loquitur S. Augustinus, lib. 4. de Bapt. cont. Donatist. cap. 16. & lib. de unit. Eccles. cap. ult. & Tract. 3. in Epist. S. Joan. num. 4. sed non omninò exteriùs præcisa.

323 Prob. 2da pars. Quia illi sunt imperfectè tantum in Ecclesia, & quoad partem ejus visibilem, qui ejus fidem exteriùs saltem profitentur, ejus Sacramenta participant, atque ejus Pastoribus subjiciuntur; fidem autem non habent, nec proindè charitatem. Atqui tales sunt hæretici occulti. Ergo &c. Propter istum fidei & charitatis defectum dicit S. Augustinus, locis supra citatis, ejusmodi hæreticos, jam quidem ab Ecclesia præcisos esse, non externa, ut per se patet, præcisione, cùm occulti sint, & Ecclesia de occultis non judicet; sed interiori, quia nempe de anima Ecclesiæ exclusi, omni vitæ spiritualis sensu destituti sunt.

Solvuntur Objectiones. 324

Ob. 1mo. Fides est fundamentum & velut forma Ecclesiæ; *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, inquit Apostolus Ephes. 4. v. 6. Item, *Ut sapiens Architectus fundamentum posui.* 1. Corinth. 3. v. 10. Quæ omnia conveniunt fidei internæ, & de sola interna possunt intelligi. Ergo qui fide interna destitutus est, ille verè dici non potest pertinere ad Ecclesiam.

Resp. 1mo. Fidem quidem objectivè sumptam, id est, pro Christo, qui est fidei objectum, esse fundamentum Ecclesiæ, non autem fidem sumptam formaliter pro actu vel habitu, per quem creditur in Christum. Ait enim Apostolus cit. cap. 1. 1. Cor. v. 11. *Christum esse fundamentum, præter quod aliud statui non potest.*

2do. Etsi Apostoli textus Ephes. 4. v. 6. intelligeretur de fide formali, quia tamen fides non dicitur Ecclesiæ fundamentum, sed justitiæ & doctrinæ, quæ est in Ecclesia, nihil ex eo adversùs nos inferri potest.

3tio. Datò, quòd fides dicatur fundamentum Ecclesiæ, id tamen intelligendum est de toto Ecclesiæ corpore simul & collectivè sumpto; Ecclesia enim stare non potest sine fide interna & charitate virtutibus illi essentialibus. Non verò de unoquoque Ecclesiæ membro distri-

butivè

butivè sumpto, quasi sine fide interna nullus possit esse Ecclesiæ membrum, quamvis mortuum; si enim quis absque charitate potest esse Ecclesiæ membrum, quidni etiam sine fide interna?

325 Ob. 2do. Ecclesia definitur societas fidelium. Atqui hæretici occulti non sunt fideles. Ergo &c.

Resp. Ecclesiam esse societatem fidelium non tantùm eorum, qui interiùs sunt fideles; sed etiam eorum, qui exteriùs fidem profitentur, quales sunt hæretici occulti, qui quia exteriùs cum Ecclesiæ corpore conjuncti sunt, ad illud etiam pertinent, quamvis impropriè.

326 Ob. 3tio. Non sufficit ritus exterior Baptismi sine vero Baptismo. Ergo nec fidei exterior professio sine vera fide.

Resp. Necessarium esse verum Baptismum, ut aliquis sit in Ecclesia, quia externis saltem vinculis cum ea debet conjungi; & qui exteriùs ritu legitimo baptizatur, ille præsumitur verè baptizatus: pariter, qui exteriùs fidem profitetur, hac professione & Sacramentorum participatione colligatur Ecclesiæ corpori.

327 Ob. 4to. Qui non habet communionem internam cum Capite Ecclesiæ, non est veræ Ecclesiæ membrum. Atqui hæretici occulti non habent communionem internam cum Capite Ecclesiæ. Ergo non sunt membra veræ Ecclesiæ.

Resp. Neg. maj. Sunt enim hæretici occulti veræ Ecclesiæ membra, sed arida, mortua, & imperfecta, & necdum amputata.

328 Ob. 5to. Qui excommunicatus est excommunicatione latæ sententiæ, non ampliùs est in Ecclesia. Atqui quicunque incidit in hæresim saltem expressè ab Ecclesia damnatam etiamsi in occulto, ipso tamen facto incidit in Excommunicationem latæ sententiæ. Ergo &c.

Resp. Intelligendam esse propositionem de Excommunicatione publica, nam excommunicati occulti, ut posteà dicemus, aliquo modo sunt in Ecclesia, numerô scilicet, non meritô; de facto, non de jure. Hinc juxta communiorem sententiam, etsi Episcopus sit occultus hæreticus, non tamen ideo amittit dignitatem suam & jurisdictionem, donec aut Ecclesiam publicè deseruerit, aut hæresis convictus, ab ea separatus fuerit.

§. IV.

Utrum Schismatici sint in Ecclesia. 329

Schisma generatim significat quamlibet animorum scissuram, seu dissensionem sive in fide, sive in disciplina. Propriè autem Schisma significat separationem ab unitate Ecclesiæ non sine contemptu auctoritatis ipsius Ecclesiæ. Est ergo Schisma *spontanea ac voluntaria separatio ab Ecclesia.*

Differt ab hæresi, quamvis utrumque unitatem & communionem Ecclesiæ violet, quòd hæresis propriè fidem, Schisma verò charitatem & disciplinam impetat, prout exponit S. Thomas 2. 2. q. 39. Art. 1. ad 3.

Veteres tamen sæpe asserunt, Schisma in hæresim desinere, quia Schismatici violatæ per secessionem suam charitati addunt pertinacem contumaciam adversùs Ecclesiæ decreta, ejusque auctoritatem contemnunt, necnon sacram Scripturam, quæ Ecclesiam ipsam commendat. Hinc post sententiam Concilii Nicæni, Synodi Oecumenicæ Constantinopolitanæ I. & Ephesinæ non solùm Novatianos, sed etiam Quartodecimanos (*k*), recensent inter hære-

(*k*) Quartodecimani erant ii, qui ipsa die Lunæ decimæ quartæ mensis Martii Pascha, contra totius Ecclesiæ consuetudinem, celebrabant, scilicet cum Judæis. Hoc circa Paschalem solemnitatem dissidium contigit circa annum Christi ducentesimum; Quartodecimani isti à Papa Victore fuerunt reprehensi.

hæreticos, licèt hi ob nudam disciplinæ quæstionem ab Ecclesia discessissent. His prælibatis ponitur

CONCLUSIO.

330 Schismatici nullatenus sunt in Ecclesia.

Prob. 1mo. ex sacra Scriptura. Quia ibidem, ut c. 2do. §. 1mo. exposuimus, Ecclesia dicitur *una*, *unum ovile*, *unum corpus Christi*, *una domus &c.* Atqui huic unitati plane opponitur Schisma, utpote, quod divisionem & separationem importat.

331 Prob. 2do. ex SS. Patribus. S. Cyprianus Ep. 69. *Ecclesia*, inquit, *quæ Catholica est, una est, scissa non est, nec divisa; sed utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutinô copulata.* Et lib. de unit. Eccles. dicit, *Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non est; ut intelligeremus scindi posse Ecclesiam, sed non ut vestes scinduntur, ita, ut omnes partes æquè maneant vestis partes; sed ut ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore vivente; rivulus à fonte, qui mox arescit, fonte fluente; & radius à Sole, qui continuò deficit, Sole permanente.*

S. Optatus lib. 1. cont. Parmen. de Schismaticis n. 11. hæc eloquitur: *Deserta Matre Catholica impii dum foras exeunt, & se separant, ut vos fecistis, à radice Matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.* Et lib. 2. easdem comparationes adducit, quas S. Cyprianus primùm laudatus.

S. Chrysostomus Hom. 11. in Epist. ad Ephes. docet, *Schismaticos similes esse manui à corpore præcisæ, quæ mox desinit esse membrum.* Ibidem ait, *Schismaticos esse in altera Ecclesia, licèt in fide & dogmatibus cum vera Christi Ecclesia consentiant.*

S. Hieronymus in Cap. 3. Ep. ad Titum. *Inter hæresim & Schisma*, inquit, *hoc est, arbitramur, quòd hæresis perversum dogma habeat, Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet.*

S. Ambrosius lib. 1. de excessu fratris sui Satyri n. 47. ait, *Schismaticos, etsi fidem erga Deum teneant, tamen erga Dei Ecclesiam non tenere, cujus patiuntur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari; Ecclesiam esse corpus Christi, hinc non videri ab his Christo exhiberi fidem, à quibus corpus ejus distrahitur.*

S. Augustinus passim adversùs Donatistas demonstrat, Schismaticos non esse in Ecclesia, cujus unitatem disrumpunt. Vide, quæ habet lib. de fide & symbolo c. 10.

Denique Ecclesia in die Parasceves orat pro hæreticis & Schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur; quod certè non faceret, si eos crederet in Ecclesia esse.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 332
1mo. Quia de ratione Ecclesiæ est, ut sit una unione membrorum inter se, & cum suo Capite. Atqui hanc unionem tollit Schismaticus, dum se à communione Capitis & aliorum membrorum separat. Ergo &c. 2do. Quia Schismaticus neque pertinet ad Animam, neque ad Corpus Ecclesiæ; non ad Animam, siquidem violat pacem & charitatem; non ad Corpus, quod scindit, & à quo recedit, vel non obediendo Pastoribus legitimis, vel privatos confessus instituendo.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo. Cùm Jeroboam Rex Israel 333
decem Tribus Israel divisit à Tribu Juda, vetuitque, ne ampliùs Jerosolymam accederent, factum est verum Schisma. Atqui extra Ecclesiam veterem non fuerunt illæ Tribus; tum quia à duabus reliquis Tribubus Juda nempe & Beniamin fratres appellabantur; tum quia ad eos mittebat Deus

Deus Prophetas, Eliam, Elisæum & alios. Ergo &c.

Resp. Inter Israelitas, Schismaticos & extra Ecclesiam seu potiùs Synagogam verè fuisse illos, qui Principi obsequentes Idolo Baal sacrificabant; non verò illos, qui, quòd ob edictum Principis Jerosolymam se conferre non auderent, animô tamen & affectu verum Dei cultum retinebant; qui plurimi erant, unde non mirum, quòd reliquæ duæ Tribus eos fratres appellaverint.

334 Ob. 2do. Nascente Christi Ecclesia, fuêre duæ societates & communiones Neo-Conversorum in ea, Judæorum videlicet, & Gentilium; quarum illa ab hac planè separata erat, nec in ullo, etiam exteriori, vinculo cum ipsa conjuncta ritus legales omnes servans, contra quàm facerent Gentiles. Ergo Judæi erant verè Schismatici, & tamen nusquam velut tales ab Ecclesia præcisi, & alieni habiti sunt ab Apostolis.

Resp. Dist. ant. Et illi Judæi, qui ex Apostolorum conniventia, ut nempe facilius Evangelium susciperent, legalia observantes, quòd nondum essent mortifera, nihilominùs quoad cætera cum conversis Gentilibus conveniebant, atque eos ut fratres habebant, eosdem ac ipsi Apostolos & Pastores sequebantur, nullo cum dictis Gentilibus Religionis vinculô conjungebantur, Neg. Judæi illi, qui, post Concilii Jerosolymitani definitionem, contendebant, Circumcisionem, & Legalia planè ad salutem esse necessaria, ac Gentes huic jugo subjiciendas fore, atque ob id ex Ecclesia ejecti sunt, nullo cum Gentilibus conversis vinculo conjuncti erant, Conc. ant. Duplicis ergo generis fuerunt Neo-Conversi ad Christum Judæi; quorum quosdam toleravit Ecclesia, alios rejecit. Illi cum Gentilibus exteriori Religionis vinculô colligati fuerunt; istos ad hæreticorum numerum abjecit Ecclesia; unde patet solutio objectionis.

Inst. 1mo. Quidam Judæi, qui Petro adhærebant, unacum Apostolo isto se à mensis Gentilium separabant. Ergo manet argumentum. 335

Resp. Id fuisse in Petro vitium conversationis & imprudentiæ, quod palam, & in faciem redarguit S. Paulus, ut habetur c. 2. Ep. ad Galat. Non verò doctrinæ; & hoc semel tantùm factum est.

Inst. 2do. Judæi legis æmulatores, de quibus fit mentio Act. 21. v. 20. ab Apostolis tolerabantur in Ecclesia; ii tamen Apostolum ex Templo ejecerunt tanquam legis Mosaicæ contemptorem, & desertorem. Ergo &c. 336

Resp. Hos Judæos fuisse ex Asia & necdum ad Christum conversos, ut patet ibidem v. 26. Aliorum enim Judæorum legis æmulatorum offensioni & præjudiciis satisfecit Paulus, cùm se in Templo purificavit, ut habetur eodem Cap. v. 26.

Inst. 3tio. Pharisæi & Saducæi haud dubiè erant Hæretici, vel Schismatici; nihilominùs cum aliis Judæis in Templo congregabantur Religionis officiô. Ergo &c. 337

Resp. Plerosque ex Pharisæis non fuisse hæreticos, quamvis Sectam quamdam constituerent, prout ostendit Serarius. Saducæos verò fuisse hæreticos, tamen à Judæis toleratos, sive quia potentes erant, & gratiâ plurimum valebant apud Principes; sive quia difficile fuisset eos è Templo sine periculo seditionis ejicere; sive denique quia timidiores & negligentiores erant tunc Judæi, nec quidquam adversùs illos tentare audebant.

Ob. 3tio. Multi nunc sunt, & olim fuerunt Schismatici à communione Romani Pontificis separati, quos tamen extra veram Christi Ecclesiam fuisse nemo dixerit; ut 1mo. Omnes Sectæ Orientales, & universa græca Ecclesia. 2do. Omnes Asianæ Ecclesiæ, quas Victor Papa ratione Paschatis excommunicavit. 3tio. S. Cyprianus & Firmilianus quos Sæculo 3tio 338

propter errorem rebaptizantium excommunicavit Stephanus Papa. Ergo &c.

Resp. Ecclesias Orientis verè esse Schismaticas, quia centro unitatis, Romano nempe Pontifici non adhærent, quamvis non omnes illarum Societatum fideles propriè Schismaticos esse dicamus, nec enim illi sunt Schismatici, qui affectu & animo Capiti Ecclesiæ adhærent, sicut nec hæretici sunt, qui eidem animo & affectu conjunguntur, quamvis hæresim re ipsa sectentur, prout affirmat S. Augustinus Ep. 43. aliàs 162. Neque etiam propterea Ecclesia Romana crudelitatis argui debet, quòd asserat, eos omnes salvos fieri non posse, qui deserunt Ecclesiam, aut certè SS. Patres, qui idipsum affirmant, etiam crudelitatis argui debent.

Ad 2dum. Negamus Asianas Ecclesias ratione celebrationis Paschatis à Victore Papa fuisse excommunicatas; neque enim ultrà minas perrexit hic S. Pontifex.

Similiter ad 3tium respondemus. Prout testantur, ipse Firmilianus Epistolâ ad S. Cyprianum, Eusebius lib. 5. c. 35. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. c. 47. Augustinus lib. 5. de Bapt. cont. Donat.

339 Ob. 4to. Post ortum Sæculo 14to inter Urbanum VI. legitimum Papam, & Clementem VII. Antipapam Schisma, tota Gallia & Hispania, quæ Clementi adhæserunt, fuerunt in Schismate; nemo tamen dicet, eas fuisse extra Ecclesiam. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Quia dubium erat, quisnam esset legitimus Pontifex, & bona fide omnes adhærebant ei, quem legitimum Papam esse putabant; atque in eo dubio & contentione expectabant Ecclesiæ universalis judicium circa verum & legitimum Pontificem. Si quis ergo error fuit, facti erat, non dogmatis; omnes enim in hoc consentiebant, legitimo videlicet Pontifici, tanquam supremo Ecclesiæ Capiti, esse obsequendum.

Reliqua, quæ ex historiæ memoria nobis objiciunt Adversarii vel agunt de iis, qui, cùm Schisma fecissent, posteà Ecclesiæ reconciliati fuerunt, ut factum est occasione Meletii, & Pauli pro Antiochena Ecclesia contendentium. Joannis Antiocheni, qui, cùm priùs separatum à Concilio Ephesino Conventum habuisset, brevi post tamen Cyrillo, qui eidem Concilio nomine Pontificis præerat, reconciliatus, amicè deinde ab ejusdem Synodi Patribus tractatus fuit. Vel de iis agunt, qui verè Schismatici fuerunt, atque se ipsos ab Ecclesiæ communione separaverunt, vel ob crimina & hæreses à Romano Pontifice ex ea fuerunt ejecti. Quibus adversùs nostram sententiam nihil concludi potest.

Ob. 5to. S. Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. ait: Rectè facere Catholicos, quòd Dei Sacramenta etiam in ipso Schismate non improbent; rationem addit his verbis: *In quo enim nobiscum sentiunt, in eo etiam nobiscum sunt .... si ergo, qui recessit ab unitate .... ita vult agere, sicut in unitate agitur, ubi hoc accepit, & didicit, in eo manet, atque conjungitur.* Ergo unitas Ecclesiæ, juxta S. Augustinum, est posita in unitate Sacramentorum & doctrinæ, non verò in unitate loci & congregationis; consequenter Schismatici adhuc possunt esse in unitate Ecclesiæ, modò agant, quod agitur in unitate illa. 340

Resp. Conc. textum, & neg. id, quod ex eo infertur. Nunquam negavimus Schismaticos, imò & hæreticos cum Ecclesia Catholica in plurimis convenire, sed contendimus, ea, in quibus conveniunt, non sufficere, ut verè sint in Ecclesia. Imò supponit ibidem S. Augustinus, Donatistas unitatem deseruisse: atqui, juxta eundem, separatio ab unitate excludit & à corpore, & ab anima Ecclesiæ; ab anima, quia est maximum flagitium; à corpore, quia separat à communione Ecclesiæ. Nihil ergo aliud vult

S. Au-

S. Augustinus, quàm quòd Schismatici id duntaxat cum Ecclesia commune habeant, quòd Sacramenta validè administrent, & conservent.

341 Ob. 6to. Qui servant essentialem Ecclesiæ Catholicæ communionem, ii sunt vera Ecclesiæ membra. Atqui Schismatici illam servant; consistit enim in communione cum Christo per exteriorem fidei professionem. Ergo &c.

Resp. Dist. maj. Qui servant &c. qualem Christus instituit, & Ecclesia exigit; id est, communionem cum Christo per fidem, & cum legitimis Pastoribus per obedientiam & subjectionem ipsis debitam, ii sunt vera Ecclesiæ membra, conc. Sine tali subjectione &c. Neg. maj. &c. Porrò Schismatici hanc excutiunt, & idcirco Schismatici sunt, atque extra Ecclesiam.

§. V.

Utrum Excommunicati, Infideles & Catechumeni sint in Ecclesia.

342 Excommunicatio est censura, seu pœna Ecclesiæ, per quam Christianus bonis Ecclesiæ communibus privatur, suffragiis scilicet, Sacrificiis, Sacramentis &c.

Ferendæ autem Excommunicationis sententiæ auctoritatem Ecclesiæ Pastoribus competere vi clavium demonstrant ipsa Christi verba Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Hac quoque auctoritate usus est Apostolus erga Corinthium incestuosum, quem Sathanæ tradidit, id est, excommunicavit, 1. Cor. c. 5. v. 3.4. & 5.

Certum porrò est, illum, qui injustè excommunicatur, atque ab Ecclesia pellitur, ad ejus animam adhuc pertinere; imò neque de illo desperandum esse, qui justa plectitur excommunicatione, docet S. Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. c. 17. n. 26. His prælibatis, ponitur

CONCLUSIO I.

Excommunicati verè non sunt in Ecclesia. 343

Prob. 1mo. ex S. Scriptura Matth. 18. v. 17. Christus jubet rebelles & contumaces Christianos, qui Ecclesiam audire nolunt, haberi tanquam Ethnicos & Publicanos. Atqui hi non sunt in Ecclesia. Ergo Christus censuit Ecclesiæ rebelles, & contumaces Christianos, atque ab Ecclesia ejectos, cujusmodi sunt excommunicati non esse in Ecclesia.

Prob. 2do. ex SS. Patribus. Tertullianus in Apolog. c. 39. Excommunicationem appellat censuram divinam, & futuri judicii præjudicium: *cùm nempe,* inquit, *si quis ita deliquerit, ut à communione orationis, & conventus, & omnis sacri commercii,* adeoque ab ipsa Ecclesia, *relegetur.* 344

S. Cyprianus Ep. 62. ad Pompejum, Excommunicationem appellat gladium spiritualem: *Spiritali gladiô,* inquit, *superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur; neque enim vivere possunt, cùm Domus Dei una sit, & nemini salus nisi in Ecclesia esse possit.*

Eusebius lib. 5. Hist. c. 24. significat, *hunc esse Excommunicationis effectum, ut ab Ecclesiæ unitate faciat prorsùs alienos.*

S. Hieronymus in Cap. 3. Epist. ad Titum: *Fornicator,* inquit, *adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur.*

S. Augustinus lib. de unit. Eccles. c. ult. ait, *Excommunicari, esse visibiliter præcidi ab Ecclesia.* Et lib. de Corrept. & Grat. c. 15. dicit, *per Excommunicationem separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia.*

345 Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 1mo. Quia per Excommunicationem privantur Christiani omni commercio spirituali, quod habent tanquam unius & ejusdem Ecclesiæ partes, & membra inter se, prout dicit Tertullianus in Apolog. c. 39.

2do. Quia Excommunicationis pœna eum locum habet in Ecclesia Christi, quem habebat pœna mortis in veteri Testamento, & quem etiamnum habet in Regnis & Ditionibus Principum temporalium, sicut observat S. Augustinus quæst. 39. in Deuter.

3tio. Quia omnium pœnarum, quæ infligi possunt in Ecclesia, nulla gravior est Excommunicatione, sicut expressè docet S. Augustinus lib. de Corrept. & Gratia c. 15.

4to. Quia Excommunicati nec ad corpus, nec ad animam Ecclesiæ pertinent: non ad corpus, utpote à cujus communione exteriori sunt præcisi; nec ad animam, cùm supponantur contumaces in suis delictis.

346 Quod Infideles spectat, notandum, dari Infideles publicos & manifestos; hi planè, etsi baptizati sint, nullo pacto ad Ecclesiam pertinent, sicut nec hæretici publici. *Quid enim*, inquit Apostolus, (*l*) *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Sunt etiam Infideles occulti, qui se fidelium cœtibus admiscent. De his, si sint Baptizati, idem sentiendum ac de occultis hæreticis. Quodsi Baptizati non sint, ad corpus Ecclesiæ nonnisi fictè & secundùm exteriorem speciem pertinere videntur. Carent enim Baptismo, per quem patet aditus ad Ecclesiam. De hoc argumento plura dicere non est necesse, siquidem, quæ superiùs circa Hæreticos disputata sunt, accommodari hìc facilè possunt.

347 Quod denique Catechumenos spectat, qui, ex Isidoro Hispalensi (*m*), secundùm nominis Etymologiam Auditores dicuntur, quòd fidei doctrinam adhuc audiant, necdum tamen sint baptizati; quæritur, num ad Ecclesiæ Corpus duntaxat pertineant; nam dubium non est, quin ratione internæ fidei, ac charitatis ad animam Ecclesiæ pertinere possint, etiam antequam actu sint baptizati; imò velut certum supponimus, illos desideriô, affectu, & animô ad Ecclesiam tunc pertinere, & salvos fieri posse. His prænotatis ponitur

CONCLUSIO II.

Catechumeni non sunt actu & perfectè 348
vera Corporis Ecclesiæ membra.

Prob. 1mo. Quia nondum Christo inserti sunt per Baptismum, per quem aditus aperitur ad Ecclesiam, & solemnis fit Christianæ Religionis professio.

2do. Quia nullum jus habent ad Sacramenta Ecclesiæ, & alia, quæ communia sunt cæteris fidelibus ob defectum Baptismi, qui est primus gradus omninò necessarius ad hoc, ut quis jus acquirat ad omnia Sacramenta.

Prob. 2do. ex SS. Patribus, qui Ca- 349
techumenos semper distinxerunt à reliquis fidelibus. Ut Tertullianus lib. de præscript. c. 41. S. Gregorius Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma. S. Chrysostomus hom. 24. in Joan. S. Cyrillus lib. 12. in Joan. Unde colligitur, Catechumenos non esse in Ecclesia actu & propriè, sed tantùm in potentia; quemadmodùm homo conceptus, sed nondum formatus & natus, non dicitur homo, nisi potentiâ.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo. contra 1mam Conclusio- 350
nem. S. Augustinus lib. cont. Donat. post collationem Cap. 20. ait: *à populo Dei non*

(*l*) 1. Cor. 5. v. 12. (*m*) Lib. 7. Originum c. 14.

non separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus. Atqui per populum Dei intelligitur Ecclesia ipsa. Ergo &c.

Resp. Hìc vel loquitur Augustinus de separatione perpetua, quæ est sine spe salutis & reditus; vel per Ecclesiam intelligit numerum salvandorum; vel, quod probabilius est non separari à populo Dei, idem ipsi est, ac non separari à bonis & sanctis hominibus, qui maximè sunt populus Dei, & viva Corporis Christi membra: quia nempe Excommunicatio per se & directè nunquam hominem privat interiori communione, quæ fit per gratiam & charitatem.

351 Ob. 2do. Excommunicatio est medicina quædam spiritualis instituta in utilitatem eorum, qui excommunicantur. Atqui non esset in eorum utilitatem, si ex Ecclesia ejicerentur. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Si ita ejicerentur ab Ecclesia, ut nulla spes eis relinqueretur ad eam redeundi, conc. secùs, neg. min. Ecclesia non alio fine excommunicat, quàm ut hac medicinali pœnâ suos emendet, ac invitet, ut in sinum suum redeant omni deposita rebellione, & contumacia.

352 Ob. 3tio. Contra 2dam Conclusionem. Extra Ecclesiam nemo salvari potest. Atqui Catechumeni salvari possunt. Ergo non sunt extra Ecclesiam.

Resp. Dist. maj. Extra Ecclesiam sumptam tam pro anima quàm corpore, nemo salvari potest, conc. sumptam pro corpore, subdisting. si quis in illa non sit propriâ culpâ conc. secùs, neg. maj. Catechumeni sunt in Ecclesia quantùm ad animam; quantùm ad corpus verò sunt quidem extra Ecclesiam actu, sed non desideriô, nec propriâ culpâ.

353 Ob. 4to. Catechumeni, utpote, qui ad animam Ecclesiæ pertinent, non minùs de ea esse debent, ac improbi Catholici, qui tantùm ad ejus corpus pertinent. Atqui hi sunt de Ecclesia. Ergo & illi.

Resp. Improbos magis pertinere ad Corpus Ecclesiæ, quam Catechumenos, qui votô tantùm & desideriô ad illud pertinent. Ad animam verò illius magis pertinent Catechumeni, si fidem & charitatem habeant.

Ob. 5to. Etsi olim pœnitentes publici à cæteris fidelibus secernerentur, ab Ecclesiæ ingressu arcerentur, neque Sacrificiis publicis, & orationibus interesse, necnon Sacramenta percipere permitterentur, non tamen dicuntur fuisse extra Ecclesiæ sinum. Ergo licèt Catechumeni distinguerentur à cæteris fidelibus, non tamen inde sequitur, eos fuisse extra Ecclesiam. 354

Resp. Hoc esse discrimen inter publicos pœnitentes, & Catechumenos, quòd illi essent Ecclesiæ filii, quos Ecclesia corrigebat; at Catechumeni, ut habet S. Augustinus Tract. 12. in Joan. erant filii, quos Ecclesia concipiebat, necdum tamen parturierat, primùm edendi in Baptismo. Illi retinebant jus ad Sacramenta, & communionem post pœnitentiam percipiendam; isti nullum jus adhuc in bona filiorum acquisiverant.

Ob. 6to. S. Augustinus Tract. 4. in Joan. videtur reponere in Ecclesia Catechumenos: *futuri erant*, inquit, *aliqui in Ecclesia excellsioris gratiæ Catechumeni.* Ergò. 355

Resp. Dist. textum. Futuri erant in Ecclesia impropriè, in potentia & voto, conc. propriè & actu, quasi fuerint propria & vera Ecclesiæ membra, neg. Ita S. Augustinus lib. 2. de Symb. ad Catechumenos c. 10. & Tract. 12. in Joan. & eo ipso loco, unde desumpta est hæc objectio, loquitur de Catechumenis, qui meliores se aliis arbitrantes, dedignabantur venire ad Baptismum. At certum est, ejusmodi Catechumenos propriè non esse in Ecclesia; sed tantùm hoc sensu, quòd, cùm nomen suum dederint, ut ejus albo inscriberentur, censebantur in voto ad eam utcunque pertinere.

CAPUT

356 ## Caput V.

De visibili Ecclesiæ Capite Romano scilicet Pontifice.

CHristum esse Caput essentiale ac invisibile Ecclesiæ jam initiò præsentis Tractatus adnotavimus. De Capite ergo Ecclesiæ hìc acturi, illud duntaxat intelligimus, quod est ministeriale, visibile, & externum, Romanum nempe Pontificem, per excellentiam ita nuncupatum, propter primatum honoris & jurisdictionis, quem super omnes Episcopos & fideles in Ecclesia tenet. De eo ergo hìc quatuor nobis veniunt inquirenda. 1mo. An S. Petrus primatum supra cæteros Apostolos à Christo acceperit. 2do. An Romanus Pontifex primatûs prærogativâ jure divino in Ecclesia fruatur. 3tio. An in causis fidei & morum definiendis errare possit. 4to. An auctoritatem & potestatem aliquam in res temporales Principum habeat; quæ singulis Paragraphis expediemus. Sit ergo

§. I.

357 *An S. Petrus Primatum non tantùm honoris & dignitatis, sed etiam potestatis & jurisdictionis acceperit à Christo Domino.*

Hæc quæstio iis præludere videtur, quæ postmodum de auctoritate & præeminentia Romani Episcopi supra cæteros Antistites & fideles elocuturi sumus. Cùm enim Romanus Pontifex aliam non habere possit auctoritatem, quàm quæ ipsimet S. Petro, cujus successor esse dignoscitur, à Christo concessa fuit super alios Apostolos; certè, si S. Petrus æqualis fuit in omnibus cum cæteris Apostolis, nulla consequenter suprà Episcopos, qui Apostolorum cæterorum sunt successores, Romano Pontifici auctoritas erit tribuenda.

Hinc Novatores nostri, ne quidpiam auctoritatis Romano Pontifici tribuere videantur, ipsorum Antecessoris S. Petri super cæteros Apostolos primatum, & auctoritatem etiamnum impugnare audent. Contra quos proinde sit

Conclusio. 358

S. Petrus primatum accepit à Christo supra alios Apostolos.

Prob. Conclusio 1mo ex S. Scriptura. Matth. 16. v. 18. & 19. Christus S. Petrum hisce alloquitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. . . . . Et tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis &c.* Ex quibus sic conficitur argumentum: Ille primatum obtinuit à Christo, super quem Christus suam Ecclesiam ædificat, & cui claves Regni Cœlorum promittit, necnon ligandi & solvendi auctoritatem. Atqui Christus super Petrum suam Ecclesiam ædificat &c. &c. Ergo &c.

Maj. patet ex eo, quod petræ fundamentalis hoc proprium sit, ut totum ædificium regat & sustentet; Ergo quem Christus constituit fundamentum Ecclesiæ suæ, illi etiam eamdem regendi auctoritatem tribuit, adeoque primatum. Neque aliter id exponunt SS. Patres suô locô à nobis adducendi. Imò idipsum Christus apertè innuit per subsequentia verba hæc: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum &c.* quibus utique primatum & præeminentiam supra cæteros fideles, adeoque & Apostolos designavit.

Min. prob. 1mo. Quia de propria Petri persona hæc intelligenda sunt: nam 1mo id ipsum innuit ipse litteralis textus. 2do. Quia Christus, auditâ, quam fecerat Petrus, divinitatis suæ confessione, in præmium hujusce confessionis singulare aliquod privilegium ipsi indulget; quodnam vero illud? nempe prærogativa prima-

primatûs supra cæteros Apostolos his verbis expressa, *super hanc petram ædificabo &c.* 3tio. Quia clarum est, pronomen demonstrativum *hanc* positum esse locô relativi *quam;* perinde ac si Christus dixisset, *Tu es petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam.* 4to. Quia ex ipsis verbis consequentibus: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* patet, verba ista ad Petrum pertinere; absurdum quippe foret, tam paucis verbis rerum ac personarum mutationem fieri. Et hanc esse mentem SS. Patrum suô locô demonstrabimus.

2do. Ex Joan. cap. 21. vers. 15. 16. & 17. ubi Christus Petrum alloquens, ter quæsivit ab illo: *Petre amas me?* terque ipsi oves commendavit his verbis: *Pasce oves meas.* Nemo sanæ mentis non facilè deprehendet, quòd hîc Dominus Petrum speciali quadam ratione Ecclesiæ suæ Pastorem constituerit, ipsique suarum ovium, id est, totius Ecclesiæ curam demandando, totam Ecclesiam commiserit. Id profectò agnovit tota retrò antiquitas, prout mox ostendemus.

3tio. Ex cap. 22. Luc. v. 32. Ubi, *Ego rogavi pro te Petre*, inquit Christus, *ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Duas hic textus includit prærogativas S. Petro præ cæteris Apostolis à Domino concessas. 1ma. Quòd Christus dicat, se rogasse, ut non deficeret fides illius; cùm enim jam destinatus esset fundamentum, Pastor, Caputque Ecclesiæ, magis pro illo curandum erat, quia illius error & casus in doctrina fidei omnium error & casus foret; nec primo errante Pastore alius esset major, qui illum corrigeret. Orat igitur Christus specialiter pro Petro, ut *cæteris Apostolis à Sathana expetitis*, prout loquitur textus, *ipsius non deficiat fides*, quòd ab isto magis, quàm ab aliis Apostolis Ecclesia & Religio penderet.

Secunda prærogativa illis verbis continetur, ut Petrus suos fratres, id est fideles omnes in fide confirmet, ac conservet. Confirmare autem ad eum præcipuè pertinet, qui majoris est auctoritatis, & potestatis, ut patet in confirmationibus omnium electionum, alienationum, Testamentorum &c. Et ita hunc textum intellexerunt SS. Patres, prout statim exponemus.

4to. Ex prærogativis S. Petri, quas commemorat S. Scriptura. Vix enim Salvator cœlos ascenderat, cùm statim in collegio Apostolorum primatum suum exercet, ubi cùm proposuisset, supplendum esse in dicto Collegio infelicis Judæ locum, universus cœtus ei detulit, Act. 1.

Post Spiritûs sancti descensionem ubique Petrum cæteris Apostolis prælatum videmus, omnes ei cum silentio auscultant. Act. cap. 2. Ipse claudum ad portam Templi sanat, atque hujus miraculi populo, qui illuc convenerat, rationem reddit. Solus Judæos in die Pentecostes alloquitur, scelusque exprobrat, quod Christum crucifigendo contraxerant, atque, ut in eum credant, hortatur. Ipse solus cum S. Joanne audacter Principibus Sacerdotum & Magistratibus respondet, cap. 4. Ipse solus præclara patrat miracula, quippe de ipso solo refertur, quod umbra ejus varios morbos curaverit. Ipse solus Judaicam Ecclesiam, id est, primos fideles regit, Ananiamque & Saphiram, ob commissam fraudem, morte damnat, cap. 5. Ipse solus ad prædicandum Gentibus Evangelium primùm destinatur, cap. 10. & 11. Ipse solus in Concilio Jerosolymitano sententiam pronuntiat, necnon Auctor est Decreti de Legalium abrogatione, cap. 15. Et cùm in carcere detinetur, universa Ecclesia pro ipsius liberatione ad Deum preces fundere non desistit. Ipse denique, ubi ab Evangelistis numerantur Apostoli,

non modò primus collocatur, sed etiam esse primus dicitur. Matth. 20. v. 2, Marci 3. v. 16. Luc. 6. v. 14.

359 Prob. 2do. Conclusio ex SS. Patribus. Ex Græcis. Origenes Hom. 2. de diversis, appellat S. Petrum *summum Apostolorum verticem.* Et in cap. 6. Epist. ad Rom. *Petro*, inquit, *cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum, velut super petram, fundaretur Ecclesia &c.*

Eusebius lib. 2. Hist. cap. 14. vocat Petrum *fortissimum, & maximum inter Apostolos, & virtutis merito reliquorum omnium Principem, & Patronum.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 2. & 11. Petrum appellat, *Apostolorum Principem ac supremum.*

S. Basilius Proëmio de Judicio Dei, *Beatus ille Petrus*, inquit, *omnibus Discipulis prælatus, cui soli majora data quàm aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves Regni Cælorum concreditæ sunt.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. *Vides*, inquit, *quemadmodùm ex Christi Discipulis magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat &c.*

S. Epiphanius hæres. 51. *Petrum*, inquit, *elegit, ut Dux esset Discipulorum.* Et in Anchorato, *Hic est*, ait, *qui audivit* Pasce agnos meos, *cui creditum est ovile.*

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. *Præ aliis*, inquit, *emicat ille cæterorum Caput & Princeps, & ait tu es Christus Filius Dei vivi.*

Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem, *Hortamur te*, inquit, *frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia* Beatus Petrus, *qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

S. Chrysostomus Hom. 55. in Matth. *Ecclesiæ Pastor & Caput*, inquit, *est homo piscator & ignobilis.* Et infra, *Jeremiam*, ait, *uni genti Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus præposuit.* Item Orat. 8. adversùs Judæos, *Petrus*, inquit, *adeò abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus.* Et Hom. 3. in Act. Apost. appellat Petrum *Chori Apostolici Principem, qui ubique primus omnium incipit loqui.* Denique Hom. 87. in Joan. vocat Petrum *os, Principem, & verticem Apostolorum*, & Hom. ult. aliquoties repetit, *Petro fratrum*, id est, Apostolorum, *curam demandatam esse, & orbem totum demandatum.* Priùs, Hom. scilicet 83. in Joan ita differuerat: *Non dixit, non negabis, sed ut non deficiat fides tua, curâ enim ipsius & favore factum est, ne omninò Petri Sedes evanesceret.*

Eutymius in cap. ult. Joan. bis repetit, *Petrum accepisse præsidentiam super Discipulos, atque totius orbis Magistrum esse constitutum.*

Theophilactus in cap. 22. in Luc. in illud, *Confirma fratres tuos: Clarus*, inquit, *hujus intellectus is est; quia te habeo ut Principem Discipulorum, postquam negatô me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum; & quamvis brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua.*

Hugo Ethivianus, qui quamvis Latinus fuerit, Græcè tamen scripsit, & in Aula Emanuelis Imperatoris fuit circa annum 1160. lib. 3. c. 7. de Processione Spiritûs sancti, *Ex ipsa*, inquit, *rei evidentia liquidò apparet, quòd Petrum, ejusque successorem Christus Principem &*

Caput

Caput non modò Latinorum & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis universi, verùm etiam Armenorum, Arabum, Judæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in pertuum constituit.

Beatus Theodorus Studites Epist. ad Paschalem Papam, *Audi*, inquit, *Apostolicum Caput, Pastor omnium Christi fidelium à Deo electe, claviger Regni Cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica; huc ades ab Occidente, tibi namque dixit Christus Deus noster; tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Ex Latinis Patribus. Tertullianus lib. de præscript. cap. 22. *Latuit ergo*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves Regni Cælorum consecutum?* Et in Scorpiaco cap. 10. *Si adhuc putas clausum Cælum*, ait, *memento claves ejus Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

S. Cyprianus Epist. 55. *Petrus*, inquit, *super quem ædificata fuerat Ecclesia unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ nomine respondens &c.* Idem habet Ep. 71. ubi ait, *Petrum primatum tenuisse inter Apostolos.*

S. Optatus lib. 2. cont. Parmenion. *Igitur*, inquit, *negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus.*

S. Ambrosius in cap. ult. Luc. *Quia solus*, inquit, *profitetur* (Divinitatem Christi) *omnibus antefertur.* Et in cap. 12. Epist. 2. ad Cor. *Primatum*, ait, *non accepit Andreas, sed Petrus.*

S. Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. 1. *In quo*, inquit, Petro, *Primatus Apostolorum tam excellenti gratiâ præeminet.* Et Serm. 13. de Verbis Domini, nunc 76. dicit, *Petrum in Apostolorum ordine primum esse, Ecclesiæ unicæ typum, & unum respondisse pro omnibus.* Idem ergo *Petrus*, addit, *à petra cognominatus Beatus Ecclesiæ figuram portans, Apostolatûs Principatum tenens.*

S. Leo Serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei sint multi Sacerdotes, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Item, *specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Petri victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apostolis conferatur.*

Ex his & pluribus aliis SS. Patrum testimoniis, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus, igitur patet S. Petrum non tantùm honoris & dignitatis, sed etiam potestatis & jurisdictionis Primatum accepisse à Christo Domino.

Solvuntur Objectiones. 360

Ob. 1mo. Multi SS. Patres aliter locum hunc Scripturæ *Tu es Petrus &c.* exposuerunt, quàm nos interpretamur. 1mo. S. Hilarius quandoque asserit hanc petram, super quam Christus Ecclesiam suam fundavit, esse confessionem divinitatis Christi à Petro factam. 2do. S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. ait, per petram intelligi debere Christum ipsum. 3tio. Ante illos Origenes Tract. 1. in Matth. per petram omnes fideles intelligi oportere docuit; id quod deducitur ex eo, quòd Christus non dixerit *super hunc Petrum*, sed *super hanc petram &c.* 4to. Alii docent per petram

Hhh 2 intel-

intelligi omnes Apostolos, eorumque Successores, quippe super quos Christus fundavit Ecclesiam suam; quo sensu dicit Apostolus Ephes. 2. *Superadificati super fundamentum Apostolorum &c.* Ergo perperam ex hoc textu *Tu es Petrus &c.* probare conamur Primatum Petri &c.

Resp. Neg. cons. Adducti Patres ita sensus hos textui isti tribuunt, ut eum, quem nos eidem cum omnibus planè Patribus tribuimus, non excludant, quin ipsimet eadem ratione, ac nos, prout modò vidimus, pro rerum scilicet, temporum, & personarum circumstantiis illum interpretantur. Et ut ad singula respondeamus.

Ad 1mum. Interpretatio S. Hilarii, procul ut nostrum sensum excludat, eum omninò confirmat: nam confessio à Petro facta ipsemet est Petrus, quatenus illam confessionem edidit.

Ad 2dum. Cùm S. Augustinus *petram* ipsum Christum interpretatur, quem Petrus confessus est; sanè non intelligit, Christum simpliciter & in se spectatum esse illam petram, sed quatenùs eum confessus est Petrus, seu esse ipsum Petrum, quatenùs confessus est Christi divinitatem. (*n*) Fortè S. Augustinus linguæ hebraicæ ignarus arbitratus est *Cephas* non significare petram, sed aliquid à petra derivatum; unde existimavit per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum. Sed hoc non satis convenit cum textu S. Augustini supra adducto, quo ait Petrum à petra cognominatum fuisse, & unde illius supra cæteros Apostolos primatum probat, & tuetur.

Ad 3tium. Origenes locum hunc cit. loc. exponit allegoricè, quem litteraliter exponit Hom. 5. in Exod. de Petro: *Vide*, inquit ibidem, *magno illi Ecclesiæ fundamento & petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: modicæ fidei, quare dubitasti?* Et sanè ad litteram non posse hunc locum intelligi de omnibus fidelibus, patet ex eo, quòd Dominus, ut de solo Petro se loqui indicaret, describit illum multis modis; vocavit enim eum Simonem, nomen, quod illi à parentibus erat inditum; addidit nomen patris, vocans eum filium *Jonæ*, ut distingueret eum à Simone fratre Thadæi; addidit etiam nomen *Petri* seu *Cephæ*, quod ipse illi imposuit; usus est præterea pronominibus certam personam designantibus, dicens: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.*

Quòd autem Dominus non dixerit super hunc Petrum, sed super hanc petram, ratio est; quia Syriacè loquebatur, in qua lingua non est ea generis differentia, quæ in Latina reperitur, sed *Cephas* & *Petrum* & *Petram* significat; dixit ergo Dominus tu es Cephas, & *super hoc Cephas &c.* id est, *tu es Petra & super hanc Petram &c.* Id autem hoc modò non vertit Latinus Interpres, quod Græcum codicem sit secutus, qui non habet πέτρα (*o*), sed πέτρος (*p*); cumque apud Græcos utrumque *Petra* & *Petros* Petram significet, Græco Interpreti commodiùs visum est, homini nomen masculinum, quàm fœmininum tribuere.

Ad 4tum. Verum est, quòd Christus Ecclesiam suam supra cæteros Apostolos etiam fundaverit; at nihil obstat, quò minùs unus Petrus alio sensu præcipuè sit firmissima petra, super quam Christus Ecclesiam suam ædificavit. Cæteri ergo Apostoli fuerunt fundamenta Ecclesiæ 1mo Quia ipsi Ecclesias primitùs ubique terrarum fundaverunt. 2do. Quia doctrinam,

(*n*) Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 10. (*o*) Petra. (*p*) Petrus.

ctrinam, quam tradiderunt, primi à Domino acceperunt, in qua doctrina quiescit Ecclesia. 3tio. Quia fuerunt Capita, Rectores, & Pastores Ecclesiæ universæ, ita tamen, ut Petrus esset eorum Caput, & ab illo penderent. *Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur*, inquit S. Hieronymus (q) *tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto Schismatis tolleretur occasio.*

361 Ob. 2do. Etiam reliquis Apostolis Christus claves Regni Cœlorum tradidit. Ergo ex hoc textu non potest inferri primatus Petri &c.

Resp. Cæteros quidem Apostolos etiam claves accepisse à Christo, sed cum quadam subordinatione ad Petrum illorum Caput. Illi enim excellentiori quadam ratione traditæ fuerunt, qui Ecclesiæ figuram gerebat, ac primum inter Apostolos locum occupabat, & cui soli dictum est, *Pasce oves meas*, atque fratrum suorum cura demandata est.

362 Ob. 3tio. Christus semper rejecit, & improbavit primatum, de quo Discipuli ejus inter se aliquando ambitiosiùs contendebant, Luc. 9. v. 48. Marc. 9. v. 34. & c. 10. v. 43. Ergo nec in Petro admittendus videtur.

Resp. Huic objectioni nos jam satisfecisse supra Cap. 3. §. 3. ubi Gallicanos Theologos adversùs Monarchicum Papæ regimen hæc ipsa Scripturæ loca allegantes explosimus. Citatis verbis Christus à suis rejicit primatum, qui sit cum ambitione, fastuque, qui magis sit ad terrorem, quàm ædificationem; verbô eum primatum damnat, & à suis abesse vult, qui à gentibus exercebatur, & quem Discipuli ipsius à rerum terrenarum affectu nondum planè liberi, & nondum Spiritu sancto repleti ambiebant.

Ob. 4to. Scriptura videtur innuere S. Paulum S. Petro in omnibus, atque etiam in primatu fuisse æqualem. Nam 1mo. ipse Paulus Galat. 2. v. 7. declarat, sibi à Christo commissum fuisse Evangelium præputii, sicut Petro Evangelium circumcisionis. 2do. 2. Corinth. 11. v. 28. dicit, se gerere curam omnium Ecclesiarum. 3tio. ibidem cap. 12. v. 11. *Nihil minùs*, inquit, *fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.* Se ipsum ergo æqualem Petro & cæteris Apostolis declarat. 4to. Galat. 2. v. 11. dicit, se in faciem restitisse Petro, *quia*, inquit, *erat reprehensibilis.* Atqui hoc superiorem quamdam auctoritatem, nedum æqualitatem arguit. Ergo &c. 363

Resp. Neg. propositionem. Ad textus dicimus, ad 1mum non plus illo evinci, quàm quòd, cùm Apostolis à Christo potestas prædicandi per totum orbem Evangelium tradita fuerit, nec quilibet eorum mundum universum peragrare posset, singulis forte varias mundi plagas percurrere, & ad Christum convertere obvenerit. Non ergo hæc divisio jurisdictionis fuit, sed sortis tantùm, quæ primatui Petri nihil officit.

Ad 2dum rectè ait S. Paulus, incumbere sibi sollicitudinem omnium Ecclesiarum; omnes enim Apostoli amplissimam à Domino acceperant ubique terrarum regendi Ecclesias auctoritatem, at cum quadam ad S. Petrum, tanquam Collegii Apostolici Caput subordinatione, qua Ecclesiæ servaretur unitas, necnon cum hoc discrimine, quòd Auctoritas Apostolica Petri ad Successores suos transmissa sit, non item cæterorum Apostolorum auctoritas.

Hhh 3 Ad

(q) Lib. 1. cont. Jovinian.

Ad 3tium. Quia Pseudo-Apostoli negabant æqualem esse Paulum cæteris Apostolis, qui cum Christo fuerant in carne conversati, atque hinc ministerii ipsius dignitatem infirmare conabantur, necesse fuit, ut idem Apostolus se ipsum commendaret: & quamvis plùs omnibus laborasset, satis tamen esse existimat, si se aliis inferiorem non esse ostendat. Igitur non fuit inferior Petrô quantùm ad labores Apostolos, Zelum, Dona, miracula, ipsum munus Apostolicum; at de primatu non loquitur.

Ad 4tum. Paulus reprehendit Petrum ex charitate, studiô veritatis, & zelo Religionis; non ex superiori quadam auctoritate, aut imperio. Alterius enim vitia reprehendere, adversùs illa declamare, &, si vergant in communem perniciem, illis etiam resistere, nullam superiorem auctoritatem, vel imperium arguit, ut patet, & docent ex instituto SS. Patres. S. Gregorius Cap. *Petrus* 2. quæst. 7. & Hom. 18. in Ezech. Cyprianus Epist. ad Quintum. Augustinus Epist. 87. aliàs 19. ad Hieronymum, & in Epist ad Galat. cap. 2. S. Thomas in 4. Sent. Dist. 19.

Unde sequitur 1mo maximum fuisse humilitatis ac modestiæ Christianæ sensum in Principe omnium Apostolorum, qui ab inferiore corrigi se passus est, ut ait S. Cyprianus Epist. 75. ad Quintum. 2do. Primatum in Petro nullum superbiæ fastum habuisse. 3tio. Apostolorum Principem istum, etsi Caput & Pastor Ecclesiæ esset, culpæ tamen, non quidem doctrinæ, sed conversationis duntaxat, adeoque & correctioni fuisse obnoxium. 4to. Sanctæ cujusdam libertatis charitate posse ab inferiori Superiorem aliquando redargui, ita Augustinus cit. Epist. num. 22.

364 Ob. 5to. Petrus Act. 8. v. 14. jubetur ire in Samariam, & ab Apostolis eò mittitur: at imperare & mittere Superioris est. Ergo &c.

2do. Cùm accusatur, quòd ad gentes ingressus fuerit, etiamsi id meritò & benè fecerit, tamen respondet & rationem facti sui reddit. Sed qui tenetur rationem factorum suorum reddere, subjectus est, nec supremam proinde habet auctoritatem. Ergo &c.

3tio. Scribens primam suam Epistolam ad Ecclesiæ Pastores, non mandat aut jubet ex imperio quasi Superior, sed eos alloquitur tanquam Collegas & Co-Episcopos sibi æquales.

Resp. ad 1mum. Non omnis missio est signum subjectionis & inferioris ordinis: nam in Collegio SS. Trinitatis, ubi omnes tres personæ æquales sunt, parisque Majestatis, Filius à Patre mittitur, Joan. 3. v. 17. & cap. 4. v. 34. & Spiritus sanctus à Filio, Joan. 14. v. 26. Herodes etiam mittit tres Reges, seu Magos Orientis in Bethlehem, Matth. 2. Populus item Judæorum Josue cap. 22. misit Phinees Sacerdotem ad filios Ruben & Gad, quamvis jure divino toti populo præesset tanquam Summus Sacerdos.

Mittere ergo significat impulsum aliquem, quo alius movetur ad alicubi eundum, quod non tantùm præceptô, & imperiô, sed etiam rogatu, consiliô, allegatione rationum, & argumentorum, quibus ad aliquid agendum alius movetur, fieri potest. Igitur miserunt Apostoli Petrum Samariam consulendo, suadendo, rogando.

Ad 2dum. Boni Pastoris officium postulat, sicut ipse S. Petrus docet, Epist. 1. cap. 3. v. 15. *cum semper paratum esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipso est, spe & fide cum omni modestia.* Hinc S. Petri in hoc facto modestiam egregiè commendat

S. Gre-

S. Gregorius Mag. Epistolarum lib. 11. Indict. 4. Epist. 45. aliàs lib. 9. Epist. 39. additque, *quòd, si in querela hac fidelium aliquid de sua potestate dixisset Petrus, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset.*

Ad 3tium. Eadem est responsio, quæ ad 2dum. Nempe modum hunc scribendi suam Epistolam humilitatis & modestiæ ipsius monumentum præbere duntaxat, non verò subjectionis. Similem modestiam & humilitatem in suis Epistolis observant etiamnum Romani Pontifices, dum in illis se *servos servorum Dei* nuncupant; quod, prout alibi jam notavimus, primùm à Gregorio Magno factum legitur.

365 Ob. 6to. Jacobus videtur fuisse major ipso Petro, quia Christo successit in Episcopatu Urbis Jerusalem, quæ est Mater omnium Ecclesiarum juxta illud Isai. cap. 2. v. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Ergo &c.

Objectionem confirmat Clemens Romanus apud Eusebium lib. 2. hist. cap. 1. ubi ait: *Post Servatoris ascensum, Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis ab ipso omnibus fuerint prælati, non tamen primatûs gloriam sibi vindicasse, sed Jacobum cognomine Justum Apostolorum Episcopum elegisse.* Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Christus non fuit Episcopus ullius particularis Urbis, sed fuit, & est Pontifex totius Ecclesiæ; nec ullum habet in Episcopatu seu Pontificatu Successorem, cùm semper vivat. Jerosolymitana Ecclesia autem est quidem Mater omnium Ecclesiarum antiquitate, multis privilegiis insignis ob Domini, ejusque Discipulorum præsentiam, & præcipuè ob mysteria nostræ Redemptionis apud eam consummata; sed nunquam fuit Mater cæterarum Ecclesiarum jurisdictione, prout patet ex Concilio Nicæno I. in quo datus est Episcopo Jerosolymitano quartus inter Patriarchas Orientis locus duntaxat, & solummodò quantùm ad honorariam sessionem, nullus autem, quantùm ad veram jurisdictionem, verùm subjectus mansit Episcopo Cæsareensi totius Palestinæ Metropolitano.

Ad confirmationem dicimus, hunc Eusebii locum procul dubio esse mendosum: nam etiamsi in Basileensi codice verba mox adducta legantur; in codice Coloniensi tamen non extat vox *Primatûs*, neque vox *Apostolorum*, sed benè legitur vox *Jerosolymorum*, sicut etiam in quibusdam optimæ notæ Codicibus Eusebianis, quos Valesius vidit, & contulit. Quibus Codicibus consonat Nicephorus, qui lib. 2. cap. 3. eundem Eusebii locum sic refert: *Petrus, & Jacobus, & Joannes, quos Dominus præcipuo dignatus fuerat honore, post Ascensionem ejus gloriam non affectârunt, sed Jacobum Justum Jerosolymorum Episcopum elegerunt.* Qui certè locus sic expurgatus nostræ conclusioni minimè nocet.

Ob. 7mo. S. Cyprianus lib. de unit. 366
Eccles. *Hoc erant*, inquit, *utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis &c.* Ergo censuit S. Cyprianus, Apostolos fuisse æquales inter se &c.

Resp. Hìc S. Cyprianum censuisse, Apostolos fuisse æquales in auctoritate Apostolica interna & essentiali, hoc est, in auctoritate, quantùm ad rerum gerendarum amplitudinem, ad annuntiandum ubique Christum, ad Ecclesias fundandas, ad Sacramenta ministranda, Spiritum sanctum dandum, & alia exercenda, quæ ad publicum Ecclesiæ regimen necessaria erant: non verò quantùm ad auctoritatem extrinsecam & accidentalem, id est, quoad modum & ordinem auctoritatis illius in actum redigendæ, seu quantùm ad *Primatum*; id enim vel in terminis implicat, inter multos enim si quis primatum tenet, & primus est, is unus est primus.

Agno-

Agnovisse autem S. Cyprianum in Petro primatum, demonstrant loca, quæ supra ex illo adduximus. Imò ex hoc ipso loco, unde desumpta est objectio, Primatum illum in Petro agnoscit; subjungit enim, *Exordium ab unitate proficisci, unitatem autem illam ab uno capite repeti.* Dixerat in eodem de unitate libro, hæc Christi verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Pasce oves meas*, ad Petrum referri. Dixerat *super unum Petrum ædificatam esse Ecclesiam.* Dixerat, *unam Cathedram esse constitutam, & originem unitatis ab uno descendere.* Quæ omnia profectò demonstrant, S. Petrum primum fuisse inter Apostolos, licèt æquales inter se fuerint quoad potestatem Apostolicam, quod unum voluit S. Cyprianus, cùm dixit, *eos pari consortiô præditos fuisse honoris, & potestatis.*

367 Inst. Ex S. Cypriano lib. cit. Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur. Atqui, ubi unus est Episcopatus, nullus certè potest esse inter Episcopos, à quibus ille singulis in solidum tenetur, prior, & major. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Quoad ea, quæ sunt Episcopatui essentialia & intrinseca, nullus major est, & superior, conc. Quoad ea, quæ sunt Episcopatui accidentalia, Neg. min. Natura humana una est, & tenetur in solidum à singulis hominibus, uno enim homine superstite, esset in eo adhuc natura humana; ex quo fit, ut omnes homines pares sint, quantùm ad ea, quæ sunt naturæ humanæ essentialia, non verò quantum ad accidentalia. Similiter in Episcopatu, quæ ipsi sunt essentialia ad omnes & singulos Episcopos pertinent; quæ verò ei sunt accidentalia, ut primatûs auctoritas, ad unum præ cæteris pertinent, ad eum nempe, quem Dominus elegit, ut cæteris præesset.

Dicitur autem à S. Cypriano Episcopatus unus, quia unitas Ecclesiastica à S. Petro, ejusque Successoribus derivatur, quomodò radii à Sole, rami ab arbore, rivi à fonte, quibus similitudinibus ibidem utitur S. Cyprianus. Sic etiam unus est Episcopatus, ita tamen, ut unitatis ipsius origo, radix, & centrum sit S. Petrus.

Ob. 8vo. S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. ult. ait: *Paulum nulli Apostolorum esse secundum, nec ipso Petro inferiorem.* Et lib. de Incarnat. cap. 4. de S. Petro hæc habet: *Hic ubi audivit, vos autem quem me esse dicitis? statim loci non immemor sui, primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis.* Denique Serm. 12. qui est 3tius de Natali SS. Petri & Pauli, ait, *Incertum esse, quis cui inter hos binos Apostolos præponatur.* Ergo &c. 368

Resp. ad 1mum. Paulum non esse inferiorem Petro in auctoritate Apostolatûs interna & essentiali; tam benè enim erat Apostolus à Deo constitutus, quàm Petrus; at inde non sequitur, Paulum Petro inferiorem non fuisse in auctoritate extrinseca, & accidentali, ut primùm exposuimus; & hanc fuisse mentem S. Ambrosii librum citatum legenti patebit.

Ad 2dum. Fatemur, existimasse Ambrosium, S. Petrum, cùm Christo interroganti respondit, tunc nondum gessisse primatum honoris, & ordinis, sed confessionis duntaxat & fidei, quia nempè nondum illum primatum honoris & ordinis acceperat, quem primùm post suam confessionem accepit per hæc Christi verba: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* unde subjungit ibidem S. Ambrosius, *Hic est ergo Petrus, qui respondet pro cæteris Apostolis, imò præ cæteris, & ideò fundamentum dicitur.*

Ad

Ad 3tium. Quando S. Ambrosius ait, incertum esse, quis cui inter Petrum & Paulum sit præferendus, non loquitur de præeminentia & auctoritate primatûs, sed de merito bonorum operum duntaxat, zelò, & studiô propagandæ fidei, curis & laboribus, qui in prædicatione Verbi divini sustinendi erant, quibus in rebus non audet hic S. Doctor pronuntiare, quis ex ipsis duobus sit præferendus, prout patet ex iis, quæ subjungit, nempe, *Puto*, inquit, *æquales illos esse meritis, qui æquales sunt passione.*

369 Objiciuntur 9no. Varii aliorum SS. Patrum textus, qui innuere videntur, plane in omnibus æqualem fuisse Paulum Petro.

1mo. S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. ait: *Ecclesiam Romanam fuisse à sanctis Apostolis Petro & Paulo fundatam.*

2do. S. Epiphanius hæres. 27. n. 6. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.*

3tio. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 6. *Petrum & Paulum eodem nomine præfectos Ecclesiæ nuncupat.*

4to. S. Chrysostomus Hom. 32. in Epist. ad Romanos. Non tantùm *oculos Romæ, sed & sanctorum Coryphæos* illos indistinctim appellat.

5to. S. Leo serm. de Natali Apostolorum c. 1. Petrum & Paulum vocat *Romæ Urbis Patres, & Pastores.*

6to. S. Gregorius Magnus lib. 1. Dial. c. 12. *Paulus*, inquit, *Apostolus Petro Apostolorum primo in Principatu Apostolico frater est.*

7timo. Ambrosiaster in c. 2. Ep. ad Galat. dicit, *Primatûs gratiam Paulo concessam fuisse sicut & Petro.*

8vo. S. Maximus Taurinensis Hom. 5. in festo Apostolorum Petri & Pauli, eos appellat, *Principes Ecclesiarum, & fidei doctrinæ.*

9no. Beatus Petrus Damiani Opusc. 35. c. 4. Postquam dixit, S. Petrum nullam specialiter Cathedram occupasse, sed omnibus præfuisse, quia toto terrarum orbe universalem Ecclesiam fundavit, postea de S. Paulo idem asserit, illumque *ad instar Christi videri omnibus Ecclesiis præsidere.*

10mo. Idem constat ex Summis Pontificibus, qui se dicunt Successores Petri & Pauli. *Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli*, inquit Paulus III. in Decreto convocationis Concilii Tridentini, *qua nos quoque in terris fungimur.* Similia habet Pius IV. in Diplomate de absolvenda Synodo Tridentina.

Idem probat consuetudo exprimendi in Diplomatibus Pontificiis effigies SS. Petri & Pauli, atque interdum dextera Paulo, interdum verò Petro datur; unde utriusque perfecta æqualitas potest inferri.

Idem denique probat Officium Ecclesiæ Latinæ, quæ in suis precibus ambos ex æquo vocat Principes gloriosos terræ, per quos Ecclesia Religionis sumpsit exordium, item Judices terræ.

Et in Sacramentario S. Gregorii dicitur: *Deus, qui ligandi solvendique licentiam tuis Apostolis contulisti*; quæ verba ad S. Petrum & S. Paulum pertinent.

Resp. Ex adductis SS. Patrum & Pontificum testimoniis non plus inferri posse, quàm, quòd S. Paulus in auctoritate Apostolica æqualis fuerit sancto Petro, uno duntaxat excepto primatu, quem unacum prærogativis eidem annexis S. Petrus ad suos Successores transmisit, prout jam antea exposuimus. Ut igitur ad singula respondeamus.

Ad S. Irenæum, verum est, quòd S. Paulus unacum S. Petro Romanam Ecclesiam fundarit, prædicatione videlicet & sanguine, quod unum hîc vult S. Irenæus. At verum non est, S. Paulum fuisse unum cum S. Petro Ecclesiæ Caput, in quantùm scili-

scilicet S. Petrus est Romanæ Ecclesiæ & totius Ecclesiæ Catholicæ centrum.

Ad S. Epiphanium, Resp. S. Petrum & Paulum Apostolos pariter fuisse & Episcopos Romæ, quoad munus docendi, non verò quoad auctoritatem regendi totam Ecclesiam; pares ergo fuerunt auctoritate Apostolica, excepto Primatu, & ejus annexis.

Ad S. Cyrillum Resp. quòd quidem SS. Petrum & Paulum Prælatos seu Præsides Ecclesiæ appellarit, sed cum hoc discrimine, quòd, cùm de S. Petro seorsim loquitur, ipsum non solùm Præsidem, sed Pro-Præsidem ac Præfectum Apostolici Collegii esse dicat.

Ad S. Chrysostomum Resp. Petrum & Paulum ab ipso dici *oculos Romæ* propter doctrinam fidei, quâ Romam illustrârunt; ex quo nihil contra nos concluditur. Vocat autem idem S. Pater Paulum Sanctorum Coryphæum, quia cæteris Sanctis ob eminentia virtutum merita eum existimavit superiorem, non verò ob auctoritatem; siquidem Hom. ult. in Joan. observat, S. Paulum præ cæteris Apostolis invisere voluisse S. Petrum, atque hunc illi deferre honorem, *Os enim*, inquit, *erat Apostolorum, & Princeps & vertex ipsius cœtus.*

Ad S. Leonem Resp. SS. Petrum & Paulum meritò ab eo nuncupatos Romæ Patres ac Pastores, quia Romanos in fide genuerunt, genitosque verbô & doctrinâ enutriverunt; sed non ideo æqualis ipsorum potestas à S. Leone significatur, cùm ibidem asserat, *Romam per Beati Petri Sedem Caput orbis effectam esse.*

Ad S. Gregorium dicimus, non rectè inferri, parem esse Pauli cum Petro potestatem, ex eo quòd illum dicat fratrem Petri in Principatu Apostolico: nam, ut ipsemet explicat lib. 2. in Ezech. Hom. 6. frater quidem erat, sed auctoritate minor; agens quippe ibidem de reprehensione Petri per Paulum, sic loquitur: *Qui à minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.* Jam dixerat, *eum, qui primus fuit in Apostolatûs culmine, fuisse etiam primum in humilitate.*

Ad Ambrosiastrum, parùm ejus auctoritate movemur, cùm à Catholica fide sit alienus: Etsi, quando dicit, gratiam primatûs Paulo sicut & Petro datam fuisse, intelligi posset de primatu prædicationis, non verò auctoritatis.

Ad S. Maximum, sufficienter ipse se ipsum explicat in eodem sermone, ubi utriusque Apostoli discrimen evidenter indicat, quantùm ad Regimen & Magisterium, *Nam ambo*, inquit, *Claves à Domino acceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ.*

Ad Petrum Damiani, Resp. 1mo. Ejus propositionem absolutam non esse: non enim ait, S. Paulum omnibus Ecclesiis præsidere, sed *videri præsidere*. 2do. Loquitur de præsidentia per prædicationem, & doctrinam; non verò per auctoritatem. *Dignum est*, inquit, *ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, ita in omnibus jus teneat præsidentiæ.* 3tio. Vult S. Paulum omnibus Ecclesiis præsidere, quia nullam specialiter Cathedram tenet: non igitur ipsi assignanda est Romana Sedes, in qua parem exerceat cum Petro auctoritatem.

Ad 10mum. Resp. Summos Pontifices se dicere Successores SS. Petri & Pauli, imò omnium Apostolorum, quoad successionem realem, qua sibi nempe non modò SS. Petri & Pauli, sed & omnium Apostolorum jura sibi vindicant; non verò quoad successionem personalem, quoad hanc enim soli Petro succedunt, penes quem solum nempe summa fuit potestas. *Tu es potestate Petrus*, inquit S. Bernardus lib. 1. de considerat. ad Eugenium Papam.

Quod de Paulo III. & Pio IV. additur, nihil probat; nam legimus, varios summos Pontifices in suis Diplomatibus non modò Petri & Pauli, sed etiam Beatæ Virginis

ginis Mariæ, & omnium Sanctorum auctoritatem appellasse. Ita Joannes VIII. Ep. 262. Nicolaus I. in sententia contra Photium lata. Alexander II. Ep. 9. Nihil igitur aliud significant omnes istæ loquendi formulæ præter auctoritatem patrocinii, quam ad officium ritè obeundum implorant Romani Pontifices; non verò auctoritatem officii, cui ipsi succedant.

Quod refertur de sigillis Pontificiis parum urget. S. Carolus Borromæus sigillo suo effigies SS. Gervasii & Protasii simul conjunctas insculpi curavit, nec tamen idcircò illos velut decessores suos in Archiepiscopatu Mediolanensi agnoscebat, sed tanquam singulares duntaxat apud Deum patronos, prout inscriptio declarabat: *Tales ambio defensores.* Deinde, sub annulo Piscatoris obsignantur Pontificia Diplomata, hoc est, solius Petri effigie; & aliter obsignata pro legitimis passim non habentur.

Quod verò additur de dextera, quæ interdum datur imagini S. Pauli, leve est argumentum. Pars enim dextera non est semper locus honoratior in Ecclesia, ut patet tum ex Synodo VII. Act. 4. ubi refertur, Sophronium Patriarcham Jerosolymitanum vidisse admirabilem imaginem, quæ Christum exhibebat in medio, B. Virginem Deiparam à sinistris, & S. Joannem à dextris. Tum ex Synodo Chalcedonensi, in qua Dioscorus, licèt mox damnandus, dextram tenebat, Legati verò Leonis Papæ sinistram occupabant. Tum ex eo, quod in sinistro cornu altaris Evangelium legi soleat. Tum denique ex eo, quòd quando Summus Pontifex Officiis Ecclesiasticis interest, sedeat in sinistra chori parte; & olim, cùm in Ecclesia fœminæ seorsim à viris orabant, sinistra viris, dextera verò fœminis assignabatur.

Ad Officium Ecclesiæ, Resp. Hæc verba, *per quos Religionis sumpsit exordium &c.* innuere quidem paritatem utriusque Apostoli in institutione Ecclesiæ, ac fidei propagatione, non verò in præeminentia primatûs: per omnes etiam Apostolos Ecclesia sumpsit exordium; Petrum nihilominus ab Evangelio & Patribus dictum fuisse Apostolorum primum, nemo negabit.

Neque obstat, quòd Petrus & Paulus dicantur Principes, & Judices terræ & Sæculi; Id enim omnibus Apostolis commune est, cùm de illis omnibus & singulis in officio suo cantet Ecclesia: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Sicut & in hymno: *Vos Sæcli justi Judices.*

Denique ad id, quod ex Sacramentario S. Gregorii refertur, dicimus, nihil inde adversùs nos probari; siquidem non solis Petro & Paulo concessit Christus auctoritatem solvendi, & ligandi, sed etiam omnibus eorum in Apostolatu sociis, cùm dixit, *Accipite Spiritum Sanctum.* Verùm in eodem Sacramentario evidenter expressit primatum S. Petri in illa oratione ad festum S. Petri recitari solita. *Deus qui Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni cælestis ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti &c.* ubi per *Pontificium* intelligenda est supereminens quædam potestas, quæ non est apud illos omnes, qui jure clavium utuntur ad peccatores solvendos aut ligandos.

§. II.

De Primatu Romani Pontificis supra cæteros Episcopos in universa Ecclesia. 370

Romanum Pontificem S. Petri in honore, dignitate, potestate ac jurisdictione Successorem esse, tota retrò antiquitas, & quotquot hactenus fuêre Doctores Catholici semper fassi sunt ac tuiti, prout ex contextu tum hoc tum sequenti paragrapho dicendorum patebit. Cùm igitur,

prout primùm ostendimus, S. Petrus supra cæteros Apostolos, quorum Successores sunt omnes in Ecclesia universa Episcopi, nedum honoris, & dignitatis, sed & potestatis, necnon jurisdictionis primatum acceperit, meritò tuemur, eodem primatu gaudere supra cæteros Ecclesiæ Episcopos Pontificem Romanum illius in eadem Ecclesia Successorem legitimum, atque privilegium istud à S. Petro ad eum fuisse transmissum. Unde ponitur.

371 CONCLUSIO.

Romanus Pontifex supra cæteros Episcopos in tota Ecclesia primatum honoris, & jurisdictionis obtinet; idque Jure divino.

Prob. 1ma pars. 1mo. Ex constanti & antiqua Ecclesiæ traditione. 1mo. Ex Conciliis.

(*r*) Concilium Oecumenicum Nicænum I. Can. 6. qui refertur in Concilio Chalcedonensi Act. 16. sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.*

(*s*) Constantinopolitanum I. Can. 2. sic loquitur: *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatûs honorem post Romanum Episcopum.*

(*t*) Aquilejense in Epist. ad Imperatorem. *De Ursicino*, inquit, *obsecranda fuit Clementia vestra, ne totius orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam turbari fineret.*

(*u*) Ephesinum Act. 4. ait: *Oportebat quidem Joannem Reverendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sanctâ & magnâ Synodô considerata, confestim, ut de iis, quæ ipsi objiciuntur, se purgaret, accurrere ad Apostolicam Sedem Magnæ Romæ, ac nobiscum obedire & honorem deferre Apostolicæ Dei Ecclesiæ Romanorum, præsertim cùm apud illam Sedem ex Apostolico ordine & traditione mos sit dirigi, & apud ipsam judicari.*

(*x*) Concilium Chalcedonense Act. 1. habet: *Romanam Ecclesiam Caput esse omnium Ecclesiarum.*

(*y*) Lateranense sub Martino I. *Summum Pontificem vocat Patrem Patrum, Archiepiscopum universalem, Ecclesiæ verticem, Principem & Doctorem orthodoxæ & immaculatæ fidei.*

(*z*) Concilium Constantiense hanc Wicleffi propositionem damnat: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

(*a*) Florentinum totius orbis Christiani primatum Romano Pontifici apertis verbis decernit.

(*b*) Denique, ut alia omittamus, Tridentinum Sess. 14. de pœnit. c. 7. sic loquitur: *Unde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia tradita &c.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. 1mo. 372
Ex Græcis. S. Irenæus lib. 3. c. 3. dixit, *Romanam Ecclesiam omnium esse maximam & antiquissimam, ad quam propter potiorem principalitatem*, id est, primatum, *necesse est, omnem Ecclesiam convenire, id est, qui sunt undique fideles.*

S. Dionysius Alexandrinus hunc primatum in Dionysio Romano agnovit, quippe qui ab isto interpellatus, ut rationem suæ fidei redderet, mandatis ipsius illicò obedivit.

S. Athanasius Ep. ad Felicem Papam, *ob id vos*, inquit, *prædecessoresque vestros Apostolicos videlicet Præsules in summitatis arce constituit, omnium Ecclesiarum curam*

(*r*) Annô 325. (*s*) Annô 381. (*t*) Annô 381. (*u*) Annô 431. (*x*) Annô 451. (*y*) Annô 649. (*z*) Annô 1414. (*a*) Annô 1438. (*b*) Annô 1545 inchoatum, & annô 1563. finitum.

curam habere præcepit (Christus) *ut nobis succurratis.*

S. Basilius Ep. 52. ad Athanasium. *Visum est mihi*, inquit, *consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hîc geruntur, consideret, & sententiam suam expromat.*

S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita sua, licèt *novam Romam* (Constantinopolim) *cum vetusta comparet, hanc tamen totius orbis Præsidem fatetur.*

S. Epiphanius Hæres. 68. n. 8. ait: *Ursacium & Valentem veniam apud Julium Papam Romanum deprecatos esse, atque ut eos ad communionem & pœnitentiam admitteret eum rogasse.*

S. Chrysostomus, cùm à Theophilo Alexandrino, & à Synodo ad Quercum dicta exauctoratus fuisset, ad Innocentium I. Romanum Pontificem appellavit.

Theodoretus Ep. 116. de Romana Sede hæc eloquitur: *Sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus habet &c.*

Denique omnes Græcos suam semper in Romanam Sedem reverentiam significasse testatur Pelagius Papa II. Ep. 8. ad Joan. Constantinop. Et in ipso Florentino Concilio Sess. 25. Summus Pontifex Græcos alloquens ait: *Optimè scitis, quantum honorem haberent semper Orientales Romanæ Ecclesiæ, quantamque illi obedientiam exhiberent.*

Historiæ quoque memoriâ proditum est, primùm tempore Photiani Schismatis Romanæ Sedis jura & privilegia impugnare aggressos fuisse Græcos, prout scribit Nicolaus I. Ep. ad Hincmarum.

2do. Ex Latinis. Tertullianus lib. adversùs Praxeam ait, *Romanum Pontificem pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ datam revocasse, ac Montanum, suadente Praxea, damnasse.* Lib. de pudicitia, quamquam jam in hæresim lapsus, & Romanum Pontificem impugnans, veritati nihilominùs testimonium perhibet, cùm *Romanum Episcopum, Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum tunc appellatum fuisse* significat.

S. Cyprianus Ep. 42. & 45. Ecclesiam Romanam vocat *cæterarum omnium radicem & matricem.*

S. Ambrosius Ep. 78. ad Theophilum Alexandrinum, cui Capuana Synodus provinciam commiserat judicandi de Ecclesiæ Antiochenæ dissidiis scribit, *eum debere mittere judicii sui relationem ad Sedem Apostolicam, nulliusque fore roboris prolatam ab illo sententiam, nisi à Pontifice Romano probetur.*

S. Optatus lib. 2. (c) de Romana Sede sic loquitur: dicit enim, quinque esse Ecclesiæ Catholicæ dotes, ac primam esse unicam & singularem Petri Cathedram, in qua ab omnibus servari debet unitas. Eam verò singularem Cathedram, non solùm Petri, sed etiam ejus Successorum esse ostendit, enumerans Romanos Pontifices usque ad Siricium, & tandem concludit n. 6. *Igitur de dotibus supra dictis Cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostram esse.*

S. Hieronymus Ep. ad Damasum: *Ergo*, inquit, *nullum primum, nisi Christum, sequens beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio &c.*

S. Augustinus Ep. 43. aliàs 162. *In Romana Ecclesia*, inquit, *semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.*

S. Prosper in carmine de ingratis c. 2. n. 40. hæc habet:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

I i i 3 S. Ful-

(c) Cont. Parmenianum.

S. Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia Christi c. 11. ait, *Romanam Ecclesiam esse mundi cacumen.*

Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. c. 5. ait, *Romanum Pontificem omnes cæteros Episcopos loci auctoritate superare.*

S. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam c. 8. *Quis es?* inquit, *Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum &c.*

373 Prob. 3tio. ex ipsis Summis Pontificibus. Victor Papa Quartodecimanos, nisi quoad celebrationem Paschatis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem amplecterentur, excommunicaturum se minatus est; vel, ut alii volunt, re ipsa excommunicavit. (*d*)

Stephanus in controversia de rebaptizandis hæreticis Cyprianum cum Africanis, & Firmilianum cum quibusdam Orientalibus, quod ipsi parere renuerent, velut Ecclesiæ rebelles habuit, & abstinendos censuit. Martianum Arelatensem Episcopum, quòd Novatianus esset, deposuit. (*e*)

Julius Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem ab Orientalibus depositos Sedibus suis restituit. (*f*)

Liberius Eustatium Sebastenum in Concilio Melitinensi in Armenia depositum, & ad se confugientem restituit, prout testatur S. Basilius, Ep. 74.

Cœlestinus I. demandat Cyrillo Alexandrino, ut Nestorium Constantinopolitanum vice sua deponat, si in errore suo propugnando pertinax fuerit. (*g*)

Innocentius I. Pelagii errores damnat, dicitque Anathema iis omnibus, qui Catholica dogmata de necessitate gratiæ, & peccato originali impugnarent; *quo decreto causa finita est*, inquit S. Augustinus Serm. 2. nunc 132. de verbis Apostoli.

S. Leo Magnus innumeris locis primatûs sui argumenta suppeditat, cùm nempe in Græcos, Asiaticos, Ægyptum, & Africam suam supremam exercuit jurisdictionem. Legantur ejus Epistolæ, 12ma aliàs 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. 60ma ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum. 92. ad Maximum Patriarcham Antiochenum. 1ma. ad Episcopos Africæ; & ea, quam scripsit ad Episcopos Provinciæ Viennensis, ubi testatur, innumeris consultationibus ad Sedem Romanam confugisse Gallos, cùm aliquid dubii patiebantur circa fidem & mores.

S. Gregorius Magnus, se totius Ecclesiæ Caput & Præfectum esse non minus disertè profitetur, quàm S. Leo, aliique Pontifices jam laudati, quemadmodùm intelligi potest ex Ep. 52. aliàs 37. lib. 2. ad Natalem, ubi se quatuor magnis Patriarchis Orientis superiorem declarat. Et lib. 9. Ep. 12. ad Joannem Episcopum Syracusanum aliàs lib. 7. Ep. 64. dicit, Constantinopolitanam Ecclesiam subjectam esse Apostolicæ Sedi.

Nicolaus I. Ep. 8. ad Michaelem Imperatorem, ait: *Romanæ Ecclesiæ privilegia Christi ore in Beato Petro firmata .... nullatenus minui, aut infringi posse &c.* Et ad Photium Sedis Constantinopolitanæ invasorem scribens ait: *Universitatem credentium à Romana Ecclesia, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirere, integritatem fidei deposcere &c.*

Denique, ut cæteros omittamus, Joannes VIII. in Concilio Romano annô 877.

(*d*) Euseb. Lib. 5. Hist. c. 24. (*e*) S. Cyprian. Ep. 67. (*f*) Sozom. lib. 3. Hist. c. 8. Socrat. lib. 2. Hist. c. 15. (*g*) Part. 1. Conc. Ephes. n. 15.

877. *Romana Ecclesia*, inquit, *est Magistra, Mater, & Caput Ecclesiarum.*

Ad hæc testimonia jungimus præscriptam à Pio IV. Pontifice Maximo hanc professionis fidei formulam totius Orbis Christiani reverentiâ consecratam: *Agnosco Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac JEsu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.*

374 Prob. 2da pars Conclusionis, quòd scilicet Romani Pontificis primatus sit juris divini. Quia ille, in quem Petri auctoritas, quam jure divino, à Christo videlicet, ipse accepit, tanquam in Successorem derivata est & transfusa; jure divinò primatum obtinet super alios Episcopos & universos fideles. Atqui hæc S. Petri auctoritas in Romanum Pontificem, velut in ejus Successorem & hæredem transfusa est. Ergo ipse jure divino primatum obtinet super alios Episcopos &c.

Maj. patet. Min. prob. Nullus se Petri in primatu Ecclesiæ Successorem ullo modo asseruit, præter Romanum Episcopum; & quamvis Antiochenam & alias Ecclesias Petrus constituerit, & ad tempus rexerit; illæ tamen omnes, ut antiqui Patres cum S. Irenæo lib. 3. c. 3. asserunt, Romanæ primatûs honorem semper concesserunt; nec alteri unquam competivisse perpetua & unanimis Traditio docet; prout tum præsenti tum priori §. demonstravimus. Ergo solus Romanus Pontifex, qui Petro in Urbe Roma morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate successit.

Sed potestas illa & dignitas Petri est juris divini. Ergo & potestas Romani Pontificis.

Prob. conf. Causa, propter quam inter suos Apostolos unum primum Christus constituit, est hæc: ut nempè Schismatis tolleretur occasio, fidelesque haberent, unde in arduis ac majoris momenti rebus firmum caperent consilium, & definitionem, afflicti verò solatium reciperent &c. Atqui hæc causa adhuc subsistit. Ergo sicut potestas Petri est juris divini, ita & auctoritas & dignitas Romani Pontificis est juris divini. Et quod Christus instituendo Pastorale munus Ecclesiæ, oviumque suarum primo Pastori Petro contulit, id etiam cuilibet Romano Pontifici Successori ipsius intelligitur contulisse; cùm Ecclesia seu oves ipsius usque ad consumationem Sæculi sint futuræ, nec deceat ovili perpetuo primum pastorem temporarium deesse.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo contra 1mam partem Conclusionis. S. Paulus Ephes. 4. v. 11. & 1. Cor. 12. v. 28. varios Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus enumerans, nullam omninò mentionem facit Capitis alicujus externi, cui præ cæteris honoris, & jurisdictionis primatus conveniat. Ergo hujusmodi externum Ecclesiæ Caput &c. ipse non agnovit. 375

Resp. 1mo. Argumentum negativum parùm ponderis habere, cùm adsunt positiva, prout sanè hîc adsunt.

Resp. 2do. Apostoli scopum non esse, citatis locis omnes Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus enumerare. Meminit quippe Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum, virtutum &c. quibus certè necessariò non constat Ecclesiastica Hierarchia. Jam dudum apud nos desiêre Prophetæ, Evangelistæ &c. Agit ergo Apostolus de variis charismatis, quibus primi Evangelii Ministri fuerunt instructi ad fidem Christi faciliùs propagandam ac dilatandam.

Resp.

Resp. 3. Unitatem Capitis Ecclesiæ colligi etiam posse ex eodem Apostolo, cùm scilicet ait, unum corpus nos esse, & unum Spiritum: neque enim corpus concipi potest, nisi simul intelligatur & caput; illud quidem essentiale, invisibile, primarium est Christus; ministeriale verò Romanus Pontifex: cùm enim Ecclesia sit Corpus visibile, & externum, necesse est, Caput aliquod ipsius visibile & externum agnoscere.

376 Ob. 2do. S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. disertè ait, omnes Apostolos pari consortiô honoris & dignitatis fuisse prædito s .... Unum esse Episcopatum, cujus à singulis in solidum pars teneatur. 2do. Negat, inter Episcopos aliquem posse dici Episcopum Episcoporum. Negat, ad aliquem, præter Deum, pertinere, cæteros judicare in causis fidei, qualis erat celebris illa quæstio de rebaptizandis hæreticis; Stephanoque Papæ definienti, *nihil esse innovandum &c.* durè ac obstinatè reluctatus est. 3tio. Censuit, Romanum Pontificem non habere potestatem Episcopum à suis Coëpiscopis exauctoratum Sedi suæ restituere, graviterque tulit, Basilidem & Martialem duos Hispaniæ Episcopos propter idololatriæ crimen depositos à Stephano Papa fuisse restitutos. *Rescindere*, inquit Ep. ad Episcopos & plebes Hispaniæ, *ordinationem rectè factam non potuit.* In causa denique Martiani Episcopi Arelatensis contendit, sibi, & Coëpiscopis suis parem esse cum Stephano in ea dijudicanda auctoritatem. Ergo &c.

Ad 1. Respondimus §. præcedenti num. 366. & seq.

Ad 2dum. In errore fuit S. Cyprianus ut omnes fatentur. Vide quæ hac de re sup. c. 4. §. 4. num. 338. retulimus. Deinde non negat absolutè, aliquem esse Episcopum Episcoporum; sed tantùm asserit inter Episcopos tertii Carthaginensis Concilii, in quo ipse sedebat, nullum esse, qui se Episcopum Episcoporum faciat, atque tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem suos Collegas adigat. Obliquè hìc perstringit Stephanum Papam, qui comminatus pœnam excommunicationis Episcopos rebaptizantes ab errore revocare studebat: unde, quando ait, nullum esse inter præsentes suos Coëpiscopos Episcopum Episcoporum, non obscurè subindicat, esse in Ecclesia talem quemdam, Stephanum scilicet Romanum Episcopum.

Cùm autem ait, Episcopos ab aliis judicari non posse, sed à solo Deo; sic quodammodò eum excusat S. Augustinus, ut, quia arbitratus sit, hanc de rebaptizandis hæreticis quæstionem ad disciplinam duntaxat pertinere, non autem ad fidem, censuerit, in ea suam cuique esse relinquendam sentiendi, & agendi licentiam, & soli Deo judicium esse reservandum. Utrobique erravit Cyprianus; quem tamen errorem gloriosa Martyrii falce purgavit, ut ait Augustinus Ep. 108. aliàs 255.

Ad 3tium Stephanus à Basilide deceptus Sabini, qui in ejus locum canonicè subrogatus fuerat, ordinationem irritam declaravit quidem, Basilidemque Sedi restituendum fore censuit. At cùm, ut alibi exposuimus, potestas Romani Pontificis à Christo ei data non sit ad destructionem, sed ad ædificationem, meritò de Stephani Papæ judicio queritur Cyprianus, quin tamen inde vel minimum Romani Pontificis auctoritati detrahatur.

Ad ultimum, negamus, S. Cyprianum existimasse, sibi & Coëpiscopis suis parem esse in dijudicandis Episcoporum causis auctoritatem. Ex charitate quidem omnes & singuli Episcopi curam habere debent Ecclesiæ, hostesque ipsius propulsare, fidei & morum puritati, & integritati invigilare; quapropter, cùm Martianus Ecclesiam Arelatensem

Nova-

Novatiani Schismate & hæresi inquinare tentaret, pro muneris sui parte poterat, & debebat Cyprianus huic periclitanti Ecclesiæ subvenire; quod & fecit; monendo & rogando Stephanum Papam, ut curaret, deponi Martianum, & alium in ejus locum substitui; qua in re apertè & ultrò agnoscit ac profitetur, superiorem esse Stephani auctoritatem, ad quem propter primatum pertinebat cura & sollicitudo omnium Ecclesiarum. Charitate igitur pares esse debent omnes Episcopi, in sollicitudine Ecclesiæ habenda, sed jurisdictione sunt dispares, ac inter ipsos solus Pontifex Romanus jurisdictionem exercere potest in omnes & singulas Ecclesias.

377. Ob. 3tio. S. Gregorius Magnus lib. 5. Epist. 20. aliàs lib. 4. Epist. 32. insectatur Joannem Constantinop. quòd se Episcopum Universalem diceret, aitque, *istud esse blasphemiæ nomen.* Et Ep. 18. aliàs 38. appellat nefandum & profanum tumorem erroris, nomen stultum, ac superbum vocabulum, præsumptionem temerariam, qua turbatur pax Ecclesiæ, nomen istud. Item Epist. 43. aliàs 36. ait, nullum è suis decessoribus Episcopis Romanis tam profanô vocabulô usum fuisse, ex quo perniciem Ecclesiæ imminere dicit. 2do. Ibidem ait, Petrum Ecclesiæ membrum esse, non caput. Ergo perperam juxta S. Gregorium Episcopus Romanus, universalis dicitur Episcopus.

Resp. ad 1mum dist. conf. Romanus Episcopus perperam dicitur universalis Episcopus, in sensu perverso, conc. In sensu orthodoxo & Catholico, neg. conf.

S. Gregorius Episcopi universalis nomen damnavit in Joanne Episcopo Constantinop. qui videbatur, ita universalis Episcopi nomen appetere, ut cæteri Orientis Episcopi essent tantùm quasi Delegati ipsius, & Vicarii, ut innuit idem S. Gregorius citatâ Epist. 18. ad Joannem Constantinop. Et quamvis alio sensu, ut scilicet intelligeretur ideò vocari Episcopus Universalis, quòd haberet solummodò jurisdictionem in maximam Orbis partem; tamen ob cautelam, ne scilicet quis nomen istud ad perversum sensum deflecteret, & quia tum quæstio erat, an nomen istud etiam Constantinopolitano Episcopo concedi posset, non verò, an concedi posset Romano Pontifici? ideò nomen illud omninò supprimendum censuit S. Gregorius, & ad meliùs atque efficaciùs reprimendam Joannis superbiam; quamvis certum esset, id nomen Romano Pontifici sensu Catholico competere, id est, quatenus supremam in omnes totius Orbis Episcopos & Ecclesias auctoritatem & jurisdictionem habet, necnon ipsi jam in Concilio Chalcedonensi illud datum fuisse.

Cùm nihilominùs Episcopi Constantinopolitani nomen istud usurpare continuarent, tandem anno 606. obtinuit Bonifacius II. à Phoca Imperatore, ut Episcopi universalis nomen non ampliùs sibi arrogarent Episcopi Constantinopolitani, sed uni tribueretur Romano Pontifici, teste Anastasio Bibliothecario in Bonifacio. Et Paulo Diacono lib. 4. de Gestis Longobardorum.

Ad 2dum. Eo modo, & non alio, negat S. Gregorius, Petrum esse caput Ecclesiæ, quo Christus ipse illius est Caput, independens scilicet & primarium, non autem negat, Petrum esse Caput Ecclesiæ visibile, secundarium, ministeriale, & à primario, invisibili Christo scilicet pendens. Ait autem Petrum esse membrum Ecclesiæ, quod certè non pugnat cum dignitate capitis; caput enim in corpore humano etiam est membrum, nec tamen desinit esse caput. Romanus Pontifex ergo est etiam Ecclesiæ membrum sed præcipuum & primarium quod cætera regit & gubernat.

378 Ob. 4to. Omnes Episcopos esse inter se se pares, nec ullum habere inter se Superiorem, multa videntur demonstrare. 1mo. Omnes Episcopi dicuntur Petri, & aliorum Apostolorum Successores. ita testantur SS. Cyprianus, Hieronymus, Ephrem, Augustinus, & alii. 2do. Omnium Episcoporum auctoritas à Deo est immediatè instituta, & acceptata; ut patet ex cap. 20. Act. Apost. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* 3tio. Omnes sunt Vicarii Christi in terris, *omnes enim pro Christo legatione funguntur*, 2. Cor. 5. v. 20. 4to. Omnes dicuntur curam universalis Ecclesiæ sustinere. Ita S. Ignatius Martyr Epist ad Philadelphenses. Eleutherius Epist. ad Episcopos Galliæ. 5to. Episcopi toti Ecclesiæ leges dare possunt, & Concilia aliorum Episcoporum convocare, quod innumeris exemplis demonstrare promptum foret. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. ad 1mum. Dist. omnes Episcopi sunt Petri, & aliorum Apostolorum Successores in potestate Ordinis Episcopalis secluso primatu & amplitudine potestatis Apostolicæ, conc. secùs, neg. Apostolis, ut jam supra dictum, fuit duplex veluti potestas, una Apostolica nullis limitibus coarctata, sed amplissima, quæ ad omnes Ecclesias extendebatur; in hac auctoritate non succedunt Episcopi Apostolis, quæ his duntaxat propria fuit, ad alios minimè transmittenda, excepto solo Petro, cujus primatûs & potestatis amplitudo ad ejus Successores, ob rationes passim jam à nobis adductas, dimanavit. Auctoritas Episcopalis ordinis verò, quæ fuit in Apostolis, tota ad Episcopos eorum Successores transiit, sed intra limites uniuscujusque Episcopatûs conclusa, atque semper cavit Ecclesia, ut quisque Episcopus intra fines sibi præscriptos se contineret.

Ad 2dum. Fatemur, parem esse omnium Episcoporum auctoritatem origine videlicet, & institutione divina: Sed negamus, esse parem gradu & jurisdictione externa. *Erras*, inquiebat S. Bernardus ad Eugenium lib. 3. de Consid. c. 4. *Si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam auctoritatem existimes.* (*b*)

Ad 3tium. Concedimus, omnes Episcopos esse Christi Vicarios, sed quemlibet in sua Ecclesia, sicut Romanus Pontifex est in universa Ecclesia.

Ad 4tum. Verum est, omnes Episcopos sustinere curam universalis Ecclesiæ per charitatem duntaxat, qua Ecclesiæ cuilibet laboranti subvenire tenentur; non autem per auctoritatem & jurisdictionem, quæ soli Romano Pontifici competit.

Ad 5tum. Disting.. Episcopi particulares toti Ecclesiæ leges dare possunt doctrinâ & Scriptis pro defensione Catholicæ fidei, conc. auctoritate & jurisdictione, neg. Pariter dist. alterum propositionis membrum: Episcopi convocant aliorum Episcoporum Concilia, Provincialia, conc. Generalia, neg. Ad solum quippe Romanum Pontificem spectat, omnes Episcopos in Concilium Oecumenicum convocare, prout alibi ostendimus. (*i*)

Ob. 5to. Canon 6tus Concilii Nicæni I. juxta Veterum Isidori Mercatoris, & Dionysii Exigui interpretationem sic habet: *Mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis* 379

(*b*) Vid. sup. §. 1. p. 152. (*i*) Cap. 4. hujus Tract.

parilis mos est ; similiter autem & apud Antiochiam &c. Ruffinus verò lib. 11. Hist. Eccles. cap. 6. eundem Canonem sic interpretatur : *Et ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ex prima interpretatione Papæ auctoritas coarctatur intra limites Occidentis. Ex secunda verò intra Ecclesias suburbicarias, id est, centum mille passibus Roma distantes, vel saltem intra decem Provincias Urbis Vicario addictas. Ergo Canon iste primatum in omnes orbis Christiani Ecclesias Romano Pontifici abrogat, & denegat.

Resp. Neg. conf. Prædicto Canone confirmatur, & stabilitur potiùs Romani Pontificis primatus, quàm labefactetur. Nam Paschasinus Romanæ Sedis Legatus in Concilio Chalcedonensi proferre jussus Canones, quos cont. 28. ejusdem Concilii allegabat sic Nicænum sextum Canonem ex suo Codice recitavit : *Trecentorum decem & octo Patrum Canon sextus : quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Adversùs quam lectionem (quæ utique prioribus interpretationibus præferenda est) nemo reclamavit. Judices verò dixerunt : *Perpendimus quidem, omnem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari.* Quibus patet, Veteres intellexisse, prædicto Canone sexto Concili Nicæni Primatum Romani Pontificis confirmari, ejusque potestatem nullis circumscribi limitibus, cùm tamen potestati Alexandrini Episcopi certi limites assignentur ; Adeo ut circa ejusdem Canonis sexti Nicæni tum Mercatoris, & Dionysii Exigui, tum Nicephori interpretationes non ita solliciti esse possimus aut debeamus, attamen ad utrasque Respondemus, & quidem

Ad 1mam. Jurisdictio Romani Pontificis in ea interpretatione coercetur inter limites Occidentis, quatenus est summus Pontifex, Christi Vicarius, & S. Petri in universali Ecclesia Successor, neg. quatenus est Patriarcha Occidentis duntaxat, conc. Prædicto Canone, secundùm Mercatoris & Dionysii interpretationem, instituitur tantùm comparatio inter Alexandrinum Episcopum & Romanum Pontificem, quoad dignitatem Patriarchalem, atque illius jura annexa. Quadruplex enim potest distingui in Romano Pontifice jurisdictio. Est Episcopus respectu urbis Romæ, & districtûs Episcopalis, quem regit : Est Metropolita respectu Romanæ provinciæ, & Regionum suburbicariarum : Est Patriarcha respectu totius Occidentis. Est denique summus Pontifex respectu totius Orbis Christiani. Ergo citatus Canon Nicænus ejus jurisdictionem spectat, quatenus est Patriarcha Occidentis duntaxat, non verò quatenus est summus totius Orbis Christiani Pontifex.

Ad 2dam Nicephori interpretationem eadem recurrit distinctio. Nec opus est, ut hîc disquiramus, quid per Urbes suburbicarias intelligi oporteat ; quibus unius Provinciæ duntaxat Urbes, seu Ecclesiæ designari videntur ; & qua ratione secundùm ea, quæ mox diximus, Romanus Pontifex tanquam Metropolitanus consideratur. Certè Græci, licèt Schismatici, totum Occidentem Romano Episcopo semper adscripserunt, & adhuc adscribunt. Ita Zonaras in Can. 6tum Concilii Nicæni. Nilus Cabasilas lib. 2. de Primatu Papæ. Balzamon Patriarcha Antiochenus ad hunc Canonem. Exigua præterea fides Ruffino est adhibenda, tum quia exclusus erat à Communione Romanæ Ecclesiæ per Anastasium Papam, ante-

antequam suam scriberet historiam, quam scribere non incepit, nisi post irruptionem Alarici (*k*), id est Innocentii I. Papæ tempore; tum ob ejus inscitiam, & in interpretandis Auctoribus audaciam, ut scribit S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, & Apolog. 2. adversùs Ruffinum.

380 Ob. 6to. Non conveniunt inter se nostri Theologi de prærogativis, in quibus potissimùm reponi debeat primatus Romani Pontificis. Ergo non pertinet ad certum, & fixum dogma fidei.

Resp. In iis, quæ circa primatum Romani Pontificis de fide semper censuit Ecclesia, optimè inter se conveniunt nostri Theologi: reliqua, quæ de illius auctoritate disputant, Ecclesia hactenus Scholis disceptanda reliquit, nec quidquam hac de re definivit. Ergo non premit objectio.

381 Ob. 7mo. Testimonia ad stabiliendam nostram sententiam adducta ex summis Pontificibus, sunt ex testibus in propria causa, ut patet. Atqui nemo in propria causa legitimus testis esse potest, ut denuò patet. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Ubi de causa privata agitur, conc. ubi de publica, neg. min. Ubi de causa publica fidei, de interpretatione institutionis à Christo factæ, de juribus primæ Sedis, prout hîc, agitur, certè non modò testes, sed & judices sunt Romani Pontifices, quibus certa fides haberi debet, præsertim cùm tota suffragatur Ecclesia, sicut in præsenti negotio re vera suffragatur. Non enim legimus aliquos Episcopos hanc legitimam primatûs prærogativam Romanis Episcopis denegasse, minùs illorum hanc in rem in conspectu totius Ecclesiæ adducta testimonia, quæ etiam continentur in Epistolis ad varias Ecclesias, imò Oecumenica Concilia directis, quibus nemo unquam contradixit, respuisse, aut in dubium revocasse, utpote data à varis virtute eximia, ac præstanti doctrina celebribus, & quorum pietas suspicari non sinit, illos in ea jura & privilegia involasse, quæ sibi ullo pacto competere nec ipsi, nec traditio agnovissent.

Quin ipsimet Imperatores hanc in Romanis Pontificibus primatûs prærogativam agnoverunt, & ab omnibus agnoscendam tanquam vindices Religionis ac Ecclesiæ Protectores, suis edictis decreverunt. *Quatenùs*, inquit Valentinianus (*l*), *Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit.* Item, *Sancimus*, inquit Justinianus (*m*), *secundùm Ecclesiasticarum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum.*

Ob. 8vo. contra secundam partem Conclusionis. Primatus Romani Pontificis fundatur in eo, quòd Petrus suam Sedem Romæ potiùs, quàm alibi, fixerir. Atqui hoc factum profectò merè humanum fuit, ac voluntarium, nullô enim speciali mandatô Petrus Romæ alligatus fuit. Ergo primatus hic non fundatur in jure & institutione divina, sed in aliquo facto, quod nec in Scriptura narratur, nec jus divinum constituit, sed planè humanum. 382

Resp. Neg. maj. Romanus Pontifex succedit Petro in Pontificatu Ecclesiæ universalis ex instituto Christi; Christus enim instituit Pontificatum Petri duraturum

(*k*) Alaricus Gothorum Rex Italiam invadit initio Sæculi 5ti. (*l*) Epist. ad Theodosium Tom. 4. Conc. p. 51. E. (*m*) Novella 131. tit. 14. c. 2.

turum usque ad finem mundi; & proinde, quicunque succedit Petro, à Christo accipit Pontificatum. At verò ratio, cur potiùs Petro Romanus Pontifex succedat, quàm alius Episcopus, id ex facto Petri ortum est; cùm enim Romæ Sedem fixerit, & usque ad mortem tenuerit, inde factum, ut Romanus Pontifex ei succedat. Unde quamvis fortè de jure divino non sit, Romanum Pontificem, qua Pontifex Romanus est, esse Petri Successorem in præfectura totius Ecclesiæ, tâmen omninò de jure divino est, eum esse totius Ecclesiæ Caput & Pastorem.

Adde, quòd, quamvis fortè de jure divino non esset, Romanum Pontificem, ut Romanus Pontifex est, Petro succedere, tamen id ad fidem pertineat: non enim idem est, esse aliquid de fide, & esse de jure divino; nec enim de jure divino fuit, ut Paulus haberet penulam, est tamen de fide, Paulum habuisse penulam. Etsi ergo Romanum Pontificem succedere Petro non habeatur expressè in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex Scripturis: Illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolica Petri, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum Decreta, & Patrum testimonia declaraverunt.

383 Ob. 9no. Primatus dicitur Romano Pontifici concessus à Canonibus, imò & ab Imperatoribus; ut à Synodo Chalcedonensi Can. 28. ubi dicitur: *Antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Et Justinianus Novella 10ma ait: *Decernimus secundùm sacrarum Synodorum decreta, sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotem.* Ergo &c.

Resp. Canonibus Ecclesiasticis hoc sensu primatum asseri Romano Pontifici, quòd per illos declaretur à Christo illi jam concessus, ac confirmetur, quomodò e. g. dicitur Concilium Nicænum definiisse Filium Dei esse Patri Consubstantialem, quia declaravit dogma in Scripturis & traditione revelatum, illudque confirmavit. Canon verò 28vus Chalcedonensis à Leone Pontifice, atque ab universa Ecclesia rejectus est, quamvis eâ, quam modò exposuimus ratione sit intelligendus, ut & Novella Justiniani.

§. III.

An summus Pontifex in Causis fidei & morum definiendis errare possit. Et, quod ad idem redit, an sit supra Concilium. 384

Stabilitô contra Acatholicos Romani Pontificis supra cæteros totius Orbis Episcopos ac fideles non mòdò honoris, & dignitatis, sed etiam auctoritatis & jurisdictionis primatu, gravis adhuc circa eundem est Gallicanos inter, & cæteros totius Orbis Catholici Theologos quæstio, seu potiùs lis & controversia, num iste Romani Pontificis primatus & præeminentia eò extendi possit & debeat, ut dictus Romanus Pontifex auctoritate polleat, quascunque fidei & morum quæstiones supremô, & infallibili judiciô definiendi, sitque supra Concilium etiam Oecumenicum, & Ecclesiam collectivè sumptam seu Episcopos simul sumptos.

Theologi Galli, si non omnes, saltem secundùm speciem plerique, negant summi Pontificis de fide & moribus definitiones absente totius Ecclesiæ consensu esse infallibiles, eumque Conciliô Oecumenicô superiorem esse. Affirmant verò cæteri.

Notandum tamen volunt, hîc quæstionem non esse, num summus Pontifex etsi legitimus, velut Doctor privatus

 errare

errare non possit. Omnes enim Theologi fatentur, tunc eum, cùm videlicet tamquam privata persona, & aliorum privatorum Doctorum instar aliquid scribit, aut docet, errori esse obnoxium.

In hoc igitur modò versamur, an scilicet summus Pontifex, quando quâ Pontifex & universalis Ecclesiæ Catholicæ Pastor, pro summa, qua pollet, auctoritate universam Ecclesiam docet, rebusque maturè, prout par est, discussis causam aliquam definivit, & quod definivit, jubet tanquam fidei veritatem ab omnibus haberi &c. infallibilis sit necne?

Unde in Romano Pontifice celebris illa distinctio statuenda videtur, quam adhibent infallibilitatis Pontificiæ assertores Theologi, & qua illum considerant, vel ut Doctorem privatum, qui sensa sua depromit, vel ut publicum Ecclesiæ Doctorem & Pastorem, qui ea ratione, quam mox exposuimus, Ecclesiam universalem docet, seu quod ajunt, qui *Ex Cathedra* loquitur.

Et quamvis hanc distinctionem initiò explodere velle viderentur Gallicani Theologi tanquam, quod ajebant, novum commmentum, ad declinandam objectionum quarumdam ex aliquibus summorum Pontificum Epistolis hæresim sapientibus desumptarum vim & molestiam excogitatum. Attamen postquam Infallibilitatis Pontificiæ Patroni palam demonstrârunt, hanc distinctionem nec rationi contrariam, nec novam esse, quippe quæ cùm in Scripturis, tum in Traditione fundata sit (*n*), ultrò eam Gallicani Theologi admittere coguntur; verùm eâ etiamnum admissâ, nihilominùs contendunt etiam tunc Pontificem in definiendis fidei & morum quæstionibus esse fallibilem; adeoque Ecclesiâ seu Conciliô inferiorem, utpote quod solum in hujusmodi quæstionibus definiendis nec falli, nec fallere possit. His prælibatis, ponitur

CONCLUSIO. 385

Papa ex Cathedra res fidei & morum definiens est omninò infallibilis.

Prob. Conclusio 1mo ex S. Scriptura. Luc. 22. v. 31. Christus Petrum hisce alloquitur: *Simon, Simon, Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Ex hac Christi sententia istud conficimus argumentum. Illi censeri debent in definiendis fidei & morum quæstionibus infallibiles, pro quibus Christus oravit, ne eorum fides deficeret, quosque jussit confirmare fratres suos. Atqui Christus pro Petro & ejus Successoribus Romanis Pontificibus oravit, ne eorum fides deficeret, jussitque eos fratres suos confirmare. Ergo in fidei, & morum quæstionibus definiendis sunt infallibiles.

Major apud omnes Catholicos Theologos ultrò extra controversiam esse debet; nullus quippe eò mentem abducet, ut asserere audeat, Christi orationem non fuisse exauditam: proinde manifestum est, quòd, qui in fide nunquam deficere possunt, eò ipsô donum infallibilitatis acceperint, atque quando fidei & morum quæstiones definiunt, fratres suos in ea infallibiliter confirmare valeant.

At de minore litigant Gallicani Theologi, eamque variis argumentis impugnant; ut vel inde pateat, multa falsa esse uni vero contraria.

Launojus

(*n*) Vid. Opus nostrum cui titulus Auctoritas & Infallibilitas sum. Pontif. &c. &c. stabilita &c. editum an. 1738. Cap. 1. pag. 1. & seqq.

Launojus præcipuè in eo est, ut huic sacræ Scripturæ textui varias Patrum adaptet interpretationes. (o) 1mo. dicit, oràsse Christum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea, & gratia Dei tum demum perseveraret. 2do. Ut Romana Ecclesia per Petrum fundata à fide nunquam deficiat. 3tio. Ut ipsa Sedes Petri, seu Apostolica Sedes in fide firma semper sit. 4to. Ut ipsa universalis Ecclesia, vel etiam universale Concilium nunquam erret in fide.

Verùm profectò hæ omnes interpretationes procul, ut nostram, qua textum hunc ad Petri Successores extendimus, eliminent, quin potiùs eandem mirum in modum stabiliunt. 1ma. quidem verissima est; non enim in Petro aut ejus Successoribus excludit privilegium non errandi, cùm *Ex Cathedra* fidei quæstionem aliquam definiunt; neque sistit illud in solo Petro, obestve, ne etiam ad illius Successores pro rectè gerendo Supremi Pastoris Officio transeat. Secunda & tertia omninò sententiam nostram confirmant; nobis enim, quemadmodum toti Ecclesiasticæ antiquitati, perinde est sive Ecclesia Romana, sive Sedes Apostolica, sive Romanus Pontifex nunquã à fide deficere posse dicantur, cum hæc tria idem sint, & utrobique summus Pontifex intelligatur. Quarta etiam vera est, si nimirum intelligatur hæc universalis Ecclesiæ, seu Concilii fidei certitudo à B. Petro tanquam à Capite ad cætera membra, Ecclesiamque universalem defluere, prout exposuêre SS. Patres.

2do. Matth. 16. v. 18. hisce Christus Petrum alloquitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum &c.*

Ex hoc textu breve hoc conficimus argumentum. Petrus hîc & ejus Successores Romani Episcopi, quod omnium Catholicorum est sententia, Nosque §. præcedenti ostendimus, constituuntur Petra & fundamentum totius Ecclesiæ, quam nullus unquam in fide error occupare, aut subvertere possit. Ergo non solùm ipse Petrus, sed & illius Successores, cùm, ut Petra & fundamentum Ecclesiæ visibilis, eidem quidpiam de fide credendum proponunt, ipsi in fide firmissimi, adeoque infallibiles sint, omninò necesse est.

Prob. cons. Non alia ratione Christus hoc locô inconcussam, & immotam in fide Ecclesiam pronuntiasse videtur, quàm quia supra Petrum, ejusque Successores fundanda esset. Ergo & ipsi in fide immoti sint, oportet. Secus enim, sicut ruente fundamento, totum etiam collabi superstructum ædificium necesse est, ita & totam Ecclesiam, his S. Petri Successoribus inædificatam, à vera fide deficere contingeret: sicque contra Christi promissionem adversùs illam portæ inferi essent prævalituræ. Concludendum igitur ex hoc textu, Romanos Pontifices, prout Ecclesiæ Petra & fundamentum sunt, seu quando *Ex Cathedra* fidei quæstiones definiunt, esse infallibiles.

3tio. Joan. ult. v. 17. Christus ter Petrum interrogat his verbis: *Petre amas me?* terque ipsi oves suas committit his verbis: *Pasce oves meas.*

Unde hoc deducitur argumentum: Per hæc verba Petrus & ejus Successores totius Ecclesiæ Pastores & Rectores à Christo sunt constituti: Ergo & Christus ipsis omnia contulit, quæ in munere hoc ritè obeundo necessaria sunt. Subsum. Atqui inter ea præcipuè est infallibitas in fidei quæstionibus definiendis. Ergo &c.

Prob.

(o) Part. 5. Epist. ad Bevillaquam.

Prob. ant. subsumpti. Id maximè curare debet spiritualis Pastor, ut fides in suo grege incorrupta servetur, sine qua impossibile est placere Deo. Ergo convenit omninò, ut cui suprema totius gregis Dominici cura incumbit, ea dote præditus sit, ut oves, ipsius vocem sequentes, à venenosis errorum herbis se non inficiendas, sed salubribus veritatis pascuis alendas securissimè confidant; adeoque sit infallibilis.

386 Prob. Conclusio 2do ex constanti Traditione, qua constat, Romani Pontificis supremam auctoritatem, & in fidei definitionibus infallibilitatem semper in Ecclesia fuisse agnitam.

Primô Ecclesiæ Sæculô Clemens Romanus Pontifex, orto Corinthi Schismate, gravem ad istius Ecclesiæ Rectores dedit Epistolam, qua pax reducta est, ipsique in fide confirmati. (*p*)

Sæculô 2dô. Quartodecimanorum errorem improbat Victor Papa, ejusque decisionem tota sequitur Ecclesia. (*q*)

Sæculô 3tiô. Novatianum damnat Cornelius Papa. Stephanus Rebaptizantes; Martianum quoque Arelatensem Episcopum hæreticum Sede sua dejicit. Dionysius Papa Dionysium Alexandrinum, ut fidei suæ & Scriptorum rationem ipsi reddat, adigit, prout testatur Athanasius Ep. de Dionysio Alexandrino.

Sæculô 4tô. Julius Papa Orientales Episcopos, qui Athanasium damnârant, reprehendit, eorumque judicium nullum pronuntiat, quòd suam definitionem non expectâssent, aut requisivissent. *Ecclesiasticâ*, inquit ad hanc historiæ particulam Socrates (*r*), *regulâ interdictum est, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur.* Sozomenus autem asserit (*s*), *Omne id, quod absque consensu Romani Pontificis fit, irritum esse.* Eodem Sæculo Liberius Eustatium Sebastenum Episcopum Sede sua pulsum, & Romanam Sedem appellantem restituit; neque huic restitutioni Thyanæa Synodus resistere ausa est, quamvis cur restitutus fuerit, ignoraverit. (*t*) Damasus Papa Conventum Ariminensem damnat, quòd eidem Romani Pontificis consensus non accessisset; definitque, formulæ fidei à Nicæna Synodo præscriptæ unicè adhærendum esse. (*u*) Ipse etiam primus Apollinaris hæresim in Oriente exortam damnat; novam quoque fidei formulam edit, cui anathema adversùs Macedonianos, & Apollinaristas adjungit, & cui omnes de hæresi suspecti subscriberent. Siricius Damasi successor, Jovinianum hæreticum damnavit unacum suis adhærentibus, atque toto terrarum orbe execrabiles reddidit.

Anastasius Origenis errores toto quidem Oriente jam damnatos proscripsit, quam proscriptionem illicò totus Occidens suscepit. (*x*)

Sæculô 5tô. Innocentius I. Sacrarum Scripturarum Canonem ipsum, quem etiamnum modò adhuc tenemus, determinat, de quo priùs variæ fuerant in Ecclesia opiniones. Reprehendit Macedoniæ Episcopos, quòd decisiones suas in materia etiamnum disciplinæ in dubium revocare ausi sint. Orientales à sua communione suspendit, donec Joannis Chrysostomi memoria pristinæ venerationi ab ipsis fuisset restituta. Acta Synodorum Carthaginensis, & Milevitanæ, quæ Pelagium & Cœlestinum damnârant sibi ab illis transmissa confirmat,

(*p*) Euseb. lib. 3. Hist. cap. 12. (*q*) Idem lib. 5. cap. 24. & 25. (*r*) Lib. 3. cap. 7. (*s*) Lib. 4. cap. 9. (*t*) Basilius Ep. 74. (*u*) Sozom. lib. 6. cap. 25. Ruffinus lib. 11. c. 20. (*x*) Hieron. Ep. ad Pamach.

firmat, post quam confirmationem, causam hanc demum finitam fuisse ait S. Augustinus. Zosimus Cælestium, qui simulatâ Orthodoxiâ illum circumvenerat, fraude detectâ solemni edictô damnat, quod ad universos totius Orbis Christiani Episcopos transmissum illicò ab illis acceptatum est, paucis, qui Pelagio & Cælestio adhærebant, exceptis, qui & ob id, ab omnibus rejecti fuere. Cœlestinus I. adversùs Nestorium fert sententiam, eumque anathemate percutit, nisi intra decem dies errorem suum damnaverit. Flavianus Constantinop. Episcopus à Pseudo-Synodo Ephesina damnatus ad Leonem Papam appellat; hæcque appellatio ut legitima, ac secundùm Canones facta, agnita fuit, ut patet ex Ep. Valentiniani Imperatoris ad Theodosium.

Cùm in Oriente orta esset controversia de divinitate S. Spiritus, de ea contentione Papa certior factus, scripsit ad Orientis Ecclesias Epistolam, qua præcipiebat, ut unacum Sacerdotibus Occidentis Trinitatem & consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent: *quo facto*, inquit Sozomenus (*y*), *singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt, & controversia finem habere visa est.*

Sæculô 6tô S. Gregorius Magnus lib. 5. Ep. 54. ad Episcopos Galliæ jubet, ut, si inter ipsos de fide quædam controversia emerserit, eam ad ipsum referant, *quatenus*, inquit, *valeat à nobis congruâ fine dubio sententiâ terminari.* Cùm Romam Episcopi Italiæ, mandante Theoderico Italiæ Rege, ut, annuente etiam Symmacho Papa, causam, quæ inter illum & Laurentium Antipapam agitabatur, dijudicarent, convenissent, tota inde commota est Ecclesia, ac undique Romam delatæ litteræ, quibus id judicium impediretur; Avitusque Viennensis Episcopus nomine omnium Galliæ Episcoporum gravem ad dictos Italiæ Antistites dedit Epistolam, in qua illos reprehendit, quòd temerè causam illam examinandam suscipere ausi fuerint; non enim intelligere posse, ait, Episcopos Galliæ, quòd eminentior ab inferioribus possit judicari: non teneri Romanum Pontificem nisi soli Deo de sua administratione rationem reddere; neque esse Gregis Pastorem proprium terrere. Ipsimet etiam Italiæ Episcopi, initiò Regi Theoderico morem gerere detrectati sunt, suggerentes ei, solius summi Pontificis esse Synodum convocare, nec illum minorum judicio ullatenùs subjacere: At certiores postmodum à Rege facti, ipsum quoque Papam Synodi convocationi assensum præbuisse, eidem acquievêre; Nec tamen jam congregati Synodum habere ausi sunt, nisi priùs acceptâ à Symmacho Papa illam inchoandi auctoritate &c. (*z*)

Sæculô 9nô. Additamentum *Filioque* ab Ecclesia Gallicana Symbolo factum, tunc demum in fidei articulum transiit, cùm Romani Pontificis Decretô receptum est. (*a*)

Sæculô 12mô tentata fuit unio cum Orientalibus, sed hæc ad finem perduci non potuit, quòd nollent Græci, quemadmodùm Latini tuebantur, agnoscere, Sedem Apostolicam, non expectatô totius Ecclesiæ consensu, posse quæstiones fidei definire. (*b*)

Ex his, innumerisque aliis ex historia Ecclesiastica repetitis monumentis habetur, summos Pontifices semper ab omnibus, tanquam suprema totius Ecclesiæ Capita habitos esse, atque ad eos undique fideles recurrisse, ut ab ipsis super fidei, aliisque quæstionibus judicia expeterent; ipsos

(*y*) Lib. 6. c. 22. (*z*) Bin. tom. 2. p. 284. b. Ennodius Apolog. Conc. Rom. (*a*) Baron. ad an. 809. (*b*) Spicileg. tom. 13. pag. 262. & seqq.

ipsos hæreses damnasse, quibus etiam non expectato totius Ecclesiæ consensu, damnatis, eorum judiciis omnes Catholici semper acquieverunt; verbô, habetur, ipsos in iis, quæ fidem tangebant, fuisse infallibiles.

387 Prob. 3tio. Conclusio ex Conciliis. (c) De Concilio Nicæno id solùm habemus, quòd eidem Sylvester Papa per suos Legatos præfederit, quorum unus fuit Osius Cordubensis Episcopus, prout apud Athanasium afferunt Ariani.

(d) In Sardicensi verò, cui laudatus Osius nomine Pontificis Romani præfuit, invenimus Papam nuncupari *Ecclesiæ Caput, utpote, qui Petri Sedem teneat: quòd cæteri Episcopi teneantur ad ipsum omnia referre, & quòd quilibet possit post Episcoporum Judicium ad Sedem Apostolicam appellare &c.* (e)

(f) In Ephesina Synodo, ubi Nestorius damnatus est, 1mo. Fatentur Patres, *se per sacros Canones, & Papæ Cœlestini Epistolam coactos, contra Nestorium sententiam pronuntiare.* 2do. Papæ Legati, qui primùm post Nestorii damnationem ad Concilium venerant, sibi Acta prælegi jubent, ab ipsis juxta præscriptam Cœlestini Papæ formulam confirmanda, in qua hæc inter alia continebantur: *Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen.* Acta deinde, rogantibus Concilii Patribus, confirmant. 3tio dicitur *S. Petrus Apostolorum Princeps & Caput fidei, columna, & fundamentum Ecclesiæ Catholicæ, qui claves accepit Regni cœlorum, atque ligandi, & solvendi potestatem accepit, qui semper in suis Successoribus judicium exercet.*

(g) In Concilio Chalcedonensi, declarat S. Leo Papa, *se ei interesse in suis Vicariis, qui dudum in fidei prædicatione non desit, ut qui non possint ignorare* (Patres Concilii alloquitur) *quid ex antiqua traditione credat, non possint dubitare, quid cupiat.* Præcipit quoque iisdem Concilii Patribus, ut rejectâ penitùs disputandi audaciâ eam teneant de Sacramento Incarnationis Dominicæ doctrinam, quam plenissimè & lucidissimè post Evangelium, Prophetas, & Apostolos ad Flavianum declaraverat, & exposuerat in sua ad Concilium Epistola. 2do. Declarant Summi Pontificis Legati, se mandatum Papæ præ manibus habere, quo statuebatur, ne Dioscorus in Concilio sederet, sed audiendus intromitteretur, *Act. 1ma.* 3tio. Concilium declarat, super iis, quæ de Incarnatione Domini credenda essent, formam datam fuisse à Leone Papa, Concilium eam sequi, atque Epistolæ Leonis omnes jam subscripsisse, nullaque, præter istam, alia fidei expositione opus esse; *Act. 2da.* 4to. Quòd Papa, per præsentem Synodum, unacum B. Petro, qui est Petra & Crepido Catholicæ Ecclesiæ Dioscorum nudarit tam Episcopatûs dignitate, quàm etiam & ab omni alienarit Sacerdotali ministeriô; *Act. 3tia.* 5to. Eos declarat hæreticos, qui non subscripsissent Epistolæ Leonis; *Sicut Leo sic credimus*, inquiunt, *rectè Leo exposuit.* Act. 4ta. 6to. Concilium Epistolam Leonis Confessioni Petri esse congruentem, & communem quamdam columnam existentem adversùs perversè sentientes, eamque Epistolis Cyrilli ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter adaptare se profitetur. 7mo. Quamvis Conciliabulum Ephesinum hîc reprobatum fuerit, ordinatio tamen Maximi Antiocheni in eo facta rati habetur, quòd S. Leo Papa eum in suam Communionem recepisset. *Act. 10ma.* 8vo. A S. Leone Papa confirmatur

(c) Annô 325. sub Sylvestro Papa. (d) Annô 347. sub Julio Papa. (e) In Epist. Synodica. (f) Annô 431. sub Cœlestino Papa. (g) Annô 451. sub Leone I.

tur Concilium tantùm quoad ea, quæ fidem spectabant, reliqua pronuntiat irrita; quæ proinde etiam ab Ecclesia rejecta fuère.

(*h*) Concilium VI. Oecumenicum, Act. 4tâ. summô applausu probat duas Epistolas, Agathonis unam, Concilii Romani alteram: in quibus apertis terminis continetur suprema & infallibilis Romani Pontificis auctoritas fundata supra promissiones Christi tribus jam initio hanc in rem adductis S. Scripturæ textibus contentas, prohibetque, ne sententia Romani Pontificis ad ulterius examen vocetur &c.

(*i*) In Concilio VII. Oecumenico non minùs apertè infallibilitas Pontificia stabilitur, Adrianique Papæ litteræ *divinus Orthodoxiæ terminus* nuncupantur.

(*k*) Synodus VIII. Oecumenica singulis ferè paginis infallibilitatem Pontificiam super promissiones Christi Petro factas fundatam declarat. Eandem sententiam semper tenuere subsecuta Concilia, ut ea volventi patebit.

388 Prob. 4to. Ex ipsis Romanis Pontificibus; quorum testimonia summi ponderis esse debent, iisque fides certa omninò adhiberi debet, prout supra §. 2do in Responsione ad objectionem 7mam pag. 170. ostendimus.

(*l*) Innocentius I. Ep. ad Felicem laudat eum, quòd super dubiis illum consuluerit tanquam Caput, & apicem Episcopatûs, *ut consulta*, inquit, *videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid sequendum, faciendumque pronuntiet*. Bin. tom. 1. Concil. pag. 583.

(*m*) Zosimus Epist. ad Patres Carthaginensis Concilii, Apostolicæ Sedis infallibilitatem in Christi promissione Petro facta firmatam asserit. Bin. tom. 1. Conc. pag. 611. a.

(*n*) Cœlestinus I. sententiam fert in materia fidei adversùs Nestorium ad universam Ecclesiam directam. Bin. ibid. pag. 651.

(*o*) Sixtus III. Ep. ad Joan. Antiochenum ait, S. Petrum doctrinam suam Successoribus suis transmisisse, horumque doctrinam non magis errori esse obnoxiam, ac sit ipsamet S. Petri doctrina. Bin. tom. 1. pag. 925. a.

(*p*) De S. Leone jam egimus supra in Concilio Chalcedonensi.

(*q*) Simplicius Papa Epist. ad Zenonem Augustum, *Perstat*, inquit, *in Successoribus suis hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem Sæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit, cujus sententia, quæ ligarentur in terris, solvi, testatus est, non posse nec in cœlo.*

(*r*) Gelasius Epist. ad Episcopum David, & ad Faustum ait: Papam jus habere omnem & totam Ecclesiam dijudicandi, nec licere cuiquam de ejus judicio appellare, idque Canonibus Ecclesiæ esse sancitum.

(*s*) Gregorius Magnus lib. 4. Ep. 20. ait: Ex promissionibus Christi tribus illis Scripturæ textibus, sup. à nobis relatis, expressis totius Ecclesiæ curam summum Pontificem gerere. Quid verò ad Episcopos Galliæ scripserit, jam supra argumento secundo retulimus.

(*t*) De Agathone supra in Concilio 6to Oecumenico egimus.

L l l 2 (*u*) Ni-

(*h*) Annô 680. sub Agathone Papa. (*i*) Annô 787. sub Adriano I. (*k*) Annô 869. sub Adriano II. Papa. (*l*) Ab anno 401. usque ad annum 417 (*m*) Ab anno 417. usque ad annum 418. (*n*) Ab anno 422. ad annum 432. (*o*) Ab anno 432. ad annum 440. (*p*) Ab anno 440. ad annum 461 (*q*) Ab anno 468 ad annum 483. (*r*) Ab anno 492. ad annum 496. (*s*) Ab anno 590. ad annum 604. (*t*) Ab anno 678. ad annum 682.

(*u*) Nicolaus I. Ep. 8. ad Michaelem Imperatorem, ait Privilegia Sedis Apostolicæ Romanis Pontificibus collata fuisse ab eo, qui audivit à Domino *confirma fratres tuos*. Ipsos Concilia suâ auctoritate firmare, sua moderatione custodire, unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidisse. Sedis Apostolicæ auctoritate nullam esse majorem, judicium illius à nemine retractari posse, nec cuiquam licere de ejus judicio judicare, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemini permissum esse appellare.

(*x*) Joannes Papa VIII. Eadem, ac S. Gregorius paulò ante relatus, scribit ad Arelatensem Episcopum; atque ad Bulgarorum Regem scribens, ait, quòd, sicut aqua non potest alibi tam munda & limpida, quemadmodùm in fonte, unde originem pertrahit, inveniri: ita & fides, nunquam tam pura & nitida inveniri possit, quàm in Sede Romana &c.

(*y*) Leo IX. Ep. ad Michaëlem Cærularium Patriarcham Constantinop. adductô celebri S. Lucæ textu *Ego autem rogavi &c. Erit*, *ergo*, inquit, *quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum, quàm per suos Successores convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque in finem deficiet, sunt confirmata.*

(*z*) Innocentius III. Ep. ad Episcopum Arelatensem: *Majores*, inquit, *causæ, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelliget, qui novit, pro eo Dominum rogasse, ne deficiat fides ejus.*

(*a*) Gregorium VII. omittimus. Nimis quippe apertum est, eum Sedis Apostolicæ jura non modò intra supremæ Spiritualis potestatis limites stare voluisse, sed & ad Principum temporaria extendi jussisse. Neque etiam de subsequentibus Summis Pontificibus nihil dicemus, utpote quos nemo negat, censuisse se supremam habere in totam Ecclesiam auctoritatem, atque esse infallibiles.

Prob. Conclusio 5to. Ex SS. Patribus. 389
1mo. Ex Græcis. S. Irenæus lib. 3. advers. hæres. c. 3. ait: *Per traditionem Ecclesiæ Romanæ, quam ipsa ab Apostolis habet, & annuntiatam hominibus fidem, per successionem Episcoporum ad nos usque pervenientem confundi omnes hæreticos; & ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse esse, omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.*

Origenes in Ep. ad Rom. ait: *Christum S. Petro Summam rerum in sua Ecclesia contulisse, cùm illum ejusdem Pastorem constituit.*

Eusebius Cæsareensis, vel alius, qui sub ipsius nomine circumfertur, sermone in *Non veni pacem mittere &c.* de S. Petro ait, *quòd sit verè beata Petra, in qua & sumus positi.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 7. S. Petrum *Ecclesiæ columen nuncupat.* Et Orat. 26. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat.* Hocque privilegium ad illius Successores pertransisse agnoscit in carmine de veteri & nova Roma: *fides*, inquit, *vetustæ* (Romæ) *recta erat jam antiqui-*

(*u*) Ab anno 858. ad annum 867. (*x*) Ab anno 872. ad annum 882. (*y*) Ab anno 1049. ad annum 1055. (*z*) Ab anno 1198. ad annum 1206. (*a*) Ab anno 1073. ad annum 1087.

antiquitùs, & certa perstat nunc, item nexu pio quodcunque labens Sol devinciens; ut universi Præsidem mundi decet, totam colit, qui Numinis concordiam.

S. Joannes Chrysostomus hom. 53. in Matth. docet, *quòd S. Petrus constitutus sit vertex & Coryphæus Collegii Apostolici, quòd ipsi claves Regni cælorum à Salvatore traditæ fuerint, atque fide ad regendam Ecclesiam immobili fuerit imbutus, hæcque prærogativa ad suos Successores pertransierit.*

S. Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinitate in illa verba *Tu es Petrus &c. Per annotationem*, inquit, *nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam Discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.* Item apud S. Thomam in Catena, *secundùm hanc promissionem*, inquit, *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata.*

Theodoretus Ep. 116. ad Renatum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, ait, *Sedem Apostolicam habere omnium totius Orbis Ecclesiarum principatum multis nominibus, & ante omnia ex hoc, quòd ab hæretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram servavit.*

Flavianus Episcopus Constantinopolitanus Epist. ad S. Leonem Papam contra Eutychetem, rogat eum, *ut Eutychetis damnationem regulariter factam confirmare, & decernere dignetur, quo removebitur*, inquit, *Concilium, quod fieri divulgatur.*

Ex Latinis S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ, ait, quòd, *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non sit.* Idem repetit Ep. 39. Et Epist. 55. ait, *ad Romanam Sedem perfidiam non posse habere accessum.* Et Ep. 52. asserit, *idem esse, cum Romano Pontifice communicare, ac cum Ecclesia Catholica.*

Optatus lib. 2. cont. Parmen. inter alia dicit, *Portas inferorum claves Petri nunquam devicturas.* Et lib. 7. ait, *Petrum claves Regni cælorum cæteris communicandas solum accepisse.* Dixerat jam lib. 1. *Melchiadis Papæ sententiâ, qua Cæcilianum à Donatistis Sede Carthaginensi pulsum innocentem pronuntiaverat, judicium fuisse clausum.*

S. Ambrosius variis locis Papæ infallibilitatem tuetur, ut Ep. 11. ubi ait: *Romanam Ecclesiam esse Caput Imperii Romani, & sanctam Apostolorum fidem tenere.* Lib. 4. & 5. de fide ad Gratianum Imperatorem, *Petrum esse firmamentum Ecclesiæ.* In Psal. 40. *Quòd ibi sit Ecclesia, ubi Petrus est, ubi autem Ecclesia est, ibi nulla mors sit, cùm ille ipse sit, cui Christus dixit: Et portæ inferi &c.*

S. Hieronymus Ep. ad Damasum Papam, *Apud vos*, inquit, *solos incorrupta servatur Patrum hæreditas ..... Ergo nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio .... Decernite, si placet, & non timeo tres hypostases dicere.*

S. Augustinus serm. 2. de verbis Apostoli, post Sedis Apostolicæ judicium Pelagianorum causam finitam esse asserit. Et lib. 2. advers. Julian. *Quid adhuc quæris examen*, inquit, *quod apud Apostolicam Sedem jam factum est.* Ep. 162. de Cæciliano agens, *Poterat*, inquit, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, esse conjunctum.* Et in Psalmo contra partem Donati, *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Possidius in vita S. Augustini c. 18. Innocentii & Zosimi sententiam contra Pelagium & Cælestium latam *Ecclesiæ judicium* nuncupat, *quod audiens, & sequens Honorius Imperator, suis eos legibus damnatos haberi debere constituit.*

S. Prosper in suo poëmate ait: *Sedem Apostolicam primam Pelagii & Cælestii hæresim damnâsse, non quòd ipsius sententiam Concilia Africana non præcesserint, sed quòd præcipuam suam auctoritatem à damnatione per sanctam Sedem facta acceperint, decernendo id, quod Roma probaret.*

Cassianus lib. 3. de Incarn. c. 12. *Interrogemus*, inquit, *summum illum, & inter Magistros Magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & Sacerdotii Principatum.*

S. Petrus Chrysologus Ep. ad Eutychen, *In omnibus hortamur te, ut iis, quæ à Beato Papa Romanæ Urbis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus veritatem; nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.*

Gennadius in Catal. *Innocentius*, inquit, *Urbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium, & Orientalium Ecclesiarum adversùs Pelagianos datum, quod postea Successor ejus latiùs promulgavit.*

S. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium II. *Dignum*, inquit, *arbitror ibi* (in Sede Apostolica) *potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum.*

Pluribus Patrum & omnium subsequentium Doctorum & Scriptorum Scholasticorum, etiam Gallicanorum Theologorum testimoniis adducendis supersedemus, cùm ultrò moderni Gallicani Theologi fateantur eos sibi minimè favere, atque S. Thomæ Scholasticorum Principis sententiam sequi, à cujus in re præsenti sententia, salvâ, quæ ipsi debetur, reverentiâ, licet discedere, inquit Turnelius celebris Gallicanus nostri ævi Theologus.

Prob. Conclusio 6to. Selectis testimo- 390
niis Ecclesiæ Gallicanæ, quod sanè firmissimum pro nostra sententia debet esse argumentum, utpotè in ipsa Ecclesia illa, quæ tantis viribus modò contrarium tueri videtur, petitum, & ex quo vel saltem id evincimus, Gallicanos videlicet Præsules, & Theologos Majorum suorum deseruisse sententiam, quando Papam errori obnoxium tuentur.

Sæculô 14tô. Natio Gallica in Scripto quodam adversùs Bonifacium VIII. Clementi V. oblatum sic loquitur: (b) *Non quæritur de hæresi Papæ quondam ut Papæ, sed ut privatæ personæ, nec ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona, nec unquam aliquis Papa ut Papa potuit esse hæreticus. Et ideò cùm de ejus mortui hæresi quæritur, non habet congregari Concilium generale; estis enim nobis Pater sanctissime JESU Christi Vicarius totum Corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves Regni cælorum habetis: nec congregatum totum Concilium generale sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere.*

Eodem Sæculo Petrus Bertrandus Episcopus Augustodunensis nomine omnium Galliæ Episcoporum de origine jurisdictionis quæst. 2. & 3. ait; *jurisdictionem spiritualem à Christo immediatè Petro, & ipsius Successoribus fuisse traditam, à quibus in alios derivatur. Eamque jurisdictionem*

(b) Histoire du Different. pag. 399. & 413.

ctionem Papam habere sine limitatione loci & personarum ; ideò omnes Christianos , ubicunque sint , debere ei obedire.

Eodem iterum Sæculo Stephanus Episcopus Parisiensis de consilio Decani & Capituli Cathedralis Ecclesiæ suæ , Guilielmi Archiepiscopi Viennensis Theologiæ Professoris , viginti trium in Theologia Doctorum, & triginta novem Facultatis Parisiensis Bacalaureorum sic de Ecclesia Romana disserit : (*c*) *Nos igitur attendentes cum eis* (Decanô nempe, Capitulô , & cæteris mox nominatis) *quòd sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium Mater, & Magistra in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata , ad quam velut ad universalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum, & reprobatio , declaratio dubiorum , determinatio tenendorum, & confutatio errorum &c.*

Sub ejusdem Sæculi finem universa Facultas Theologica Parisiensis sic loquebatur : (*d*) *Quidquid dicturi sumus totum correctioni , & judicio Sedis Apostolicæ , & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus ; dicentes cum Beato Hieronymo, hæc est fides, quam in Ecclesia Catholica didicimus , in qua, si quid minùs peritè aut minùs cautè fortè aliquid positum est , emendari petimus à te* (Papam alloquuntur) *qui Petri fidem & Sedem tenes ; non ignoramus enim , sed firmissimè tenemus , & nullatenus dubitamus , quòd Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam , eodem Hieronymo teste , fundata est Ecclesia ; & sicut dicit Cyprianus : de qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est : Petre rogavi pro te , ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur , ad quam determinatio fidei , & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.*

(*e*) Annô 1579. celebratus fuit Conventus Cleri Gallicani Meloduni , ubi Art. 1mo. hæc leguntur : *Operam dabunt ii , quibus hæc cura demandata est , Episcopi scilicet , & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tam Diœcesanis , quam Provincialibus , omnes & singuli tum Clerici , tum Laici, amplectantur , & aperta professione eam fidem pronuntient , quam Sancta Romana Ecclesia Magistra , columna & firmamentum veritatis profitetur , & colit. Ad hanc enim , propter suam principalitatem, necesse est , omnem Ecclesiam convenire.*

Annô 1625. iterum Clerus Gallicanus congregatus in monitis ad Archiepiscopos , & Episcopos Galliæ , Art. 137. hæc de auctoritate Papæ tradit : *Venerabuntur etiam Sanctum Patrem nostrum Papam, Ecclesiæ universalis Caput visibile , Dei in terris Vicarium , Episcopum Episcoporum & Patriarcharum, denique Beati Petri Successorem , à quo Apostolatus , & Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam illi claves cœli tradens , cum infallibilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus Successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus.*

Hæc monita , quæ cum privilegio Parisiis vulgata fuerunt , per *Antonium Etienne* , seu *Stephanum* equidem postmodùm suppressa fuerunt, ob defectus aliquos , quos Cardinalis Rupefucaldius in Opusculo , cui titulus *Déaveu &c.* seu *Rejectio &c.* edito annô 1626. indicavit. At articulus iste 137. nunquam à Clero Gallicano fuit improbatus : è contrà præcipua suppressionis illorum causa fuit , quòd

(*c*) Hist. Universit. Parisiens. ad annum 1324. per Bulæum. (*d*) Ibid. ad annum 1387.
(*e*) Anciens Memoires du Clergè. Tom. 1. pag. 438.

quòd quædam continerent, quæ auctoritati summi Pontificis derogare videbantur, utpote quibus Synodus Provincialis unicus causarum Episcopalium Judex constituebatur, prout manifestum est ex pag. 11. 18. & 54. horum monitorum, & quæ sunt loca à Cardinali Rupefucaldio notata & improbata.

Certè horum monitorum articulus ille 137. non erat aliud præter consecutionem quamdam ad ea, quæ pauló antè, annò videlicet 1612. in Gallia gesta fuerant occasione Libri *de Ecclesiastica & politica potestate* adversùs supremam & infallibilem Romani Pontificis auctoritatem à Richerio Universitatis Parisiensis Syndico vulgati. (*f*) Liber iste videlicet primùm à Provinciarum Senonensis, & Aquensis Episcopis damnatus est. Deinde Richerius ipse auctoritate Regia & Decreto Facultatis depositus fuit à Syndicatu ejusdem Facultatis, atque libellum suum retractare, necnon Sedis Apostolicæ infallibilitatem agnoscere coactus sequenti Declaratione: *Protestor, & declaro, me semper voluisse, atque etiamnum velle, & me ipsum & libellum præfatum, & quascunque ejus propositiones, earumque interpretationem, omnemque meam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Judicio submittere, quam Matrem & Magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis Judicem agnosco.*

(*g*) Annô 1653. Iterum Clerus Gallicanus ad Innocentium X. scribit duas Epistolas, quarum priori subscripserunt 85. Episcopi. In ea autem sic loquuntur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes &c.*

(*h*) In altera verò, cui 30. Episcopi subscripserunt: *Judicia*, inquiunt, *pro sancienda regula fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, divina æquè ac summa per universam Ecclesiam auctoritate nituntur; cui Christiani omnes ex officio, ipsius mentis obsequium præstare tenentur. . . . Innocentio X. cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.*

Plura testimonia Ecclesiæ Gallicanæ pro suprema & infallibili auctoritate summi Pontificis, qui desiderat, ea videre poterit in Opere nostro; cui titulus, *Auctoritas & infallibilitas summorum Pontificum stabilita &c.* a pag. 249. usque ad pag. 280.

Prob. 7mo. Conclusio Rationibus 391
Theologicis. 1mo. Quia Christus Ecclesiam suam adversùs omnes errores præmunire atque in fide immotam reddere voluit. Ergo convenientiùs videtur, ut hujus infallibilitatis centrum in S. Petro, ejusque successoribus collocârit, qui eam toti Ecclesiæ per universum orbem dispersæ communicarent, quàm ut à consensu omnium totius mundi Episcoporum pendere faceret.

Prob. cons. Ad fidem tuendam, erroresque destruendos necessaria sunt remedia prompta & præsentia; si enim hæc lento pede incedant, necnon nisi cum summa difficultate haberi possint, priusquàm malo occurratur, error vires sumit, seque dilatat, ac non nisi deinde magno labore evelli ac extirpari potest. Atqui

(*f*) Spondanus ad annum 1612. n. 3. (*g*) Memoires du Clergé tom. 1. pag. 222. (*h*) Recueil des Bulles. pag. 88.

Atqui ſummorum Pontificum auctoritas ſemper præſens eſt, ſive in eorum perſona, ſiveSede vacante ſcilicet, in ipſamet Sede Apoſtolica, ſeu Eccleſia Romana: cùm è contra Conciliorum Oecumenicorum convocatio ſummis difficultatibus involvatur, ac impedimentis, præſertim noſtra ætate; longè autem difficilius ſit, totius mundi Epiſcoporum aſſequi aſſenſum, niſi ſuprema quædam auctoritas eos prævenerit, atque in uniformi doctrina adunaverit. Ergo &c.

2do. Quia, ut fusè jam demonſtravimus, ipſique fatentur Adverſarii, nihil unquam à ſummis Pontificibus toti Eccleſiæ tanquam fide divina credendum propoſitum fuit, quod non ab omnibus fidelibus, etiam Oecumenicis Conciliis, ſumma cum reverentia ſuſceptum fuerit, procul, ut in eo quidpiam reformandum eſſe cenſuerint. Ergo nihil vetat, credere, Spiritum ſanctum, qui per ſeptemdecim Sæcula ſummis Pontificibus res fidei definientibus ſic adfuit, ut eorum judicia à Conciliis etiam Oecumenicis omnibusque fidelibus tanquam fidei omninò conſona ſuſcepta fuerunt, inpoſterùm etiam iis adfuturum, ut irreformabiliter, & infallibiliter judicent; adeò ut fruſtrà laborare meritò cenſeantur ii, qui neglecta utilitate Religionis huic incerto vel potiùs nunquam futuro malo remedium parare curant.

3tio. Quia omnis nova opinio in materia fidei, & Religionis pro ſuſpecta haberi debet, atque illi duntaxat ſententiæ adhærendum eſt, quæ antequam illa nova opinio introduceretur, tradita, atque tanquam certa habita fuit in Eccleſia. Atqui opinio, quæ tenet, Pontificem è Cathedra loquentem eſſe errori obnoxium, nova eſt, & ultra Sæculum decimum quintum, quò primùm enata eſt, non protenditur, prout hactenùs adducta monumenta & teſtimonia apertè demonſtrant; ea verò ſententia, quæ tuetur, eum eſſe infallibilem, ſemper univerſaliter tradita fuit in Eccleſia, ac etiamnum traditur, ſi Gallicanos Theologos aliquos excipias. Ergo &c.

Minorem ipſemet nobiſcum fatetur Gerſonius contrariæ opinionis velut parens, dum lib. de poteſtate Eccleſiæ conſultatione 12. de noſtra ſententia ſic loquitur: *Ante celebrationem ſacroſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat plurimorum mentes litterarum magis, quàm litteratorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravite vel notatus vel damnatus.*

4to. Quia ſi Judicium Papæ in fidei quæſtionibus non eſt irreformabile, niſi eidem totius Eccleſiæ conſenſus acceſſerit, ſequitur, non eſſe de fide Spiritum ſanctum æquè à Filio ac à Patre procedere; neque Græcos, qui id nòn credunt, eſſe Schiſmaticos, aut Hæreticos. Atqui &c. Ergo &c.

Prob. ſequela Maj. Quia illud additamentum *Filioque* Sæculò 9nò auctoritate Papæ Symbolo Conſtantinopolitano factum nunquam admiſit Eccleſia Græca, quæ tunc temporis potiorem Eccleſiæ partem faciebat: imò quia Conſtantinopolitana Synodus ſub anathematis pœna vetuerat, ne quisquam aliquid adderet, aut demeret huic ſuo Symbolo, Romanum Pontificem Latinamque Eccleſiam prævaricationis incuſârunt Græci, atque lato à Synodo Conſtantinopolitana anathemate perſtrictos pronuntiârunt. Ergo vel in Romano Pontifice agnoſcenda eſt ſuprema quædam, & infallibilis in rebus fidei decernendis auctoritas, vel ad Græcorum partes accedendum, dicendumque hanc additionem non facere articu[lum fi]dei, Græcosque, qui eam reſp[uunt,] verè eſſe Catholicos.

392 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Scriptura toti Eccleſiæ tribuit infallibilitatem Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Matth. ult. *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus &c.* Joan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis ſpiritum veritatis &c.* Item, *Paraclitus autem Spiritus . . . . ille docebit vos omnia.* Cap. 16. *Ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ergo non Pontifici Romano &c.

Reſp. Verum eſſe, totam Eccleſiam ſuo Capiti Romano Pontifici coadunatam eſſe infallibilem; ſi enim Papa eſt infallibilis, quis neget, Eccleſiam in unam cum ipſo conſpirans ſententiam, eſſe infallibilem? At quid hoc ſententiæ noſtræ officiat non videmus. Ergo ad nihil ſunt adducti textus.

393 Ob. 2do. Concilia fuerunt neceſſaria ad finiendas motas de fide controverſias, prout varia Patrum & Romanorum Pontificum teſtimonia & facta demonſtrant.

Item Concilia Pontificum judicia quandoque retractaverunt, ac novo examini ſubjecerunt, ut patet ex Concilio Epheſino, ubi Act. 1. Cœleſtini Papæ Epiſtola ad Neſtorium lecta eſt, & probata tanquam fidei conſona. Ex Concilio Chalcedonenſi, ubi Act. 2. lecta etiam fuit S. Leonis Epiſtola ad Flavianum, necnon ſolemni totius Synodi judiciô comprobata. Idem factum in Concilio VI. circa Agathonis Epiſtolam, in qua Monothelismus damnabatur.

Denique, ut irreformabile eſſet ſummi Pontificis judicium conſenſus Epiſcoporum ſemper fuit neceſſarius: *Ubi diſceptatio de quæſtione aliqua eſt*, inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 3., *recurrendum eſt ad antiquiſſimas Eccleſias, & ab iis ſumendum, quod certum, & re liquidum eſt.* Tertullianus verò lib. de præſcript. cap. 21. & 26. ait, *percurrendas eſſe Eccleſias, quas Apoſtoli fundârunt, eamque doctrinam eſſe veram, quæ cum illis Eccleſiis conſpirat.* Julius I. Epiſt ad Orientales, *Etſi*, inquit, *ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam ſcripſi, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum.*

Reſp. hac ſua objectione nihil evincunt Adverſarii, ut vel leviter attendenti patet. Concedimus ultrò, Concilia ſuperflua ac inutilia non eſſe, ſed quandoque omninò neceſſaria. Cùm enim Papæ infallibilitas non ſit fundata ſuper revelationes ac inſpirationes propheticas, ſed ſupponat occurrentis quæſtionis diſcuſſionem, necnon Traditionis examen; quò gravior circà Fidei quæſtiones oritur difficultas, eò major requiritur earumdem diſquiſitio, examen, & diſcuſſio. Undè quamvis Sedes Apoſtolica, quæ nunquam à recto Fidei tramite deflexit, ſemper apud ſe vivam quamdam Traditionem conſervet, minimè tamen obeſſe videtur, quin, cùm novæ exoriuntur quæſtiones, ea, quæ ipſi ſummi Pontifices, Eccleſiæ Patres, ipſa denique Concilia, ſive Generalia ſive Particularia, deſuper ſtatuerunt, expendere teneantur: Verbô, ſummi Pontifices ea ipſa hîc implere debent, quæ ipſa Oecumenica Concilia, antequam Fidei aut morum quæſtionem aliquam definiant, adimplent. Ergo Romanorum Pontificum prudentiæ tribuendum, quòd interdùm Concilia convocârint, vel cogi permiſerint, in quibus omni adhibitâ diligentiâ ſubortæ quæſtiones examinarentur. Ipſe Gregorius Papa VII. qui ex inſtituto definiviſſe videtur ſummorum Pontificum infallibilitatem, necnon à multis Gallicanis Theologis tanquam primus

primus hujus ſententiæ Auctor exiſtimatur, multa convocavit Concilia; quod exemplum ipſius Succeſſores variis temporibus ſecuti ſunt.

2do. Concilia interdùm celebrata fuerunt, non ut fidei quæſtiones expenderentur, verùm ſolummodò, ut turbæ ab Hæreticis in Eccleſia excitatæ ſedarentur, Fideliumque & Epiſcoporum mentes ad unitatem doctrinæ & Spiritûs revocarentur.

3tio. Celebrata inſuper fuêre Concilia, ut per viam, quæ majorem auctoritatem præ ſe ferret, Hæretici ad veritatem revocarentur, aut majori celebritate & veluti pompâ ipſorum pervicacia convinceretur, eiſque oſtenderetur, non aliter ſentire totius Orbis Epiſcopos, quàm ipſum Eccleſiæ Caput doceret. Eadem quidem ſemper erat auctoritas intrinſeca, ut Scholæ loquuntur, at extrinſecè major apparebat in Conciliis, & proinde magis apta ad Hæreticos pertinaciæ convincendos.

4to. Denique id attendant, velimus, Adverſarii noſtri, quòd, cùm Concilia Oecumenica nullam hæreſim potuerint extinguere, ſummi Pontifices è contrà quamplurimas in ipſo earumdem ortu, & ſine Conciliis ſuffocârint, ut Apollinaris, Pelagii, Semi-Pelagianorum, Berengarii, Guilberti Porretani, Petri Abaëlardi, Almarici; aliasque pene innumeras, quarum Auctores aut Romanorum Pontificum deciſionibus ſe ſubjecerunt, ſuoſque errores deteſtati ſunt, aut, damnatis ſemel à S. Sede eorum dogmatibus, omnibus abominationi fuêre. Undè meritò concludimus cum Barlaam Epiſcopo Hierapolitano Epiſt. ad quemdam amicum Græcum, ubi, *Non*, inquit, *eò quòd ſit majoris auctoritatis, & magis poſſit generale Concilium, quàm Apoſtolica Sedes, Generalia aguntur Concilia, ſed quia incidentes quæſtiones difficiles ſunt, & majoris indigeant diſcuſſionis.*

Ad 2dum negamus propoſitionem. Certè quæ ad illius fulcimentum adducuntur Concilia, minùs illam probant. Concilia etiam poſteriora priorum Oecumenicorum Conciliorum decreta Fidei conſona eſſe decernunt, eaque probant; quis autem dicat ex hoc, hujuſmodi Conciliorum Decreta à poſterioribus retractari, ac novo examini ſubjici.

Ad 3tium. Adducta teſtimonia Pontificum & Patrum, &, ſi mavis, ſexcenta alia veriſſima ſunt, nec tamen Romanorum Pontificum infallibilitati vel minimum quid officiunt, ut patet: unde non videntur eſſe ad rem. Romani Pontifices, cùm Fidei quæſtionem definiunt, ſemper antiquarum Eccleſiarum Traditionem ſequuntur, ipſorumque ſententia eo ipſo, quòd ſit infallibilis, ſemper eſt omnium Eccleſiarum ſententia, utpote quam abſque ulla cunctatione ſemper amplectantur.

Objiciuntur 3tio. Duo Hiſtoriæ Ec- 394
cleſiaſticæ monumenta. 1mò. Controverſia Quartodecimanorum excitata circà finem Sæculi 2di aut initium 3tii qui Victoris Papæ definitioni circà celebrationem Paſchatis ſe ſe oppoſuerunt. 2dò. Factum Cypriani & Africanorum Epiſcoporum, quibus ſe adjunxêre Firmilianus & Aſiatici Epiſcopi; qui Stephano Papæ præcipienti, ne Hæretici ad Eccleſiam venientes rebaptizarentur, nulla ratione deferre voluerunt.

Reſp. 1mò. Miramur, cur Adverſarii noſtri non etiam exempla Hæreticorum, qui ſummorum Pontificum Decretis ſe ſubdere noluerunt, nobis objiciant; enimverò æquè firmum ab illis petitur argumentum ad infirmandam Papæ infallibilitatem, ac ab iſtis Africanis & Aſiaticis Epiſcopis, quos hîc nobis objiciunt; & hi quippe in errore verſati ſunt. Quartodecimani namque poſt Concilii Nicæni

definitionem, quod Victoris Papæ sententiam adoptavit, ab omnibus rejecti sunt. Rebaptizantes verò post Decretum plenarii illius Concilii, de quo S. Augustinus facit mentionem, omnibus fuere abominationi.

2dò. Nec Victor Papa nec Stephanus absolutô Decretô quæstionem hanc prosecuti sunt, sed re inter minas tantùm cohibita ferendis censuris abstinuère, interventientibus Episcopis Orthodoxis, Irenæô, quantùm ad Quartodecimanos; & aliis Episcopis, quantùm ad Rebaptizantes.

3tiò. Hæ Controversiæ velut disciplinam tantùm spectantes ab ambabus partibus respiciebantur; prout fusè ostendimus in sæpè citato Opere nostro de Infallibilitate &c. cap. 10. à pag. 281. ubi vide. Adeoque quæstionem, quam nunc agitamus, non tangunt; de infallibilitate enim summi Pontificis in Fidei & morum quæstionibus nobis sermo est, non verò de iis, quæ disciplinam duntaxat spectant.

Ob. 4tò. Illustriores Ecclesiæ & Academiæ non agnoverunt infallibilitatem summorum Pontificum. Ergo &c. Prob. ant. 1mò. Ecclesia Græca, quamvis adhuc Sæculô 12mô. Romani Pontificis Primatum quidem agnoverit, minimè tamen ejus infallibilitatem. 2dò. Africana Ecclesia in causa Rebaptizantium, & Appiarii Sacerdotis Papæ definienti obstitit. 3tiò. Ecclesia Germanica, cujus Imperator Fridericus II. annô 1245. appellavit ab Innocentio Papa ad Concilium generale. 4tò. Gallicana Decretis Conciliorum Constantiensis & Basileensis adhæret, quæ Papam & errori obnoxium, & Conciliô inferiorem pronuntiárunt. Eadem Ecclesia mentem suam annô 1682. in Comitiis generalibus declaravit. Item per Reges suos sæpiùs à Papa ad Concilium appellavit. Et Parisiensis Academia cæterarum Mater non agnoscit summi Pontificis infallibilitatem. Ergò &c.

Resp. ad 1mum. Neque Turcæ, neque Hæretici agnoscunt summi Pontificis nostri infallibilitatem; an indè ipse minùs infallibilis est? minimè profectò. Ergo ex eo, quòd Græcana Ecclesia, quæ tunc Schismatica erat jam, prout nunc etiamnum adhuc est, non agnoverit summi Pontificis infallibilitatem, non sequitur, eum non esse infallibilem, quemadmodùm etiam ex eo, quòd Hæretici non modò illius infallibilitatem impugnent, sed & primatum, non sequitur illum infallibilem non esse, nec primatum in Ecclesia tenere.

2dò. Ex eo id habemus, scilicet saltem Ecclesiam Latinam illius infallibilitatem agnovisse; id enim Ecclesiæ Græcæ cum Latina unionis obstaculum fuit; quòd videlicet Græci cum Latinis supremam & infallibilem illius in Ecclesia auctoritatem agnoscere renuerent.

Ad 2dum primùm jam respondimus, quoad Rebaptizantes. De Appiario egimus suprà c. 3. §. 3.

Ad 3tium. Ista, ut & aliæ Regum & Principum, si quæ fuerunt, appellationes non fuerunt factæ in materia Fidei, adeoque quamvis eas legitimè factas fuisse probari posset, nihil tamen contra nostram sententiam evincerent. Solæ Hæreticorum appellationes à summo Pontifice ad futurum Concilium inveniuntur factæ in materia Fidei: liberum proinde Adversariis relinquimus ab iis adversùs sententiam nostram patrocinium petere.

Ad 4tum. Concilium Constantiense sensum suæ definitionis ad solas Schismatis circumstantias, ubi scilicet multi de

Papatu

Papatu contendunt, restrinxit; præterquam quòd cùm hanc definitionem edidit, necdum Oecumenicum fuerit. Synodus verò Basileensis velut Conciliabulum rejecta est à Concilio Florentino Oecumenico, universaque Ecclesia. Vid. Opus nostrum de Infallibilitate summorum Pontificum Cap. 8. à pag. 178. ubi hæc fusè tractavimus.

Declarationem Cleri Gallicani annô 1682. quod attinet, ea ab omnibus cæterarum nationum Theologis contemnitur velut futilis & illegitima. Præterquam enim, quòd ibi partium studia præcipuas partes tenuisse videantur, manifestam contradictionem, ut reliqua absona taceamus, continet. Sic enim Declaratio illa propositione 4ta. loquitur: *In fidei quæstionibus præcipuas esse summi Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere. Et tamen irreformabile non esse ejus judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* Quòd si enim Romani Pontificis judicium de re fidei latum irreformabile non est, nisi postquam Ecclesia pro sua auctoritate ei consensum præbuerit; profectò manifestum est in quæstionibus Fidei non summi Pontificis duntaxat præcipuas esse partes, sed potiùs cæterorum Ecclesiæ Episcoporum, quippe quorum auctoritate & consensu firmum ac irreformabile primùm fit Romani Episcopi judicium; atque sic etiam major in dijudicandis Fidei & morum quæstionibus summo Pontifici auctoritas non relinquitur, quàm novissimo cuilibet privato Episcopo; hic enim, si quamdam Fidei quæstionem definiat, atque velut fide divina credendam Fidelibus suis proposuerit (id eum posse contendunt Gallicani Theologi) ejus judicium etiam irreformabile erit, si ei Ecclesiæ consensus accesserit, prout patet; quæ quàm absurda sint, nemo non videt. Vid. sæpè dictum Opus nostrum c. 8. à pag. 295.

Quod Parisiensem Universitatem spectat; certum est, eam varios induisse vultus, pro rerum videlicet, & commodorum suorum ratione & circumstantiis, necnon edictorum Regiorum varietate.

Porrò in quascumque demum partes se versent Gallicani Theologi, suam tamen opinionem ultrà Galliam, sæculumque decimum quintum protendere nunquam valebunt; prout patet ex monumentis & testimoniis, quæ præsenti §. pro nostra sententia adduximus.

Ob. 5tò. Romani Pontifices subinde errare visi sunt etiam in quæstionibus Fidei, ut qui interdùm inter se contraria definierint, & se ipsos esse errori obnoxios fassi sint.

Resp. Ubi Adversarii nostri horum exempla produxerint, etiam solidè ea refutabimus. Neque enim ullum Romanum Pontificem unquam adducere poterunt, qui *Ex Cathedra*, & velut universalis Ecclesiæ Pastor & Doctor errorem toti Ecclesiæ proposuerit credendum; in quo totus quæstionis cardo vertitur. Etsi alicubi se errori obnoxios esse fassi sunt, non se tales fassi sunt esse, cùm *Ex Cathedra* loquuntur, sed cùm tanquam privati Doctores fortè opinionem aliquam proponunt, quod nihil facit contra nos.

Hæc de infallibilitate Romanorum Pontificum dicta sufficiant. Plura si quis desiderat, consulere potest sæpè citatum Opus nostrum, in quo hanc quæstionem fusè, & eâ, prout arbitramur, soliditate tractavimus, ut non videamus, quid Gallicani Theologi illi, quibus Papæ auctoritas invidiosa admodùm esse videtur, ulteriùs contra sententiam nostram in medium proferre possint. Quin potiùs, postquam ibidem omnia prorsùs, quibus memorati Theologi nituntur, argumenta præclusis omnibus exceptionibus,

& responsionibus abundè dejecimus, non apparet, quid eis ultró superfit, quàm ut, abjecto errore, veritatem, quam tàm claré ipsis ob oculos posuimus, agnoscant & amplectantur.

§. IV.

395 ***An summus Pontifex auctoritatem aliquam directam, vel indirectam in res temporales Principum à Christo Domino acceperit?***

Examinatâ & stabilitâ supremâ & infallibili Romani Pontificis prioribus §§. auctoritate circà res Ecclesiæ, modò venit dispiciendum, nùm etiam eidem aliqua auctoritas in res temporales Principum competat?

Etsi fuisse auctores aliquos dicat Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. c. 1. qui tenerent, Romanum Pontificem habere directam, seu plenissimam in res Principum temporales potestatem, idque jure divino & ex institutione Christi; attamen ipse hanc sententiam improbat, tueturque potestatem illam, quam in res temporales Principum habet summus Pontifex, nonnisi indirectam esse, & in ordine ad spirituale duntaxat; in quantùm scilicet ex earum dominio Principes Religioni, ad quam omnia dirigi debent, prodesse vel obesse possunt.

At alii Theologi, præcipuè autem Gallicani, Romani Pontificis magnam, aut, si mavis, summam equidem in Ecclesiam resque spirituales esse auctoritatem ultrò fatentur; at negant ei ulla ratione in temporalia Principum competere potestatem seu auctoritatem.

Quæstio igitur mòdò inter Theologos vertitur, nùm scilicet summus Pontifex potestatem aliquam saltem indirectam obtineat in res temporales Principum, an verò omninò nullam. Primum, quantùm scimus, tuentur omnes totius Catholici Orbis Theologi, præter Gallicanos, qui totis viribus secundum propugnant in hoc tamen ridendi, quòd ineptè velint, quæstionem hanc ad eam, quæ §. præcedenti de auctoritate ejusdem summi Pontificis in res fidei & morum tractavimus, omninò referri; cùm tamen apud omnes certum esse debeat, nullam omninò has inter duas quæstiones intercedere connexionem.

Nos ea, quæ hìc utrimque adducuntur momenta, quasi per Epitomen referimus; de quorum proindè pondere & firmitate cujusvis judicium esto.

MOMENTA SENTENTIÆ 396

Qua summis Pontificibus asseritur indirecta saltem in temporalia Principum potestas

I. Paralip. 2. c. 26. Ozias Rex, quòd Sacerdotis officium usurpare tentasset, leprâ percussus Templô & Regnô à Pontifice pellitur, Imperiumque Filio ipsius traditur. Ibid. cap. 23. & 4. Reg. c. 11. Jojada Pontifex Athaliam, quæ regnô injustè occupatô idolorum cultum invexerat, puniri jubet, & legitimum Regem solio restituit. Eccli. 48. Hoc Eliæ Prophetæ elogium ponit Spiritus sanctus: *Quis potest similiter sic gloriari tibi? qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum & gloriosos de lecto suo, qui inungis Reges ad pœnitentiam &c.* 1. Cor. 6. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quoniam Angelos judicabimus, quantò magis Secularia.* Matth. 16. *Quodcumque*, inquit Christus Dominus Petro, *ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis.* Joan. ult. Christus Dominus oves suas pascendas tradit Petro his verbis: *Pasce agnos meos.* Matth. 18. v. 15. Idem Christus Dominus præcipit, ut frater, qui peccaverit, Ecclesiæ denuntietur; & si eam non audierit, habeatur

beatur ut Ethnicus & Publicanus. *Amen dico vobis*, subjungit idem divinus Magister, *quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata & in Cælo.* Luc. 22. Præcipit idem Christus Dominus Apostolis, ut qui non habet gladium vendat tunicam & emat: & cùm Apostoli dixissent, *Ecce duo gladii hic*, respondit ipse, *Satis est.* His autem duobus gladiis intelliguntur binæ potestates Apostolis à Christo traditæ, spiritualis nempè & temporalis &c.

397 II. Ex factis & historicis exemplis. S. Ambrosius Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalonicensium excommunicavit, deinde legem ferre coëgit, ne judicia lata de cæde vel bonorum publicatione rata essent, nisi post triginta dies à datæ sententiæ die. S. Gregorius Magnus privilegium concessit Monasterio S. Medardi, quod habetur in fine Epistolarum ipsius, & in quo, *Si quis*, inquit, *Regum*, *Antistitum*, *Judicum*, *vel quarumcumque Sæcularium personarum hujus Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit*, *cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit*, *honore suo privetur* Gregorius II. Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solvi ab Italis, & proindè parte Imperii illum mulctavit. Zacharias rogatus à Primoribus Francorum Childericum Regem deposuit, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni Patrem creari jussit Regem. Leo III. Imperium transtulit à Græcis ad Germanos in persona Caroli Magni, quem Romæ an. Chr. 801. coronavit & inunxit Imperatorem. Gregorius V. sanctionem edidit de eligendo Imperatore per septem Germaniæ Principes, quæ usque in hanc diem observatur. Gregorius VII. Henricum IV. Imperatorem deposuit, & alium eligi jussit; quod & factum est. Plurimi subsequentes Romani Pontifices eandem potestatem in Imperatores, Reges, aliosque Principes exercuerunt, aut saltem exercere voluerunt, tùm in Conciliis, tùm extra Concilia; prout adductis hanc in rem variis historiæ monumentis demonstrare conantur hujus Pontificiæ in res temporales Principum indirectæ potestatis patroni; quæ videri possunt apud Eugenium Lombardum Regal. Sacerdot. lib. 1. à §. 3. usque ad. 15.

III. A ratione. 1mò. Ex officio Pa- 398
storali Petro ejusque Successoribus commisso per illa verba Joan. ult. *Pasce oves meas*, quatenus data est illis omnis potestas, quæ est necessaria ad gregem tuendum contrà lupos, ad separandas oves morbidas à sanis. Ergo & Reges, si hæretici sint, vel damnum inferant Ecclesiæ. 2dò. Potestas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraque est pars ejusdem Reipublicæ Christianæ. Ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus & disponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim Superior imperare potest inferiori suo. 3tiò. Finis potestatis temporalis subordinatur fini spirituali; quia felicitas temporalis non est absolutè ultimus finis, sed refertur ad felicitatem æternam. Ergò facultas temporalis seu facultas Regum subordinatur facultati spirituali sive Sacerdotio. 4tò. Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta & sibi sufficiens ad finē suum. Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum. Atqui ad finem spiritualem necessaria est potestas utendi & disponendi de temporalibus; quia aliàs possent mali Principes impunè fovere hæreticos, Religionem evertere. Ergo &c. 5tò. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresin vel infidelitatem. Atqui judicare an

Rex

Rex pertrahat ad hæresim necnec pertinet ad Pontificem, utpotè cui commissa est cura Religionis. Ergo Pontificis est judicare, Regem esse deponendum vel non. 6tò. Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso vel tacito, quòd sceptra sua subjiciant Christo & polliceantur se Christi fidem servaturos & defensuros etiam sub pœna perdendi Regni. Ergo &c. 7mò. Ecclesia pœnas temporales Fidelibus injungit: sic v. g. Patres Nicæni quosdā Arianos Episcopos in exilium olim amandârunt. Pœnitentes etiam publicos jure Matrimonii, Magistratûs gerendi, arma ferendi, privabat. Atqui jus illud aliundè sibi assumere non potest Ecclesia quàm ex potestate, quam à Christo accepit in res temporales hominum. Ergo.

Hæc sunt præcipua argumenta, quæ in suæ sententiæ confirmationem adducunt Pontificiæ in res temporales Principum potestatis patroni. Modò videndum, quibus momentis ii Theologi, qui contrariam tuentur opinionem, eandem fulcire conentur.

399 I. Ex Scriptura. 1mò. Quia hæc solius potestatis spiritualis Ecclesiæ ac Pontificibus concessæ mentionem facit. Neque ipse Christus aliquam sibi in temporalia Principum arrogavit potestatem; imò reddendum, quod Cæsaris est, Cæsari præcepit. Nec tali auctoritate in Principes usi sunt Apostoli. 2dò. Quia Christus docuit nihil magis alienum esse ab Evangelii mente ac ministerio Apostolico, quàm dominium & imperium terrorem incutiens: cùm enim vellent Apostoli ignem è cœlo in Samaritanos educere, eos prohibuit his verbis Luc. 9. v. 55. *Nescitis cujus Spiritûs sitis, Filius hominis non venit animas perdere sed salvare.* Deindè prohibuit etiam, ne Discipuli gladiô materiali uterentur etiam in defensionem Religionis, Matth. 26. v. 52. Luc. 22. v. 49. Joan. 18. v. 10. Denique Luc. 22. v. 25. sic pronuntiat: *Reges gentium dominantur eorum .... vos autem non sic.* 3tiò. Quia docent Scripturæ Principes Sæculares suam à Deo acceptam habere potestatem, quæ proinde à nullo alio pendere potest; Prov. 8. v. 15. Daniel. 2. v. 37. & 38. Rom. 13. v. 1. 2. & 4. 1. Pet. 2. v. 13. 4tò. Quia Scripturæ docent à solo Deo ita concessam esse Principibus dominandi auctoritatem, ut ab eo solo eâ spoliari possint; cujus exemplum habetur lib. 1. Reg. cap. 24. in Davide respectu Saulis. 5tò. Denique, quia docent, Principes & Reges sua etiam abutentes potestate patienter esse tolerandos, nec unquam quovis obtentu licere vi & armis illis resistere, etiamsi impii sint & infideles; aut etiam aliquos ad eis resistendum sive directè sive indirectè impellere. Hujus exemplum habetur in Israëlitis sub servitute Pharaonis in Ægypto degentibus; undè nonnisi illo permittente egressi sunt. Sub impiis Regibus Achaz & Manasse. Item in servitutem abducti jussi sunt à Domino subditi esse Nabuchodonosor Regi, Jerem. 27. Cùm Assuerus edictum tulisset de interficiendis Judæis, Mardochæus & alii ad preces & jejunia confugerunt, non ad arma & rebellionem, ut imminens mortis periculum evaderent.

In novo Testamento Matth. 22. jubet Christus reddi, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Item Rom. 13. v. 7. *Reddite*, inquit Apostolus, *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* 1. Pet. cap. 2. Jubet Apostolorum Princeps, *Principes & Reges honorare*, nec esse resistendum Dominis etiam discolis. Item monet Apostolus Rom 13. v. 5. *ipsis obediendum esse non propter iram, sed propter conscientiam*

II. Ex

400 II. Ex SS. Patribus. 1mò. Quia docent SS. Patres, Principum potestatem esse immediatè à Deo. Ita Irenæus lib. 5. cap. 24. Athenagoras in Apol. ad Imperatores. Justinus Apol. 2. Theophilus Alexandrinus ad Autolium lib. 1. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 7. Hist. cap. 10. Tertullianus Apol. cap. 30. & 32. Item lib. ad Scapulam cap. 2. Optatus contrà Parmen. *Super Imperatorem*, inquit, *non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* Osius Cordubensis Episcopus Imperatorem Constantinum sic alloquebatur: *Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesia concreditur.* Augustinus lib. 4. de Civit. cap. 33. & lib. 5. cap. 21. *Non tribuamus*, inquit, *tanti Regni atque Imperii potestatem nisi Deo vero.* Epiphanius Hæres. 40. n. 4. ait: *Potestatem sæcularem nonnisi à Deo gladium, quem ad vindicandum portat, habere.* 2dò. Quia SS. Patres docent peccata Principum quoad pœnas temporales solius Dei judicio subjacere. Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. Hieronymus Epist. 90. aliàs 45. ad Rusticum. Ambrosius in Apolog. David, cap. 10. Cassiodorus in Psalm. 50. ajunt, *Dixisse David Deo*, tibi soli peccavi, *quòd nullis legibus nulli alteri, nisi soli Deo se subjectum sciret.* Cyrillus Alexandrinus lib. 22. in Joan. *impium* pronuntiat, *qui Regi dicit, iniquè agis.* Gregorius Turonensis lib. 5. Hist. cap. 19. ait, *Neminem Regem justitiæ tramitem transgredientem præter eum, qui se dicit Justitiam, corripere posse.* Isidorus Hispalensis lib 3. Sentent. cap. 50. ait, *Reges solo Dei timore, metuque gehennæ coerceri posse.* Cap. 49. dixerat, *Deum dedisse Principibus Præsulatum pro regimine populorum, &c.* 3tiò. Quia docent, Principibus etiam sua potestate abutentibus obediendum esse, nec vi aut armis eis obsistendum. Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 2. & Apol. cap. 35. 36. & 37. ubi docet, *non licere rebellione, vi aut armis impiis obsistere Principibus.* Idem docet Cyprianus Ep. ad Demetrian. quibus consentit S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 6. & in Psal. 124. ubi de subjectione Christianorum Juliano Apostatæ sic loquitur: *Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 75. docet, *Ad solos Reges pertinere judicare de justitia vel injustitia belli, quod gerunt, &c.* S. Athanasius ad Monachos, *Non gladiis*, inquit, *aut telis, non manu militum veritas prædicatur, sed suasione & consilio.* S. Ambrosius Serm. contra Auxentium docet, *Nonnisi lacbrymis & orationibus obsistendum esse Imperatori injusta præcipienti.* Et lib. 4. Epistolar. Epist. 32. idem repetit, aitque *ad Imperatorem pertinere palatia, ad Sacerdotes verò Ecclesiam.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julian. *Dei benignitate*, inquit, *inhibitus atque repressus est, Christianorumque lacbrymis, quas multi multi profuderunt; hoc unum adversùs persecutorem medicamentum habentes.* 4tò. Quia SS. Patres docent, Ecclesiam carere omni gladio materiali, & habere tantùm spiritualem, quo suos in Religionis officiis contineat, eo modo, quo Reges gladium duntaxat materialem habent; ita ut neutra potestas in alteram excurrere possit. Ita apertè docent, Origenes in hæc Christi verba, *Mitte gladium in vaginam.* Tertullianus lib. ad Scapulam. Lactantius lib. 5. Divin. Instit. cap. 20. S. Ambrosius in Luc. lib. 10. num. 53. *Petro*, inquit, *duos gladios offerenti satis est dicis, Domine, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* S. Augustinus lib. 1. de fide & operibus c. 2. & S. Cyprianus Epist. 11. observant, *in veteri quidem lege jussos esse Sacerdotes gladiò interficere eos, qui Judicibus à Deo constitutis obsequentes non erant; at in Ecclesia Christi*

locum non ampliùs esse gladio materiali, sed gladio excommunicationis duntaxat, & aliarum spiritualium pœnarum. S. Chrysostomus Hom. 4. de verb. Domin. apertè docet, Ecclesiam non habere potestatem temporalem in Reges & Principes; *Sacerdotis*, ait, *inter alia est tantùm arguere, liberamque præstare admonitionem, non movere arma, non arcum tendere.* De Osio Cordubensi Episcopo jam suprà dictum, *Neque nobis*, addit ibidem, *igitur terræ imperare licet.*

401 III. Ex ipsis summis Pontificibus, qui distinctam omninò esse utramque Pontificum & Regum potestatem, distinctosque planè utriusque fines & effectus asseverant. Gelasius Epist 8. ad Anastasium Imperatorem, & Symmachus in Apolog. contrà eundem dicunt, *Imperatorem humana administrare, secundùm quæ & ipsi Antistites obedire debent.* Gregorius Magnus lib. 3. Epist. Indictione 11. aliàs lib. 2. Epist. 62. Legem Mauritii Imperatoris de non profitendo vitam Monasticam, quamvis Deo contrariam promulgavit, *Ex obedientia*, inquit, quam Imperatori debebat. Gregorius II. Epist. 2. ad Isauricum Imperatorem, *Quemadmodùm*, inquit, *Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet; ac dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator &c.* Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem eadem, quæ Gelasius, verba usurpat. Innocentius III. Cap. *Venerabilem. Qui filii sint legitimi.* ait, *Regem Francorum in temporalibus nullum agnoscere Superiorem.* Clemens V. Extrav. *Meruit.* Revocavit Bullam Bonifacii VIII. *Unam sanctam*, qua Pontifex iste sibi asserebat potestatem in Principum temporalia. Addunt Pontifices illos, qui perfidos & hæreticos Principes patienter tulerunt, nec de illis deponendis minimè cogitârunt. Liberius sustinuit Julianum Apostatam, Constantium Arianum. Damasus Valentem Arianum. Felix III. Zenonem Eutychianum. Symmachus Anastasium hæreticis apertè faventem. Joannes I. Theodericum Gothorum Regem Arianum. Agapetus Theodatum pariter Gothorum Regem Arianum. Sylverius Justinianum, à quo Sede sua dejectus, & in exilium amandatus fuit. Denique Martinus I. hanc potestatem in temporalia Principum ignorasse videtur, qui in exilium quoque ejectus à Constante Imperatore Monothelita, circà illud exilium mentem suam aperuit Epist. ad Theodor. his verbis: *Quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum, meliùs judicavi decies mori, quàm uniuscujuscumque sanguinem in terram fundi.*

IV. Ex Illustrioribus Ecclesiis. Tota 402
Germanica Ecclesia obstupuit & ingemuit ad tentatam à Gregorio VII. Imperatoris Henrici depositionem, cujus exempli nullum in retroactis temporibus extaret vestigium. Ita testantur Otto Frisingensis in fragmento, quod extat in fasciculo rerum sciendarum, & lib. 6. Chronici cap. 35. Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum. Conradus Episcopus Trajectensis in Oratione pro Henrico habita in Conventu Gerstengensi anno 1085. Eberhardus Archi-Episcopus Salisburgensis in Oratione de Hildebrando recitata in Comitiis Ratisbonensibus sub Friderico II. Ipseque Gregorius VII. lib. 7. Ep. 3. *Quotquot*, inquit, *Latini sunt, omnes causam Henrici præter admodùm paucos, laudant ac defendunt, & perniciæ duritiæ ac impietatis circà eum me arguunt.* Ecclesia Gallicana, cùm Innocentius III. cogere vellet Philippum Augustum, ut arma poneret, quæ adversùs Joannem Angliæ Regem sumpserat; ei comminatus excommunicationem & totius Regni interdictionem, decrevit, ut omnes firmi in obedientia Regis persisterent, utque Rex, posthabitis in causa

merè

merè temporali Papæ minis, ad futurum provocaret Concilium, quod & factum est. Idem factum, cùm anno 1302. Bonifacius VIII. sibi potestatem arrogasset abdicandi Regem. Idem iterùm præstitum in Concilio Turonensi anno 1510. adversùs Julium II. qui contra Ludovicum XII. Hispanos, Anglos, Germanos, Helvetios ad arma concitaverat, Bullamque promulgaverat, qua eum excommunicabat, jusque Regni ipsi abdicabat, illudque prædæ objiciebat. &c. &c. Ecclesia Anglicana neque hanc potestatem in Romanis Pontificibus agnovisse videtur. Ut enim refert Trivetus in Chronico ad annum 1301. Angliæ Proceres ad Bonifacium VIII. scripserunt, *Ipsorum Regem super juribus Regni Scotiæ aut aliis juribus temporalibus non teneri respondere judicialiter coram eo, nec quoquo modo judicium ejus subire.* Cùm etiam Paulus III. anno 1538. sententiam depositionis adversùs Henricum VIII. pronuntiasset, intentatum fulmen istud omnes Angli non attenderunt; atque in Solio semper sedit Henricus, & velut Rex legitimus tàm à suis, quàm ab exteris habitus est. &c. &c. Nec Ecclesia Hispanica hanc potestatem agnovit. Concilium enim Toletanum sub Honorio Papa & Sisenando Hispaniarum Rege anno 633. celebratum, & cui interant Episcopi 62. Can. 75. anathemate percellit & ab Ecclesia Catholica extraneum pronuntiat eum, qui Sacramentum fidei Regi præstitum violaverit, Regem nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut Regnum usurpaverit. An. 1580. Cùm Philippus Hispaniarum Rex, mortuô Sebastianô Lusitaniæ Rege, Regnum istud sibi assereret, Paulus IV. autem litem hanc de successione in Regnum istud in suo Tribunali dijudicandam fore contenderet, consulti desuper à Philippo omnes totius Hispaniæ illustriores Theologi responderunt, nullas esse in hoc negotio Pontificis partes, cùm res foret meri soli, nec quidquam admixtum haberet, cujus respectu Pontificii fori intercedere deberet auctoritas; *Nam*, inquiebant, *electis semel Regibus, iis & in eos eorumque Successores omne jus translatum intelligitur, ut penes ipsos omnis sit jurisdictio, nec ab aliis judicari possint.*

V. Ex rationibus Theologicis. 1mò. 403 Quia nec ex Scriptura, nec ex Traditione Apostolica constat, talem potestatem fuisse à Christo summis Pontificibus concessam. 2dò. Quia Christus non abstulit, neque aufert Regna iis, quorum erant, & sunt: Nam Christus non venit destruere ea, quæ se benè habebant, sed perficere. Ergo quando Rex aliquis fit Christianus non amittit Regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed acquirit novum jus ad Regnum æternum: alioquin Regibus obesset Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. Id tamen fieret, si summus Pontifex in illud jus & potestatem aliquam acquireret. Ergo &c. 3tiò. Quia si Papa est Dominus totius Orbis Christiani, tunc etiam singuli Episcopi sunt Principes temporalés in oppidis suo Episcopatui subjectis, siquidem id, quod est Papa in universa Ecclesia, quilibet Episcopus est in particulari sua Ecclesia. Atqui Episcopos esse Dominos urbium & oppidorum, quorum sunt Episcopi, apertè falsum est. Ergo. &c. 4tò. Quia opinio, quæ tàm directam quàm indirectam agnoscit in Pontificibus auctoritatem in temporalia Regum planè nova videtur, & ante Sæculum XI. in Ecclesia Dei inaudita; neque Gregorius VII. antiquiores se patronos habet. 5tò. Quia hæc opinio multa incommoda, absurda, imò gravia pericula secum trahit: Nam 1mò æternum odium ac discordiam creat inter Pontifices & Reges, qui non immeritò sibi timendum semper existimabunt ab alicujus Pontificis, cui fortè non placebunt, ambitione,

odio, & ira. 2dò. Pejor esset conditio Principis Christiani & Catholici, quàm Ethnici & Hæretici, isti enim solum Deum Superiorem habent, ille præterea summum Pontificem. 3tiò. Hæc opinio retrahit Principes Ethnicos & Hæreticos ab amplectenda vera Religione, ex qua utpotè timere poterunt imminuendam fore suam auctoritatem. 4tò. Apta videtur ad fovendas seditiones & rebelliones subditorum adversùs legitimum Principem suum, ut qui auctoritate summi Pontificis freti variis criminibus eum falsò apud illum denuntiare possent, ut sic, quia fortè illius pertæsi essent, principatu exuerentur. 5tò. Quia nunquam Pontifices auctoritate ista uti præsumpserunt, quin inde innumera in Catholicæ Religionis & tranquillitatis publicæ præjudicium mala & scandala secuta sint; prout ex variis historiæ monumentis habetur. 6tò. Denique Lutheranis & Calvinistis nostræ ætatis Novatoribus maximo offendiculo est hæc opinio, ut qui eam nobis continuò objiciant.

Finis Tractatus tertii.




TOMI

TOMI PRIMI
TRACTATUS
QUARTUS
DE
SS. ECCLESIÆ PATRIBUS,
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
ET
PROFANÆ SCRIPTORIBUS,

Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii Peritis,
Ratione naturali, Philosophis, & Juris Cæsarei Consultis,
EORUNDEMQUE OMNIUM AUCTORITATE.

CUI ADDITA EST APPENDIX
DE PROPOSITIONUM CENSURIS.



INDEX

Titulorum Tractatus quarti Tomi primi Theologiæ Universalis, de sanctis Ecclesiæ Patribus, Historiæ Ecclesiasticæ & Profanæ Scriptoribus, Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii Peritis, Ratione naturali, Philosophis, & Juris Cæsarei Consultis.



TOMI

TOMI PRIMI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS QUARTUS

De sanctis Ecclesiæ Patribus, Historiæ Ecclesiasticæ & Profanæ Scriptoribus, Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii peritis, Ratione naturali, Philosophis, & Juris Cæsarei Consultis.

Præloquium.

I

POstquam de S. Scriptura, Traditione sacra, Ecclesia, Conciliis, & Romano Pontifice eorumque auctoritate satis, quantùm, ut arbitramur, oportet, præcedentibus tribus Tractatibus disseruimus, superesse videtur, ut modò, priusquam Theologiæ nostræ Tomum primum finiamus, reliquos Theologicos locos, eorundemque in rebus Ecclesiæ auctoritatem expendamus, & definiamus; quod quatuor Capitibus præstare animus est; in quorum primo de sanctis Ecclesiæ Patribus; in 2do. de Historiæ tum Ecclesiasticæ, tum profanæ Scriptoribus; in 3tio. de Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii Peritis; in quarto denique, de ratione naturali, Philosophis, & Juris Cæsarei Consultis, eorumque omnium auctoritate agemus. Sit ergo

CAPUT I.

De sanctis Ecclesiæ Patribus eorumque in rebus Ecclesiæ auctoritate.

AD sanctos Ecclesiæ Patres, fideles & incorruptos S. Scripturæ custodes & Traditionis sacræ testes progredimur; sunt enim venerandi post Prophetas & Apostolos Magistri, de quibus, maximè ubi de S. Scripturæ sensu & sacra Traditione nobis sermo est, dicere cum S. Augustino (a) debemus: *Quod tenent tenemus, quod docent docemus, quod prædicant, prædicamus. Nihilque*, ut monet Victor Carthaginensis, *noviter dicamus, nihil, quod non à SS. Patribus fuerit expressè traditum, vel indicatum.*

Sancto-

(a) Lib. 1. cont. Julian. cap. 2.

Sanctorum autem Ecclesiæ Patrum nomine hîc intelligimus, antiquos illos ac sanctos primorum & antiquiorum sæculorum Doctores, quorum in Ecclesia laudantur Scriptiones, & benedicitur memoria ob eminentem doctrinam & insignem vitæ sanctitatem, perpetuamque ad mortem usque cum Romana Ecclesia seu Romano Pontifice communionem; seu antiquos illos fideles, qui primis post Apostolos, & antiquioribus Ecclesiæ sæculis doctrinâ & vitæ sanctitate claruêre, & ad Ecclesiam perficiendam, hoc est, doctrinâ, virtutibusque formandam elaborárunt, eamque ita suis doctrinæ radiis, & morum exemplò quodammodò genuerunt: unde per methaphoram, translato Patris nomine ad generationem spiritualem, *Ecclesiæ Patres* vulgò & jure nuncupantur. Ergo illi Ecclesiæ Patres dicuntur, quos ob eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem, ut tales agnovit, sive tacitè vel expressè declaravit Ecclesia.

Quæ porro eorum spectant auctoritatem duobus Paragraphis exhibebimus, in quorum primo, quantùm ipsa valeat in discernenda fidei materia, expendemus. In secundo autem nonnullas assignabimus regulas in legendis sanctis Ecclesiæ Patribus servandas &c. &c. &c.

§. I.

2 ***Quanta sit SS. Ecclesiæ Patrum in discernenda fidei materia auctoritas.***

Sciendum hîc sanctos Ecclesiæ Pátres & Doctores spectari posse 1mo. vel ùt sunt homines præcisè, vel ùt sunt Ecclesiæ Patres, & Doctores à Deo Ecclesiæ dati, quales intelligit Paulus 1. ad Cor. c. 12. v. 28. dicens: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.*

2do. Eosdem, sive ut privatos homines, sive ut Patres & Doctores Ecclesiæ, posse iterum considerari, dum loquuntur, vel prout loquuntur singulatim, hoc est, quilibet seorsim; vel conjunctim, hoc est, simul omnes; vel non-singulatim, nec conjunctim, seu simul omnes, sed pauci tantùm, aliis reclamantibus, vel silentibus. 3tio. denique, dum loquuntur in materia fidei, & solo supernaturali lumine cognoscibili, vel in merè naturali & ad fidem non spectante, solisque naturæ viribus cognoscibili doctrinâ. His positis sit 3

CONCLUSIO. 4

Nullius seorsim sancti Ecclesiæ Patris, imò nec plurium aliquorum idem sentientium contradicentibus, vel tacentibus cæteris; benè autem omnium simul sumptorum, & unanimiter idem asserentium sententia est infallibilis in fidei materia discernenda.

Tres sunt hujus Conclusionis partes, quarum 1ma

Prob. 1mo. Quia nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus, sive consideretur ut homo privatus & simpliciter, sive ut Ecclesiæ Pater & Doctor, habet donum infallibilitatis; nam si illud haberet, vel haberet ex se, vel ex Christi promissione; non habet ex se, quia ex se est homo fallibilis & mendax; non etiam ex Christi promissione, cùm Christus nulli privato homini, nullique Ecclesiæ Patri vel Doctori privato, sed soli Ecclesiæ tale donum promiserit. Ergo nullius privati seorsim loquentis Ecclesiæ Patris, quocunque modo, & quacunque in materia considerati sententia, sive auctoritas est infallibilis.

Prob. 2do. Quia id fatentur & ipsi sancti Ecclesiæ Patres; *Aliter habendi sunt* 5

Apo-

Apostoli, inquit S. Hieronymus (*b*), *aliter reliqui tractatores; illos semper verum dicere, istos in quibusdam, ut homines errare contingit.* Et S. Augustinus, *Alios*, inquit (*c*), *ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ita senserunt ipsi, sed quia mihi, vel per Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à verò non aberrant, persuadere potuerant.* Item, *Neminem velim*, ait, *sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi.*

6 Prob. 2tio. Quia variis exemplis eos sæpè errasse constat: nam erravit ille quantumvis doctus & sanctus, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse credidit; erravit ille, qui in Christi corpore pœnas doloresque fuisse negavit; erravit ille, qui in millenariorum dogma descendit; erravit ille, qui justis morte raptis, usque ad extremi Judicii diem, veram felicitatem ademit; erravit ille, qui animam hominis ex traduce fieri putavit; erravêre denique illi omnes, qui Angelos multis ante mundum corporcum ætatibus creatos fuisse putârunt. Ergo eos omnes singulatim sumptos fallibiles esse constat; ac proinde nullius cujuslibet privati infallibilis esse potest auctoritas; imò nec plurium aliquorum contradicentibus, vel saltem tacentibus cæteris, quod est 2da. pars Conclusionis quæ

7 Prob. Quia multi sæpè de aliquo dogmate convenerunt SS. Patres aliqui, imò & major illorum pars, quod tamen non est de fide, quia refragantur cæteri. Ergo infallibilis non est illorum auctoritas in discernenda fidei materia sive doctrina. Prob. ant. Multi SS. Patres, ut Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Damascenus, & alii docent, istius mundi creaturarum universitatem non simul, hoc est, non in instanti, sed sex dierum spatiô fuisse productam; & tamen hoc non est fidei dogma, quia oppositum tenet S. Augustinus. Multi etiam SS. Patres Moysen in hac vita existentem Dei essentiam non vidisse tenent, ut Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Magnus, Chrysostomus, Cyrillus, Leo, Dionysius & alii; nec tamen hæc illorum sententia fidei dogma est, quia contradicit S. Augustinus cum paucis aliis. Ergo etiam plurium SS. Patrum auctoritas, contradicentibus, vel tacentibus aliis, infallibilis non est in discernenda fidei materia; benè autem auctoritas omnium idem unanimiter asserentium, unde

Prob. 3tia. pars Conclusionis 1mo. 8
Quia non est possibile, illos omnes simul sumptos errare, qui sunt à Deo Ecclesiæ dati, ut Ecclesiam ab errore præservent; aliàs illis errantibus erraret Ecclesia, quod est contrà promissionem Christi de Ecclesia dicentis Matth. 16. v. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atqui sancti Ecclesiæ Patres & Doctores sunt ex iis, qui sunt à Deo Ecclesiæ dati, ut illam ab omni errore præservent, juxta illud Pauli ad Ephes. cap. 4. v. 11. dicentis: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei &c.* Ergo impossibile est sanctos Ecclesiæ Patres & Doctores omnes simul sumptos, de aliquo, tanquam de fidei dogmate, unanimiter sentientes errare, & falli. Ergo illorum omnium simul sumptorum infallibilis est auctoritas in discernenda fidei doctrina.

(*b*) Epist. ad Ctesiphont. (*c*) Epist. ad Hieron. 19.

9 Prob. 2do. Quia ex Ecclesiæ mente id manifestè confirmatur: profitetur enim Ecclesia in Conciliis congregata, dum quid de fide credendum proponit ac definit, se sanctorum Patrum sequi fidem & mentem: unde in Chalcedonensi Concilio conclamatum olim, *Hæc est fides Patrum;* unde in Concilio Viennensi dictum à Clemente V. *Nos ad sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus.* Unde & in Tridentino Concilio Sess. 4. in decreto de editione & sacrorum Librorum usu specialiter sub pœna anathematis prohibetur, *ne quis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Supponit ergo Ecclesia, infallibilem esse unanimem sanctorum Patrum consensum in explicanda Scriptura, ac proinde in discernenda fidei materia seu dogmate & doctrina in Scriptura vel Traditione contenta. Ergo &c. Dixi in materia fidei; nam in alia quacunque naturali & lumine naturali cognoscibili materia, non est mirum, si fallibilis sit unanimis etiam eorum sententia, nec majorem certitudinem habeat, quàm ratio, qua nituntur, siquidem SS. Patres ut plurimùm neglexère Philosophiæ, aliarumque Scientiarum naturalium studium, ut totos se se Divinæ Sapientiæ traderent, prout de SS. Gregorio Nazianzeno & Basilio testatur Ruffinus (*d*), necnon de se ipso scribit S. Hieronymus. (*e*)

10 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra primam partem Conclusionis. Singuli Ecclesiæ Patres & Doctores eorumque Scripta approbantur ab Ecclesia; Ergo supponit Ecclesia, nullum ex his errasse, singulosque ut infallibiles proponit audiendos.

Resp. conc. ant. neg. cons. quia approbatio hæc Ecclesiæ non est definitio, sed permissio duntaxat, qua recipiuntur ut utilia, vera, Catholica, vel probabilia. Nam illa singulorum Patrum Scripta, vel continent fidei dogma, vel sunt de rebus ad fidem non spectantibus, vel errores aliquos continent contra fidem; si primum, Ecclesia ea approbat ut vera & Catholica; si secundum, ea solùm recipit & permittit ut probabilia; si tertium, ea non approbat, nec recipit, sed excipit, ut constat de multis à Gelasio Papa exceptis in Concilio Romano septuaginta Episcoporum cap. *Sancta Romana Ecclesia* dist. 15. aut si non excipit, ideo non excipit, quia nondum satis constat, id quod continent, contra fidem esse, & aliunde quidpiam probabilitatis habet; unde est, quòd licet pugnantia loquantur interdum SS. Patres, & neget unus, quod alter affirmat, & utriusque Scripta approbet Ecclesia, non sequitur, quòd pugnantia & contradictoria approbet Ecclesia, quia utriusque Scripta approbat ut solùm probabilia; duo autem probabilia ut probabilia, nec contradictoria sunt, nec opposita moraliter.

Ob. 2do. Si singuli Patres sint fallibiles, tunc frustra illorum auctoritate utitur Theologia. Atqui &c. Ergo &c. 11

Resp. neg. sequel. Maj. Quia licèt fallibiles sint Patres, nec infallibilis eorum auctoritas, est tamen talis ac tanta, ut sententiam faciat probabilem: *Utitur,* inquit S. Thomas (*f*), *Theologia auctoritatibus aliorum Ecclesiæ Doctorum, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter.* Quod intelligendum est de auctoritate singulorum seorsim sumptorum; nam ex auctoritate omnium simul sumptorum, & idem asserentium argumentatur plusquam probabiliter, cùm unanimis SS. Patrum consensus sit infallibilis, & fundet Eccle-

(*d*) Hist. lib. 2. c. 9. (*e*) In proœmio in Epist. ad Galat. (*f*) 1. p. q. 1. art. 8. ad 2.

Ecclesiæ definitionem in rebus fidei & morum.

Ob. 3tio. contra 3tiam Conclusionis partem. Singuli Patres sunt fallibiles. Ergo & omnes simul sumpti; non enim videtur esse major ratio simul, quàm seorsim sumptorum.

Resp. neg. conf. 1mo. Quia moraliter est impossibile, omnes simul sumptos falli, benè autem singulos seorsim spectatos. 2do. Quia singulis non est infallibilitas à Christo promissa; benè autem omnibus simul sumptis, cùm sit Ecclesiæ promissa, nec infallibilitas Ecclesiæ stare possit, nisi infallibilis sit unanimis sanctorum Patrum consensus, qui fundat Ecclesiæ definitionem, seu quem sequitur, & sequi tenetur in suis definitionibus Ecclesia; vel si infallibilitatem non habeant ex Christi promissione SS. Patres omnes simul sumpti idem affirmantes, illam saltem eos habere constat ex Ecclesiæ approbatione & usu, quæ unanimem SS. Patrum utpote fidelium & incorruptorum S. Scripturæ sensûs & Traditionis sacræ testium, consensum semper sequitur, & sequendum præcipit.

12 Ob. 4to. Difficile est, ac ferè impossibile, explorare, & invenire omnium sanctorum Patrum consensum, cùm multorum Opera nos lateant, & plurium Scripta perierint. Ergo unanimis omnium consensus frustra proponitur ut infallibilis, & sequendus.

Resp. neg. ant. 1mo. Quia ille unanimis SS. Patrum consensus non est mathematicè sumendus, ita ut ne quidem unus ex omnibus omnium temporum Patribus desit; sed moraliter, ita ut sit consensus omnium circiter, vel ferè omnium, eo modo, quo res morales sumi debent: moralia autem moraliter sunt intelligenda. 2do. Quia tunc unanimis Patrum consensus cumulatè probatus æstimari debet, cùm singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper Orthodoxus semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.

Ob. 5to. Hæreticus non esset, qui negaret doctrinam aliquam nondum ab Ecclesia definitam, & propositam, quam tamen de fide teneret unanimis SS. Patrum consensus. Ergo unanimis SS. Patrum consensus non reputatur infallibilis in discernenda fidei materia. 13

Resp. dist. ant. Non esset hæreticus formaliter & præcisè, quatenus illam negaret contra unanimem SS. Patrum consensum; conc. Non esset hæreticus consequenter & illativè, seu præsumptivè; neg. ant. Ratio est, quia præsumeretur negare infallibilitatem Ecclesiæ, quæ est de fide; præsumeretur autem negare infallibilitatem Ecclesiæ, si negaret doctrinam aliquam contra unanimem SS. Patrum consensum, quem sequitur, & sequendum proponit Ecclesia. Undè licèt Doctrina illa, quam unanimis SS. Patrum consensus tenet esse de fide, sit de fide; non est tamen de fide Catholica, & sub pœna hæresis credenda, donec fuerit supremô Ecclesiæ judiciô definita, & omnibus ad credendum proposita.

Ob. 6to. Inter Scripta sub nomine SS. Patrum edita, multa sunt supposita, nec sæpius constat, quænam germana sint, quænam verò supposita; neque etiam germanus eorum sensus nobis certò innotescere potest; tum quia multis in locis interpolata, atque adulterata sunt, sive de industria, & malitia, sivè librariorum incuria, tum quia sæpiùs tam ambigua sunt verba, quibus sententiam suam expresserunt, ut à singulis in suas partes trahantur. Ergo ab auctoritate SS. Patrum etiam simul sumptorum atque unanimi consensu in eandem doctrinam convenientium non satis solidum argumentum pro fidei materia discernenda peti potest. 14

Resp. neg. ant. Hæc objectio non magis pugnat contra Scriptorum sub nomine SS. Patrum editorum auctoritatem profectò quàm contra librorum Scripturæ sacræ,

& librorum etiam à prophanis Auctoribus editorum auctoritatem; proinde nimiùm probat, adeoque nihil. Nam quemadmodum ex pluribus Veterum teſtimoniis, & ex antiquiſſimorum Mſs. conſenſione certi ſumus Iliadem Homeri, Æneidem Virgilii, Ciceronis Orationes, &c. non eſſe ſuppoſita Opera, nec fuiſſe adulterata; ita nobis conſtat de maxima parte Scriptorum, quæ SS. Patribus tribuuntur; & quæ proinde ſola ad eliciendum unanimem in quæſtionibus fidei & morum illorum conſenſum proferri à noſtris ſolent.

§. II.

15 *Aſſignantur nonnullæ Regulæ in legendis SS. Patribus ſervandæ; nec non eorundem Catalogus texitur.*

Ut ſine abuſu, ſed magno cum fructu, debitaque cum obſervantia legere & laudare pro fide SS. Patres valeamus, ſequentes inter alias ſervare nos oportet regulas & cautiones.

1mo. Diligenter attendendum eſt, quando, hoc eſt, quo Sæculo, quo anno, quo imperante ſeu ſedente Romano Pontifice ille S. Pater, cujus Scripta legimus, ſcripſerit; id enim, ſi diligenter à nobis fuerit obſervatum, deprehendemus ſæpè, non in hæreſim lapſum fuiſſe, quem interdum lapſum fabulantur, vel calumniantur noſtri Heterodoxi. Sic v. g. Papiam, Juſtinum, & Irenæum, quantumvis fabuloſam, & hæreticam hodie de millenario Chriſti in terris regno ſententiam ſecutos, minimè tamen in hæreſim lapſos eſſe comperiet quivis, ſi advertat, ſententiam illam eo tempore, quo illi SS. Patres vixêre, nondum ut hæreticam fuiſſe damnatam. Sic S. Cyprianum, quantumvis varia pro rebaptizandis hæreticis certamina paſſum, ab omni hæreſis labe immunem deprehendemus, ſi conſideremus, dogma de non rebaptizandis hæreticis, tempore S. Cypriani, tanquam de fide nondum definitum fuiſſe, ſed inter adiaphora & ut ſolam diſciplinam ſpectans habitum fuiſſe. Sic & S. Auguſtinum, quantumvis animam ex traduce fieri ſaltem probabiliter cenſuerit, nullatenus erraſſe noſcemus, ſi tempore, quo ita cenſuit, hac de re nondum ultimò Eccleſiæ judiciô deciſâ, varias fuiſſe Catholicorum ſententias, & unicuique in ſuo ſenſu abundare licitum obſervemus, &c.

2do. Obſervanda ſcribentis ætas, an videlicet juvenis eſſet, cùm ſcriberet, an in virili, vel ſenili ætate; enimverò docet experientia, nos etiam plura ſentire & probare juvenes, quæ grandiores facti, & maturiorem aſſecuti ætatem revocamus, & improbamus. Teſtes hujus ſunt omni exceptione majores duo S. Auguſtini Retractationum libri, in quibus jam ſenex multa retractat, quæ junior incautè protulerat. 16

3tio. Ad ſcribendi cauſam & occaſionem attendendum, hoc eſt, advertendum, contra quos, & qua occaſione ſcripſerint interdum Patres, ut genuinus illorum attingatur ſenſus; ſic v. g. ut S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus non erraſſe videatur, dum lib. 10. de Trinitate, Chriſtum Dominum omnis doloris ſenſûs expertum fuiſſe, ac proinde nullum ſenſiſſe dolorem aſſeruit, advertendum, S. Hilarium ſcribere contra Arianos Chriſtum Dominum eſſe Deum negantes, utpote multis doloribus & paſſionibus obnoxium, atque intelligemus, Hilarium loqui de Chriſto Domino, non ratione humanitatis paſſibilis, & mortalis, ſed ratione Divinitatis impaſſibilis, & immortalis conſiderato. 17

4to. Advertendum, quomodò S. Pater aliquis loquatur, an per modum concionantis, vel per modum viri ſimpliciter loquentis, quia, ut obſervat Vincentius 18

tius Lirinensis, verba à SS. Patribus concionando prolata, non sunt semper in rigore intelligenda; sed interdum tanquam ex zelo quodam, & hyperbolicè dicta. Sic v. g. dum S. Chrysostomus concionando suum populum hortatur ad assiduam sacræ Scripturæ lectionem, non est censendus voluisse, ut omnes indiscriminatim etiam indocti, & instabiles, etiam rudes, & ignaræ mulierculæ divinæ Scripturæ vacarent, sub pœna salutis, prout eum voluisse perperam & ineptè censent nostri ævi Novatores; alloquitur enim Græcorum multitudinem Theatris, Scenis, Spectaculis, Poetarumque fabulis intentam, & divinarum Scripturarum insciam; idque ægrô ferens animô, vehementi concionantis zelo raptus, ut hos omnes ab his avertat fabulis, cæterisque malorum periculis, ad divinam Scripturam legendam hortatur omnes; legendam scilicet à sapientibus, & peritis, audiendam verò ab aliis rudibus, & indoctis; vel si legendam, cùm debita licentia legendam.

19 5to. Si dura vel antiquata Patrum dicta reperiantur, cavendum, ne ea corrigamus, aut mutemus, vel in usum trahamus hujusmodi duriores nec hodie in Ecclesia amplius usu receptas locutiones, sed benignè & reverenter à nobis sunt exponendæ; non corrigamus aut immutemus, quia sic Patres non interrogaremus, sed doceremus; non in usum trahamus, sive usurpemus, quia ad tollendum erroris periculum & occasionem eas non ampliùs usurpat Ecclesia. Sic v. g. licèt Christus interdum à Patribus dicatur *homo Dominicus*, non est usurpanda hujusmodi locutio, quia eam hodie non usurpat Ecclesia; nec corrigenda tamen aut mutanda, sed piè & reverenter explicanda: dicendo nempe, sic Christum à SS. Patribus olim *hominem Dominicum* vocatum fuisse, non ratione suppositi, qui Dominus est, & non aliquid Domini; sed ratione humanæ assumptæ naturæ, quæ est instrumentum Domini. Sic quando S. Basilius & alii cum Tertulliano interdum dicunt, in Eucharistiæ Sacramento *panem esse figuram Corporis Christi*, non est pariter corrigenda, mutanda, vel usurpanda hæc locutio, quia eam non usurpat Ecclesia; sed benignè, & modestè explicanda, dicendo nempe, quòd quamvis Corpus Christi sit verè in hoc Venerabili Sacramento Eucharistiæ, ut ipse S. Basilius aliique cum tota Ecclesia alibi passim fatentur SS. Patres; tamen quia hîc non in propria & naturali specie & figura apparet, sed sub specie & figura panis, ideò dicitur à sanctis illis Patribus, esse ibi in figura, seu sub figura vel specie panis; sicque, & in hoc solo sensu panis figura Corporis Christi ab illis dictum est, præsertim antiquis illis temporibus, quibus hujusmodi loquendi modi nondum erant satis judiciô Ecclesiæ limati, & examinati.

6to. Si quid obscurum vel fidei non satis congruum inveniamus in quodam Ecclesiæ Patris textu vel sententia, explicandum erit à nobis per ea, quæ alibi clariùs dixerit. Sic. v. g. si quis perperam credat, S. Chrysostomum hom. 14. in Joan. possibilitatem visionis Dei negare, dum super illud Joannis, *Deum nemo vidit unquam*, ait: *Nam id, quod est Deus non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli*, facilè intelliget, eum non de visione Dei intuitiva, sed de comprehensiva loqui ex iis, quæ dixit alibi, præsertim dum in parænesi ad Theodorum lapsum cap. 7. exponens illud Petri, *Bonum est, nos hîc esse*, ait: *Quid dicemus, quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, neque per ænigma, sed facie ad faciem, non ampliùs, inquam, per fidem, sed per speciem*? Si enim Deum facie ad faciem nos aliquan- 20

do visuros afferat, Deum consequenter videri posse tenet, ac proinde in prædicto loco, dum ab Angelis, vel Archangelis Deum videri negat, non de intuitiva, sed de comprehensiva Dei visione loqui censendus est, sicque Chrysostomus per Chrysostomum explicandus.

21 7mo. In vertendis vel interpretandis SS. Patrum Scriptis, non tam ad verba, quàm ad sensum est attendendum. Sic reprehensus olim à Ruffino S. Hieronymus, quòd non rectè vertisset S. Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum Epistolam, respondit (*g*), se non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum eam vertisse, hocque SS. Patrum Scripta vertendi genus optimum esse.

22 8vo. Denique observandum, quòd, si duos vel plures interdum SS. Patres opposita sentire videamus, ita ut unus neget, quod alter affirmat, neutrum increpemus vel damnemus; sed singulorum Catholicæ mentis intentionem excusemus, & Dei providentiam adoremus, quæ eos sic inter se opponi fortè sinit, ut ex oppositarum harum opinionum conflictu eruatur, & elucescat veritas, sicut ex duorum lapidem collisione elicitur & elucescit elicitus ignis. Sic olim Paulus restitit Petro, Polycarpus Aniceto, Cyprianus Stephano, Theophilus & Epiphanius Chrysostomo, Augustinus Hieronymo; & ex eodem Dei zelo multoties alibi, Sanctus Sancto. Sic & hodie de multis sub judice pendentibus disputat Schola cum Schola, Theologus cum Theologo, Catholici licèt hi omnes, & prō fide Catholica mori parati singuli.

His regulis ita positis sciendum insuper, sanctos Ecclesiæ Patres, quorum Scripta laudantur in Ecclesia, in tres classes distribui posse, quarum prima est eorum, qui Apostolicis, aut immediatè proximis floruère temporibus usque ad S. Irenæum, qui initio Sæculi 3tii. floruit. Secunda eorum, qui post Apostolica tempora ad quintam Oecumenicam Synodum Anno Christi 553. sub Vigilio Romano Pontifice Constantinopoli coactam vixere. Tertia denique eorum, qui deinceps claruère ab hac Oecumenica Synodo usque ad S. Thomam Doctorem Angelicum, & S. Bonaventuram Doctorem Seraphicum, qui etiam Patribus meritò adnumerari possunt, quamvis paulò recentiori ætate floruerint, ut qui scriptionibus suis doctissimis Ecclesiam apprimè illustrarint, eamque adversus hæreses tuiti sint &c. 23

Præstat eorumdem secundùm Sæcula & ætates, quibus floruère, hîc texere nomenclaturam, ut & scriptionum, quæ ipsis adscribi solent; addito semper obitûs illorum die, aut saltem anno.

(*g*) Epist. 101. ad Pammach.

Sæcu-

Prima classis SS. Patrum.

SÆCULO I.

De S. Martiale. Anno 74.

24 S. Martialis obiit anno Christi 74.

Equidem dubitant nonnulli, quo tempore, an primô scilicet, vel tertiô tantùm Sæculô, cum sociis in Gallias primùm venerit S. Martialis primus Lemovicensium Episcopus; attamen communis & antiqua Lemovicensium traditio, pluriumque veterum Breviariorum & Martyrologiorum lectio tenet, eum à Petro missum illuc primo nascentis Ecclesiæ Sæculo venisse, & esse illum, qui dicitur de Tribu Benjamin Stephani Protomartyris consanguineus, à S. Petro, Christo jubente, baptizatus annô ætatis 15. unus è 72. Christi discipulis, & qui post baptismum cum Christo tribus annis permansit, & tredecim cum Petro, quinque videlicet Jerosolymis, septem Antiochiæ, & uno Romæ; unde tandem à Petro in Galliam Aquitanicam missus cum Austricliniano & Alpiniano ibi per 28. annos in Episcopali ministerio primus Lemovicensium Episcopus vixit, tandemque post varios Galliæ populos Evangelica luce irradiatos, videlicet Tolosanos, Burdigalenses, Ruthenenses, Arvernos, Miniatenses, & alios, post eversa varia Gentilium idola, post edita plura miracula, post primam in Gallia sub S. Stephani Protomartyris nomine, Lemovicæ Christo dicatam Ecclesiam, in cœlum migravit, annô ætatis suæ 59. Apostolatus sive Episcopatus sui 28. & à Christi ad cœlos ascensu 40. ac proinde annô post Christum natum 74. relictis, ut fertur, duabus Epistolis; quæ habentur in Bibliotheca Patrum, Tom. 3. edit. Lugd. apud nos pag. 1.

Prima est ad Burdigalenses jam in Christo renatos directa & 13. complectens capita, in qua jam absens Martialis eis in memoriam revocat ea, quæ præsens docuerat, ut eos in fide confirmet. Duæ circumferuntur sub S. Martialis nomine Epistolæ.

Secunda est ad Tolosanos pariter in Christo regeneratos directa & 28. capitibus comprehensa. In ea hortatur illos, ut perennes Deo gratias agant de sua per baptismum regeneratione, & à damnationis æternæ caligine per Christum ereptione. Varia deinde tradit eis tùm fidei, tùm vitæ Christianæ documenta, & eis reducit ad memoriam illa, quæ jam apud eos evangelizaverat. Testatur etiam se fuisse cum Christo eo tempore, quo à Juda osculo traditus fuit.

Piæ quidem imò & utiles forent ad firmanda contra nostri ævi hæreticos varia Ecclesiæ dogmata, qualia sunt v. g. *Sacrosanctum Missæ sacrificium*, *signum crucis*, *Sanctorum cultus &c.* Si genuinas eas esse & Sæculô primô conscriptas certum foret: verùm supposititias esse colligitur 1mo. Quia in iis passim citantur Scripturæ sacræ textus juxta versionem S. Hieronymi. 2do. Quia decem primorum Ecclesiæ Sæculorum scriptores nullam de iis mentionem faciunt. 3tio. denique, Quia il-

la-

larum auctor dicit, se cum aliis Discipulis interfuisse, quando Judas osculô Christum tradidit, cùm tamen duodecim, si iis Judas etiamnum adnumeraretur, duntaxat Christi discipulos tunc adfuisse Scriptura memoret, Matth. 26. v. 21. & Marc. 14. v. 17.

25 S. Clemens Romanus obiit anno Chr. 102.

De S. Clemente Romano. An. Chr. 102.

S. Clemens patriâ Romanus, Faustiniani filius, Apostolorum Coadjutor & discipulus, quartus post Petrum, Linum & Cletum (*b*), & sui nominis primus Romanus Episcopus, cujus meminit Paulus Philip. 4. v. 3. Hic est summus ille Pontifex, qui septem urbis regiones divisit septem notariis, singulas singulis attribuens, qui Martyrum passiones & Acta conscriberent. Cùm verò doctrinâ & vitæ sanctitate multos ad Christi fidem converteret, ab Imperatore Trajano relegatus est trans mare Ponticum ad Chersonesi Tauricæ deserta; in quibus locis aquarum penuriâ siccis & aridis, ut Christianis succurreret numerô multis ibi detentis, & ad secanda marmora ab eodem Imperatore damnatis, suis precibus à Deo fontem aquarum obtinuit, quo miraculo in iram concitatus Imperatoris Præfectus, Clementem in mare alligatâ ad collum anchorâ submergi præcepit, nonô Pontificatus sui annô, Imperii Trajani 3tiô. & Christi 102. die 23. Novembris: sicque pro fide Catholica aquis submersus ad cœlum evolavit.

Scripta S. Clementis nomine vulgata. 1mo. Duæ ad Corinthios Epistolæ.

Sub illius nomine varia circumferuntur Scripta, ut 1mo. Duæ ad Corinthios Epistolæ, in quarum prima, occasione seditionis apud Corinthios exortæ, hortatur eos ad fraternam concordiam & humilitatem. Hæc pro genuina ab omnibus habetur, illiusque meminit Hieronymus, de Script. Eccles. necnon reperitur Tom. 1. Conc. Altera verò, quæ sub illius nomine fertur, à Veteribus rejicitur, inquit S. Hieronymus post Eusebium. Eam tamen genuinam esse contendunt aliqui, & de illa intelligendum esse S. Hieronymum, cùm lib. 1. contra Jovinian. cap. 7. de Spiritualibus Eunuchis, ait: *Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque penè sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit.*

2do. Duæ ad Jacobum fratrem Domini.

2do. Duæ aliæ epistolæ ad Jacobum fratrem Domini, in quarum prima narrat Clemens, quomodò S. Petrus ipsum invitum successorem suum elegerit, & omnia præcepta ab eodem sibi tradita explicat; & in altera de Sacramentis, de sacratis vestibus ac vasis Jacobum instruit: Verùm supposititiæ communiter reputantur; idque patet, de prima quidem, quia in ea Jacobo significatur S. Petri obitus; cùm tamen constet Jacobum fratrem Domini & Jerosolymorum Epi-

(*b*) Græci veteres, Ignatius, Irenæus, Eusebius; & ex Latinis Optatus, & Augustinus, Ep. 164. Cletum non agnoscunt, sed Anacletum, queni perhibent Clementis successorem.

Episcopum jam, antequam Petrus è vivis excessisset, Jerosolymis occisus fuisse. Ergo non est Clementis, vel si illius est, ad Simonem fratrem Domini, non ad Jacobum scripta est. De altera verò manifestum est, eam Clementis non esse, cùm in ea auctor illius instruat Jacobum de Sacramentis, vestibus sacris atque vasis, nec credi possit, Clementem Apostolorum discipulum de his instruisse Jacobum Apostolum.

3tio. Tres Epistolæ ad diversos.

3tio. Tres aliæ Epistolæ ad diversos. Quarum 1ma. est ad Coëpiscopos, Presbyteros, Diaconos ac reliquos generaliter Clericos & fideles, & in qua agit de officio Sacerdotis. 2da. scripta dicitur à Clemente discipulis suis Julio & Juliano, & gentibus, inter quas habitabant, directa. 3tia. Denique scripta dicitur suis discipulis & directa Jerosolymitanis. Ex styli diversitate à stylo epistolæ Clementis ad Corinthios colligunt eruditi omnes, has Epistolas esse suppostitias, præcipuè autem 3am. ut in qua dicatur, uxorum usum communem esse debere; quæ erat Nicolaitarum hæresis.

4to. Recognitionum libri 10.

4to. Recognitionum libri 10. ad Jacobum fratrem Domini, sic dicti, quòd miram recognitionis seu recuperationis Patris, Matris, & duorum germanorum geminorumque fratrum, quos omnes à teneris jam annis non viderat operâ S. Petri factæ historiam contineat. In iis multa fabulosa & nonnulla Catholicis dogmatibus adversantia leguntur; item S. Petri itinera narrantur, unde idem esse opus, quod vulgò itinerarium S. Petri dicitur, quodque apocryphum esse constat ex Auctore Synopsis, & ex Romano Concilio sub Gelasio I. Quare & hi Recognitionum libri inter apocryphos communiter rejiciuntur, licèt non pauca utilia documenta complectantur, & interdum ab eruditis citentur.

5to. Constitutionum Apostolicarum libri octo.

5to. Constitutionum Apostolicarum libri octo, sed non minus suppositii quàm Recognitionum libri; utpote in quibus plura reperiuntur veritati dissona, quale est illud lib. 3. c. 2. ubi dicitur, quartas nuptias meram esse libidinem ac impudicitiam. Lib. eodem, c. 10. quo prohibetur Laicis absolutè, ne baptizent. Lib. 6. cap. 15. Hæreticorum & impiorum baptisma declaratur invalidum & nullum, ac proinde iterandum. Cæterum tamen utilia & à Græcis olim multùm laudata continent documenta; nihilominus à posterioribus Græcis in Trullano Concilio can. 1. reprobatæ fuerunt, tanquam ab hæreticis depravatæ.

6to. Canones Apostolorum.

6to. Canones Apostolorum 85. græcè conscripti, & ab Exiguo Dionysio latinè traducti, sunt certæ quædam antiquæ leges sive Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur ab Apostolis editæ, & à B. Clemente collectæ. Quamvis in Ecclesiâ Græca hi 85. Canones sub nomine Apostolorum vulgati fuerint, atque ut verè Apostolici recepti; & ex illis in Ecclesia Latina 50. duntaxat priores, aliis rejectis, eodem tempore aucto-

auctoritatem aliquam habere cœperint; tamen hodie eruditi ferè omnes cum Gelasio I. in Concilio Romano 70. Episcoporum, & Isidoro Hispalensi eos omnes, quamvis multa utilia contineant, apocryphos esse & supposititios existimant. Neque eorum meminère Eusebius, & Hieronymus, aut ullus alius S. Pater aut Scriptor sacer priorum Sæculorum; cùm tamen multoties occasionem eos citandi habuerint. Eos utique citasset S. Cyprianus contra Stephanum pro tuenda sua de iterando hæreticorum Baptismo causa; id enim Can. 46. statuitur. S. Epiphanius quoque hæresi 58. Valesiorum se ipsos castrantium impugnans hæresim sine dubio citasset Canones 21. 22. & 23. id expressè prohibentes. Eos pariter citasset Victor Papa in controversia de Paschate celebrando contra Asiaticos, cùm Canon 7. vetet Pascha cum Judæis celebrare.

7mo. Liturgia S. Clementis.

7mo. Liturgia S. Clementis, seu sacri Sacrificii celebrandi formula, sive Missa. De ea idem judicandum censet Bellarminus ac de Liturgia S. Jacobi, nimirum illam verè Clementis esse, sicut istam S. Jacobi, sed à posterioribus auctam; quod enim sit S. Clementis colligitur ex S. Proclo tract. divinæ Liturgiæ, ubi testatur eundem S. Clementem Liturgiam edidisse. Vide Euseb. lib. 3. Hist. Hieronym. in Cat. Script. Eccles. Niceph. lib. 3. c. 18. Metaphrast. in Clemente. Martyrolog. Rom. Greg. Turon. de Gloria Martyr. Bellarm. in Cat. &c.

De S. Ignatio Martyre. 111.

S. Ignatius Martyr obiit anno Christi 111.

S. Ignatius Evodii primi post S. Petrum Antiochiæ Episcopi annô, ut creditur, Chr. 71. ibidem Martyrii laureâ donati Successor, S. Joannis Evangelistæ cum Polycarpo discipulus, *Theophorus* sive *Deifer*, quasi Christum circumferens, vulgari cognomine dictus est. Sub Trajano Christianos persequente, ad bestias damnatus Romam ducitur, ubi leonibus in prædam traditus, Martyr occubuit an Chr. circiter 111.

Epistolæ 15. sub ejus nomine vulgatæ.

Sub ipsius nomine 15. Epistolæ circumferuntur, quarum septem genuinæ reputantur ab eruditis Catholicis, scilicet ad Ephesios una, ad Magnesianos una, ad Trallianos una, ad Romanos una, ad Philadelphios una, ad Smyrnenses una, & denique una ad Polycarpum SmirnæEpiscopum. Earum quippe meminère mox laudatus Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola, per quam easdem illis transmittit. Dionysius Areopagita, Irenæus, Athanasius, Chrysostomus, Eusebius, lib. 3. Hist. c. 30. Theodoretus, Hieronymus, de Script. Eccl. cap. 16. Metaphrast. &c. atque eas velut genuinas laudant.

Quinque velut dubiæ habentur: una ad Mariam Cassobolitam, quæ putatur illa, quam salutat Paulus Rom. 16. v. 6. Ad Antiochenos una. Ad Tarsenses una. Ad Philippenses una. Ad Heronem Antiochiæ Diaconum una. Hæ quamvis eodem stylo & spiritu ac priores septem exaratæ videantur, tamen ideò dubiæ reputantur à non-

nonnullis eruditis, quia Eusebius & Hieronymus, dum priores septem laudant, de istis quinque altùm silent.

Tres denique suppostitiæ reputantur communiter ab omnibus, tùm quia nullibi in Codicibus inventæ, nec ab ullo ex antiquis Patribus laudatæ fuerunt, atque primùm à S. Bernardo Serm. 7. in Psal. 90. memoratæ dicantur; tùm quia nec tempus sapiunt, nec stylum S. Ignatii. Sunt autem istæ: una ad B. V. Mariam Christi Matrem. Ad Joannem seniorem seu Evangelistam duæ.

28 S. Dionysius Areopagita. - Obiit anno 120..

De S. Dionysio Areopagita, *anno* 120.

S. Dionysius Areopagita S. Pauli Apostoli in Christo filius & discipulus Sanctorum Ignatii & Polycarpi Martyrum coævus, Athenis vel in Thracia natus, è celebri Athenarum Areopago Senator; qui dum olim Heliopoli esset cum Apollophane Philosopho gentili, celebrem illam, quæ Christo patiente contigit, Solis eclypsim observavit; ac deinde Athenas reversus, ibique S. Paulum de illa Christi passione, & lege Evangelica concionantem audiens, ad Christi fidem conversus est cum muliere nòmine *Damaris* & aliis, ut habetur Act. 17. v. 34. & exinde relictô Areopagô Paulo adhæsit; à quo non longè post primus Atheniensium Episcopus creatus est; inde, alio in suam Sedem substitutò Episcopô, Romam profectus ad Clementem I. ab ipso unà cum aliis Apostolicis viris & sociis suis in Gallias Evangelii prædicandi gratiâ mittitur; ubi Parisiis Parisiorum primus Episcopus prædicans, & multos Gentiles ad Christi fidem trahens, à Fescennino Præfecto unà cum sociis Rustico Presbytero & Eleutherio Diacono, multis vexatus suppliciis, tandem capite cæsus martyr occubuit ætatis suæ, ut valdè probabilis & antiqua multorum eruditorum est opinio, annô 110. Christ. 120. quo post Trajanum Adrianus regere cœpit Imperium.

Ejus Scripta sunt hæc: 1mo. Liber de cœlesti Hierarchia in 15. capita distributus. 2o. Liber de Ecclesiastica Hierarchia in 7. capita distinctus. 3tio. Liber de divinis nominibus in 13. capita divisus. 4to. Liber de mystica Theologia 5. capitibus comprehensus. 5to. Epistolæ quatuor ad Cajum Monachum, hoc est ad Cajum è Therapeutis unum, quos Monachos ideò vocat, non quòd soli habitarent (tùm temporis enim nondum visebantur hujusmodi Solitarii seu Monachi) sed quòd singularem curisque solutam & soli Deo intentam vitam agerent: & Cajum S. Maximus in Scholiis putat esse illum, ad quem S. Joannes Evangelista suam tertiam scripsit Epistolam. 6to. Una ad Dorotheum Ministrum seu Diaconum. 7mo. Ad Sosipatrum Sacerdotem una. 8vo. Ad Polycarpum Smirnæ Præsulem una. 9no. Ad Demophilum Monachum sive Therapeutam una. 10to. Ad Titum Cretæ Episcopum à S. Paulo constitutum una. 11mo. Ad S. Joannem Apostolum & Evangelistam in Patmos unâ ex Cy- Scripta ipsius.

cladibus insulâ exulantem una. 12mo. Ad Apollophanem Gentilem Asiæ Philosophum una.

Quamvis haud paucis eruditis viris hæc Scripta non esse genuina S. Dionysii Areopagitæ Opera videantur, communis tamen & inconcussa aliorum Doctorum opinio tenet, Scripta hæc sub Dionysii Areopagitæ nomine laudata & in Ecclesia usu recepta, genuina esse ipsius Opera, 1mo. Quia Scripta hæc manifestè indicant auctorem eorum esse primi Sæculi virum, cùm lib. de divin. nom. cap. 2. & 3. se Pauli Apostoli discipulum nominet. Ad Titum Pauli discipulum scribat, ad Joannem Evangelistam, & ad Polycarpum Joannis discipulum; atque scribens ad Apollophanem se Solis eclipsim patiente Christo factam unà cum ipso observasse notet; necnon denique se beatæ Virginis exequiis interfuisse dicat cum Petro, Jacobo fratre Domini & aliis, lib. de divin. nom. cap. 3. Nullus autem inter Christianos recensetur Dionysius, qui primô Sæculô scripserit, præter Areopagitam. Ergo ipsa Opera, sub nomine ipsius laudata, verè illius sunt; nisi quis ineptè satis dicere maluerit, Auctorem hunc fuisse virum insigniter mendacem, fallacem & impostorem aliquem; quod tamen nec dici nec cogitari potest de auctore isto, utpotè cujus Scripta ubique miram sapiunt pietatem, sinceritatem, gravitatem, & sanctimoniam. 2do. Quia à tredecim & ultrà Sæculis sub nomine Dionysii Areopagitæ fuêre citata atque recepta tam à Conciliis, summis Pontificibus, & à sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm ab innumeris aliis viris eruditis.

De S. Papia 126.

29 S. Papias obiit anno Chr. 126.

S. Papias Aristionis, & Joannis senioris, seu Presbyteri, & non Apostoli, auditor, S. Polycarpi familiaris & coævus, Hierapolitanus in Phrygia Asiæ minoris Episcopus fuit. Is est, qui primus Auctor creditur opinionis, seu fabulæ de millenario, post resurrectionem, in terris Christi cum Sanctis futuro regno, quem secuti sunt Justinus, Irenæus, Apollinaris & alii.

Scripta ejus.

Juxta Eusebium & S. Hieronymum quinque scripsit libros sub titulo *Explanationis Sermonum Domini*, quorum hodie nonnulla duntaxat supersunt fragmenta, & in quorum præfatione monet, se non varias opiniones, sed Apostolorum collegisse dicta ab iis, qui eum illis fuerant conversati. Vide Euseb. Hist. S. Hieron. in Cat. S. Iren. lib. 5. &c.

De S. Quadrato 126.

30 S. Quadratus anno Chr. 126.

S. Quadratus Apostolorum Discipulus post Publium Martyriô affectum Atheniensis ordinatus Episcopus, Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregavit.

Ejus Apologia.

Apologiam à se conscriptam pro Christianis, seu Apologeticum pro Religione Christiana librum Adriano Imperatori porrexit. Circa annum Chr. 126.

su-

superstes adhuc fuisse dicitur. Vid. Euseb. lib. 4. Hist. Hieronym. de Script. Eccl.

SÆCULO II.

31 S. Justinus Martyr. Obiit anno Chr. 150. vel 165.

De S. Justino Martyre. 165.

S. Justinus Philosophus & Martyr, Prisci Bachii filius Neapoli Palæstinæ provinciæ Urbe oriundus, Romæ tamen commoratus, ibique verbo, vita & habitu Philosophum agens, accusatus à Crescente Cynico, quòd Christianus esset, pro Christo mortem subiit Martyriô affectus Romæ an. Chr. 150. ut volunt nonnulli, vel potiùs an. 165. ut opinantur alii: ætatis suæ an. 30. secundùm aliquos, & 50. secundùm alios.

Opera ipsius. VariaScripta eidem tribuuntur, quorum quædam genuina sunt & certa, quædam verò dubia vel supposititia, & alia temporum injuriâ deperdita.

Genuina. Genuina & indubitata sunt hæc: 1mo. Oratio parænetica ad Græcos, sive Gentiles. 2do. Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem. 3tio. AlteraApologia pro iisdem adSenatum Romanum. 4to. De Monarchia Dei liber. 5to. Dialogus cum Tryphone Judæo de veritate Christianæ Religionis. 6to. Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio.

Dubia vel supposititia. Dubia verò vel supposititia sunt 1mo. Expositio Catholicæ & Orthodoxæ fidei. Hoc est, Liber de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate. 2do. Ad Zenam & Serenum de vita Christiana Epistola sive liber per modum Epistolæ. 3tio. Responsionum libri duo, quorum unus continet responsiones Christianas ad quæstiones Christianorum; alter responsiones Christianas ad quæstiones Ethnicorum, de incorporeo, de Deo, & de resurrectione mortuorum.

Deperdita. Deperdita denique Justini Opera hæc numerantur: 1mo. Liber de anima: 2do. Liber *Psaltes* inscriptus. 3tio. Liber contra hæreses omnes. Insignia volumina, quorum meminit S. Irenæus in suo quinto adversus hæreses libro; imò & liber de Monarchia Dei dimidius periit.

De S. Polycarpo. 169.

S. Polycarpus. Martyrium passus est an. Chr. 169. 32

S. Polycarpus sancti Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnensis ordinatus Episcopus, SanctorumIgnatii,DionysiiAreopagitæ, Justini & Photini primi Lugdunensis Episcopi coævus & æqualis, cùm ob motas de die Paschæ quæstiones aliquas, imperante Antonino pio, & Ecclesiam regente Aniceto Papa Romam venisset, plurimos de credentium numero Marcionis & Valentini persuasione deceptos reduxit ad fidem. Fertur, quòd, cùm fortuitò ei obviam venisset Marcion & dixisset: *Cognoscis nos?* respondérit, *Cognosco te primogenitum Diaboli.* Posteà regnante M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo quarta post Neronem persecutione Smyrnæ sedente Proconsule, & universo adversus eum, in Amphitheatro personante populo, igni traditus, gloriosâ Martyrii palmâ donatus est, an. Chr. circiter 169. Vid.

Euſeb. lib. 4. Hiſt. & in Chron. ad an. 157. S. Hieron. in Cat. cap. 17. Socrat. lib. 5. Hiſt.

Scripſit inſignem & utilem ad Philippenſes Epiſtolam, quæ olim, teſte S. Hieronymo, publicè in Aſianis legebatur Eccleſiis, quæque cum S. Ignatii Epiſtolis reperitur, & in qua illas ad eos miſiſſe memorat.

33 S. Melitho. Obiiſſe creditur anno circiter 170.

De S. Melithone. 170.

S. Melitho Sardenſis in Aſia Epiſcopus, cujus elegans & declaratorium ingenium laudans Tertullianus in ſeptem libris, quos pro Montano adverſùs Eccleſiam ſcripſit, eum à plerisque noſtrorum Prophetam putari ait. Floruit ſub M. Antonino Vero. Obiiſſe creditur an. circiter 170.

Ejus Scripta.

Scripſit Apologeticum pro Chriſtiana Religione librum, quem Imperatori obtulit. Item Epiſtolam ad fratrem Oneſimum, in qua catalogus texitur librorum veteris teſtamenti, quæ reperitur apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. De Apologetico autem ſuo libro ſicut de multis aliis ejusdem Scriptis nihil hodie ſupereſt, præter fragmenta nonnulla ab Euſebio lib. citatô collecta.

(1) Libellum de tranſitu Virginis, ſeu de Aſſumptione B. Mariæ Virginis, qui S. Melithonis nomine circumfertur in Bibliotheca Patrum nusquam memorant Euſebius & S. Hieronymus, quamvis plura alia ejusdem Opera numerent. Vid. Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap. 25. S. Hier. de Script. Eccl. Gelas. Pap. c. *Cum ſancta* Diſt. 15. apud Gratianum.

De S. Dionyſio Corinthio. 174.

S. Dionyſius Corinthius, anno 174. 34

S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, unde Corinthius nuncupatus, ſecundô Sæculô floruit, tantæ eloquentiæ vir, tantoque in univerſalis Eccleſiæ bonum præditus zelô, ut non ſolùm ſuæ Eccleſiæ populos, ſed & aliarum Eccleſiarum Epiſcopos & oves ſuis erudiret Epiſtolis, quarum octo referunt Euſebius, & Hieronymus. Nempe ad Lacedemonios. Ad Athenienſes. Ad Nicomedienſes. Ad Amaſtrianam in Ponto Eccleſiam. Ad Gortinenſem in Creta Eccleſiam. Ad Gnoſſianos & ad Pinytum Gnoſſianorum in Creta Epiſcopum. Ad Romanos & ad Soterum Romanæ urbis Epiſcopum. Denique ad Chryſophoram ſanctam fœminam.

Ejus Epiſtolæ.

Claruit ſub M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo Impp. De eo Euſeb. in Chron. & lib. Hiſt. Eccl. S. Hieron. de Script. Eccl. Ado in Chron. an. 164. & Baron. ad an. 175.

SÆCULO III.

Secunda Claſſis SS. Patrum.

De S. Irenæo Martyre. 202. 35

S. Irenæus Martyr occubuit anno 202. vel 205.

S. Irenæus, quod græcum nomen latinè *Pacificum* ſonat, natione Græcus S. Polycarpi Smirnenſis Epiſcopi auditor & diſcipulus, ab eodem cum pluribus

(1) Suppoſititius eſt libellus iſte, & à Gelaſio Papa inter Apocrypha meritò computatur, & indignus Melithone judicatur.

ribus aliis in Gallias missus, Lugduni substitit, eo tempore, quo Photinus primus Lugdunensium Episcopus eandem regebat Ecclesiam; cui nonagenario cum pluribus aliis Martyrii palmâ donato successit in Episcopatum jam sexagenarius. Cúmque per 23. circiter annos huic præfuisset Ecclesiæ, tandem Severi Imperatoris persecutione sæviente, cum omni ferè suæ civitatis populo, propè nonagenarius martyrium subiit, die 28. Junii. an. Chr. 202. vel juxta Baronium, an. 205.

Ex ejus operibus, quos juxta Hieronym. & Euseb. Græcè conscripsit, nulla nobis supersunt præter Libros quinque adversùs Hæreses Valentini & similium Gnosticorum. Hoc est eruditum & celebre Opus illud in libros quinque divisum, quibus Valentini, & similium Gnosticorum, videlicet Marci, Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Cerinthi, Ebionis, Nicolaitarum, Cerdonis, Marcionis & Tatiani perniciosas detegit & refellit hæreses.

deperdita. Plura adhuc scripsit hic S. Ecclesiæ Doctor, quæ, si duarum Epistolarum fragmenta, ad Florinum nempè & ad Victorem Papam, excipias, vel temporum injuriâ vel hæreticorum fraude sunt deperdita. Sunt autem hæc: Liber unus contra Gentes de disciplina inscriptus, de quo Euseb. lib. 5. Hist. c. 25. Ad Marcianum fratrem liber unus de Apostolica prædicatione. Variorum Tractatuum Liber unus. De Ogdoade seu octonario numero Commentarium. Ad Blastum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Valentinianum contendentem, non aliter celebrandum esse Pachale festum, quàm more Judæorum 14ta. nempe lunâ mensis Martii (à quo proinde fatale Quartadecimanorum schisma traxit initium) Epistola de Schismate.

Ad Florinum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Valentini discipulum & Basti socium Epistola altera, de Monarchia; cujus nobis fragmentum duntaxat superest. Denique ad Victorem Romanum Pontificem de Paschali celebrando die Epistola, qua eum hortatur ne Polycratem Ephesiorum Episcopum & Asiaticos, quòd Europæorum more Pascha die Dominico celebrare nollent, sed illud more Judæorum agerent, decreta excommunicatione percelleret.

De Tertulliano. 216. 36

Tertullianus. Floruit initiò Sæculi tertii. Quo anno obierit incertum. Post annum 216 adhuc eum superfuisse arbitramur.

Tertullianus natione Afer, patriâ Carthaginensis, patre natus Ethnico Centurione Proconsulari, vir acri præditus ingenio ac vehementi, divinis imbutus disciplinis pariter & humanis, circa an. 196. sub Victore Rom. Pontif. & imperante Septimo Severo, è Gentili ad Christi fidem conversus, pro more Christiano dimissâ togâ pallium induit. Carthaginensis Ecclesiæ postmodùm Presbyter effectus, quamplurimos eruditione plenos pro Ecclesia scripsit libros. Tandem cùm, ut ait S. Hieronymus, usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, Procli cujusdam Montanistarum hominis

nis insaniâ delusus, & aliunde Clericorum Ecclesiæ Romanæ contumeliis & invidiâ læsus, ad insanum Montani dogma turpiter lapsus est, atque contra Ecclesiam varia edidit volumina, in quibus varios aspersit errores; quibus nec vacui sunt libri illi, quos pro Ecclesia scripsit. Eorum præcipuos infra adnotabimus. Ob ingentem suam eruditionem, & quia Ecclesiæ dogmata contra hæreticos strenuè propugnavit, nihilominus à Veteribus Ecclesiæ Patribus adnumeratus fuit, & adhuc adnumeratur. (*k*) Fertur vixisse ad decrepitam ætatem usque, & multa quæ non extant, opuscula condidisse, teste Hieronymo de Script. Eccl. Sed an post lapsum, ad Ecclesiam redierit, quo etiam mortis genere, ubi, & quando vivere desierit, nullibi constat.

Scriptæ ejus pro Ecclesia.

Scripta ejus pro Ecclesia hæc sunt: 1mo. Apologeticus liber pro Christianis persecutione vexatis sub Severo Imp. & sæviente quinta post Neronem persecutione. 2do. Ad Nationes libri duo de eodem argumento. Sed illius operis paginæ complures ita corruptæ vel corrosæ, aut injurioso vetustatis pede quassatæ sunt, ut, quale nobis hodie superest, videatur parum utile. 3tio. De testimonio animæ liber unus, quo probat, animam testari Dei veri existentiam. 4to Ad Scapulam provinciæ Africæ Præfectum liber unus pro Christianis non vexandis. 5to. De Spectaculis vitandis liber unus, occasione ludorum sæcularium Romæ editorum imperante Severo, in quibus varia exhibebantur certamina, & varia voluptatum occasio præbebatur, scriptus. 6to. De Idololatria, quàm grave sit scelus, liber unus. 7mo. De Corona militis liber unus, pro tuendo Christiano milite, ob non gestatam in capite coronam seu lauream castrensem, quam cæteri Gentiles milites, ex sacrorum suorum ritu, gestabant. In hoc libro mira de Traditione profert, quibus Traditiones, non scriptas recipiendas esse suadet, &c. 8vo. De Pallio liber unus, quo rationem reddit, cur à toga, quæ Ethnicum denotabat, transierit ad pallium, quod Christianum indicabat, hoc est, cur relicta superstitione Ethnica Christi militiæ nomen dedisset. 9no. De duplici pœnitentia, una scilicet, quæ fit ante Baptismum, altera, quæ fit post Baptismum, quam græcô vocabulô *Exomologesim* vocat. 10mo. De Oratione liber unus, Dominicalem orationem explicans. 11mo. Ad Martyres liber unus, eos ad perseverantiam exhortans. 12mo. De patientia liber unus, Christianis omnibus patientiam exponens & suadens. 13tio. De habitu muliebri liber unus, in quo mulierum in vestibus luxum arguit. 14to. De cultu fœminarum liber alter, de eodem argumento. 15to. Ad uxorem suam libri duo, quibus suadet ei, ut, si ipse priùs illa moria-

(*k*) Seu potiùs velut Scriptor Ecclesiasticus habetur.

moriatur, non denuò nubat; vel si nubere velit, Christiano, & non Ethnico, nubat. 16to. De velandis virginibus liber unus, quo probat, virgines esse velandas. 17mo. Adversùs Judæos liber unus, quo Messiam venisse probat. 18vo. De præscriptione hæreticorum liber unus, quo probat hæreticorum doctrinas non esse audiendas, quia novæ sunt. 19no. De Baptismo liber unus, quo Baptismi necessitatem ostendit. 20mo. Adversùs Hermogenem hæreticum ex Africa virum liber unus, quo materiam non æternam esse probat. 21mo. Adversùs Valentinianos liber unus, Deorum multitudinem evertens. 22do. De anima liber unus, in quo varios de anima intermiscet errores. 23tio. De carne Christi liber unus, quo Christum veram sumpsisse carnem probat contra Marcionem, Apellem, Valentinum, & Basilidem hæreticos. 24to. De resurrectione carnis liber unus, quo futuram corporum resurrectionem astruit. 25to. Adversùs Marcionem libri quinque, quibus impugnat hæretici hujus de duobus Diis bono uno, malo altero Hæresim. 26to. Scorpiacum seu Antidotum liber unus, de bono Martyrii contra Gnosticos martyrium inutile dicentes. 27mo. Adversùs Praxeam, qui primus ex Asia Patripassianorum hæresim Romam intulerat, liber unus, quo Deum Trinum in personis esse defendit.

Scripta ejus contra Ecclesiam. Scripta Tertulliani contra Ecclesiam verò hæc sunt: 1mo. De exhortatione castitatis liber unus, quo secundas nuptias dissuadet, atque in eas adeò invehitur, ut quasi adulterium illas reprobet. 2do. De monogamia seu unicis nuptiis liber alter, quo secundas nuptias apertè reprobat & damnat. 3tio. De fuga in persecutione liber unus, quo perperam asserit, illicitam esse in persecutione fugam. 4to. De jejuniis adversùs Psychicos seu animales liber unus, quo Montani rigida & insolita jejunia tuetur contra Catholicos. 5to. De pudicitia liber unus, in quo Bigamos, seu secundis nuptiis junctos, quasi mœchos ad pœnitentiam non admittendos esse contendit.

Dubia Tertulliani Scripta. Præter hæc Opera duo adhuc sub nomine Tertulliani circumferuntur libri, De Trinitate unus, alter De cibis Judaicis. Primum esse illius vult Ruffinus; negat verò S. Hieronymus, vultque illum esse Novatiani cujusdam, quia in eo nominatim Sabelliana refellitur hæresis, quæ primùm post Tertulliani tempora, & Novatiani ætate grassari cœpit. Alter verò non sapit Tertulliani stylum, sed Episcopi cujusdam populo suo scribentis, inquit Bellarminus.

Errata denique Tertulliani præcipua hæc sunt: 1mo. Quòd Deum corporeum esse dixerit, lib. de pœnit. cap. 3. lib. adv. Hermogenem cap. 35. lib. adv. Praxeam cap. 7. & lib. de carne Christi cap. 11. 2do. Quòd animam corpoream esse docuerit, lib. de anima cap. 5. 6. 7. 8. 9. &c. lib. de carne Chr. c. 11. & lib. de resur. carn. c. 17. 3tio. Quòd eam ex traduce per semen fieri senserit, atque simul cum

carne in utero matris ſeminari. Lib. de anima cap. 9. 22. 27. & 36. 4to. Quòd juſtorum animas ante diem judicii in cœlo recipi negaverit, lib. de anima cap. 55. & alibi paſſim. 5to. Quòd millenarium Chriſti in terris regnum poſt reſurrectionem futurum aſſeruerit variis in locis, præſertim in fragmentis libri *de ſpe fidelium*, dicens: *In terra quidem regnum Chriſti nobis repromiſſum ante cœlum poſt primam reſurrectionem* (*l*), *ſed tamen ita ut in eo reficiantur ſancti omnium ſpiritualium bonorum copiâ.* 6to. Quòd baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos eſſe tenuerit, lib. de præſcript. cap. 12. lib. de baptiſmo, cap. 15. & lib. de pudicitia cap. 19. 7mo. Quòd ſecundas nuptias ut ſtupra damnaverit, lib. de reſurrect. carn. cap. 8. & in libris De Exhortatione caſtitatis, De Monogamia, & De Pudicitia. 8vo. Quòd B. V. Mariam ſemel poſt enixum Chriſtum nupturam dixerit, lib. de Monogamia cap. 8. 9no. Quòd fugam in perſecutione ut illicitam arguerit. Lib. toto De fuga in perſecutione.

Reperiuntur plura adhuc Tertulliani errata, ſed hîc ſufficiat notaſſe præcipua, ex quibus ſatis patet, mirum non eſſe, quòd à Gelaſio Papa in Romana 70. Epiſcoporum Synodo illius Opera apocrypha fuerint dicta; unde cautè & cum prudenti judicio legendi ſunt nedum libri illi, quos in hæreſi & contra Eccleſiam edidit, ſed & eos, quos pro Eccleſia ſcripſit, præſertim quos adverſus Praxeam, Hermogenem, De anima, De carne Chriſti, & De pœnitentia ſcripſit, percurrere oportet, utpotè in quibus nonnulla erronea & ſuſpecta inveniuntur. Uno verbo, S. Hieronymi conſilium ſequi nos oportet, ac Tertullianum ſic legere, quo modo Origenem, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos alios Scriptores Græcos pariter, & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apoſtolum dicentem 1. Theſſal. cap. 5. v. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete &c.* Vide Euſeb. in Chron. & lib. 2. Hiſt. S. Hieronym. in Cat. S. Hilar. in Matth. S. Aug. de hæret. Baronium, Bellarm. &c.

De Clemente Alexandrino. 220.

Clemens Alexandrinus, obiiſſe creditur anno Chr. circiter 220. 37

Titus Flavius Clemens, vulgò & meritò dictus Alexandrinus, quia Alexandriæ natus, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, & Alexandriæ Pantæni Philoſophi quondam auditor fuit, ac Pantæni poſt mortem in Eccleſiaſtica Alexandriæ Schola Succeſſor, ibique Origenis Magiſter, & Neophytarum Catechiſtes venerandus & inſignis. Flo-

(*l*) Per primam reſurrectionem hic perperam intelligit Tertullianus eam, quæ fiet in univerſali corporum reſurrectione, cùm tamen certum ſit ex SS. Patribus præſertim Auguſtino lib. 2. de Civ. cap. 7. 8. & 9. primam reſurrectionem eſſe animarum, poſt illius à corpore ſeparationem; ſecundam verò eſſe corporum reſurrectionem, poſt hujus mundi finem & in die judicii extremi.

Floruit sub Severi Imperatoris ejusque filii M. Aurelii Antonini Caracallæ temporibus, secundo cadente Sæculo, & obiisse creditur ineunte tertio, circa annum Chr. 220. postquam Ecclesiam mira sua eruditione illustrasset.

Scripta ejus quæ adhuc supersunt.

Ex variis, quæ scripsit operibus hæc supersunt tantùm: 1mo. Oratio ad Gentes, seu ad infideles & nondum in Christum credentes, in qua illos hortatur, ut abjecto falsorum numinum cultu Christianam Religionem amplectantur. 2do. Pædagogi libri tres, in quibus vitæ moralis disciplinam tradit. 3tio. Stromatum libri octo, sive Commentariorum de varia multiplicique litteratura ad instruendum Christianum Philosophum libri octo. Stromata vocantur, hoc est, stragula ob miram rerum varietatem, quem ibi sternit, exhibet, & exponit; sicut enim stragulæ vestes sunt veluti ex variis centonibus contextæ; sic Clemens Alexandrinus in opere isto nedum varia de divinis litteris sternit & contexit, sed si quid sit apud Græcos scitu dignum affert, sicque varia de Philosophia & de Religione miscens, veram & Christianô dignam tradit scientiam. Hujus operis initium temporum injuriâ deperiit.

De Origene. 254.

Origenes obiisse creditur anno Chr. 254. 38

Origenes vir fuit Ægyptius natione & patriâ Alexandrinus, sancti Leonidis Martyris filius, & in fide ac sacris litteris discipulus Clementis Alexandrini. Ita castitatis amans fuisse dicitur, ut in persecutione Deciana post varia pro Christi fide superata tormenta, tandem maluerit fidem negare, & thus idolis offerre, quàm læsa castitate, impuro Æthiopi misceri, & nefando contaminari crimine. Fuit ingenio sublimis, & eruditione profundus (*m*), ait de illo S. Hieronymus; verùm Philosophiâ deceptus Platonicâ, tot errores ac impia dogmata locutus est, ut illum non *Origenem*, sed hæresum ferè omnium originem vocitent nonnulli, & expressè illum sanè non sensisse de Spiritu sancto dicat S. Basilius, illum inter hæreticos recenseat sanctus Epiphanius, & illi sicut & Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, & Eutycheti, anathema dicat Oecumenica V. Synodus; Quamvis olim defensores suos habuerit. (*n*) Obiisse creditur Tyri an. Chr. 254. ætatis suæ 69. qui juxta Cassiodorum, *ubi bene, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejùs.* Tot Opera scripsit, *ut nemo mortalium plura, ut mihi non solùm perlegi, sed nec inveniri posse videantur,* in-

Qqq 2

(*m*) Adeò patiens laboris fuit, ut ob infatigabilem in scribendo, legendoque patientiam *Adamantius* fuerit cognominatus.

(*n*) Pro eo Apologias ediderunt Eusebius Cæsariensis, & Ruffinus Presbyter, & alii. Nec desunt hac nostra ætate Orthodoxi Scriptores, qui ea, quæ paulò duriùs circa mysterium SS. Trinitatis elocutus est, benignè interpretentur.

inquit Vincentius Lirinensis: edidit enim, Epiphanio teste, sena millia librorum, & ferè in totam S. Scripturam; pauca tamen nec omnia indubitata reperiuntur hodie.

Ipsius Scripta indubitata.

Præcipua ejus Scripta sunt hæc: 1mo. Homiliæ sive Tractatus, vel Commentarii in Scripturam. Ut in Genesim, Homiliæ 17. In Exodum, 13. In Leviticum, 16. In Numeros, 28. In Josue, 26. In librum Judicum, 9. In librum Regum, 1. In Psal. 36. 37. & 38. Homiliæ 9. In Cantica, 9. In Isaiam, 9. In Jeremiam, 14. In Ezechielem, 14. In Job, 4. In Matth. Tractatus 35. In Lucam Homiliæ 39. In Joannem Tractatus 30. In Epistolam ad Romanos, Tractatus 36. 2do. Periarchon, seu de principiis libri 4. quibus præcipua exponuntur Religionis nostræ principia. 3tio. De recta in Deum fide Dialogi tres contra Marcionitas. 4to. Contra Celsum Ethnicum de Epicurea Secta virum libri 8. quibus refellitur calumniosus Celsi in Christianos liber, cui *Veri Sermonis* titulum dederat. 5to. Philocalia sive de amore pulchri liber unus, in quo continentur diversæ S. Scripturæ quæstiones & solutiones earum ex variis ejusdem libris à Gregorio Nazianzeno excerptæ. 6to. De historia Susannæ epitome cum Epistola pro resolvendis propositis circa hujus historiæ veritatem dubiis. 7mo. Tetrapla, Hexapla, & Octapla ab Origene contexta. Tetrapla nihil aliud sunt, quàm quatuor Veteris Testamenti editiones, nimirùm Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, totidem diversis columnis exhibitæ. Hexapla verò sunt sex editiones, nimirùm quatuor prædictæ, & duæ aliæ Hebraicæ iis additæ, una litteris Hebraicis, Græcis altera. Octapla denique sunt sex illæ, & duæ aliæ sine auctoris nomine iisdem superadditæ. (*o*)

Dubia vel supposititia.

Sub nomine Origenis præter memorata Opera præ manibus habemus adhuc, In Job libros tres, & in eundem Commentaria. Sed hæc illius esse negat Bellarminus, quia priorum librorum Auctor Homousianorum facit mentionem (*p*), quod nomen diu post Origenem ab Arianis fuit inventum; necnon S. Luciani velut jam Martyrii laureâ donati meminit (*q*), cùm tamen Lucianus iste Origene sit posterior.

Commentaria in Job pariter non videntur esse Origenis, quia auctor eorum in explanatione c. 3. adfert expositionem S. Luciani Martyris, qui, ut dictum, posterior fuit Origene; necnon in explanatione c. 7. & 8. nominatim refellit Manichæos; certum autem est, Manichæos post Origenem fuisse exortos.

Homiliæ 10. in diversa loca Evangelii sub illius nomine vulgata etiam sunt supposititiæ, 1mo. Quia in Homilia in cap. 1. Joannis fit pariter mentio Manichæorum & Arianorum, quibus ipse fuit anterior. 2do. Quia in

(*o*) Vide Tract. de S. Script. part. 1. c. 7. de variis S. Script. editionibus, pag. 141. (*p*) Lib. 1. (*q*) Lib. 2.

in Homilia 9. inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymo in ult. c. Isaiæ; imò fragmenta alia ex S. Gregorii lib. 15. Moral. cap. 14. qui Origene sunt longè recentiores. 3tio. Quia in Homilia de S. Magdalena stylus est planè latinus, ac proinde non Origenis. (*r*)

Denique ex supra memoratis Tractatibus 35. in Matth. Tractatus 5tus pariter latini auctoris esse videtur, eòquòd hujus auctor adducens illa Isaiæ verba cap. 48. v. 16. *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*, expressè dicat: *In Græco Spiritus sanctus neutrius est generis & non masculini, quemadmodùm apud nos* (Latinos) *& tres casus similes habet, nominativum, accusativum, & vocativum, propterea translatores in latinum sermonem, nominativum pro accusativo casu transtulerunt, & dixerunt:* Et nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus; *cùm sit verius esse in Græco*, Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritum suum. (*s*) Unde patet, quòd, cùm hujusce quinti Tractatus auctor se Latinum & non Græcum esse perhibeat, idem suspicari possimus de cæterorum in Matth. Tractatuum auctore, inquit Bellarminus.

Præcipua Origenis errata.

Præcipua autem Origenis errata hæc perhibentur: 1mo. Quòd Filium in divinis Patre, & Spiritum sanctum Filiô minorem asserere videatur, Periarchon lib. 1. 2do. Quòd Dei Patris potestatem finitam esse docuerit, Periarchon lib. 2. 3tio. Quòd tenuerit animas hominum præexistere sine numero & nomine, seu à principio fuisse mentes, rationes, & virtutes sanctas, sed divina contemplatione satiatas & in deterius conversas, in corpora supplicii causâ fuisse demissas, & animas appellatas, Periarchon lib. 1. 4to. Quòd animam Christi præextitisse, pariter dixerit, unitamque fuisse Deo Verbo, ante Incarnationem & generationem ex B. Virgine. 5to. Quòd senserit primò conformatum fuisse corpus Christi Domini in utero B. Virginis, & ei posteà unitum fuisse Deum Verbum & animam, quæ jam præexistebat. 6tò. Quòd Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ super cœlos sunt, animatas quasdam ac materiales virtutes esse dixerit, Periarchon lib. 1. 7mo. Quòd hominum corpora in resurrectione generali rotunda & orbiculata suscitatum iri somniaverit. 8vo. Quòd Christum in futuro Sæculo pro dæmonibus, quemadmodùm priùs pro hominibus passus fuisset, crucifixum iri. 9no. Denique, Quòd dixerit non æterna, sed ad tempus, esse Dæmonum & impiorum hominum supplicia, eorumque finem aliquando futurum, ipsosque dæmones, ac impios homines ad hoc Sæculum redituros, & in pristinum statum suum & ordinem restituendos, ac rein-

(*r*) Verùm posset responderi, hos Patres hæc fragmenta ex ipsius Homiliis decerpsisse. (*s*) Sed posset dici, quòd Interpres, non auctor, hæc de se loquatur.

tegrandos, & inde ad beatitudinem evocandos fore.

Unde non mirum, quòd pluries & variis in Ecclesiæ Conciliis, ut à Demetrio Alexandriæ Episcopo, dum adhuc ipse Origenes viveret; à Theophylo Alexandrino in Concilio Alexandriæ habito, de cujus damnatione gratulatus est ipsi S. Hieronymus, Ep. 90. & 91. à S. Epiphanio in Cypriorum Episcoporum Concilio; item hæresi 64. à Romana 70. Episcoporum Synodo sub Gelasio habita, in decreto de Apocryphis Scripturis; & denique à Concilio V. Oecumenico collat. 8. can. 2. Ipse Origenes cum suis erroribus & nonnullis, in quibus eosdem aspersit, suis libris (*t*), necnon sequacibus illius damnatus fuerit.

39 S. Cyprianus obiit circa an. 258.

De S. Cypriano. Anno 258.

S. Cyprianus vir fuit natione Afer, patriâ Carthaginensis, genere divitiisque potens, Senatorio clarus ordine, tamque suavis eloquentiæ famâ celebris, ut publicè artem Rethoricam docuerit, fueritque juxta Lactantium ita ingeniò facili, facundô & suavi, ut discerni vix possit, an ornatior in loquendo, vel in explicando facilior, aut in suadendo potentior quisquam fuerit. Ethnicus quidem primò, sed ex Ethnico ad Christi fidem conversus Cæcilii Presbyteri curis, suasionibus, & monitis; undè *Cæcilius* & ipse posteà vocatus, Donati in Baptismo Socius, ex Neophyto, per omnes gradus Presbyter, & è Presbytero Carthaginensis ordinatus Episcopus, totiusque Africæ Primas, peractô cum omni sanctitate in suo Episcopatu decenniô, decima sæviente in Christianos persecutione sub Valeriano & Gallieno ejus filio Imperatoribus, delatus à Gentilibus, jussu Galerii Maximi Africæ Proconsulis gladio percussus Carthaginensium omnium primus martyr occubuit, an Chr. circiter 258.

Varia eaque præclara circumferuntur sub illius nomine Opera, quorum quædam indubitata sunt, alia verò dubia vel supposititia ab eruditis reputantur. Opera ipsius indubitata.

Indubitata sunt 1mo. Epistolarum libri quatuor, seu Epistolæ 85. variis temporibus ad varios scriptæ; quarum hîc præcipuas duntaxat assignamus, è quibus aperta depromuntur pro Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, quæ nostri ævi Sectarii impugnant, argumenta, quæ palam evincunt, eadem dogmata à SS. Ecclesiæ Patribus sæculi tertii, quos audiendos, ut & 4ti. & 5ti. Patres, esse volunt Protestantes (*u*), propugnata fuisse, ac nunc Catholici omnes tueantur. 1mo. igitur, pro firmando

(*t*) Iis scilicet, qui fuêre à S Hieronymo reprobati, prout loquitur citata Romana Synodus sub Gelasio Papa celebrata.

(*u*) Attamen nostri ævi Protestantes à vestigiis suorum antecessorum recedunt, & utriusque hujus 4ti. & 5ti. Sæculorum Ecclesiæ Patres abominari videntur Vid. Bossuet. Hist. variat. Eccles. Protest. lib. 3. num. 59. pag. 134. edit. 6. anno 1718.

mando Romani Pontificis primatu apertè pugnat Epistola ad Cornelium Papam de Fortunato & Felicissimo, quæ est 55ta. 2do. Sanctorum invocationem stabilit Ep. 57. ad eundem Cornelium. 3tio. De celebrandis Sanctorum festis doctrinam confirmat Ep. 34. ad Clerum & plebem de Celerino Lectore ordinato, & 37. ad eumdem Clerum. 4to. Morem Ecclesiæ pro defunctis orandi significat Ep. 66. ad Clerum & plebem Furnitanam. 5to. Catholicam de purgatorio doctrinam declarat, Ep. 52. ad Antonianum de Cornelio & Novatiano. 6to. Pro confessione Sacramentali facit Ep. eadem ad eundem. 7mo. Eucharistiæ Sacrificium agnoscit Ep. 63. ad Cæcilium de Sacramento Dominici calicis. 8vo. Pro stabiliendo parvulorum Baptismo adest Ep. 59. ad Fidum de infantibus baptizandis. 9no. Pro antiqua circa lapsos disciplina firmanda habetur Ep. 10. 11. & 12. quarum prima est ad Clerum de Presbyteris, qui temerè pacem lapsis dederunt &c. (*x*) Altera, quæ est ad Martyres; altera, quæ est ad Martyres & Confessores, qui lapsis pacem dari petierant; & tertia, quæ est ad plebem de rescripto Martyrum, & iis, qui pacem petebant.

2do. De Disciplina & habitu virginum liber. (*y*) 3tio. De lapsis, id est, iis, qui tempore persecutionis idolis sacrificaverant mortis & tormentorum metu. 4to. De unitate Ecclesiæ liber, in quo Petri & Ecclesiæ Romanæ primatum & supremam auctoritatem stabilit. 5to. De Oratiòne Dominica liber, ex quo colligitur, fideles olim ad orationem stetisse, nempe in orationibus publicis, unde *stationes* dictæ. 6to. Liber ad Demetrianum Africæ Proconsulem, in quo ostendit calamitates quæ tunc Africam vexabant non Catholicis eorumque Religioni esse imputandas, sed Ethnicis, quòd Deum non colerent, & insuper Christianos injustis persecutionibus vexarent. 7mo. De idolorum vanitate liber. 8vo. De mortalitate liber. 9o. De opere & eleëmosynis liber, in quo eleëmosynæ merita prosequitur. 10mo. De bono patientiæ liber. 11mo. De zelo & livore. 12do. De exhortatione Martyrii ad Fortunatum liber. 13tio. Testimoniorum libri tres ad Quirinum, in quibus à Scripturis testimonia colligit tùm adversùs Judæos, tùm ad vitæ institutionem. 14to. Concilium Carthaginense de baptizandis hæreticis, in quo hæc opinio stabilitur, quæ posteà ab Ecclesia damnata fuit.

Dubia vel supposititia.

Dubia vel supposititia S. Cypriani Opera triplicis sunt generis; alia enim sunt talia, ut stylus & Scripturæ citatæ convincant esse ipsius; alia, quorum stylus licèt relinquat dubium, tamen in illis multa sunt, quæ

(*x*) Necdum sedata scilicet persecutione & citra conscientiam Episcoporum. (*y*) In eo rogat virgines ut memores illius esse velint, *cùm* inquit, *incipiet in vobis virginitas honorari.* Quod pro invocatione Sanctorum facit.

quæ vel Cypriani esse suadent, vel auctoris Cypriano coævi; alia denique sunt, quæ certis quibusdam argumentis deprehenduntur non Cypriani, sed aliorum auctorum esse.

Primi generis sunt 1mo. Liber de Spectaculis vitandis. 2do. De Disciplina & bono pudicitiæ. 3tio. De laude Martyrii ad Moysen & Maximum cæterosque Confessores, in quo eos rogat, ut sui memores sint postquam Martyrium subierint; quod pro Sanctorum invocatione facit. 4to. De spe veniæ lapsis non negandæ ad Novatianum hæreticum liber.

Secundi generis sunt 1mo. De Cardinalibus seu primariis Christi operibus ad Cornelium liber. Sed stylus illius humilior videtur, quàm solet esse Cypriani stylus; & in eo docet auctor, diabolum cecidisse de cœlo ante creationem hominis; at Cyprianus contrarium docet in Tractatu seu libro de zelo & livore. 2do. De aleatoribus liber, in quo vehementer invehitur in aleæ ludum. 3tio. De montibus Sina & Sion adversùs Judæos liber. 4to. De Genesi carmen, in quo quatuor prima Geneseos capita eleganti & heroico carmine redduntur. Opus istud Tertulliano tribuit Sixtus Senensis. 5to. Carmen de Sodoma. 6to. Carmen ad Senatorem è Christiana Religione ad idola conversum. 7mo. Oratio pro Martyribus quam dixit sub die passionis suæ.

Tertii generis sunt 1mo. De singularitate Clericorum liber. Origenis esse librum hunc contendunt S. Antoninus, & Vincentius Bellovacensis in Summa Hist. Sed stylus latinum auctorem sonat; non tamen Cypriani esse videtur Bellarmino ob nonnulla verba parum latina, quæ nusquam apud Cyprianum inveniuntur, ut sunt v. g. hæc, *inordinaliter*, *contubernalitas &c.* 2do. Expositio Symboli Apostolorum. Ruffini Aquilejensis Presbyteri est, ut stylus prodit, & testatur Gennadius in Catal. 3tio. De Judaica incredulitate ad Vigilium liber. Est latina versio dialogi græci inter Jasonem Christianum & Papiscum Judæum Vigilio Episcopo dicata. Opus hoc antiquissimum est, quippe cujus meminit Origenes lib. 4. contra Celsum. Hujus versionis auctor est Celsus, ut habetur ex his verbis in fine libri positis: *In mentem jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.* 4to. Adversùs Judæos, qui insecuti sunt Christum liber, cujus auctor non est Cyprianus, ut colligitur ex stylo, antiquus tamen auctor, ut qui Scripturas juxta Septuaginta citet. 5to. De revelatione capitis S. Joannis Baptistæ liber, qui tam ossium S. Joannis Baptistæ è Sebaste Alexandriam translationem, quàm capitis ejusdem revelationem & translationem in Gallias sub Pipino Francorum Rege, qui primùm Sæculô octavô rebus Galliæ præfuit, describit, unde Cypriani non est. 6to. De duplici martyrio ad Fortunatum liber, in quo tùm Diocletiani Imperatoris, tùm belli Cæsarei contra Turcas fit mentio; unde illius non est. 7mo. De duodecim abusionibus Sæculi liber,

hoc

hoc est liber, in quo per duodecim capita explicat duodecim abusus & vitandos monet. Cypriani non est, quia passim Scripturas citat ex versione S. Hieronymi Cyprianô longè posterioris. 8vo. De Cœna libellus; nec Cypriani est, nec Cyprianô dignus, cùm ineptas & ridiculas contineat fabellas; videtur auctor, quisquis sit, in compendium redigere voluisse historica gesta utriusque Testamenti sub schemate cœnæ cujusdam, sed ita ineptè consilium suum exequitur, ut ridicula & fabulosa multa immiscuerit.

40 S. Dionysius Alexandrinus, martyr obiit an. 259. vel, ut aliis placet, annò 265.

De S. Dionysio Alexandrino. Anno 259.

S. Dionysius Alexandriæ urbis, post Heraclam, Episcopus, qui sub Heracla prædecessore suo scholam Catecheseon Alexandriæ Presbyter tenuit, fuitque Origenis discipulus & auditor insignis, & S. Cypriani coævus illustris, ejusque & Africanæ Synodi, circa sententiam de rebaptizandis hæreticis, sectator celebris; sæviente persecutione decima sub Valeriano & Gallieno martyrium passus est an. Chr. 259. vel ut alii volunt an. 265.

Ejus Scripta.

Plures fertur scripsisse Epistolas; Commentarium in Ecclesiasten; In primam ad Corinthios; In Apocalypsim; & plura alia apud Eusebium & Hieronymum notata. Sed inter hæc omnia, quæ scripsit, sunt præsertim Epistolæ, quarum 1ma. est ad Xystum Papam Stephani successorem de rebaptizandis hæreticis. 2da. Ad Dionysium Romanum Xysti in Romana Sede successorem, & de eodem argumento. 3tia. Ad Paulum Samosatenum, insignis Epistola paulò ante mortem scripta, additis responsionibus ad decem ejus quæstiones. 4ta. Ad Fabium, sive, ut legunt alii, ad Flavianum Antiochenæ urbis Episcopum; in qua dicit, nemini prorsus, in extremis posito, denegandam esse sacrorum mysteriorum communionem. 5ta. Ad Dionysium Romanum Pontificem Apologetica. Accusatus enim Dionysius iste Alexandrinus à Pentapolitanis apud Dionysium Pontificem Romanum, quòd scribens contra Sabellium, Filium Dei creaturam, & non ejusdem cum Patre essentiæ esse, dixisse videtur; Epistolam scripsit Apologeticam ad ipsum Dionysium Romanum, in qua se ab illa purgabat erroris labe. En supremæ in universam Ecclesiam Romani Pontificis in rebus fidei decernendis auctoritatis apertum monumentum.

De S. Gregorio Thaumaturgo. An. Chr. 265. 41

S. Gregorius Thaumaturgus. Obiit an. Chr. 265.

S. Gregorius Neocæsareæ in Ponto Episcopus, Ethnicis parentibus ortus, anteà Theodorus dictus; adhuc adolescens Græcarum Latinarumque litterarum amore captus è Cappadocia Berytum, & Berytô cum Athenodoro fratre Cæsaream Palestinæ transiit, ubi egregiæ indolis adolescentes ambo, sub Origenis disciplina, quinquenniô conversati, & simul cum Phi-

Philosophia Christi fidem paulatim edocti, in patriam ad matrem rediêre. In patriam reversus, & paulò post Episcopus, licèt reluctans & fugiens, à Phœdimo Amascensium Antistite creatus, tot & tantorum signorum, ac miraculorum ostensione claruit, ut ubique à Græcis Θαυματȣ̃ργος, id est, *Mirabilium effector* vocatus fuerit. Obiit meritis ac innumeris penè miraculis clarus, die 17. Novembris an. Chr. 265.

Scripta seu Opera ejus genuina & indubitata. Sub ejus nomine nobis supersunt varia Opera, nec tamen omnia indubitata. Genuina sunt 1mo. Expositio fidei de SS. Trinitate à S. Joanne Evangelista, mediante Dei genitrice Maria Virgine, per revelationem ipsi Gregorio Neocæsariensi tradita, & ab ipso Scripto mandata & promulgata. 2do. Oratio panegyrica & Eucharistica, sive gratiarum actionis ad Origenem Magistrum suum. 3tio. Metaphrasis sive translatio in Ecclesiasten, duodecim capitibus expressa. 4to. Sermones tres elegantes & docti in Annuntiationem B. Virginis Mariæ Deiparæ. 5to. Sermo de sancta Theophania, sive de apparatione Dei in baptismo Christi. 6to. Epistola *canonica* à Græcis dicta, undecim canonibus congruam decernens pœnitentiam pro delictis in Gothorum Barbarorum in Asiæ Provincias & Ponticam ipsam incursione patratis.

Dubia. Dubia ipsius Scripta sunt, 1mo. Expositio fidei ad Elianum, quam invenit & vulgavit Gerardus Vossius, & quam putavit esse illam, quam ad Elianum scripsit Gregorius Neocæsariensis, sed perperam, in hac enim dicit, Patrem & Filium esse unum hypostasi, id est, prout intelligit ipse, substantiâ sive essentiâ, & sola animi cogitatione distingui, id est quoad substantiam sive essentiam. At expositio à Vossio vulgata Sabellium nominatim refellit, cùm tamen ob eam, quam primùm citavimus, fidei expositionem, in qua videlicet Gregorius iste asserebat Patrem & Filium hypostasi esse unum & sola animi cogitatione distingui, suspicio orta fuisset, ab ipso foveri Sabellii hæresim. Neque expositio à Vossio sub nomine ejusdem Gregorii vulgata ullibi dicit Patrem & Filium esse hypostasi unum, &c. Præthereà videtur scripta contra Arianos, ut ex ejus initio colligitur, ac proinde longè post Gregorium Neocæs. ante Arianam hæresim vitâ functum; sic autem incipit: *Inimicissimi & alieni à confessione Apostolica sunt, qui dicunt esse Filium ex non extantibus, & ex principio emittente, externum & foris adscitum Patri, &c.*

2do. Duodecim fidei capita, quibus ostenditur, quid sit de Incarnatione Dei Filii credendum. Hæc capitula videntur esse appendix prioris ad Elianum fidei expositionis, unde nec dici possunt esse Gregorii Neocæs. præsertim, cùm ad Nestorii & Eutychetis errores refellendos videantur posita, constat autem hos hæresiarchas longè post Gregorii nostri obitum exortos fuisse.

3tio.

3tio. Disputatio de anima ad Tatianum, non testimoniis ex S. Scriptura desumptis, sed Philosophicis argumentis procedens. Dubitant aliqui num illius sit, eò quòd philosophicum nimis, & non priorum Sæculorum Ecclesiæ sapiat stylum: verùm hæc ratio non evincit Opus istud illius non esse: de ea tamen remanet dubium propter priscorum de illa sub nomine Gregorii hujus silentium. Vide Basil. lib. de Spiritu S. cap. 29. Greg. Nyss. in Orat. de vita Greg. Thaumat. Euseb. l. 7. Hist. cap. 25. Hieron. lib. de Script. Eccl. Gerardum Vossium in Notis ad Greg. Thaumat. Opera. Bellarm. de Script. Eccl.

42 S. Dionysius Romanus Martyr obiit annô Chr. 272.

De S. Dionysio Romano. Anno 272.

S. Dionysius natione Græcus & Eremicola, necnon ex Eremita Presbyter Ecclesiæ Romanæ, ac tandem post S. Xystum Summus Pontifex Romanus electus an. Chr. 260. vel 261. ut placet aliis, undè Romanus vulgò dictus, insignem, inter alia, scripsit Epistolam contra Sabellianos, sed cujus nihil superest præter fragmentum apud S. Athanasium. Sub eo celebratum est Antiochenum illud Concilium, in quo ob suam hæresim damnatus est Paulus Samosatenus. S. Dionysius tandem sæviente Aureliani Imperatoris persecutione Martyr occubuit annô Pontificat s sui undecimô, Chr. 272. Vid. Athanas. contra Arianos, Anastas. de Rom. Pont. Baron. in Annalibus.

Scripsit Epistolam unam contra Sabellianos.

SÆCULO IV.

De Eusebio Cæsariensi. An. 340.

Eusebius Cæsariensis. Obiit an. Chr. circiter 340. 43

Eusebius Cæsariensis Palæstinus natione, imperante Gallieno natus an. Chr. circiter 264. Cæsariensis Ecclesiæ Presbyter ordinatus est ab Agapio Cæsareæ in Palestina Præsule, & deindè post Agapium electus & ipse Cæsariensis Episcopus sub Constantino Imperatore, an. Chr. circiter 313. Undè Cæsariensis vulgò nuncupatus, sicut & *Eusebius Pamphili* pariter cognominatus, ob initum strictæ amicitiæ fœdus cum Pamphilo Cæsariensis Ecclesiæ Presbytero, & posteà Diocletiani persecutione sæviente Christi Martyre sanctissimo.

Fuit Eusebius vir summi ingenii, & profundæ eruditionis, sed Arianæ sectæ fautor ac defensor, imò, si Hieronymo (z) fides, Arianorum signifer ac princeps. Obiit paulò post Constantinum Imperatorem (a), sub cujus Imperio floruit, an. Chr. circiter 340. Scripta relinquens varia volumina, qualia sunt

Ejus Scripta.

1mo. De præparatione Evangelica libri 15. quibus Infideles & Paganos ad Evangelicam Christi legem audiendam & sequendam disponit ac præparat. Ex iis nonnisi 14. supersunt. 2do. De Demonstratione Evangelica

Rrr 2 libri

(z) In libris contra Ruffinum. (a) Obiit Constantinus Impateror 22. Maji an Chr. 334.

libri 20. quibus demonstrat Christianam legem solam ut veram ab omnibus tùm Judæis, tùm Paganis esse sequendam. Ex iis nonnisi 10. supersunt. 3tio. De Historia Ecclesiastica libri 10. in quibus omnium primus Historiam descripsit Ecclesiasticam, incipiens ab ipso Christi in mundum adventu, & desinens ad annum Constantini 20. Christi verò 325. Hæc Historia omnium calculô eruditorum, est opus egregium & inter omnia Eusebii Opera præstantissimum. 4to. De vita Constantini libri 4. 5to. Adversus hæresim Hieroclis Ethnici, seu duos illius contra Christi fidem libros *Philalethes* inscriptos. 6to. Adversus Marcellum Ancyranum Episcopum, cum Sabellio inter alia asserentem Verbum non esse personam subsistentem & à Patre distinctam, libri 5. 7mo. Chronicon, in quo Historiæ universalis omnium temporum omniumque Nationum ab orbe condito ad sua usque tempora, describit compendium.

Alia ejus Opera vel dubia, vel deperdita. Plura Eusebii opuscula alia circumferuntur, ut libellus de Locis Hebraicis in latinum translatus à S. Hieronymo. Decem Canones de consonantia quatuor Evangelistarum. Expositio in Cantica. Et opuscula 14. à P. Sirmundo sub Eusebii nomine latinè donata & vulgata an. 1643. Sed hæc & alia vel dubia sunt, vel non ampliùs extant, &c.

44 S. Athanasius obiit annô Chr. 371.

De S. Athanasio. An. 371.

S. Athanasius Alexandriæ in Ægypto piis & claris parentibus ortus, ab Alexandro Alexandriæ Episcopô primùm ordinatus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, eoque gradu in Nicæno Concilio Alexandri Episcopi sui comes individuus, & post ipsum tandem communi Cleri populique voce quartus à Petro Martyre Alexandrinus Episcopus, Arianorum hostis intrepidus, fidei Catholicæ defensor acerrimus, & Orientalis Ecclesiæ Doctor celebertimus, famâ, re, & vulgari cognomine Magnus, qui post varia certamina pro fide contra Arianos inita, post eorum fraudes, insidias, accusationes, calumnias, opprobria, persecutiones, post varia & magna exilia, exactis in Episcopatu 46. annis, meritis clarus & miraculis migravit ad Dominum Alexandriæ sub Valente Imperatore die 2. Maji annô Christi 371. relictis variis insignibus Scriptis, quæ ferè omnia adversùs Arianos, vel ipsorum occasione edita fuère.

Ejus Scripta. Hæc autem sunt: 1mo. Oratio contra Gentes, in qua vanitatem idolorum ostendit. 2do. Oratio de Incarnatione Verbi, ejusque ad nos corporali adventu; adversùs Gentiles. 3tio. Orationes quatuor contra Arianos. In quarum quarta explicat illud Christi, *Ego in Patre, & Pater in me est*, quo abutebantur Ariani ad suam de Filio Dei confirmandam hæresim. 4to. Oratio sive Tractatus in hæc Domini verba: *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, contra Eusebium cæterosque ejus gregales Arianos eisdem impiè abutentes. 5to. Oratio de æterna substantia Filii & Spiritûs sancti cum Deo,

Deo, contra Sabellianos. 6to. Oratio, qua unum esse Christum ostendit contra eos, qui duas in Christo hypostases sive personas esse volebant, unam scilicet, quæ esset carnis, sive hominis assumpti, alteram, quæ esset Verbi assumentis, adeoque humanam unam, alteram divinam; quem errorem posteà Nestorius Constantinopolitanus Episcopus tuitus est. 7mo. Ad Serapionem Thmueos Ægypti Episcopum Epistola, contra eos, qui Filium Dei Christum Dominum creaturam esse dicunt. 8vo. Ad Serapionem eundem Epistola altera, contra eos, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt. 9no. Ad Jovinianum (*b*) Imperatorem Juliani Apostatæ successorem de fide Epistola, in qua ei fidem Nicænam præcisè exponit. 10mo. De Synodi Nicænæ decretis contra Eusebium Epistola. 11mo. De sententia Dionysii Alexandrini Episcopi adversùs Arianos Epistola. 12mo. Ad Antiochenses Epistola, hoc est, ad Antiochenæ Provinciæ vel Antiochiæ congregatos Episcopos tam suo quàm plurium aliorum ejus Coëpiscoporum, qui ex Italia, Arabia, Ægypto & Lybia Alexandriæ cum illo tunc aderant, nomine scripta, in qua eos monet, ut ab Ariana hæresi resilientes benignè ut patres & magistri recipiant &c. 13tio. Ad Epictetum Corinthiorum Episcopum Epistola contra hæreticos, in qua eum redarguit, quod in suis Commentariis dixisset, corpus ex Maria genitum esse cum Verbi divinitate consubstantiale, quod ut impium & in Ecclesia inauditum fusè refellit. 14to. Ad Adelphium Onupheos Episcopum & Confessorem Epistola contra Arianos. 15to. Ad Solitarios Epistola, cujus pars posterior videtur esse fragmentum alterius operis cujusdam Auctoris incerti, ut quæ cum priori nullatenus cohæreat. 16to. De Synodis Arimini & Seleuciæ Epistola, in qua earundem gesta enarrat. 17mo. Ad Africanos Episcopos Epistola pro Nicæno Concilio contra Arianos. 18vo. Ad omnes ubique Orthodoxos Epistola, in qua describens ea, quæ per Arianos patiuntur Orthodoxi, hortatur eos ad commiserationem & zelum pro Ecclesiasticis Canonibus & Ecclesiæ fide. 19no. Ad Dracontium Episcopatum fugientem Epistola, qua illum hortatur, ne Episcopatum, ad quem electus erat, fugeret. 20mo. Ad Constantium Imperatorem Epistola, qua se purgat à falsis Arianorum accusationibus & calumniis. 21mo. De fuga sua Apologia. 22do. Contra Arianos Apologia secunda. 23tio. Vita S. Antonii

Denique 24to. Symbolum, quod incipit, *Quicunque vult salvus esse &c.* 45

Symbolum istud sancti Athanasii non esse, variis conjecturis fulti contendunt eruditi non pauci. Sed tamen communis est aliorum sententia, illud verè esse S. Athanasii, 1mo. Quia id suadet antiqua traditio Ecclesiæ, quæ illud, non sine

Rrr 3 vete-

(*b*) Seu Jovianum.

veterum Patrum sanè testimonio, in divinis officiis recitandum proponit. 2do. Quia illud velut genuinum S. Athanasii Scriptum agnoscunt & sæpe citant SS. Patres: Gregorius Nazianzenus, in oratione de laudibus S. Athanasii. S. Augustinus, tract. in Psal. 120. lib. 5. de Trinit. cap. 8. Serm. 195. & in Enchiridio cap. 36. & S. Thomas 1. q. 10. a. 2. in argum. Ibid. q. 29. a. 3. & iterum q. 36. a. 2. Denique ibid. q. 42. a. 1. 3tio. Quia sub nomine S. Athanasii citatur à Synodo Augustodunensi sub Leodegario Episcopo & Adeodato Romano Pontifice habita an. Chr. 670. 4to. Quia Symbolum istud Athanasio tribuuntSummi Pontifices, & præsertim Gregorius IX. per suos Legatos ad Græcos, pro Græcorum cum Latinis unione missos, annô Chr. 1233. & Eugenius IV. an. Chr. 1439. in decreto de Armenorum unione; quibus Symbolum istud sub nomine S. Athanasii commendat, quod & idem longè priùs in sua Ecclesia commendaverat Hincmarus Episcopus Rhemensis circa an. 852.

Neque obest 1mo. Quòd Symbolum istud à S. Leone Magno,Chalcedonensisque Concilii an. Chr. 451. celebrati Patribus citatum haud fuerit ad refellendam Eutychianorum hæresim de unica in Christo natura. Enimverò potuit tunc temporis Symbolum istud Leoni & Chalcedonensibus Patribus esse ignotum, sicuti S. Augustino jam Episcopo Nicæni Canones,quamvis à centum & pluribus annis editi & promulgati, nondum noti fuerunt, ut ipsemet testatur Ep. 110. eo magis quòd Symbolum istud privatim à S. Athanasio scriptum fuisset. Præterea ex hoc negativo argumento sequeretur Epistolam ipsius ad Epictetum supra num. 13. memoratam non illius esse, quia nec à Leone, nec à Concilio Chalcedonensi citata fuit, etsi in ea non minùs, quàm in Symbolo isto Eutychiana hæresis rejiciatur. Genuinam tamen eam esse nemo eruditorum diffitetur.

Non obstat 2do. Quod in eo Symbolo refutentur hæreses tempore S. Athanasii nondum exortæ. Non enim illud scripsit Athanasius, ut jam suo tempore exortas hæreses refelleret, sed ut fidem Catholicam ad præcavendas futuras exponeret, & manifestaret, undè non hæresum refutatio, sed fidei manifestatio vocatur Symbolum istud à S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 10. ad 5. Et verò pariter ex Scriptis SS. Patrum variæ refelluntur hæreses, quæ illorum tempore nondum erant ortæ. Sequeretur denique Orationem illius supra num. 6. a nobis commemoratam, in qua tùm Nestoriana tùm Eutychiana hæreses apertè & expressè damnantur, non esse S. Athanasii contra mentem omnium eruditorum.

Non obest 3tio. Quòd nullus Auctor Athanasio coævus, aut coævis vicinus usquam hujus Symboli meminerit, sanctusque Hieronymus in cat. Script. Eccl. ex professo recensens Opera S. Athanasii, de hoc Symbolo altum sileat. Id inquam minimè obest sententiæ nostræ: quia, licèt nullus pariter Apostolis coæ-

coævus aut coævis vicinus meminerit Symboli Apostolorum, aut dixerit illud ab Apostolis editum fuisse, non sequitur, Symbolum illud verè Apostolorum non esse. S. Hieronymus loc. cit. non omnia recenset S. Athanasii Opera, sed pleraque duntaxat, quibus recensitis sic concludit, *Et multa alia, quæ enumerare longum est.* Falsum prætereà est, nullum coævum, aut saltem coævis S. Athanasio vicinum hujus Symboli sub ipsius nomine fecisse mentionem, fecerunt enim suprà laudati SS. Gregorius Nazian. & Augustinus.

46 S. Hilarius Pictaviensis. Obiit an. Chr. 369.

De S. Hilario Pictaviensi. Anno 369.

S. Hilarius, natione Gallus, nobilibus parentibus Pictavis in Aquitania oriundus, & Pictavii patriæ suæ tandem Episcopus, Athanasii coævus, qui ætate licèt provecta, ad Christum conversus, brevi magnus, & insignis Ecclesiæ Doctor evasit Pro fide Catholica è Synodo Biterrensi factione Saturnini Arelatensis Episcopi & Arianæ sectæ viri an. Chr. 356. in Phrygiam exul relegatus, tandemque ab exilio, & è multiplici alio cum hæreticis prælio, in Galliam reversus, Pictavii feliciter obiit, ibid. Jan. an. Chr. 369. relictis doctis & egregiis Scriptis.

Scripta ipsius.

Præcipua igitur ejus Opera sunt hæc. 1mo. Libri 12. de Trinitate contra Arianos. Eos an. Chr. 356. inchoasse dicitur. 2do. Liber de Synodis, seu de fide Orientalium, in quo Arianorum fidei formulas diversis temporibus Synodisque variis editas post Nicænam Synodum recenset, ut Antiochenæ Synodi formulam an. 341. illam quæ in Pseudo-Sardicensi, an. 347. & illam quæ in Sirmiensi an. 357. editæ fuerunt. 3tio. Epistola ad Abram filiam, in qua eam, ad ineundas cum cœlesti sponso nuptias, hortatur. 4to. Ad Constantium libri duo: In primo eidem commendat fidei libertatem, & deprecatur, ne Catholicos tormentis cruciet: In secundo petit Regis audientiam, ut de fide coram Synodo & Saturnino exilii sui auctore disputet, fidem ex Scripturis ostensurum se promittens. 5to. Liber contra Constantium, in quo persecutionem describit à Constantio motam ab Arelatensi usque ad Ariminense Concilium. Gesta attingit Synodi Seleuciensis in Isauria an. 359. celebratæ, ejusque fidem confutat. 6to. Liber contra Auxentium, quo Catholicos monet de suis gestis Mediolani cum Auxentio. Est Epistola ad Catholicos contra Arianos, nominatim contra Auxentium.

De S. Ephremo. An. Chr. 378.

S. Ephremus seu Ephrem. Obiit annô Chr. circiter 378. 47

S. Ephremus vulgò Ephrem, nec Græcus, nec Latinus, sed Syrus Ecclesiæ Pater & Scriptor venerandus, Nisibi, juxta Sozomenum lib. 3. hist. & Edessæ in Syria sub Constantino Magno Christianis parentibus ortus, si fides antiquo Græcorum Menologio; vir fuit Eremi cultor insignis, & Edessenæ Ecclesiæ Diaconus mirabilis, à Basilio Magno,

gno, prout testatur S. Amphilochius, sed sanctæ humilitatis zelo, ad sacra celebranda mysteria accedere nec semel ausus, dignus licèt apud Deum & homines si quis alius; cœlestem enim in terris degebat vitam & morum sanctitate purissimam, necnon eruditionis famâ clarissimam. Obiit meritis plenus 1. Feb. an. Chr. 378.

Ejus Scripta.

Scripsit in Syria & Syro sermone de variis argumentis varia opuscula, quæ è Syro in Græcum, & è Græco in Latinum variis editionibus fuêre vulgata; ut 1mo. Tractatus in hæc Apostoli verba 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est nubere quàm uri*, ubi expressè docet, hanc Apostoli sententiam ad solos sæculares & liberos, non autem ad Religiosos, & castitatis votô ligatos pertinere: contrà quàm tamen sentiant nostri ævi Acatholici. 2do. Tractatus de natura DEI, in quo realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia asserit his verbis: *Esto fidelis, atque innocens participa immaculatum Corpus & Sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quòd agnum ipsum integrè comedes* ... & infra, *ignem & spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis, Corpus scilicet & Sanguinem suum, &c.* 3tio. Parenæses sive exhortationes ad Monachos variæ. 4to. Nonnulli sermones Ascetici. 5to. Encomia quædam in Sanctos, ut in Basilium Magnum, in Sanctos quadraginta Martyres, in SS. Martyres omnes. 6to. Varii alii sermones de variis virtutibus aut vitiis.

Religiosis & voto castitatis adstrictis non licet nubere.

Realis Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia.

7mo. ac ultimo Testamentum ejus mirabile, quo cunctis varia ac sanctæ vitæ morumque documenta legavit, hoc est, mirabilis & ultima illius oratio, quam seniô plenus, & futuræ suæ mortis præscius edidit, & orbi Christiano pro Testamento reliquit. In hoc Testamento inter alia pro mortuis esse orandum, necnon ipsis prodesse vivorum suffragia agnoscit his verbis: *Ex nunc volo, fratres, commonefacere & rogare vos, ut post meum exitum & transitum assiduè memoriam mei in vestris precibus faciatis &c.* Et infrà, *Comitamini me in Psalmis atque orationibus vestris, & assiduè pro mea parvitate sacrificia & oblationes facere dignemini; & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis; mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficiô afficiuntur, &c.* Prætereà contra hæreticos Christi divinitatem in eodem testamento suo pluribus asserit.

Vivorum orationes, suffragia, sacrificia & oblationes pro mortuis factæ ipsis prosunt.

Asserta Christi divinitas.

De S. Basilio Magno. An. 378. 41

S. Basilius Magnus obiit an. Chr. 378. vel 379.

S. Basilius Magnus insignis Ecclesiæ Pater, natione Græcus, & regione Ponticus, parentibus antiqua nobilitate claris, Basilio scilicet patre, & Emmelia matre genitus annô circiter Chr. 328. frater SS Gregorii Nysseni & Petri Sebastæ Præsulum, aliorumque duorum monasticæ vitæ professorum, quorum uni natu maximo *Naucratii* nomen erat, necnon S. Macrinæ Virginis & Monasterii Virginum præpositæ clarissimæ;

fuit

fuit S. Gregorii Nazianzeni Athenis & in Eremo socius individuus, & amicus, necnon Græcorum Monachorum in Oriente parens sanctissimus; non quidem ut Ordinis Institutor, sed ut moderator & rector, tùm quia Cœnobitis jam in Oriente degentibus vitæ Monasticæ regulas præscripsit, tùm quia simul cum illis in Ponticæ regionis Eremo convixit per aliquot annos, per quinquennium, nempe, ut volunt aliqui, hoc est ab anno 357. usque ad an. 362. quo post Eusebii decessum Cæsareæ Cappadocum ordinatus Episcopus fuit; non immeritò *Magnus* dictus, imò *Maximi* nomine dignus; quem viri laudarunt permulti, ut S. Ephrem, S. Amphilochius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, & alii quique. Ab Imperatoribus, ab Hæreticis, ab aliis, à se ipso multa perpessus, suoque in corpore continuis ferè morbis, dirisque doloribus afflictus, tandem post varios labores, & post libros editos pro Ecclesia tam pro firmanda fidei veritate contra Eunomianos, Sabellianos, & Arianos, quàm pro componenda Clericorum, Monachorum, Virginum, Laicorumque vita, & morum disciplina, è terris in cœlum migravit 1. Jan. an. Chr. 378. vel 379.

Opera ejus Scripta ejus hæc sunt. 1mo. Homiliæ. 11. in Hexameron, seu historia de opificio sex dierum; et Homiliæ 17. in nonnullos Psalmos. 2do. Adversus Eunomium libri 5. in quibus impias refellens hujus hæretici blasphemias, Filium in divinis Patri æqualem esse & consubstantialem probat. 3tio. Contra Sabellianos, Arianos, & Anomæos liber unus, sive Oratio una vel Homilia, qua mirum in modum confutat horum hæreticorum blasphemias, & contra eos Deum unum in natura & Trinum in personis ex Scriptura probat. 4to. Adversùs eos, qui calumniantur nos, quòd tres Deos colamus Oratio seu Homilia, quà illos increpat & calumniam refellit. 5to. De Baptismo libri duo. 6to. De Spiritu sancto, in quo fusè 30. capitibus differit, & varias de Spiritu sancto quæstiones resolvit; ubi & incidenter c. 27. mira de traditione profert dicens inter alia: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptò prodita, quædam rursùs ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus, quarum utraque parem vim habet ad pietatem &c.* 7mo. Ascetica Opera: ad quæ reducuntur regulæ fusiùs disputatæ, & regulæ breviores seu compendiosè disputatæ: seu interrogationes, sive quæstiones de variis argumentis ad vitæ Monasticæ perfectionem spectantibus per Monachos Orientales Basilio propositæ & ipsius responsionibus solutæ in duobus libris, quorum primus 55. alter 315. continet, comprehensæ. 8vo. Ethica seu moralia ejusdem Opera, ad quæ pertinet liber Moralium 8. regulas complectens ex Novo Testamento contextas, in quibus morum do- **Traditiones sacræ assertæ.**

ctrina exponitur. Iis velut Proœmium præmiſit Librum de judicio. Ad iſta etiam, præter plura alia moralia opuſcula, reducitur admonitio ad filium ſpiritualem, &c. 9no. Ad Amphilochium Epiſtolæ Canonicæ tres in 85. Capitula ſive Canones, unde Canonicæ dictæ, digeſtæ de variis articulis Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus. 10mo. Epiſtolæ ad varios multæ, videlicet 212. 11mo. Liturgia, ſeu ſacra incruenti Chriſti ſacrificii celebrandi formula, quæ licèt inter S. Baſilii alia Opera non inveniatur, memoratur tamen à S. Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano in Tractatu de traditione divinæ Liturgiæ, qui eſt Tom. 6. Bibl. PP. editionis Lugdunenſis, an. Chr. 1677.

Opus dubium vel ſuppoſititium.

Præter hæc memorata Opera, ſub ejus nomine circumfertur Liber de vera Virginitate ad Letojum Mitilenſem Epiſcopum, in quo non tam Virginitas laudatur, quàm, quid ſit vera Virginitas oſtenditur. Suppoſititium à nonnullis creditur, tùm quia multa continet, quæ S. Baſilii modeſtiæ ac pudori non ſatis conveniunt; tùm quia inſcribitur *Baſilii Epiſcopi ad Letojum Mitilenſem Epiſcopum:* at, ut ajunt, deceſſerat Letojus, antequam Baſilius inauguratus eſſet Epiſcopus, & Ottejus Letoji Succeſſor Mitilenſem Eccleſiam regebat, dum Cæſareenſem, ut Epiſcopus regebat Baſilius. Sed fortè ad hunc Ottejum ſcriptus fuit hic liber.

De S. Optato. An. Chr. 380. 49

S. Optatus Milevitanus. Obiit an. circiter Chr. 380.

S. Optatus natione Afer è Milevi, unde Milevitanus, in Numidia Africæ regione Præſul, quem S. Auguſtinus laudat ut inſignem Eccleſiæ Præſulem & orthodoxæ fidei defenſorem egregium. Creditur obiiſſe an. Chr. circiter 380. Ejus natalem diem ponit 4to. Junii Martyrologium Romanum.

Ejus Scripta.

Scripſit libros ſeptem de Schiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum Donatiſtarum Carthagine Epiſcopum.

Plures Epiſtolas aliaque multa Optatum ſcripſiſſe contendit Trithemius, lib. de Script. Eccleſ.

De S. Paciano. An. Chr. 380.

S. Pacianus. Obiit an. Chriſti circiter 380.

S. Pacianus juxta Pyrenæi montis juga in Hiſpania Barcinonenſis Epiſcopus, eloquentiâ & vitæ ſanctitate ac eruditione clarus, vir anteà nobilis laicus in Hiſpania potens & magnus, paterque Flavii Lucii Dexteri prætorii quondam præfecti, cui ſuum de Script. Eccl. librum olim dicavit Hieronymus, meritis & ſeniô clarus obiit ſub Theodoſio ſeniore, an. circiter 380. & de quo Martyrol. Rom. 9. Martii.

Scripta ejus.

Scripſit Opuſcula varia, è quibus ſuperſunt nobis (c) 1mo. Tres ad Simpronianum Novatianum Epiſtolæ contra Novatianos. 2do. Parænesis, ſive exhortatio ad pœnitentiam. 3tio. De Baptiſmo Epiſtola, ſive ſermo

(c) In Bibl. PP. Tom. 4. edit. Lugd. an. 1677. apud nos pag. 49.

mo ad fideles & catechumenos.

50 S. Cyrillus Jerosolymitanus. Obiit annô Chr. 386.

De S. Cyrillo Jerosolymitano. Anno Christi 386.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Patriarcha alacris & egregius Apostolicæ doctrinæ propugnator, eximiæ sanctitatis, & ad populum docendum facilis & insignis vir, qui è celebri Jerosolymitano Catecheseon Magistro, ab Acaico Cæsariensi, cæterisque Comprovincialibus Episcopis, post obitum Maximi Jerosolymorum Antistitis, ad Patriarchalem Jerosolymæ Sedem ritè promotus est, sub Constantio Imperatore an. circiter 350. in qua Sede varia contra Arianos pro fide Catholica certamina subiit; in qua etiam ejusdem Acaici factione sæpe turbatus, & è qua tandem ejectus, & procul ab urbe pulsus; sed eidem posteà restitutus, & honorificè sub Damaso I. Romano Pontifice & Imperatore Theodosio seniore in Generali Concilio Constantinopoli an. 381. celebrato habitus, in ea deinceps quietè & pacificè vixit usque ad annum Christi 386. quo tandem anno die 18. Martii, hoc est quintô post Concilium Oecumenicum II. annô, migravit in cœlum.

Ejus Scripta.

Scripta ejus, quæ ex pluribus adhuc hodie supersunt, hæc sunt: 1mo. Catecheses 18. ad illuminatos extemporaneæ ab ipso adhuc adolescente prolatæ, unde non mirum, si quædam in iis minùs accuratè exarata à nonnullis eruditis deprehendi videantur. In iis traduntur documenta ad erudiendos & informandos accedentes ad Baptismum vel eò jam recèns regeneratos. 2do. Mystagogicæ seu sacræ Catecheses 5. ad recenter Baptizatos. 3tio. Epistola ad Constantium Imp. de Crucis Jerosolymis in diebus Pentecostes circa horam tertiam supra montem Golgotham usque ad montem Olivarum universâ civitatis multitudine spectante apparitione.

De S. Gregorio Nazianzeno. Anno 390.

51 S. Gregorius Theologus seu Nazianzenus. Obiit an. Christi 389. vel 390.

S. Gregorius ob eminentem Theologiæ peritiam cognomentô Theologus, & Nazianzenus vulgò dictus, quia Nazianzi in Cappadocia vel Arianzi propè Nazianzum è Gregorio Patre & Nonna matre genitus, Libanii Sophistæ Athenis discipulus, S. Basilii Magni studiorum & virtutum socius, S. Hieronymi præceptor, à Patre suo Gregorio Episcopo Nazianzeno Presbyter ordinatus, Sazimorum Episcopus posteà à S. Basilio Magno Cæsariensi Archiepiscopo designatus, sed eâ Ecclesiâ relictâ, nomine Patris sui seniô confecti Nazianzenam rexit Ecclesiam, Patre defuncto Constantinopolim profectus, ibi cum Arianis diu multumque pugnans, hujus Sedis Episcopus eligitur à 150. Præsulibus ibidem contra Macedonium congregatis an. 381. Quo Episcopatu statim abdicato in patriam suam Arianzum vicinum Nazianzi pagum rediit, ubi tandem post 8. vel 9. circiter annos obiit, die 9. Maji. an. Chr. 389. vel 390.

Scripta ejus.

Scripta ejus sunt hæc: 1mo. Libri Apologetici, seu Oratio-

nes Apologeticæ quatuor, quibus se luculenter & eruditè purgat à variis, quæ in eum objiciebantur, vel objici poterant, de ejus à Patre in Pontum recessu, & ejus ad eumdem posteà reditu. 2do. Orationes funebres seu laudatoriæ octo. 1ma. in laudem Cæsarii fratris sui. 2da. In laudem Gorgoniæ sororis suæ. 3tia. In laudem Gregorii Patris. 4ta. In laudem S. Cypriani Martyris. 5ta. In laudem Basilii Magni. 6ta. In laudem S. Athanasii. 7ma. In laudem Machabæorum. 8va. In laudem Heronis professione Philosophi quondam Cynici, sed post conversionem in exilium pulsi, & post triennium reversi. 3tio. Orationes de Theologia 5. in Eunomianos præsertim, de Christi divinitate cum Arianis malè sentientes editæ. 4to. Orationes de pace três variis temporibus & occasionibus habitæ. 5to. Oratio in plagam grandinis qua Tyberinæ Regionis jam maturæ fruges percussæ fuerant. 6to. Oratio in mulieres ambitiosè se ornantes. 7mo. Oratio de moderatione in disputatione servanda, & quòd non sit cujusvis, & cujusque temporis de Deo disputare. 8vo. Oratio in sancta lumina, seu in festum sanctorum luminum, festum scilicet Baptismi Christi, quod octavo idus Januarii tam apud Græcos quàm Latinos celebratur. Baptismus autem ideò luminum nomine appellatur, quia purgat & illustrat, & quia insuper est Dei beneficium omnium præstantissimum. 9no. Oratio contra Arianos & de se ipso. 10mo. Oratio ad 150. Concilii Constantinopolitani Patres habita pro suo à Sede Constantinopolitana obtinendo recessu. 11. Orationes in varios festos dies 7. item duæ in Julianum Imperatorem, & aliæ de diversis materiis cum Tractatu de fide Synodi Nicænæ, imò & metaphrasi seu translatione in librum Ecclesiastæ. 12mo. Variæ ad varios Epistolæ numerò 80. inter quas duæ reperiuntur ad Cledonium Presbyterum adversùs Apollinarium, in quibus ea refelluntur argumenta, quibus Apollinarius probare contendebat, Christum humanam non assumpsisse mentem.

Varia insuper Poetica edidit Opuscula, totque in extrema senectute carmina scripsit, ut dicat Hieronymus, eum ad 30. usque millia cecinisse versuum, quorum nec quidem media pars ad nos usque pervenit; ex his supersunt, 1mo. Tragœdia, quæ inscribitur *Christus patiens.* Sed eam Gregorio nostro abjudicare videtur Bellarminus. 2do. De rebus suis carmina, seu ad Christum poema, quo nos occultè ad piam Christoque dignam hortatur vitam. 3tio. De Virginitate carmen, quo eam summoperè extollit. 4to. Ad Virgines poema alterum de eodem argumento. 5to. Varia Opuscula alia carmine descripta, qualia sunt, Miracula Christi, Parabolæ Christi, Genealogia Christi, Moysis decalogus, de duodecim Patriarchis, & nonnulla alia pia &c.

De

52 S. Gregorius Nyssenus obiit an. Chr. circiter 393.

De S. Gregorio Nysseno. An. 393.

S. Gregorius Basilii Magni Cæsariensis Archiepiscopi, sanctique Petri Sebastæ Præsulis, necnon S. Macrinæ virginis & plurium Virginum Abbatissæ, frater sanctissimus fuit, Nyssenæ urbis in Cappadocia Episcopus, ut vulgò Nyssenus dictus, doctrinâ insignis, & eloquentiâ celebris; cùm orthodoxam fidem, & ovile Christi contra grassantes Arianæ sectæ lupos strenuè defenderet, ab Ariano Imperatore Valente in exilium missus, ab ejus successore Gratiano post septem annos ab exilio revocatus, Antiocheno Orthodoxorum Concilio in causâ Antiocheni trium Episcoporum Schismatis an. circiter Chr. 377. celebrato interfuit; posteà etiam claruit in Synodo Constantinopolitana Oecumenica II. annô Chr. 381. habita, atque jussu & nomine ejusdem Synodi Fidei Symbolum condidit, quod Constantinopolitanum vulgò dicitur. Tandem post varios pro Ecclesia Dei exantlatos labores obiit feliciter 9nâ. Martii annô Chr. circiter 393. vel, ut aliis placet, 396.

Ejus Scripta.

Varia & egregia miræ doctrinæ & eloquentiæ Scripta post se reliquit, ut sunt, 1mo. In Hexameron seu opificium sex dierum Explicatio, seu supplementum Hexameron Basilii Magni fratris ad Petrum fratrem. 2do. De opificio hominis liber ad supplenda, quæ desunt in libro S. Basilii de opificio mundi. 3tio. Liber de vita Moysis, quem Petro fratri suo proponit in exemplum. 4to. Commentaria duo, unus in Ecclesiasten, & alter in Cantica Canticorum. 5to. De nomine Christiani ad Harmonium Epist. 6to. De perfectione Christiani hominis ad Olympium Monachum alia. 7mo. De oratione Dominica liber quinque orationibus eam explicans. 8vo. De octò beatitudinibus liber, explicans sermonem Domini in monte Matth. 5. v. 3. &c. 9no. Oratio de subjectione Filii Dei, qua explicatur illud Pauli 1. Cor. c. 15. v. 28. dicentis: *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, &c.* 10mo. De mortuis sive de dormientibus Oratio, in qua docet, non esse dolendum & lugendum de obitu eorum, qui in fide dormierunt &c. 11mo. De infantibus præmaturè raptis ad Hierium oratio, inquirens, quid de iis judicandum sit. 12mo. De anima & resurrectione cum sorore sua Macrina disputatio. 13tio. De vera & incorrupta virginitate 24. capitibus distinctus liber. 14to. De S. Baptismate orationes duæ, quibus suscepti Baptismi bona, & dilati pericula proponit. 15to. Circa Mysterium SS. Trinitatis tractatus sive libri quinque, quibus varia Catholica dogmata de tribus divinis personis explicantur. 16to. Sermones sive Orationes varii de diebus festis. 17mo. Contra Usurarios Oratio vehemens. 18vo. Oratio de fornicatione vitanda & fugienda juxta illud Pauli 1. Cor. 6. v. 18. *Fugite fornicationem, &c.* 19no. Orationes funebres sive laudatoriæ septem elegantes;

eruditæ & piæ, 1ma. de S. Basilio Magno fratre suo. 2da. De Quadraginta Martyribus. 3tia. De Pulcheria Imperatoris Arcadii filia & Theodosii sorore. 4ta. De Placilla altera Imperatoris Arcadii filia. 5ta. De vita S. Gregorii Neocæsariensis vulgò miraculorum opificis, sive Thaumaturgi. 6ta. De sancto ac magno Martyre Theodoro. 7ma. Oratio in funere Magni Meletii Antiochensis Episcopi.

Supposititia. Sunt & alia nonnulla Gregorii Nysseni opuscula, quæ videri possunt in supra citata editione Frontonis Ducæi. De octo Philosophiæ libris nihil hîc dicimus, quia in præfata editione de iis nulla fit mentio, nec S. Gregorii calamum sapiunt, cùm in secundo dicatur, animam non creari in corpore, sed ante corpus creatam esse, qui fuit error Origenis.

53 **S. Amphilochius obiisse creditur an. circiter Christi 394**

De S. Amphilochio. An. 394.

S. Amphilochius Iconiensis in Lycaonia Episcopus, vir natione Cappadox, in juventute forensem professus Rhetoricam, sed,relictô Forô, in eremum progressus, & ibi Gregorii Nazianzeni & Basilii Magni socius & amicus, hæreticorumque omnium hostis sua ætate celebris & Fidei Catholicæ defensor insignis, & è Concilii Oecumenici II. Patribus unus &c. obiisse creditur an. Chr. circiter 394. cujus memoria colitur 23. Novembris apud Latinos æque ac Græcos.

Scripta ejus. Scripta ejus sunt hæc, 1mo. De Spiritu sancto liber unus contra Macedonium. 2do. Carmen ad Seleucum. 3tio. Narratio de muliere, quæ peccata sua in charta conscripserat. 4to. Variæ Homiliæ à Theodoreto non semel citatæ.

Sub nomine ipsius reperitur in Vitis Patrum & alibi *Vita S. Basilii Magni*; sed opus Amphilochiô indignum, ut quod multa falsa contineat, atque inter alia, quòd Julianus Apostata Basilii Magni Episcopi precibus fuerit peremptus, cùm tamen Basilius nondum Episcopus esset, quando sagittâ confixus est Julianus Apostata, undè falsô Amphilochio inscriptum est Opus istud.

De S. Phoebadio. An. 394.

S. Phoebadius obiisse creditur an. circiter 394. 54

S. Phoebadius natione Gallus & primus post Caprasium Aginensis in Vasconia ad Garumnam Episcopus; inter Orthodoxos Ariminensis Concilii Patres cum Servatio Tungrensi contra Arianos fortiter & strenuè pro fide Catholica pugnavit; sed tamen oblatæ ab Arianis fidei formulæ apparenter Catholicæ, sed latenter hæreticæ perperam & incautè subscripsit unà cum aliis; quod factum posteà revocatione delevit, atque pro fide Catholica deinceps strenuè pugnavit & scripsit.

Scripta ejus. Scripsit unum de Trinitate librum ad refellendam formulam ab Arianis in Sirmiensi Concilio cusam.

Vivebat adhuc Phoebadius, seu, ut eum vocat S. Ambrosius in Epistola ad eum, & ad Delphinum Burdegalensem scripta,

pta, Soegatius, annô Chr. 392. quo S. Hieronymus suum de Script. Eccl. catalogum scribebat, & obiisse creditur an. circiter 394. cujus festum Agini celebratur 25. Aprilis.

55 S. Ambrosius. Obiit an. Chr. 397.

De S. Ambrosio. An. 397.

S. Ambrosius ex Ambrosio Patre cive Romano, Galliarum Præfecto, in Galliis genitus, Romæ liberalibus disciplinis imbutus, Luguriæ & Æmiliæ posteà Præfectus, & tandem post Auxentium Arianæ sectæ virum, Mediolanensis Episcopus, vir fuit sanctitate, eruditione, & eloquentia magnus, fideique & Ecclesiasticæ disciplinæ contra Arianos, Imperatores & Imperatrices propugnator fidelis & intrepidus &c. tandem meritis clarus obiit annô circiter Chr. 397.

Scripta ejus.

Scripta ejus genuina sunt, 1mo. Hexameron, lib. 6. 2do. De Paradiso, liber unus. 3tio. De Cain & Abel, liber. 4to. De Noe & Arca, liber. 5to. De Abraham Patriarcha, liber. 6to. De Isaac & anima, liber. 7mo. De bono mortis, liber. 8vo. De fuga Sæculi, liber. 9no. De Jacob & vita beata libro duo. 10mo. De Joseph Patriarcha, liber. 11mo. De Benedictionibus Patriarcharum, liber. 12mo. De Elia & jejunio, liber unus. 13tio. De Naboth Israëlita, liber. 14to. De Tobia, liber. 15to. De interpellatione & querela Job & David, libri quatuor. 16to. Apologia Prophetæ David. 17mo. Altera ejusdem Apologia, quam non esse Ambrosii tenent multi, tùm ob styli diversitatem, tùm quia Davidis adulterium verum adulterium fuisse negat, & allegoricè sumendum esse docet Auctor illius; cùm tamen Ambrosius in priori sua Davidis Apologia, verum adulterium fuisse teneat, & ejus pœnitentiam laudet. 18vo. Enarrationes in Psalmos duodecim. 19no. Expositio in Psal. 118. 20mo. Expositio in Evangelium S. Lucæ, decem libris comprehensa. 21mo. De Officiis Ministrorum libri tres, in quibus quot periodi tot sententiæ. 22do. De Virginibus ad Marcellinam sororem suam libri tres, in quibus virginitatis dignitas expenditur. 23tio. De Viduis liber unus, in quo viduitatis Christianæ excellentiam prædicat. 24to. De Virginitate liber unus, qui licèt de eodem sit argumento, diversus tamen est à libro de Virginibus. 25to. De institutione virginis ad Eusebium liber unus. 26to. Exhortatio virginitatis librô unicô comprehensa. 27mo. De lapsu virginis consecratæ, liber unus. 28vo. De Mysteriis Sacramentorum, liber unus. 29no. De Sacramentis, libri 6. 30mo. De pœnitentia contra Novatianos, libri duó. 31mo. De Fide ad Gratianum Imperatorem libri 5. contra Arianos, 32do. De Spiritu sancto ejusque divinitate ad eumdem Gratianum, libri tres. 33tio. De Incarnationis Dominicæ Sacramento liber unus, contra hæreticos præsertim Arianos. 34to. Fragmentum ex Theodoreto desumptum, in quo reperitur quædam fidei expositio, habens affinitatem cum libris de fide,

Apologia secunda suppositititia habetur

à multis eruditis.

&

& potissimùm de Incarnationis Dominicæ Sacramento. 35to. Epistolæ variæ numerô 91. in duas classes distributæ; prior continet Epistolas 63. secundùm rationem temporum distributas; posterior reliquas. 36to. De excessu seu obitu Satyri fratris sui libri duo seu orationes funebres duæ. 37mo. De obitu Valentiniani Imperatoris, qui ætatis suæ anno 20. obierat, consolatio seu consolatoria & funebris oratio. 38vo. De obitu Theodosii Magni Imperatoris Oratio funebris 39no. Hymni aliquot Ambrosiani, inter quos sunt v. g. *Æterne rerum Conditor &c. Deus Creator omnium &c. Æterna Christi munera &c.* & alii.

Cætera sunt suppositititia. CæteraOpera, quæ sub S. Ambrosii nomine vulgata sunt, censentur ab eruditis suppositititia.

56 S. Epiphanius. Obiit an. Chr. 403.

De S. Epiphanio. An. 403.

S. Epiphanius in Phœniciæ oppido, non procul ab Eleutheropoli, ex infimis & obscuris natalibus ortus, in tenera adhuc ætate relictus à patre cum matre vidua & sorore virgine, necessariis ad vitam fortunæ bonis destitutus, adoptatus tamen à viro quodam professione Judæo Tryphone dicto, ejusque post mortem opulentam assecutus hæreditatem, quâ cùm jucundè unà cum sorore potiretur, defuncta matre, divinæ providentiæ dispositione factum, ut ad propria revertens inciderit in Lucianum quemdam Religione Christianum, professione vitæ Monasticæ, insignem doctrinâ ac pietate virum, cujus suasionibus & monitis ad Christum conversus, baptizatus, pauperibusque fortunæ suæ bonis relictis, vitam monasticam amplexus est, atque à Luciano in disciplinam Hilarioni in Ægypto commendatus, Hilarionis tandem jussu, vitæ, sanctitatis, & miraculorum famâ jam celebris, Salaminam (*d*) petit in Cypro urbem, cujus urbis tùm Præsule destitutæ inopinatò Episcopus licèt reluctans, eligitur, & ordinatur, vir eruditione, sanctitate, & ob quinque linguarum, Græcæ videlicet, Hebraicæ, Latinæ, Syriacæ, & Ægyptiæ peritiam à S. Hieronymo commendatus, ac Hæreticorum hostis acerrimus; qui post peractum sub Valente, Gratiano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus vitæ suæ cursum, tandem plenus meritis & annis obiit in navi, dum ab Imperatoris aula rediens ad suam Ecclesiam remearet, annô ætatis suæ 115. peractô, Christi verò 403.

Scripta ejus. Præcipua ejus Scripta hæc sunt, 1mo. Panarium, id est, Capsula vel Arcula medica, salubria continens medicamina contra 80. hæresum venena seu hæreses. 2do. Anchoratus, sive Epistola de vera fide Christi; nuncupatur Anchoratus, quia cùm de vera Christi fide doceat & instruat, fluctuantes & in fide vacillantes instar anchoræ firmat ac retinet, ne circumferantur omni vento doctrinæ, & pereant circa fidem naufragan-

(*d*) Eam posteà *Constantiam* dictam fuisse, ait Hieronymus.

gantes. 3tio. Anacephalæosis, sive totius Panarii summa. 4to. De mensuris & ponderibus, quæ in S. Scriptura reperiuntur, item de asterisco & obelo, notisque & characteribus in divinæ Scripturæ Interpretibus per Origenem usurpatis libellus. 5to. Historia de Prophetarum vita & interitu à Nathan, usque ad Joannem Baptistam. 6to. Epistola ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum, qua se purgat apud ipsum de ordinato Presbytero in monasterio extra suam Diœcesim, & intra Joannis Diœcesim sito, item de discisso velo præ foribus Ecclesiæ Anablathensis Diœcesis Jerosolymitanæ appenso, in quo quasi Christi, vel Sancti alicujus depicta pendebat imago (*e*); hoc utrumque factum concedit, sed tunc legitimè factum ostendit &c. 7mo. Libellus in Marcionem scriptus & pavimenti titulo prænotatus, in quo redarguitur Marcion & Scripturarum, quibus utebatur, loca notantur per ipsum adulterata. Liber iste ab ipso Epiphanio Panario insertus est hæresi 42. quæ est Marcionitarum.

Sæculo V.

SÆCULO V.

57 S. Joannes Chrysostomus. Obiit annò Chr. 407.

De S. Joanne Chrysostomo. An. 407.

S. Joannes ob aureum eloquentiæ suæ flumen vulgari cognomine *Chrysostomus* dictus, nobilibus & Christianis parenti-

bus, patre videlicet Secundo, & matre Anthusa Antiochiæ natus an. 354. Libanii Sophistæ in Rhetorica, & Andragathii celeberrimi in Philosophia discipulus fuit; forensis dein Oratoris aliquamdiu munere fungens, à foro ad eremum transiit, & ab eremo ad Clerum vocatus, ordinatur à Meletio Diaconus, & post quinque annos à Flaviano Meletii successore consecratur Presbyter Antiochenus an. 387. ubi cùm per 12. annos vitæ sanctitate, & variarum tùm Homiliarum, tùm Sermonum prædicatione claruisset, eoque tempore è vivis excessisset Nectarius Archipræsul Constantinopolitanus, ab Arcadio Imperatore Antiochiâ accersitus Chrysostomus, ad Sedem Constantinopolitanam evehitur atque inauguratur Episcopus an. circiter 398. cumque perditos Clericorum, divitum ac nobilium, etiamnum Eudoxiæ Imperatricis mores redarguere non cessaret in exilium pellitur Cucusum Armeniæ minoris oppidulum primò; inde revocatus, quòd ludos ad Imperatricis ejusdem statuam in foro Sophiæ divinorum officiorum horis fieri solitos prohiberet, iterum relegatus, Comanæ juxta Pontum Euxinum post 9. sui Pontificatus annum sanctam emisit animam 14. Septembris, an. Chr. 407. ætatis verò circiter 52. vel 53.

Perplura sub ejus nomine extant Scripta seu Opera, quo- Scripta ejus genuina,

 rum

(*e*) De hoc facto vid. quæ inferius Tom. 2. Theol. nostræ ad tract. 3. de Incarnat Appendice de cultu & invocat SS. &c. §. 2. tit. de cultu SS. Imag. in resp. ad ob. 1. dicta sunt.

rum aliqua dubia sunt. Genuina autem sunt hæc 1mo. Homiliæ ferè omnes. 2do. De Sacerdotio libri sex. 3tio. De compunctione cordis libri duo. 4to. De providentia Dei libri 3. ad Stargyrium Monachum. 5to. De orando Deum libri duo. 6to. De comparatione Regis & Monachi liber unus. 7mo. Contra vituperatores vitæ monasticæ libri 3. 8vo. Contra Gentiles, seu in Babylam Antiochenum Episcopum & Martyrem liber unus. 9no. Sermones de variis argumentis varii. 10mo. Epistolæ variæ, ut ad Innocentium Rom. Pontif. duæ. Ad Cyriacum Episcopum exulem una. Ad Episcopos & Presbyteros in carcere ob pietatem inclusos una. Ad Theodorum lapsum una. Ad Eutropium Eunuchum Præpositum Imperatoris & Consulem, virum crudelem & sævum, qui Imperatoris indignationem fugiens in Ecclesia, quod priùs inhiberi ab Imperatore curaverat, asylum quæsierat, Epistolaris Homilia una. Ad Olympiam illustrem virginem & simul viduam una. 11mo. Liturgia denique, seu sacra incruenti Christi Sacrificii celebrandi formula, sive Missa.

Dubia & suppositi-tia. Dubia & suppositia ejus Scripta hæc sunt, 1mo. Sex ex Homiliis in Genesim, nempe Hom. 1. in c. 2. Genes. Hom. 2. in idem caput. Hom. 3. in idem. Tres Hom. in c. 3. Genes. Hæ enim non videntur sapere stylum & phrasim ejus, & in iis præsertim in 2da. in c. 2. Genes. referuntur duo integra capita ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cujus Auctor est Gennadius Massiliensis Chrysostomô recentior. 2do. Homiliæ 14. in Marcum. Hæ censentur esse pii & ignoti cujusdam Monachi ad fratres suos in cœnobio suo sacrum Evangelium explicantis, prout colligitur præsertim ex tertia. 3tio. Celebre opus in Matthæum, Opus imperfectum vulgò dictum (*f*). Censetur ab eruditis non esse Chrysostomi, sed auctoris cujusdam hæretici, vel ab hæretico corruptum; eò quòd plura dogmata hæretica contineat. 1mo. Homiliâ 3. animam aquæ baptismo sanctificari, & Spiritum sanctum recipere negat. 2do. Homiliâ 4tâ. Spiritum sanctum Filii Ministrum vocat. 3tio. Hom. 7mâ. baptisma hæreticorum irritum esse docet. 4to. Hom. 25tâ. solam animam & non corpus esse de substantia hominis asserit. 5to. Homiliâ 48vâ. Homousianos Filium Patri consubstantialem docentes hæreticos dicit, & alia plura similia, quæ non sapiunt Catholicam fidem, nec consequenter S. Chrysostomi doctrinam. Item illius non esse Opus istud colligitur ex eo, quòd nulla ratio fuerit eidem, cur de eodem argumento, hoc est, in Matthæum scriberet, qui jam in eum tot scripserat Homilias, sive sermones.

De

(*f*) Dicitur Opus imperfectum, quia non ad finem usque, sed solùm usque ad 25. c. Matth. perductum est.

58 S. Hieronymus. Obiit an. Chr. 420.

De S. Hieronymo. An. 420.

S. Hieronymus Ecclesiæ Pater & Doctor excellentissimus an. Chr. circiter 329. Stridone, sitô in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus Oppidô, à Gothis quondam eversô, è Christianis & honestis parentibus ortus, statim à primis annis, piâ parentum curâ, primis & ætati congruis litteris sanctisque moribus imbutus, Romam ulteriùs erudiendus mittitur, ubi sub Donato Grammatico Magistro Græcas litteras didicit simul & Latinas. Ibi sæcularibus disciplinis ad plenum eruditus & Christo in fide renatus, ad Theologiam altioraque studia alia animum adjiciens, antiquorum Philosophorum Pythagoræ, Platonis & aliorum, qui discendi gratiâ varias invisêre mundi regiones, exemplô, in Gallias primùm tendit, Galliarum lustravit oras, aliasque vicinas provincias; indè in Syriam secessit, atque in sanctis Jerosolymæ locis aliquamdiu mansit; inde in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciamque transiit; utque tutiùs Christo serviret Monachi vitam selegit, & Eremi deserta petiit in vasta Syriæ solitudine, ubi Hebraicam cœpit discere linguam à quodam Monacho, qui ex Hebræis Christianam fidem amplexus fuerat. Ex hac solitudine Arianorum persecutione dejectus Antiochiam Jerosolymamque rediit; Antiochiæ degens & trigesimum jam percurrens ætatis annum, a Paulino Antiocheno Præsule Presbyter est ordinatus; & inde aliquamdiu Gregorium Nazianzenum tunc Constantinopoli degentem præceptorem habuit & audivit, tùm Romam ad Damasum Papam accessit. Eo an. 383. è vivis sublatô in Syriam rediit Hieronymus, Jerusalem tendit, & ad sancta selectaque sibi loca Bethlehemitica feliciter ductus est, ubi severiorem Monachi vitam agens tandem meritis plenus, seniô gravis & decrepitus sanctam efflavit animam an. Ch. 420. ætatis suæ verò 91.

Ejus Scripta. Ejus Scripta omnia vel sunt laudatoria, aut hortatoria; vel polemica, seu contra hæreticos; vel exegetica, seu Sacrarum Scripturarum expositoria. Hîc selectiora duntaxat recensebimus & apud Theologos vel contra hæreticos celebriora.

ac 1mo. Laudatoria & exhortatoria. Laudatoria sive hortatoria sunt, 1mo. Ad Heliodorum de laude solitudinis Epistola. 2do. Ad Nepotianum Heliodori ex sorore nepotem de vita Clericorum. 3tio. Ad Rusticum Monachum de vita Monachali. 4to. Ad Lætam viduam de institutione filiæ. 5to. Ad Demetriadem nobilem virginem Romanam de virginitate. 6to. Ad Salvinam de obitu mariti sui. 7mo. Ad Furiam juvenem viduam de viduitate. 8vo. Ad Ageruchiam viduam de monogamia. 9no. Ad Gaudentium de educanda Pacatula adhuc infantula & virginitati jam destinata. 10mo. Ad Celantiam nobilem Matronam de institutione matrisfamiliæ. 11mo. Ad Marcellam nobilem Romanam fœminam de laudibus Asellæ sororis ipsius. 12mo. Ad

Principiam virginem Marcellæ viduæ epitaphium. 13tio. Ad eamdem Marcellam, ut commigret Bethlehem Epistola, qua Paula & Eustochium filia ipsius, quæ Roma illuc, in Monasterio vitam monasticam acturæ, se contulerant, ipsam ut ad illas veniat, invitant. 14to. Ad Eustochium de acceptis munusculis, inter quæ erant (*g*) cerasa, à Cerasunte Armeniæ oppido, undè primò à Lucullo Romam perlata fuère, sic dicta. 15to. Ad Marcellam de acceptis munusculis. 16to. Ad Eustochium de custodia Virginitatis. 17mo. Ad Marcellam de ægrotatione Blæsillæ Paulæ filiæ. 18vo. Ad Marcellam de exitu Leæ religiosissimæ fœminæ & Monasterii Præfectæ. 19no. Ad Paulam super obitu Blæsillæ filiæ. 20mo. Ad Pammachium nobilem juvenem Paulinæ Paulæ & Texotii filiæ maritum de obitu Paulinæ uxoris suæ. 21mo. Ad Eustochium virginem epitaphium & laus Paulæ matris, quæ postquam Romæ per quinque annos Monachæ vitam professa fuerat, inde Jerusalem profecta, sedensque Bethlehem per 20. annos, post condita tam pro viris, quàm fœminis monasteria sanctissimè vitam posuerat. 22do. Ad Oceanum Epitaphium Fabiolæ nobilis Romanæ fœminæ. 23tio. Ad Innocentium de muliere, quæ Vercellis à viro adulterii falsò accusata & ad mortem damnata, à carnifice gladiô septies icta mori non potuit. 24to. Vita Pauli Eremitæ, qui primus Eremum habitare cœpit. 25to. Vita S. Hilarionis Monachi & magni Antonii discipuli. 26to. Vita Malchi Monachi ex Maronia Syriæ vico orti. 27mo. Liber de Viris illustribus, sive Catalogus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Dextrum Prætorio Præfectum & amicum.

Polemica S. Hieronymi Scripta, seu Epistolæ sive Libri contra hæreticos, vel calumniatores editi, hæc sunt: 1mo. Contra Helvidium Auxentii Ariani & Mediolanensis Episcopi discipulum de perpetua Virginis Deiparæ Virginitate liber unus. 2do. Adversus Jovinianum Romanæ urbis Monachum excucullatum, qui inter alios errores, tuebatur Virginitatem non præstare Matrimoniô, & eos, qui verè baptizati fuerant, in peccatum relabi non posse (*h*), libri duo. 3tio. Pro his adversùs Jovinianum libris apologetica Epistola ad Pammachium Paulæ generum & amicum suum. 4to. Ad Domnionem amicum suum Apologeticon seu Epist. 51ma. adversùs Monachum quemdam, qui suos in Jovinianum arguebat libros. 5to. Ad Pammachium alterum pro libris suis contra Jovinianum Apologeticon, seu Epist. 52da. 6to. Adversus Vigilantium natione Gallum, Barcinonensis Ecclesiæ in Hispania Presbyterum, Martyrum Reliquias nec venerandas esse, nec ad eorum se- 2do. Polemica.

(*g*) *Cerasa* ab Armeniæ oppido *Cerasunte* dicto, sic nuncupata.
(*h*) Hunc errorem resuscitarunt Calvinistæ, asserentes, gratiam semel acceptam nunquam ampliùs amitti posse.

ſepulchra in Eccleſiis vigilandum eſſe dicentem (*i*), ad Riparium Presbyterum Epiſt. 53tia. 7mo. Adverſùs Vigilantium, qui præter memoratos errores, Cleri cœlibatum improbabat, Monachorum in ſolitudinem fugam vituperabat, cereos in Eccleſiis Sole lucente accenſos ridebat (*k*), &c. liber unus. 8vo. Ad Marcellam adverſùs Montanum natione Phrygem dicentem, Spiritum ſanctum à Chriſto promiſſum in ſe, Priſcam, & Maximillam inſanas fœminas deſcendiſſe; Unam tantùm in Trinitate perſonam admitti debere; Secundas nuptias immundas eſſe, & ut adulteria reputari debere; tres in anno, ex præſcripto Quadrageſimas obſervandas eſſe; Confeſſionem peccatorum ſpernendam eſſe (*l*), nec lapſos ad pœnitentiam admitti oportere. Epiſt. 54ta. 9no. (*m*) Contra Luciferianos per modum Dialogi diſputatio. Luciferiani à Lucifero Calaritano in Sardinia Epiſcopo ſic dicti fuerunt. Epiſcopus iſte Arianis adeò inſenſus erat, ut, ob tale odium in illos, in hunc errorem lapſus ſit, atque Epiſcopos lapſos & ab Ariano lapſu redeuntes ſub nulla pœnitentia & ſatisfactione, niſi depoſito Epiſcopatu, ſuſcipiendos eſſe doceret. Arianorum quoque baptiſma adeò improbabat, ut baptizatos ab eis rebaptizandos eſſe teneret. Unde ſe à communione eorum, qui Epiſcopos Arimini lapſos etiam ſub ſatisfactione Antiochiæ, ubi exul erat, receperant, ſeparaverit. 10mo. Ad Avitum, quid cavendum in libris Periarchon ſeu de principiis ab Origene editis, Ep. 59. (*n*) 11mo. Epiphanii ad Joannem Jeroſolymitanum Epiſtola, de qua in Epiphanio ſuprà egimus, in Latinum translata. Ep. 60. 12mo. Ad Pammachium adverſùs errores Joannis Jeroſolymitani, qui Origenis impia ſovebat dogmata, præſertim illud, quod contra carnis reſurrectionem erat, Ep. 61. 13tio. Ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum adverſùs Joannem Jeroſolymitanum, Ep. 62. in qua ſuam Epiphanii Epiſtolæ ad eumdem Joannem Jeroſolymitanum latinam verſionem, ſuique Monachi in Presbyterum ordinationem defendit. 14to. Ad Pammachium & Oceanum amicos ſuos contra Ruffinum, qui in præfatione ad ſuam librorum Periarchon Origenis latinam verſionem Hieronymum velut Origeniſtam deprædicaverat; unde factum, ut multi Hieronymum velut Origeniſtam haberent; hic Pammachio & Oceano, qui hac de re ad ipſum

(*i*) Hoc etiam tuentur noſtræ ætatis Acatholici. (*k*) Hæc omnia iterum Acatholici noſtri tuentur. (*l*) Eam quoque ſpernunt Acatholici noſtri (*m*) Schiſma Luciferi. (*n*) Hos Origenis libros malè verterat Ruffinus Presbyter Aquilejenſis, addens mutilansque aliqua, ut quæ in iis erant hæretica, excuſaret, & Origenem cunctis legendum obtruderet; eoſdem à Pammachio rogatus denuò vertit Hieronymus nihil immutans; verùm ut ſine periculo legi poſſent, quæ in his ſint impiè dicta, & cavenda, ad Avitum eruditè declarat.

sum scripserant, respondens has
calumnias & suspiciones diluit,
Origenis prodit errores, & Ruffini versionem, ejusque pro
59 Origene defensionem arguit. Et
hæc fuit origo dissidii Hieronymum inter & Ruffinum. (*o*)
15to. Ad Ruffinum Ep. 66. monet eum, ut cùm obliquis & figuratis ipsius laudibus in suspicionem hæresis adductus fuisset, ne simili posthac præconiô illum extollat. 16to. Ad Pammachium & Marcellinum adversùs Ruffinum Epistola 67. apologetica in tres libros divisa; in 1mo. crimina sibi rursus à Ruffino, recrudescente inimicitiæ vulnere, objecta diluit; in 2do. Ruffini invectivam sub nomine Apologiæ Anastasio Papæ missam confutat; in 3tio. Ruffini litteris ad se velut excusatoriis datis respondet. 17mo. Ad Ctesiphontem contra Pelagium Ep. 68. in qua Pelagii dogmata refellere incipit. 18vo. Dialogorum adversùs Pelagium libri 3. quibus Pelagii errores refellit.

Exegetica S. Hieronymi Scripta, seu Epistolæ Exegeticæ, 3tio. Exegetica.
sive Sacrarum Scripturarum Expositoriæ, vel Quæstionum Resolutoriæ, sunt, 1mo. Ad Paulinum Presbyterum de singulis divinæ Scripturæ libris Epistola. 2do. Ad Desiderium in Pentateuchum Præfatio. 3tio. Ad Chromatium Episcopum in Paralipomenon Præfatio. 4to. Ad Chromatium & Heliodorum Episcopos in Tobiam Epist. 110. & in Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum, Ep. 115. 5to. Ad Paulam & Eustochium Epistolæ 3. quarum prima est 116. & Præfatio in Ecclesiasten, quem ex Hebræo transtulit. Altera numerô 117. est Præfatio in Isaiæ translationem ex Hebraica veritate. Tertia numerô 121. est Præfatio in duodecim Prophetas minores. 6to. Ad Damasum Præfatio in Evangelia, Ep. 123. 7mo. Ad Damasum altera, quæ est num. 125. de quinque quæstionibus ex Genesi motis. 8vo. Ad Evagrium Ep. 126. de Melchisedech,

(*o*) Fuit Ruffinus Presbyter & Monachus Aquilejensis rerum peritiâ celebris, & ab ipso Hieronymo celebratus. Româ, quo se contulerat, discedens in Ægyptum ibidem Solitarios inviturus secessit, atque postquam aliquamdiu ibidem apud Didymum Origenis sectatorem demoratus fuisset, Jerosolymam profectus est, ibique per 25. vel 27. annos consedens varia Opera edidit. Inde tandem an. Chr. circiter 397 Romam rediit, ubi, cùm, ut diximus, in præfatione sua in libros Periarchon Origenis Hieronymum obliquis & figuratis laudibus velut Origenistam obtrusisset, hujus animum à se avertit. Hinc ab illo velut Hæreticus & Pelagii & Sectatorum illius antesignanus exagitatus, ab Anastasio Papa Romam, unde excesserat, citatur, ut se ab erroribus sibi impactis purgaret, cumque non comparuisset, seu Apologiam suam duntaxat illuc misisset, à Romano Pontifice damnatus est. Obiisse dicitur in Sicilia an. Chr circiter 410. Josephi Judæi Opera, Eusebii Historiam Ecclesiasticam è Græco in Latinum vertit, & ei duos adhuc libros addidit. Solitariorum historiam quoque vulgavit, quam Baronius & alii perperam Evagrio adscribunt. Item Commentarios in 75. Psalmos Davidicos, ut & Homilias in nonnullos S. Scripturæ libros.

dech, quòd fuerit homo &c. 9no. Ad Fabiolam de 24. mansionibus, per quas Hebræi ex Ægypto mutatis castris ad terram promissam pervenerunt. Ep. 127. 10mo. Ad camdem de vestitu Sacerdotum veteris legis, Ep. 128. 11mo. Ad Dardanum de terra promissa, Ep. 129. 12mo. Ad Marcellam Ep. 130. in qua explicat, quid sit Ephod, Bat, & Theraphim apud Hebræos. 13tio. Ad Ruffinum de Salomonis judicio occasione duarum meretricum &c. Ep. 131. 14to. Ad Vitalem Ep. 132. Quòd Salomon & Achaz undecimô ætatis annô filios genuerint. 15to. Ad Sophronium de Psalmis à se ex Hebræo translatis. 16to. Ad Suniam & Fretelam eum ex Getarum & Germaniæ finibus interrogantes de variis Scripturæ locis, Ep. 135.
60 17mo. Ad Marcellam Epistolæ tres, 136. 137. & 138. in quibus decem nomina (*p*), quibus apud Hebræos præcipuè Deus designatur; quid significent apud Hebræos *Alleluja*, *Amen* & *Maran*, *Atha*; & quid *Diapsalma* significet, breviter exponit. 18vo. Ad Cyprianum Presbyterum Ep. 139. in qua exponit Psal. 9. *Domine refugium factus es nobis &c.* 19no. Ad Principiam Virginem Epist. 140. Explicans Psal. 44. Eructavit cor meum &c. 20mo. Ad Damasum Papam Ep. tres 142. 143. & 146. de Trisagio, de Seraphim visione Isai. cap. 6. & de parabola filii prodigi &c. 21mo. Ad Amandum Presbyterum Ep. 147. varia ex Scriptura proposita explicans. 22do. Ad Hebidiam nobilem apud extremos Gallos exortam fœminam Ep. 150. in qua 12. sibi ab ipsa de Scripturis propositas quæstiones singillatim enucleat & explicat. 23tio. Ad Algasiam nobilem aliam ex ultimis Galliarum finibus ortam fœminam, Ep. 151. in qua 11. quæstiones sibi ab ipsa ex Novo Testamento propositas resolvit & explicat.

Supposititia vel dubia, quæ Hieronymo tribuuntur scripta sunt, 1mo. Traditiones, seu quæstiones Hebraicæ in Libros Regum & Paralipomenon; quia in Cat. Script Eccl. sua omnia Opera recensens, etiam quæstiones Hebraicas in Genesim, de his silet. 2do. Commentaria in Threnos, sive Lamentationes Jeremiæ ad Eusebium. Hæc Rabani Mauri esse creduntur,

Supposititia vel dubia.

(*p*) Nempe *El*, *Eloha*, *Elohim*, *Sabaoth*, *Elion*, *Heje*, *Adonai*, *Jah*, *Saddai*, *Jehova*. *El* idem est ac fortis; *Eloha* Deus singulariter; *Elohim* Deus pluraliter; *Sabaoth*, id est *exercituum*, & est cognomen, undè semper jungitur cum alio nomine, nempe cum *Adonai*, & dicitur *Adonai Sabaoth*, id est, *Dominus exercituum*. *Elion* Excelsus; *Heje* qui est; *Adonai* Dominus; *Jah*, nomen Deo proprium & abbreviatum *Jehova*; *Saddai*, id est sufficiens, munificus, omnipotens; *Jehova* est nomen Dei primarium constans quatuor literis, nempe *Jod*, *He*, *Vau*, & *He*, unde Tetragrammaton dicitur, & significat ipsam ineffabilem Dei essentiam, unde & ineffabile vocatur, nec profertur ab Hebræis nisi à Sacerdotibus reverentiæ causâ.

tur, quia inter Rabani Opera inveniuntur, & in iis sententiæ leguntur ex Gregorio Magno Hieronymô longè posteriore collectæ. 3tio. Commentaria in omnes Psalmos. Quia in illis plura docet Auctor S. Hieronymo contraria; ut quod Psalmus 89. Moysis non sit, cujus tamen illum esse contendit Hieronymus; deinde in Psal. 16. Auctor citat Eucherium S. Hieronymô longè posteriorem; denique stylus eorum non sapit Hieronymum. 4to. Commentaria in Job ad Victerium. Bedæ esse autumantur, eò quòd Victerius ille longè post S. Hieronymum & tempore Bedæ Anglicani, Anglicæ Ecclesiæ Episcopus fuerit. 5to. Commentaria in omnes Pauli Epistolas. Hæc Pelagii, vel Pelagiani hominis esse colligunt eruditi, eò quòd plura Pelagiana dogmata contineant, dicatque S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. se legisse brevia Pelagii Commentaria in omnes Pauli Epistolas. 6to. Plurima ejus Operibus inserta aliorum esse indicant tituli, nimirum Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii & aliorum. 7mo. Plurimas Epistolas ibidem insertas, ut ad Demetriadem, ad Geruntii filias, ad Amicum, ad Desiderium, imò & Symbolum ad Damasum, quod incipit, *Credimus*, Pelagii esse opinantur eruditi.

61 Sulpicius Severus obiisse creditur annô Chr. 420.

De Sulpicio Severo. An. 420.

Sulpicius Presbyter & Scriptor Historiæ sacræ percelebris, à Gennadio Severus Sulpicius, ab aliis Sulpicius Severus, sed à Hieronymo, Paulino Nolano, Gregorio Turonico & aliis simpliciter *Severus* vulgò vocatur, vir genere nobilis & litteris, S. Martini Turonici, & Paulini Nolensis discipulus, S. Hieronymi ac Ruffini coævus, à Nitiobrigibus sive Aginnensibus Aquitaniæ provinciæ parentibus, ut creditur ortus, & colligitur ex ejus Historia sacra lib. 2. ubi se Gallum seu Aquitanum non semel dicit, & Phoebadium seu Foegatium Aginni Nitiobrigum urbis Episcopum, suum vocat Episcopum. Obiisse creditur an. Chr. 420.

Falluntur, qui hunc Sulpicium putant esse S. Sulpicium Biturigum Episcopum, cujus meminit Martyrolog. Rom. die 29. Jan. & Gregorius Turonicus lib. 6. hist. Franc. c. 39. & lib. 1. c. 26. hic enim cùm an. 585. Matisconensi secundo interfuerit Concilio, longè posterior esse dignoscitur Sulpiciô, de quo nunc agimus.

Malè etiam confunditur cum altero S. Sulpicio itidem Biturigum Episcopo, cui cognomen erat *Pius*; hic fuit oriundus è Vastino Biturigum oppido *Vatan* Gallicè dicto, necnon interfuit Concilio Rhemensi an. 630. & obiit an. circiter 640. ejusque meminit Baronius in Martyrolog. die 17. Jan. duæ reperiuntur Epistolæ ab ipso ad Desiderium Cadurcensem Episcopum scriptæ, & una ad Verum Ruthenensem Episcopum.

Scripfit autem Sulpicius Severus 1mo. De Historia sacra libros duos, quam exordiens à mundi cunis perduxit usque ad Scripta ejus.

Stili-

Stiliconis & Aureliani Conſulatum, hoc eſt ad an. Chr. 400. In quorum primo quædam abſurda immiſcet, ut, quòd Angeli ſpecioſarum virginum formâ capti, naturæ ſuæ originisque degeneres, ſe illis miſcuerint, humanam corruperint progeniem, & ex eorum coitu prodierint Gigantes. Item, quòd Sacerdotes, qui poſſeſſiones habent, immemores ſint præcepti Levitis olim impoſiti, dum eis nulla portio data, quò liberiùs Deo ſervirent; cùm ex Scriptura certum ſit Levitas habuiſſe poſſeſſiones, imò oppida & ſuburbana, Levitici c. 25. Jerem. cap. 32. Jeremias ex genere Sacerdotum agrum emiſſe legitur. Act. 4. v. 37. Barnabas Levites agrum, quem poſſidebat, vendidiſſe legitur.

Scripſit Sulpicius 2do. De vita S. Martini Turonenſis Epiſcopi librum unum. 3tio. Dialogos tres, quorum primus eſt de converſatione, virtutibus, & miraculis Monachorum Orientalium in Ægypto degentium, & in quo inducitur loquens Gallus cum Poſthumiano amico. In duobus aliis poſterioribus exponit virtutes & miracula B. Martini, de quibus nihil dixerat in ejusdem vitæ libro. In his Dialogis plura etiam immiſcet erronea, ut quòd Eccleſia aurô non ſtruatur, ſed deſtruatur; reprehendit Epiſcopos, qui libros Origenis damnaverant. In fine Dialogi 2di. ait ex ſententia B. Martini Neronem ſimul cum Antichriſto venturum, Neronem ſcilicet in Occidentali plaga, Antichriſtum in Orientali perſecutionem exercendo regnaturum. Denique aliis omiſſis monet S. Hieronymus in Ezechiel. c. 36. Severum Sulpicium in Dialogis quibus Gallus & Poſthumianus loquuntur, Millenariorum errorem eſſe ſecutum.

Scripſit deniquè etiam Epiſtolas varias ad varios, ut vult Gennadius, ſed ex iis tres ſolum leguntur, 1ma. ad Euſebium Presbyterum contra æmulos virtutum B. Martini. 2da. ad Aurelium Diaconum, de obitu & apparitione B. Martini. 3tia. ad Baſſulam Socrum ſuam è Toloſa Trevirim, quomodò B. Martinus ex hac vita ad immortalem tranſierit.

De S. Auguſtino. An. 430.

S. Auguſtinus. Obiit an. Chr. 430. 62

S. Aurelius Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor Maximus, juxta & ſanctiſſimus, natione Afer, Tagaſte in Numidia natus ex Patritio & Monica Chriſtianis parentibus an. 354. ita ſtatim liberalibus diſciplinis imbutus fuit, ut Grammaticam priùs Tagaſte, & Rhetoricam poſteà Carthagine ſumma cum laude docuerit; ubi adoleſcens adhuc in Manichæorum hæreſim incidit; inde in Italiam profectus Romæ primùm, & Mediolani poſteà Rhetoricam iterum docuit, donec à S. Ambroſio tunc Mediolanenſi Epiſcopo ad Chriſti fidem converſus & baptizatus eſt jam trigeſimô major an. Chr. 387. atque in Africam ad patrios agros rediit, ubi cum amicis Deo pariter ſervientibus, vitæ à curis ſæcularibus

ribus procul semotæ peractô trienniô, charitatis motivô ductus Hipponem se contulit, ibi à Valerio Episcopo Presbyter an. 391. ordinatus, & postmodum an. videlicet 396. vivente adhuc Valerio Hipponensis consecratus est Episcopus. Ac tandem, post varia in varios fidei & Religionis hostes certamina, post impugnatos, præsertim Manichæos, Donatistas, Pelagianos, Paganos, & alios; post scripta pro Ecclesia volumina ferè innumera, quibus hæreticos debellavit, dubios in fide firmavit, fideles excitavit, impios terruit, laicos erudivit, clericos instituit, monachos docuit, cunctos monuit, omnibus profuit, ubique gentium claruit, cœlo tandem maturus, ex hac vita migravit an. Chr. 430. ætatis verò 76.

Genuina ipsius Opera.

Indubitata ac genuina ejus Scripta secundùm tempora quibus ea exaravit exhibemus.

Igitur adhuc Catechumenus scripsit 1mo. Contra Academicos, seu Philosophos illos, qui ab *Academia* Platonis villa aliqua, *Academici* vulgò dicti sunt, quique nihil ab homine certò sciri posse contendebant. 2do. De beata vita liber unus, in quo ostendit beatam vitam in sola & perfecta Dei cognitione sitam esse. 3tio. De ordine studendi &c. libri duo. 4to. Soliloquiorum libri duo. (*p*) 5to. De immortalitate animæ liber unus. 6to. De libris Disciplinarum liberalium.

Scripta verò illius jam baptizati sunt 1mo. De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum, libri duo. 2do. De quantitate animæ, liber unus. 3tio. De libero arbitrio contra Manichæos immutabilem quamdam & Deo coæternam mali naturam introducere volentes libri tres. 4to. De Genesi adversùs Manichæos, libri duo. 5to. De Magistro solo Deo, liber unus. 6to. De vera Religione, liber unus.

Scripta S. Augustini jam Presbyteri hæc sunt, 1mo. De utilitate credendi liber unus. 2do. De duabus animabus contra Manichæos, liber unus. 3tio. Contra Fortunatum Manichæum, qui naturam mali Deo coæternam esse persuadere moliebatur, lib. unus. 4to. De Fide & Symbolo, liber unus. 5to. De Genesi ad litteram liber imperfectus. 6to. De Sermone Domini in monte, libri duo. 7mo. Psalmus contra partem Donati. 8vo. Contra Epistolam Donati, in qua contendebat hic hæreticus nonnisi in sua communione baptisma Christi esse, liber unus. 9no. Contra Adimantum Manichæi discipulum, liber unus. 10mo. Expositiones quarumdam propositionum ex Epistola ad Rom. liber unus. 11mo. Expositiones Epi-

(*q*) Inter illius Opera legitur alius Soliloquiorum liber, animæ ad Deum, qui incipit *Agnoscam te Domine cognitor meus.* Sed Opus istud est Auctoris Augustinô recentioris. ut qui cap. 32. referat Cap. 1. Concilii Lateran. IV. an. 1215. celebrati in quo exprimitur confessio fidei de S. Trinitate.

Epistolæ ad Galatas, liber unus. 12mo. Epistolæ ad Romanos inchoata expositio. 13tio. De diversis quæstionibus octoginta tribus. 14to. De Mendacio, liber unus.

Scripta ipsius jam Episcopi hæc sunt, 1mo. De diversis quæstionibus ad Simplicianum, libri 2. 2do. Contra Epistolam Manichæi, quam vocant *Fundamenti*, liber unus. 3tio. De Agone Christiano, lib. unus. 4to. De doctrina Christiana libri 4. 5to. Confessionum libri 13. 6to. Contra Faustum Manichæum, grande Opus. 7mo. Contra Felicem Manichæum, libri 2. 8vo. De natura boni contra Manichæos liber unus. 9no. Contra Secundinum Manichæum, liber unus. 10mo. De Catechizandis rudibus, liber unus. 11mo. De Trinitate libri 15. 12mo. Contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi libri 3. 13tio. De Baptismo contra Donatistas, libri 7. 14to. De opere seu labore Monachorum. 15to. De bono conjugali contra Jovinianum, liber unus. 16to. De sancta Virginitate, liber unus. 17mo. De Genesi ad litteram, id est secundùm rerum gestarum proprietates, libri 12. 18vo. Contra litteras Petiliani Donatistæ libri tres. 19no. Contra Cresconium Grammaticum & Donatistam, libri 4. 20mo. De divinatione dæmonum libellus. 21mo. De unico Baptismo contra Petilianum Donatistam, liber unus. 22do. De peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos libri 3. 23tio. De Spiritu & littera ad Marcellium occasione hujus Apostoli sententiæ *littera occidit*, *Spiritus autem vivificat*, contra Pelagianos, liber unus. 24to. De Fide & operibus, contra eos, qui tuebantur bona Opera ad salutem æternam consequendam haud necessaria esse, sed solam fidem sufficere (*r*), liber unus. 25to. De natura & gratia ad Timasium & Jacobum contra Pelagianos, liber unus. 26to. De Gestis Pelagii, liber unus. 27mo. De Gratia Christi, & de peccato Originali contra Pelagium & Cœlestium, libri duo. 28vo. De Nuptiis & Concupiscentia ad Valerium Comitem contra Pelagianos, libri duo. 29no. De adulterinis conjugiis ad Pollentium, libri duo. 30mo. Contra duas Epistolas Pelagianorum, libri quatuor. 31mo. Contra Julianum Pelagianum, libri 6. 32do. De Prædestinatione Sanctorum & de bono perseverantiæ libri duo, scripti post libros Retractationum, prout ipsemet testatur libro secundo; unde non mirum, quod in his Retractationum libris eorumdem non meminerit. 33tio. De anima & ejus origine, libri quatuor. 34to. De origine animæ & de sententia Jacobi Apostoli dicentis: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Libri 2. seu Epistolæ ad Hieronymum scriptæ. 35to. Contra Adversarium Legis

(*r*) Id ruitus est Sæculo 16to. Lutherus &c.

gis & Prophetarum virum Marcionistam sive alium hæreticum anonymum opinantem Deum hujus mundi opificem non esse, & Deum Legis per Moysem datæ, ut & Prophetarum, ad eandem legem pertinentium, verum Deum non esse, sed pessimum Dæmonem, libri duo. 36to. De videndo Deo liber unus. 37mo. De consensu Evangelistarum, libri 4. contra Pelagianos. 38vo. De Civitate Dei, libri 22. contra Paganos. 39no. De sex quæstionibus contra Paganos expositis, liber unus, per modum Epistolæ ad *Deogratias.* 40mo. Locutionum Scripturæ sacræ, libri 7. 41mo. Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas, liber unus. 42do. Contra mendacium, liber unus. 43tio. Breviculus collationum cum Donatistis, libri 3. 44to. De Gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo, liber unus. 45to. Enchiridion seu Manuale ad Laurentium, liber unus. 46to. De cura pro mortuis ad Paulinum Nolanum Episcopum, liber unus. 47mo. De gratia & libero arbitrio ad Valentinum & Monachos Adrumetinos, liber unus. 48vo. De correptione & gratia ad eosdem, liber unus. 49no. De hæresibus ad Quodvultdeum, libellus unus, post libros Retractationum scriptus, unde illius ibidem non meminit. 50mo. Epistolæ plurimæ (s), quæ habentur Tom. 2. Operum ipsius. Item Sermones multi, qui reperiuntur inter genuina S. Augustini Scripta, hæ enim Epistolæ & Sermones ab ipso editi fuerunt, ante libros Retractationum. 51mo. Genuina pariter censeri debent alia S. Augustini Scripta, quæcumque vel memorantur in prædictis Retractationum libris, vel in indiculo Possidii Calamensis Episcopi & Augustini discipuli, ejusque vitæ ac Gestorum Historici, qui librorum omnium S. Augustini fidelissimum texuit Indiculum seu Catalogum: Sic *Enarrationes* seu Expositiones in omnes Davidis Psalmos Augustini verè esse censentur, licèt dè illis nihil dicatur in Retractationibus, quia memorantur in indiculo Possidii, & ab ipso Augustino in Præfatione Psalmi 118. 52do. denique Retractationum libri duo, in quibus Opera sua recenset Augustinus, atque quæ in iis minus aptè scripsit, retractat. (t)

Cætera, quæ Augustino tribuuntur supposititia & dubia censeri debent, utpote quæ nec in Retractationibus nec in præfato Possidii indiculo memorantur, nec alibi de iis ipse S. Augustinus meminit, quamvis illius Operibus sint inserta, ut sunt 1mo. De Grammatica, liber. 2do. Principia Dialecticæ, liber. 3tio. Categoriæ decem, liber. 4to. Principia Rhetoricæ. Hi libri longè diversi sunt ab iis, quos se conscripsisse testatur Augustinus 1. Retract. c. 6. Item Auctor libri decem Categoriarum admittit Antipodas, quos S. Augustinus negat lib. 16. de

Supposititia & Dubia S. Augustino adscripta Opera.

(s) 271. numerantur. (t) Habentur Tom. 1. Operum ipsius primò locò.

de Civit. Dei, c. 9. 5to. Ad Demetriadem Epistola, est Pelagii, ut ipsemet indicat S. Augustinus lib. de Grat. Chr. c. 20. 6to. De mirabilibus sacræ Scripturæ libri 3. Hos S. Augustino abjudicant S. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. Lovanienses, Bellarminus aliique, neque in Retract. neque in Indiculo Possidii memorantur, neque Augustini stylum sapiunt. Auctor hic post annum 530. aut etiam 700. vixisse perhibetur, cùm lib. 2. c. 4. *cyclorum* meminerit. 7mo. De fide ad Petrum Diaconum, liber. De eo nec in Retract. nec in indiculo quidquam; est S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, prout stylus prodit, & mutua inter S. Fulgentium & Petrum Diaconum amicitia; insuper sub nomine Fulgentii legitur ab Ecclesiâ in secundo Nocturno in festo SS. Trinit. 8vo. De Spiritu & anima liber, in quo citatur Boëtius centum ferè annis Augustinô posterior; nam Boëtius an. 526. die 23. Octob. jussu Theodorici Regis occisus est. 9no. Liber quæstionum veteris & novi Testamenti, est viri cujusdam hæretici, nam q. 2. Mundum propter diaboli præsumptionem factum fuisse dicit. q. 21. Mulierem non ad imaginem Dei creatam fuisse docet. q. 80. Homines non nasci filios diaboli tuetur, & q. 109. Melchisedech esse Spiritum sanctum, & alia similia. 10mo. De Incarnatione Verbi, libri duo. 11mo. De Trinitate & unitate Dei, liber. 12mo. De essentia divinitatis, liber. 13tio. De substantia dilectionis, liber. 14to. De salutaribus documentis, liber. 15to. Liber de amicitia. 16to. Liber de vera & falsa pœnitentia. Non sunt hi libri S. Augustini, cùm nec in Retractationibus, nec in indiculo reperiantur; & aliundè Auctor libri de vera & falsa pœnitentia S. Augustinum nominatim citet, & ab illo dissentiat. 17mo. Concio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos. 18vo. Oratio adversùs Judæos. In indiculo hæc duo Opuscula reperiri ajunt nonnulli, adeoque esse S. Augustini; sed dubitant alii, ajuntque hæc Possidii verba in indiculo posita, *Adversùs Judæos tractatus duo*, intelligenda esse de duobus sermonibus de tempore, videlicet 234. & 235. 19no. Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ, nec in Retract. nec in indiculo memoratur, nec stylum S. Augustini sapit. 20mo. De prædestinatione & gratia, liber. Liber iste nec in Retract. nec in indiculo reperitur, nec sapit Augustini stylum, nec ratio seu causa ipsi fuit hunc librum scribendi, cùm tam copiosè de prædest. Sanct. jam scripsisset. Docet etiam hujus libri Auctor c. 16. hominem potuisse justè à Deo æternùm damnari, etiamsi non peccasset, quod est contra Augustinum, lib. 3. contra Julian. c. 8. 21mo. Libri Hypognosticon 6. Catholici, utiles & eruditi quidem, sed nec in Retract. nec in indiculo memorantur, nec sapiunt Augustini stylum. 22do. Liber de Speculo. In illius cap. 3. citatur Boëtius Augustinô recentioris ævi; & cap. 27. Spiritus sanctus à Filio procedere nega-

tur, cujus oppositum passim affirmat Augustinus. 23tio. Liber de conflictu Virtutum & Vitiorum, qui etiam S. Leoni tribuitur; sed ab utriusque stylo differt, & in illius fine citatur Regula S. Benedicti Augustinô & Leone posterioris. 24to. Liber de Antichristo, mentionem facit de Imperio à Græcis ad Gallos seu Germanos translato, quod primùm an. 800. evenit. 25to. Liber expositionis in Apocalypsim, cap. 21. de statu præsentis Ecclesiæ exponit id, quod S. Augustinus, lib. 20. de Civ. cap. 17. nimiæ impudentiæ esse dicit. 26to. Liber Soliloquiorum animæ ad Deum, qui incipit, *Agnoscam te Domine &c.* de quo supra pag. 54. in Nota. 27. Sermones 76. ad fratres in eremo &c. Ab impostore aliquo semilatino sub nomine S. Augustini conficti sunt, qui SS. Augustini, Cæsarii, Gregorii, & aliorum verba identidem immiscet: eorum phrasis (si sermones duo 52. & 53. excipiantur) (*n*) impropria est, lutulenta & inepta, ut mirum sit, potuisse hos Sermones ab aliquo prudenti viro S. Augustino attribui.

Alia adhuc inter ipsius Scripta recensentur Opuscula, de quibus nihil certi nobis dicendum occurrit, cùm nullibi reperiantur notati, nec in Retract. nec in indiculo Possidii memorentur. Sunt tamen pii & docti, necnon Augustini ingeniô digni. Sunt autem hæc, 1mo. Meditationum Liber. 2do. De diligendo Deo liber. 3tio. Manuale. 4to. De triplici habitaculo. 5to. De Scala paradisi. 6to. De duodecim gradibus abusionum. 7mo. De contritione cordis. 8vo. De cognitione veræ vitæ. 9no. De vita Christiana. 10mo. De assumptione B. Mariæ. 11mo. De Cantico novo. 12mo. De contemptu mundi. 13tio. De vanitate Sæculi. 14to. De obedientia & humilitate 15to. De bono disciplinæ. 16to. De visitatione infirmorum. 17mo. De consolatione mortuorum. 18vo. De quarta feria. 19no. De Cataclysmo seu Diluvio. 20mo. De tempore barbarico. 21mo. De sobrietate. 22do. Speculum peccatoris. 23tio. De laudibus charitatis. 24to. De honestate mulierum. 25to. De Symbolo fidei. 26to. De rectitudine Catholicæ conversationis. 27mo. De utilitate jejunii. 28vo. De creatione primi hominis. 29no. De arbore scientiæ boni & mali. 30mo. De pugna animæ. 31mo. Psalterium matri suæ. 32do. Expositio super *Magnificat.*

De S. Paulino. An. Chr. 431. 63

S. Paulinus Nolanus. Obiit an. Chr. 431.

S. Paulinus in Campania Italiæ provincia Nolensis Episcopus, S. Augustini æqualis & Discipulus, vir non minùs sanctitate, quàm eruditione clarus, natione Gallus Ebromagi ad Garumnæ fluminis ripam non procul ab Burdegala Aquitaniæ urbe claris parentibus ortus; Ado-

(*n*) Hi duo sermones ponuntur inter sermones S. Augustini à Lovaniensibus ordine 49. & 50.

Adolescens sub Ausonio suo Burdegalæ Magistro ita profecit, ut tam in Oratoria quàm Poëtica facultate docentis gloriam superaverit. Exinde matrimonio Therasiæ locupleti & piæ virgini junctus cum ea in Hispaniam profectus est bis; inde in Italiam tendens, cum priùs Barcinone à Lampio Episcopo Presbyter ordinatus fuisset, & Mediolanô Româque lustratis Nolam pervenit, ubi paulò pôst creatus est Episcopus, quam Ecclesiam sanctè usque ad obitum suum rexit. Obiit autem an. Chr. 431.

Scripta ejus. Scripsit tam metrô quàm prosâ varia volumina. Scripta ejus soluta sunt, 1mo. Ad Severum Sulpicium Epistolæ 14. 2do. Ad Delphinum Burdigalensem Episcopum, à quo, post primum suum ex Hispania reditum, baptizatus fuerat, Epistolæ 5. 3tio. Ad Amandum Delphini posteà Successorem Epistolæ 6. 4to. Ad Victricium Rothomagensem Episcopum, Epistolæ 2. 5to. Ad Aprum Tullensem in Lotharingia Præsulem, Epistolæ 3. 6to. Ad Florentium Cadurcensem Episcopum, Epistola 1. 7mo. Ad Alithium sive Alethium Florentii in Sede Cadurcensi Successorem Epistola una. 8vo. Ad Desiderium fortè Lingonensem Episcopum, Epist. una. 9no. Ad Macarium, illum haud dubiè Solitarium, cui Ruffinus suam pro Origene direxit apologiam, Epist. una. 10mo. Ad Pammachium virum proconsularem, ut consoletur eum de obitu conjugis suæ Paulinæ, sanctæ Paulæ filiæ post Blæsillam natu maximæ. Ep. una. 11mo. Ad Jovium virum eloquentem & eruditum, sed de providentia Dei philosophicè, & non Christianè sentientem, Ep. una. 12mo. Ad Militem quemdam Epist. una, qua eum hortatur ut à Cæsaris ad sacram militiam transeat. 13tio. Ad Sebastianum Eremitam Epistola. 14to. Ad Augustinum, Epistolæ 4. 15to. Ad Alipium, Ep. una. 16to. Ad Romanianum Epist. una, qua ei nuntiat, Valerio Hipponæ Episcopo Augustinum Collegam esse datum. 17mo. Ad Licentium Augustini quondam discipulum, Ep. una, ubi prosâ & carmine eum hortatur, ut relictô Sæculô se totum Christo tradat. 18vo. Ad Ruffinum, Epistolæ 2. 19no. Ad Marcellam Ep. una. 20mo. Ad Celantiam nobilem Matronam, Ep. una. 21mo. Ad Eucherium & Gallam uxorem ejus, Ep. una.

Scripta ejus metrica seu Poetica sunt, 1mo. Ad Jovium Epistola una, in qua docet fatum & fortunam nihil esse. 2do. Ad Ausonium Magistrum suum Epistolæ 4. 3tio. Ad Citherium carmen de naufragio Martiniani &c. 4to. De obitu Celsi pueri carmen panegyricum. 5to. Natales S. Felicis, hoc est, Natalitia carmina varia, in Natalem S. Felicis. 6to. Panegyricus Theodosii super victoria tyrannorum.

Extant insuper in Bibl. PP. Opera nonnulla alia, quæ falsô tribuuntur S. Paulino Nolano, ut 1mo. Sex libri de vita S. Martini Turonensis Episcopi carmine conscripti. Illorum enim Supposititia alia nonnulla.

Auctor

Auctor meminit S. Paulini Nolani, & se ejusdem nominis esse dicit, necnon hoc suum Opus dedicat Perpetuo Turonensi Episcopo, qui sedit annô circiter 470. & præfuit Concilio Turonensi an. 480. longè post obitum Paulini Nolani. 2do. Vita S. Ambrosii. Hæc stylum Paulini non sapit, & auctor indicat se ut ministrum & amanuensem adstitisse S. Ambrosio; Paulinus autem Nolanus nunquam ut Minister adstitit S. Ambrosio, & multò ante ejus mortem Presbyter erat, ut ipse testatur in Ep. ad Alipium. 3tio. Carmen Eucharisticum de vita sua. Illius Auctor scribit Gesta sua usque ad annum vitæ 83. at Paulinus Nolanus non excessit annum vitæ 78. ut constat ex Baronio.

Præter hunc Paulinum celebrantur adhuc alii apud Scriptores Ecclesiasticos; ut sunt 1mo. Paulinus Bitterensis, cujus Epistolam sub annum Chr. 420. Idacius commemorat, inquit Gennadius, de Script. Eccl. 2do. Paulinus auctor memorati Carminis Eucharistici, quem Ausonii ex filio Hesperio nepotem fuisse ex ejus versibus deprehendisse sibi idem Gennadius videtur. 3tio. Paulinus Petricordius, qui suprà memoratam vitam S. Martini Turonensis sex libris metricè conscripsit, & Perpetuo Turonensium Episcopo dicavit. 4to. Paulinus Aquilejensis Patriarcha tempore Carolomanni, circa an. 774. qui claruit variis in Conciliis contra Elipandum Toletanum, & Felicem Urgelitanum Episcopos, & contra quos libellum edidit, cui t ulus est, Libellus de SS. T nitate adversus Elipandum Toletanum, & Felicem Urgelitanum Antistites, dictus Sacrosyllabus.

De S. Nilo. An. 440. 64

S. Nilus. Floruit circa an. 440.

S. Nilus patriâ Constantinopolitanus nobilitate generis atque opibus illustris, adeò ut Urbis Constantinopolitanæ Præfecturâ donaretur. Potentiâ & opibus affluens, iis asceticam vitam prætulit, factus cum filio suo Theodulo in monte Sinai Monachus, & multorum in Oriente Monachorum Abbas, S. Joannis Chrysostomi discipulus, Theodoreti coætaneus, sub Theodosio juniore, sanctitate & eruditione celebris & clarus circa an. 440. Varia reliquit eximia solidæ pietatis & sanctæ eruditionis Opera, inter quæ hæc præcipuè numerantur, 1mo. Parænetica, hoc est liber Paræneticus, sive admonitorius vel hortativus, varia Parænetica complectens capita brevia, sive hortationes & monita. 2do. De Oratione liber, sive de modo orandi Deum. 3tio. Liber Asceticus seu de Christiana Philosophia, quo nomine Monasticam intelligit. 4to. De Monachorum institutione, liber unus. 5to. De Monachorum præstantia tractatus. 6to. Peristeria, seu Tractatus de virtutibus excolendis, vitiisque fugiendis exemplô Peristeriæ clarissimæ eo Sæculo fœminæ, & mirandæ virtutis Matronæ, ad Agathium monasticam vitam agentem. 7mo. De voluntaria paupertate, seu de nihil possidendo tractatus

Ejus Scripta.

ad

ad Magnam Ancyræ Diaconissam fœminam illustrem & venerandam. 8vo. Tractatus de vitiis ad Eulogium Monachum. Quem sequitur Tractatus de diversis malignis cogitationibus, ad eumdem. 9no. Historia de Incursione Saracenorum, & de martyrio occisorum in monte Sinai, in qua occisos Presbyteros, & filium suum Theodulum aliosque plures sublatos asserit. 10mo. Epistolæ 657. de novo detectæ & Latinitate donatæ à Leone Allatio post jam editas 355. à P. Possevino S. J. quarum duæ ultimæ, una videlicet ad Olympiodorum Præfectum, altera ad Heliodorum silentiarium lectæ fuêre in Act. 4. Concilii Oecum. VII. in confirmationem sacri imaginum cultûs.

65 De S Cyrillo Alexandrino. Obiit an. Chr. 444.

De S. Cyrillo Alexandrino. *Anno* 444.

S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, post Theophilum avunculum & ante Dioscorum Eutychianum Alexandrinæ Sedis Episcopus an. Chr. 412. vel 413. ordinatus, vir fuit vitæ sanctitate, doctrinæ famâ, & ingenii acumine clarus, hæreticorum omnium, maximè Nestorianorum, de quibus tandem, Ecclesiæ fulmine prostratô Nestoriô, gloriosè triumphavit; in Alexandrino primùm & deinde in Ephesino Oecumenico Concilio Cœlestini I. Papæ vices agens ut Legatus & Præses. Post 32. annorum Episcopatum vitam posuit Theodosio juniore imperante, & Sedem Romanam occupante S. Leone Magno an. Chr. 444. die 28va. Januarii.

Ex variis, quæ scripsit, opera sunt præcipua sunt ista, 1mo. In Scripturam Opera varia, ut in Genes. lib. 11. In Leviticum libri 16. sed videntur esse Origenis, tùm quia sensum litteralem ubique destruit auctor, tùm quia reperiuntur inter Origenis Opera. In Isaiam libri 5. In Evangelium S. Joannis lib. 5. Dicta Veteris Testamenti anagogicè, breviter & dilucidè explicata. Liber adversùs Judæos. Breves Anagogæ, de iis, qui floruerunt ante Legem, ut Abel, Enos, Abraham, Isaac, Jacob, &c. 2do. Epistolæ variæ è quibus 39. numerantur occasione impiæ Nestorii doctrinæ ad varios, & variæ ad ipsum, necnon ad ipsum Nestorium aliquot in quarum tertia quæ ipse credere debeat, quæve anathematizare exponit ei duodecim capitulis, quibus singulis additur anathema, quæque ideo duodecim anathematismi Cyrilli vulgò vocati sunt. 3tio. Homiliæ 10. mirabiles & eruditæ, suntque ferè omnes de mirabili Verbi Incarnatione & contra impia Nestorii dogmata, quarum septima & octava à Paulo Emeseno Episcopo coram Cyrillo Alexandrino Alexandriæ dictæ fuerunt. 4to. Apologia ad Theodosium Imperat. Ad inclytas Reginas Eudoxiam videlicet ejus uxorem & Pulcheriam sororem cùm prius, ut eas contra nascentem Nestorianam hæresim in fide firmaret, scripsisset, à Nestorii sectariis accusatur apud Imperatorem, quasi aulicæ quietis perturbator, à quo crimine, ut

Ejus Scripta.

ut se purgaret, hanc scripsit Apologiam. 5to. Declaratio 12. Capitum, seu Anathematismorum fusior explicatio Ephesi in Concilio prolata. 6to. Liber Apologeticus pro 12. Capitulis ad Orientales Episcopos. 7mo. Alter Apologeticus ad Euoptium Episcopum pro iisdem 12. Anathematismis contra reprehensiones Theodoreti Cyrensis Episcopi. 8vo. Expositio Symboli Nicæni ad Anastasium, Alexandrum, Martinianum &c. Presbyteros &c. 9no. Synodales Epistolæ 12. quæ haud parùm faciunt ad noscenda ea, quæ in Synodo Ephesina gesta fuerunt. 10mo. Thesaurus adversùs hæreticos, hoc est, Opus insigne adversùs hæreticos, Arianos scilicet, & Eunomianos, de consubstantialitate Filii & Spiritûs sancti cum Patre ad fratrem suum Nemessinum. 11mo. Dialogorum cum Hermiâ viro doctissimo & æquissimo libri 7. de consubstantiali Trinitate. 12mo. De adoratione in spiritu & veritate libri 17. ad Palladium. 13tio. Contra Julianum Apostatam, seu libros 3. quos ipse contra Religionem Christianam scripserat, libri 10. pro eadem Religione Christiana. 14to. De recta in Christum fide ad Theodosium & Reginas, Eudoxiam nempe & Pulcheriam libri 2. 15to. Adversus Antropomorphitas, seu eos, qui Deum formâ humanâ præditum asserebant, liber unus.

Præter hos libros S. Cyrillo tribuitur liber unus de Sacro-Sancta Trinitate, at illius non esse, sed recentioris auctoris conveniunt eruditi ex eo, quòd in eo de duabus in Christo voluntatibus & operationibus copiosè disserat auctor, unde indicium est, librum hunc non Cyrilli tempore scriptum fuisse, sed post exortam Monothelitarum hæresim Cyrillo posteriorem.

Insuper Cyrillo Alexandrino adscribuntur in 12. Prophetas minores Commentarii, Ingolstadii in folio Græcè & Latinè cusi. Item dicuntur extare in Bibliotheca Vaticana Romæ totidem Cyrilli manuscriptæ Paschales Epistolæ, quot fuerunt ejus Episcopatûs anni.

De S. Hilario Arelatensi. An. 449.

S. Hilarius Arelatensis Episcopus. Obiit an. Chr. 449. 65

S. Hilarius gente Gallus parentum origine clarus, & professione Cœnobii Lirinensis insulæ sub S. Honorato Monachus, tandemque, post Honoratum Arelatensem Episcopum, ordinatus & ipse Arelatensis Episcopus, SS. Leonis Magni & Augustini coætaneus, vir juxta S. Eucherium, clarus eloquiô & ingeniô, annis juvenem, & moribus senem præferens. Obiit meritis plenus an. Chr. 449. cujus vitam scripsit S. Honoratus Massiliensis Episcopus.

Scripta ipsius.

Scripsit 1mo. Vitam S. Honorati Lirinensis insulæ cultoris primi, Arelatensisque posteà, post Patroclum, Episcopi & prædecessoris sui. 2do. Homilias varias pro totius anni festivitatibus. 3tio. Expositionem Symboli. 4to. Epistolas varias ad Germanum contra Hæreses. 5to. Carmen heroicum de Gene-

neſeos Hiſtoria ad Leonem Papam.

Eidem à nonnullis adſcribitur Epiſtola una de prædeſtinatione ad ſanctum Auguſtinum, contra Pelagianos; ſed perperàm; nam S. Proſper de eadem re cum Hilario ad Auguſtinum ſcribens, ait, Hilarium Arelatenſem tunc fuiſſe Epiſcopum(*x*), Hilarius verò, qui ſcribit ad Auguſtinum ſe tunc Laicum fuiſſe ſignificat, atque ſe in Africa Auguſtini diſcipulum fuiſſe teſtatur; conſtat verò Hilarium noſtrum nusquam in Africa fuiſſe.

66 S. Petrus Chryſologus Obiit an. 450.

De S. Petro Chryſologo. Anno 450.

S. Petrus Chryſologus natione Italus in Foro Cornelii, quod hodie Imolam vocant, honeſtis & claris parentibus natus, à S. Cornelio Ravennæ civitatis Epiſcopo tam bonis moribus, quàm litteris inſtitutus, ac ab eodem demum ſacro altari admotus; anno denique 433. Ravennæ Epiſcopus factus eſt, atque ſanctitate & doctrinâ clarus obiit annô Chr. circiter 450. Hallucinantur enim, qui vitam illius ad ſequentis Sæculi initium, nempe ad an. Chr. 502. protrahunt; ſiquidem extat S. Leonis Papæ Epiſtola 37ma. ad Leonem Ravenatum Archipræſulem & S. Petri Chryſologi Succeſſorem Martianô & Adelphiô Conſulibus, id eſt, annô 451. data.

Ejus Scripta.

Scripſit Homilias, ſive Sermones 176. in Evangelia de Dominicis & Feſtis aliquot ſolemnioribus totius anni, breves quidem, ſed inſignes pietate, doctrinâ uberes, & eloquiô diſertos. Scripſit etiam ad Eutychen Presbyterum & Archimandritam Conſtantinopolitanum inſignem Epiſtolam, quá ad fidem Catholicam eum reducere allaborat; & in qua ſupremam Romani Pontificis in fidei & morum quæſtionibus definiendis auctoritatem agnoſcit & deprædicat his verbis: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam* B. *Petrus, qui in propria Sede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi, cauſas audire non poſſumus.*

De Vincentio Lirinenſi. An. 450.

Vincentius Lirinenſis Monachus. Obiit circa an. 450. vel paulò antè. 67

Vincentius Lirinenſis vel ob ſuum egregium adverſùs hæreticos libellum, quem *Commonitorii* titulò inſignivit, hîc locum mereri nobis videtur. Fuit gente Gallus, Tulli Leucorum, primæ Belgicæ ſeu Lotharingiæ oppidi natus, ſplendidâ nobilique familiâ ortus, patrem Epirochium, fratrem Lupum Epiſcopum Trecaſſinum habuit. Primis juventutis annis militiam ſæcularem ſecutus eſt; quâ deſertâ

Xxx 2

(*x*) Eumque Semipelagianorum partibus adhæſiſſe teſtatur.

fertâ, ad Lerinum (y) se conferens vitam monasticam amplexus est, ad Presbyteratûs dignitatem mox evectus. Claruit an. 434. trienniô scilicet post Synodum Ephesinam, quo, ut ipse testatur (z), Commonitorium suum scripsit. Obiit an. 450. vel paulò antè Theodosiô adhuc & Valentinianô regnantibus. Eum Semipelagianum fuisse contendunt eruditi non pauci, negant alii; qua de re plura inf. Tom. 2. Tract. 4. de Gratia c. 2. §. 3.

Ejus Scripta. Scripsit Vincentius, suppressô suo, & assumpto *Peregrini* nomine, nitido satis & aperto Sermone adversùs Hæreticos Commonitorium duplex; posterius furtò sibi ablatum perdidit; undè recapitulationem quamdam, quæ istius vices suppleret, priori subnexuit. Scripsit adhuc Vincentius, juxta complures eruditos, objectiones pro Semipelagianis adversùs Augustini Scripta & doctrinam de prædestinatione & libero arbitrio; quas capitulis 16. summatim comprehensas exhibet S. Prosper in libro, quo eas refellit.

68 S. Eucherius Lugdunensium Episcopus antiquior. Obiit annô Chr. 454.

De S. Eucherio antiquiori. Anno 454.

Duos Eucherios inter SS. Patres binosque Lugdunensium diverso tempore Episcopos, unum videlicet, qui an. Chr. 432. ibidem consecratus fuerit Episcopus, alter verò, qui annô Chr. 529. Concilio Arausicano II. interfuit, & cujus nihil superest præter Historiam passionis S. Mauritii ac Sociorum ejus Thebæorum, ad Sylvium Episcopum, evincunt eruditi.

S. Eucherius ergo, de quo nunc agimus, & quem seniorem nuncupamus seu antiquiorem, vir fuit natione Gallus, natalibus illustris, vitamque Monasticam egit in insula quadam propè Lerinum sita, ubi, ut videtur, degit, donec annô 432. Episcopus Lugdunensis factus est. Annô 441. Concilio Arausicano I. interfuit. Obiit circa an. 454. Valentinianô & Martianô regnantibus. Uxoratum fuisse constat: nam ex conjugio Solanium & Verianum Episcopatûs posteà dignitatem adeptos suscepit filios.

Scripta ejus hæc sunt, 1mo. Liber formularum spiritualis intelligentiæ ad Verianum filium, in quo explicat significationes nominum latinorum S. Scripturæ, eorumque figuras, in quibus accipi solent in S. Scriptura, ut his perceptis interjnus sensus & spiritalis facilè perci- Ejus Opera.

(y) *Lerinum* seu *Lirinum*. Duæ propè littus Provinciæ Gallicæ Regionis ex adverso Oppidi Cannarum dicti & duabus ab urbe *Antipodis* versûs meridiem leucis Gallicis in mari mediterraneo sitæ conspiciuntur; quarum major & littori propinquior, ab Antiquis Lero seu Loron dicta, S. Margarithæ nomen habet; altera & minor ab Antiquis Planasia, Lerins, Lerinum, & Lerinus dicta, insula S Honorati, ob insigne ab eo in illa extructum Monasterium, ex quo plures Episcopi & Martyres Ecclesiæ dati fuerunt, atque etiamnum hodie à Benedictinis incolitur, nuncupatur. Ambæ hæ insulæ vulgò Lerinæ insulæ vocantur. (z) Commonit. cap. 42.

percipiatur. 2do. Libri duo de difficilioribus veteris ac novi Testamenti quæstionibus ad Solanium filium. 3tio. Parænetica ad Valerianum cognatum suum de contemptu mundi & sæcularis Philosophiæ Epistola. 4to. Ad Hilarium Arelatensem de laudibus eremi, seu de vita solitaria.

Libri explanationum in Genesim, & libros Regum, quæ ipsi vulgò tribuuntur, sunt auctoris recentioris; cùm in iis citetur Gregorius Magnus Eucheriô longè posterior, & in fine præsertim libri invitetur Lector ad legenda Gregorii Magni Moralia.

69 Theodoretus Cyri Episcopus. Obiit annô Chr. ut creditur 460. vel 470.

De Theodoreto Cyri Episcopo. An. Chr. 460.

Theodoretus Cyri Episcopus, Antiochiæ piis & nobilibus parentibus ortus, matrique sterili sanctorum Syriæ Monachorum precibus à Deo datus, & à parentibus Deo redditus, *Theodoreti* seu *Theodoriti* exinde nomen meritò traxisse videtur. Nondum septimum vitæ annum exegerat, cùm ad S. Euprepii Monasterium non longè ab Antiochia dissitum mittitur tam bonis litteris, quàm moribus, instituendus, ubi brevi tantam pietatis, & eruditionis famam consecutus est, ut annô circiter 423. juvenis adhuc & invitus fuerit ordinatus Cyri Episcopus, hoc est, oppidi in Syria à Cyro Persarum Rege conditi, & ipsius nomine vocati, qua in Sede octingentarum Ecclesiarum curam sortitus est (tot enim parochiales Cyrensis Episcopus habet Ecclesias) Diutina & permulta contra Paganos, Judæos, Hæreticos, Arianos, Marcionitas, Eunomianos, certamina suscepit & sustinuit, vir sanè magnus, stylô fluidus, & eloquiô facilis, copiosus & amœnus, Orientalis Ecclesiæ Pater & Doctor celeberrimus, S. Joannis Chrysostomi discipulus & sectator fidelissimus, Cyrilli Alexandrini coætaneus, & tantisper aliquando pro Nestorio, sed zelô Religionis adversarius; qui tandem posteà resipiscens, cum Cyrillo inita pace, Nestorio lubens anathema dixit. Posteà in prædatoria Synodo Ephesina an. 449. præside Dioscoro Alexandrino Episcopo Eutychiano non vocatus nec auditus ab hæreticis condemnatus, & à sua Sede perperàm & injustè detrusus est; sed eidem à S. Leone Magno Papa in Concilio Oecumenico IV. Chalcedone celebrato an. 451. restitutus, tandem piè obiit an. Chr. 460. vel 470.

Ejus Scripta sunt 1mo. In Vetus Testamentum Opera varia; ac præcipuè liber de selectis Scripturæ quæstionibus ambiguis; necnon Commentaria varia in omnes Davidis Psalmos, Cantica, Prophetas omnes, exceptô Isaiâ. 2do. In Pauli Epistolas 14. Commentarium, in cujus præludio notatur Chronologicus earumdem ordo. 3tio. Historiæ Ecclesiasticæ libri 5. in Supplementum Historiæ Eusebii Cæsariensis. 4to. Eranistis seu Mendici & Orthodoxi Dialogorum libri tres contra Eutychianos. *Eranistem* id est mendicum vel emendicatorem, seu *Polymor-* Ejus Scripta.

morphum, id est, multiformem in iis vocat Eutychianum, ut qui hæresim ex multis aliis emendicatam & consarcinatam defendat. 5to. Hæreticarum fabularum libri 4. quibus additur & opponitur 5tus, qui est doctrinæ divinorum decretorum Epitome, ut sic manifestè pateat mendacii & veritatis discrimen, & ostendatur, has hæreses omnes esse divinorum decretorum doctrinæ contrarias. 6to. Historia Religiosa de Sanctis qui ætate Theodoreti in Oriente claruère viris. 7mo. De curandis Græcorum affectionibus libri 12. in quibus contra Gentiles infidelesque Græcos Evangelicæ Christi Religionis veritatem defendit argumentis ex Gentilium infideliumque Græcorum Philosophia depromptis. 8vo. De providentia Sermones 10. contra impios Dei providentiam negantes. 9no. Epistolæ variæ & plus quàm quingentæ, ut testatur Nicephorus, è quibus adhuc 147. supersunt, inter quas præcipua est ea, quam ad Leonem Papam I. exaravit, quâ ob injustam suam depositionem auctoritatem & judicium ipsius implorat. 10mo. Capitula 12. in Cyrillum scripta & 12. ipsius anathematismis contra Nestorium editis opposita.

69 De S. Leone Magno. Obiit annô 461.

De S. Leone Magno. An. 461.

S. Leo Pontifex Romanus hujus nominis primus, cognomentô Magnus, patriâ Tuscus, ut volunt aliqui, vel Romanus, ut contendunt alii, Patre Quintianô natus, S. R. E. Diaconus primò, virque in divinis Scripturis eruditè versatus, & in declamandis ad populum Homiliis adeò celebris & facundus, ut eo superiorem in dicendo Ecclesia Romana his temporibus haberet neminem. Sixto Papæ III. defuncto suffectus est 28. Julii, annô Chr. 440. dum in Gallia Legatione fungeretur, Romamque rediens in solium Pontificale elevatus est eodem anno 8. Septembris, tempore quidem parùm læto, quo ob ingruentes Barbarorum incursiones, & circumstrepentes undique Nestorianorum, Pelagianorum, Arianorum hæreses, tristissima erat tùm Ecclesiæ tum Reipublicæ facies. His non obstantibus Leo in munere suo exequendo virilem præ se tulit semper animum. Attilam Hunnorum Regem, cognomentô *flagellum Dei*, armata manu Italiæ prædia vastantem, & Romam ipsam vastare paratum, cohibuit, & ab hostili proposito removit: paulò pòst eadem eloquentiæ vi & sanctitatis famâ Genserico Vandalorum Regi jam Romam ingresso, & omnia igne ferroque delere molienti, suasit, ut ab incendio, ignominiis, & cædibus abstineret. Tandem post debellatas varias præsertim Nestorianam, & Eutychianam, contra quam Martiano Imperatore juvante Chalcedonense Concilium indixit, aliaque præclarè pro Ecclesia gesta vitam posuit an. Chr. 461.

Scripta ejus genuina sunt 1mo. Sermones varii de præcipuis solemnitatibus Domini & Sanctorum, ac de feriis & nonnullis aliis argumentis. 2do. Epistolæ decretales, & familiares ad varios variæ, inter quas eminet celebris ad Flavianum contra Ejus Scripta genuina.

tra

tra Eutychen Epistola. 3tio. Tractatus unus contra Eutychis & aliorum hæreticorum errores.

Dubia & suppositi-tia. Libri duo de vocatione Gentium, & Epistola ad Demetriadem virginem, quæ inter Opera S. Prosperi reperiuntur, perperàm S. Leoni tribui videntur; quia Gelasius Papa, vir eruditissimus Leonique ferè coætaneus, eos sub nomine cujusdam Ecclesiæ Ministri duntaxat laudat, non verò S. Leonis; atque Prosperi eosdem esse testantur omnes ab octingentis annis Mss. Codices.

Epistola item inter ipsius Epistolas 88va. de Privilegio Chorepiscoporum supposititia videtur, quia apud antiquos nulla fit illius mentio, nec S. Leonis stylum sapit.

70 S. Prosper. Obiisse creditur circa an. Chr. 461.

De S. Prospero. An. 461.

S. Prosper Aquitanicus natione, Episcopum Rhegiensem in Gallia eum fuisse asserunt benè multi; alii verò neutiquam Episcopali dignitate fulsisse tuentur, quòd ex Veteribus, antè Honorium Augustodunensem, qui primùm circa an. Chr. 1130. floruit, nullus eum alicubi Episcopum vocet. Vir fuit in divinis Scripturis eruditissimus, in sæcularibus nobiliter doctus, carminibus excellens & prosâ, eloquiô disertus, sensu profundus, ingeniô subtilis, assertione nervosus, vitâ & conversatione sanctissimus, Hilarii Arelatensis coætaneus, S. Augustini doctrinæ in Gallia contra Pelagianos & Semipelagianos defensor insignis, sanctique Leonis Magni ab Epistolis, sive Notarius quondam eruditus & illustris, in cujus persona multas & celebres dictavit Epistolas. Obiisse creditur circa an. Chr. 461. Certè illius velut adhuc superstitis meminit Marcellinus comes in Chronico ad an. 460. Baronius illum annô Chr. 465. obiisse dicit.

Scripta ejus hæc sunt, 1mo. De prædictionibus & promissionibus Christi Tractatus, in quo omnia vaticinia & promissiones de Christo & Ecclesia in sacris litteris expressè elucidantur. 2do. De vita contemplativa libri 3. sive de virtutibus & vitiis tractatus insignis. Sed Opus istud Juliano Pomerio Mauritaniæ ex Africa Presbytero in Gallia ordinato & Arelate degenti tribuunt Gennadius, & Isidorus Hispalensis Episcopus c. 12. de Eccl. Script. Honorius Augustodun. cap. 4. & Gennadius de Viris Illust. Prosperi recensentes Opera de libris istis altùm silent. 3tio. Epistola de gratia & libero arbitrio ad Ruffinum, in qua nequissimum illud & capitale Pelagianæ Sectæ dogma refellit, quo asseritur, *gratiam Dei secundùm hominis merita dari.* 4to. Responsiones ad Capitula Gallorum, ad Objectiones Vincentianas (*a*), ad excerpta Genuensium. 5to. Liber de gratia 71
Dei contra Collatorem, scilicet Cassianum (*b*) Collationum auctorem,

Scripta ipsius.

(*a*) Id est Vincentii Lerinensis. (*b*) Fuit Joannes Cassianus genere Scytha ex Taurica Chersonesô oriundus, & Athenis natus. Constantinopo-

ctorem, in quo ejus ex 13tia. collatione decerptos refellit errores. 6to. Ex sententiis S. Augustini epigramatum liber unus. 7mo. Carmen de ingratis contra Pelagianos. 8vo. Expositio in Psalmum 100mum. & in 50. sequentes. 9no. Ad Augustinum Epistola una, quâ è Gallia eum monet de Pelagianorum reliquiis, sive de Massiliensium erroribus, & ejus contra illos implorat auxilium; alteram ad eumdem scripsit Hilarius Arelatensis, quibus responsurus Augustinus, duos scripsit libros, unum de prædestinatione Sanctorum, alterum de bono perseverantiæ. 10mo. Chronicon, sive Eusebii & S. Hieronymi Chronici continuatio, Opus hoc perduxit usque ad an. 455. unde paulò pòst obiisse eum censent multi. 11mo. Libri duo de vocatione Gentium perperàm S. Leoni ab aliquibus adscripti. Sunt tamen, qui eos S. Ambrosio tribuant, sed falsò, eòquòd ex c. 22. libri 1. constet eos scriptos fuisse post damnatam Pelagii hæresim, quam S. Ambrosius non attigit. Alii nec Prosperi nec Ambrosii eos esse contendunt, sed auctoris incerti stylum Africanum sapientis; verùm antiqui Codices Mss. eos Prospero vindicant. 12mo. Epistola ad Demetriadem, scripta post damnatam Pelagii hæresim, & contra priorem Pelagii ad eamdem Virginem Epistolam.

Sub illius præthereà nomine circumfertur Poëma aliquod de providentia Dei. Sed patet illud non esse S. Prosperi, sed viri cujusdam Pelagiani, Christi gratiam non rectè explicantis; docet enim optimum quemque non plùs gratiæ accipere à Deo, quàm pessimum; Sanctos Patres ex lege naturæ bonos fuisse; auxilium Dei præveniri, & alia errori Pelagii consona &c.

De S. Maximo Taurinensi. An. 465.

72 S. Maximus Taurinensis Episcopus. Obiit circa an. Chr. 465.

S. Maximus Augustæ Taurinorum Pedemontanæ ditionis Episcopus, pietate & doctrina celebris, cujus ortûs locus ignoratur, interfuit Mediolanensi Concilio sub S. Leone Rom. Pont. & Eusebio Mediolanensium Præsule, an. Chr. 452. ubi juxta formam famosæ S. Leonis ad Flavianum Epistolæ Eutychiana hæresis damnata fuit. Item alteri

---

tinopolim profectus ibidem à S. Chrysostomo Diaconus ordinatus. An. 404. in exilium missô S. Joanne Chrysostomô, legatus à Clero Constantinopolitano Joannis partium studioso ad Innocentium Papam missus est, ut Joannis causam ageret &c. Romæ ab Innocentio Presbyter ordinatus, post expugnatam an. 410. à Gothis Romam, Massiliam venit; ubi duo Monasteria condidit, virorum unum, mulierum alterum. Scribere orsus est ab an. 424. obiit autem an. 448. ætatis suæ 97. Primum inter Semipelagianos sive Massilienses, quibus lampadem prætulisse videtur, locum tenuit; Pelagianorum tamen hostis acerrimus. Ob SS. Scripturarum scientiam plurimùm laudatur à S. Prospero, ut & ob disputandi acumen; ob facundiam autem à Cassiodoro.

Scripsit 1mo. Libros duodecim, quorum 4. priores de Institutis Cœnobiorum agunt, octo posteriores de octo Vitiis capitalibus. 2do. Collationes Patrum numerò 24. 3tio. De Christi Incarnatione adversùs Nestorium libri septem.

alteri Romano Concilio 48. Episcoporum sub Hilario Papa annô Chr. 465. in quo tria edita fuêre decreta ad rectam Clericorum ordinandorum dispositionem spectantia; proinde obiit valdè senex & eodem an. 465. vel posteà.

Scripta ejus. Ejus Scripta sunt elegantes Sermones seu Homiliæ; quarum aliæ sunt Hiemales de tempore, aliæ Æstivales, de diversis argumentis aliæ.

73 Gennadius. Obiisse creditur an. 492. vel 493. *De Gennadio Massiliensis Ecclesiæ Presbytero. An. Chr. 492.*

Gennadius Ecclesiæ Massiliensis Presbyter hîc à nobis tanquam Scriptor Ecclesiasticus memoratur. Floruit tempore Anastasii Imperatoris & Gelasii I. Papæ, & obiisse creditur, an. Chr. 492. vel. 493.

Ejus Scripta. Scripsit præter libros octo adversùs hæreses omnes; librum unum de Ecclesiasticis dogmatibus; & de viris Illustribus alterum ad annum 490. usque perductum, in quo Semipelagianismi suspicionem reliquit aliquam; in eo enim Cassianum & Faustum, licèt Semipelagianizantes laudat, & S. Prosperum è contra deprimit, qui tamen strenuè contra Pelagianos & Semipelagianos pro Dei gratia pugnavit: Sed hos errores deposuisse creditur, atque Semipelagianismo renuntiasse, hinc viris sanctissimis eum adnumerat Adrianus Papa Ep. ad Carol. M.

Sæculô VI. SÆCULO VI.

74 S. Fulgentius. Obiisse creditur an. 533. *De S. Fulgentiô. An. 529.*

S. Fulgentius natione Afer, patriâ Carthaginensis nobilibus parentibus, Claudiô Gordianô scilicet patre, & Marianâ matre Christianâ & honestâ fœminâ genitus, mortuo patre, post ritè peracta studia, Monachus efficitur, brevî è Monacho Abbas & ex Abbate tandem sub Trasimundo Vandalorum Rege in Africa Ecclesiæ Ruspensis Episcopus eligitur an. circiter 500. Vir Græcâ & Latinâ linguâ peritus, in divinis Scripturis copiosè versatus, concionandique genere clarus; ob strenuè propugnatam contra Faustum Reghiensem cæterosque Semipelagianos S. Augustini doctrinam, sui temporis Augustinus meruit appellari; ob impugnatam autem Arianæ Sectæ perfidiam, a Trasimundo in Sardiniam relegatus fuisse dicitur, sed post Regis hujus obitum, ab Hilderico ejus successore pace Africanis Ecclesiis reddita, ad suam Ecclesiam reversus, tandem ibi obiit Kalendis Januarii an. Chr. circiter 529. vel, ut opinantur aliqui 533. Episcopatûs sui 25. ætatis 65.

Ejus Scripta. Præcipua ejus Scripta sunt, 1mo. Ad Monimum libri 3. 1. De duplici Prædestinatione, unâ bonorum ad gloriam, alterâ malorum ad pœnam 2. De Sacrificii oblatione, Spiritûs S. missione, & supererogatione S. Pauli, qui, cùm potuisset de Evangelio vivere, maluit tamen nedùm sibi, sed & convictoribus suis necessarium propriis manibus operando quærere. 3. De expositione dicti illius Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum.* 2do. Adversùs Arianos liber ad decem eorum objectiones totidem responsiones continens.

3tio. Ad Trasimundum Wandalorum Regem libri tres 1. De mysterio Mediatoris Christi duas naturas in una persona retinentis; 2. De immensitate divinitatis Filii Dei. 3. De Sacramento Dominicæ passionis. 4to. Pro fide Catholica adversùs Pintam Episcopum Arianum liber unus. 5to. Ad Donatum de fide orthodoxa liber unus, quo illum instruit de fide Trinitatis & Incarnationis. 6to. De fide ad Petrum Diaconum liber unus. 7mo. Ad eumdem de Incarnatione & Gratia Christi, liber unus. 8vo. De Trinitate ad Felicem Notarium, liber unus. 9no. Ad Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum de baptismo Æthiopis moribundi, liber unus. 10mo. Ad Eumdem de quinque quæstionibus, liber unus. 11mo. Ad Euthymium de remissione peccatorum libri duo. 12mo. De veritate prædestinationis & gratiæ Dei, libri 3. 13tio. Ad Reginum Comitem liber unus contra eos, qui tuebantur Christi Carnem suapte naturâ incorruptibilem, & passionum omnium expertem fuisse. 14to. Epistolæ familiares ad diversos variæ. 15to. Homiliæ sive Sermones de variis argumentis variæ, quorum 90. numerantur in Bibl. PP. Tom. 9.

75 Dionysius exiguus. Obiit an. Chr. circiter 540.

De Dionysio Exiguo. An. 540.

Dionysius è Scythia oriundus Monachus & Abbas Monasterii alicujus Romani hucusque eruditis incomperti, Cassiodori familiaris, cognomentô *Exiguus*, sed doctrinâ & vitæ sanctitate magnus, relictis variis peritiæ suæ monumentis, clarusque meritis obiit circa an. Chr. 540. vel ut alii volunt paulò ante an. 556. quo anno Cassiodorus librum suum de divinis lectionibus scripsit: in eo enim Dionysium, jamjam ut ait, defunctum, impensè laudat.

Ejus Scripta. Multa vel Latinè collegit & scripsit, vel è Græco in Latinum transtulit, quorum hæc hactenus nobis innotuêre, 1mo. Collectio Sacrorum Canonum è variis Ecclesiæ Conciliis & Romanorum Pontificum Decretis duobus separatis libris distincta. 2do. Epistola Synodica S. Cyrilli & Concilii Alexandrini adversùs Nestorium, latinè versa. 3tio. Epistola S. Protherii Episcopi Alexandrini ad S. Leonem Papam de ratione Paschali, latinè versa. 4to. Vita S. Pachomii Abbatis, Latinè data. 5to. Oratio S. Procli ex Ciziceno Episcopo Patriarchæ Constantinopolitani de Laudibus S. Dei genitricis Mariæ adversùs Nestorii blasphemias, cum Epistola ejusdem Procli de fide ad Armenos, & altera ad Domnum pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi. 6to. Gregorii Nysseni de opificio hominis liber in duas Homilias divisus. 7mo. Cyclus Paschalis annorum 97. ab. an. 527. ducens initium, in quo relictâ profanâ Olympiadum, Consulum, & Imperatorum Ærâ, (*c*), omnium primus annos

(*c*) Æra seu Epocha est punctum fixum à quo annorum series numerari incipit. Vid. dicta part. 2. Physices seu Physicæ particularis part. 1. cap. 2. de corporibus cœlestibus tit. de Calendario &c.

nos numerare cœpit ab incarnato Dei Filio, seu à momento Nativitatis ipsius; quâ Ærâ Christianâ adhuc hodie utuntur Christiani omnes; atque Æra *communis* seu *Dionysiana* nuncupatur; communis dicitur, quia communiter in Ecclesia Romana usurpatur. Multi tamen eruditi contendunt, Christum quartô jam ante hanc Dionysii nostri Æram seu Epocham annô natum fuisse; undè Chronologi nostri duplicem Christi annum in suis Chronologicis tabulis assignare solent, verum scilicet, qui quarto anno præcedit, & annum Æræ vulgaris seu Communis à Dionysio Exiguo assignatum, qui quartâ primum annô sequitur; adeò ut annus quartus Christi verus e. g. sit primus duntaxat annus Æræ vulgaris seu Dionysianæ.

De S. Cæsario Arelatensi. *An. 544.*

76 S. Cæsarius Arelatensis. Obiisse creditur an. Chr. 544.

S. Cæsarius natione Gallus, patriâ Cabillonensis, & S. Porcarii Abbatis Lerinensis in prima Religionis & morum doctrina discipulus, à S. Æonio Arelatensi Præsule Diaconus, & è Diacono Presbyter ordinatus, atque postmodum eidem defuncto suffectus est Episcopus, sui Sæculi Episcoporum nulli sanctitate, eloquentiâ & eruditione secundus, diversus à S. Cæsario S. Gregorii Nazianzeni fratre, floruit nedum Symmachi Papæ, & Theodorici Regis Italiæ temporibus, sed & ultrà ad annum usque Christi 544. nimirùm sub Symmachi successoribus Hormisdâ, Joanne I. Felice III. aliàs IV. Bonifaciô II. Joanne II. Agapetô I. Silveriô & Vigiliô. Pluribus in Gallia præfuit Conciliis, ut Agathensi an. 506. Carpentoractensi annô 527. Vasionensi & Arausicano II. an. 529. & provinciali uni contra Contumeliosum Rhegiensis Ecclesiæ Præsulem habito annô 534. in quo ob varia crimina accusatus Sede suâ privatus est. Obiisse creditur Cæsarius noster an. circiter 544. Nonnulli volunt eum diem clausisse an. 542. 6. Calend. Sept. annô ætatis 73.

Scripta ejus sunt 1mo. Homiliæ variæ ad populum, quarum 461. numerantur, ex quibus tamen 42da ei perperam attribuitur, cùm in ea citentur SS. Gregorius Papa & Isidorus ipso longè posteriores: nec etiam tres sequentes videlicet 43. 44. & 45ta. hæc enim Macarii titulum fert, duæ priores Augustini. 2do. Exhortatio ad Charitatem custodiendam. 3tio. Epistola ad quosdam Germanos adolescentes vitam Monasticam agentes, quâ eos præsertim hortatur ad pudicè castéque vivendum. 4to. Homilia de decem Virginibus, in qua hortatur ad bona opera &c. 5to. Regula Sanctimonialium in gratiam Sororis suæ S. Cæsariæ Monasterii Virginum Abbatissæ. 6to. Regula Monachorum. Teridii sive Teriadii nepotis sui esse creditur. 7mo. Homiliæ 14. aliæ operâ Stephani Baluzii Tutelensis editæ. 8vo. Epistola mirabilis ad Cæsariam Sororem suam & Monialium Abbatissam. 9no. Epistola altera eidem Sorori suæ & toti Sanctimonialium suarum Congregationi scripta. Ejus Scripta.

10mo. Epistola alia ad Virginem Deo dicatam.

77 *Tertia classis SS. Patrum.*

De Cassiodoro. An. 575.

Cassiodorus. Obiisse creditur an. Chr. 575.

Aurelius Cassiodorus Senator dictus, gente Italus, patriâ Lucanius sive Bruttius, stirpe Romanus, illustri ac Senatoriâ familiâ oriundus, natus est post an. 463. vir scientiâ, eruditione, prudentiâ, & morum gravitate percelebris. Sub Theodorico & Athalarico ejus Successore Italiæ Regibus summas dignitates adeptus, postmodùm à Vitige, qui post Athalaricum Italiæ sceptrum obtinuit, an. 537. exauctoratus, vitæ sæculari renuntiavit, & otium meditatus, Monasterium Vivariense sive Castellense dictum propè Civitatem Scyllitanam in extrema Calabriæ parte posuit & incoluit. Hic loci degens pietati colendæ se totum dedit, variosque libros composuit, inter quos an. 556. vel circiter, edidit libros 2. De Divinis Lectionibus. an. autem 562. Paschalem computum scripsit; cui Operi quot annis superfuerit non liquet. Nonnulli mortem ejus ad an. 575. rejiciunt.

Ejus Scripta genuina.

Scripta ejus genuina hæc sunt, 1mo. Variarum Epistolarum libri 12. 2do. Historiæ Ecclesiasticæ Tripartitæ ex tribus Græcis Auctoribus, Sozomeno, Socrate, & Theodorito, ab Epiphanio Scholastico latinè versis, à Cassiodoro collectæ, & in compendium redactæ, libri 12. 3tio. Chronicon ad Theodoricum Regem, ab Adamo usque ad. an. 519. 4to. Computus Paschalis, seu de Paschate, Indictione, Epacta &c. adinveniendis Tractatus. 5to. De rebus gestis Gothorum libri 12. 6to. Expositio, seu Commentarius in Psalmos Davidis, ex Augustino ferè desumptus. 7mo. Institutionis ad divinas lectiones, libri 2. 8vo. De Orthographia liber ex veteribus Grammaticis compilatus. 9no. De septem Disciplinis, videlicet Grammatica, Rhetorica, &c. liber. 10mo. De anima liber. 11mo. De Oratione, & octo partibus orationis liber.

Spuria.

Spuria dicuntur 1mo. Expositio in Cantica Canticorum, in qua citatur S. Gregorius Papa Cassiodorô posterior. 2do. De Schematibus & Tropis, necnon de quibusdam locis Rhetoricis S. Scripturæ liber, qui potiùs Venerabili Bedæ adscribi debet. 3tio. De amicitia vera liber, qui ab omnibus Cassiodoro jam abjudicatus, Petro Blesensi vindicatur. 4to. SS. Paphnutii, Spiridonis, & aliorum vitæ, quæ in Aloysii Lippomanni Collectione habentur, à nonnullis Cassiodoro attribuuntur.

Deperdita.

Aliorum adhuc operum suorum ipse Cassiodorus meminit in præfatione libri de Orthographia, quæ tamen, quantùm scimus, nusquam ampliùs extant; ut sunt Ad Reges & Reginas Panegyrici nonnulli. Expositio Epistolæ ad Romanos. Tractatus Grammatici aliquot de Schematibus, Etymologiis, & in Donatum. Liber titulorum de S. Scriptura collectus, Memorialis dictus. Breves explanationes in Acta & Epistolas Apostolorum, necnon Apocalypsim.

De

78 S. Gregorius Turonensis. Obiit an. 596.

De S. Gregorio Turonensi. An. 596.

S. Gregorius vulgò Turonensis seu Turonicus dictus, vir fuit miræ sanctitatis, insignis modestiæ, & humilitatis eximiæ, apud Arvernos Celticæ Galliæ populos, patre Florentio, matre Armentaria genitus, S. Galli Arvernorum Episcopi nepos & alumnus, ipsoque vitâ functô S. Aviti ejus post Cantinum in Sede successoris discipulus, & Trithemio teste, Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Martini Turonensis Monachus, ac tandem è Monacho post S. Euphronium Ecclesiæ S. Martini Turonensis Episcopus decimus nonus an. Christi 574. factus; post administratam summa cum laude per plures annos suam Ecclesiam obiit annô Chr. 596.

Ejus Scripta.

Scripsit 1mo. Historiæ Francorum libros 10. 2do. De gloria Martyrum libros 2. 3tio. De miraculis S. Martini, libros 4. 4to. De Gloria Confessorum, librum unum. 5to. De vitis Patrum librum unum.

Ipsi insuper à nonnullis adscribitur Libellus historicus de septem dormientibus, eò quòd in fronte libelli hujus posita sub ejus nomine conspiciatur Epistola ad Sulpicium Biturigum Præsulem. Verùm quia Gregorius noster in Epilogo suæ Francorum historiæ, omnes suos recensens libros, de libello isto profundè silet, ab aliis eidem abjudicatur. Cæterùm nonnullis eruditis videtur fuisse vir pro Sæculo, quo vixit, non ineruditus, magis tamen pietate ac zelo, quàm judicio commendandus.

SÆCULO VII.

Sæculô VII.

De S. Gregorio Magno. An. 604.

S. Gregorius Magnus. Obiit an. Chr. 604. 79

S. Gregorius cognomentô Magnus, Papa hujus nominis primus, & Ecclesiæ Latinæ Doctor Sanctissimus, vir fuit patriâ Romanus, Gordiano Senatore, & Sylviâ genitus, Felicis III. pronepos, urbis Romanæ præfectus primùm, deinde Monachus, ac tandem post Pelagii II. decessum, invitus licèt, ad Summum Pontificatum evectus an. Chr. 590. in quo pro Ecclesiæ bono tanta gessit, scripsit, & docuit, ut meruerit Magnus appellari. Gravi denique, & acutâ vexatus podograâ ad vitam immortalem migravit 14tô sui Pontificatûs annô, Christi verò 604tô. meritis, Doctrinâ, & pietate clarus, relictis variis earumdem monumentis.

Scripta ejus.

Scripta ejus sunt 1mo. Expositio in Job libris 35. expressa. 2do. Liber Pastoralis, quô Pastores animarum curam habentes instruit, in 4. partes distributus. 3tio. Dialogi cum Petro libri 4. De virtutibus & miraculis Sanctorum Italiæ, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes & miracula Sanctorum, quos in Italia nosse, vel ab aliis rescire potuerat, ad exempla posteris collegit & transmisit. Equidem, ut cum Melchiore

Cano (*d*) loquamur, historias, quæ istis Dialogis continentur, probaremus magis, si S. Gregorius noster in illis describendis, juxta præscriptam historico normam, severitati judicii adjunxisset majorem in seligendo curam. Sed quoniam modeste & circumspectô judiciô de tanto viro pronuntiandum est, ne in his Dialogis rejicienda sunt plurima; pauca enim in iis possis arguere, quamvis historiam Ecclesiasticam ad severa judicia revocare contendas: ac si necesse est in alterutram partem peccare, omnia probari legentibus, quàm multa reprobari malumus. Non est igitur, quòd Acatholici, notanter Guilielmus Cave Canonicus Windesoriensis in Anglia (*e*), ac præsertim Casimirus Oudinus natione Gallus & ex Monacho Præmonstratensis Ordinis Calvinianus Apostata (*f*), hîc eum modici judicii atque ad credendas aniles & incredibiles fabulas propensionis criminentur, dum, pro Sæculi, quo vivebat, simplicitate, à bonis & piis viris accepta sincerè refert, nec quemquam, ut ea omnia credat, adigere intendit. Profectò, quòd si ipsum in hujusmodi historiis & factis interdum errasse contingat, ad summum pietatis error est, quâ sibi ea referentibus nimisquam fortè facilem adhibuit fidem, quæ potiùs laudanda videtur, quàm vituperanda. Sed cætera ejus Scripta recenseamus. 4to. Homiliæ super Ezechielem 22. id est, in cap. 1. 2. 3. Ezechiel. Homiliæ 12. in cap. 40. verò decem aliæ. 5to. Homiliæ in Evangelia 40. 6to. Epistolarum ad diversos libri 12. 7mo. Undecim responsiones ad totidem interrogationes Augustini Cantuariensis Anglorum Episcopi.

Dubia. Nonnulli eruditi Expositionem Libri primi Regum in sex libros partitam, ut & Expositionem in Cantica Canticorum, necnon explanationem seu Commentarium in septem Psalmos pœnitentiales Gregorio nostro abjudicant, verùm hæc Opera ipsi vindicare conati sunt Benedictini nostri Congregationis S. Mauri in Gallia, in ultima sua ejusdem S. Gregorii Magni Operum editione an. 1705. sub præsidio Dionysii de Sainte Marthe ejusdem Congregationis Presbyteri & Monachi facta.

De S. Isidoro. An. 637.

80 S. Isidorus. Obiit an. Chr. 637.

S. Isidorus Severiani Carthaginensis provinciæ Ducis, prout multi credunt, filius, Leandri, Fulgentii, & Florentiæ Virginis frater germanus natu minimus, Hispaniensis Ecclesiæ Sydus, Doctor, & decus, necnon in provincia Bætica post S. Leandrum Hispalensis Ecclesiæ Præsul dignissimus, & *Junior* dictus ad differentiam Isidori Cordubensis Antistitis longè anterioris, & quartô circiter ineunte Sæculô viventis. Post 40. sui Episcopatus annos, & varia relicta suæ eruditionis monumenta

(*d*) De loc. Theol. lib. 11. c. 6. pag. 337. edit. Colon. an. 1585.
(*e*) Script. Ecclef. Hist. litteraria Sæc. 6. ad an. 590. pag. 354 edit. Genev. an 1720. (*f*) Comment. de Script. Eccl. Tom. 1. Sæc. 6. colum. 1500. 1501. & 1506.

ta ad cœlum evolavit, an. Chr. 636.

Ipsius Scripta. Scripta ipsius hæc sunt 1mo. Procœmiorum liber unus, in quo quid quisque contineat S. Scripturæ liber, brevi subnotatione distinguitur. 2do. Differentiarum libri 2. 3tio. De ortu & obitu Prophetarum, liber unus. 4to. Officiorum libri duo, in quibus originem Officiorum, & cur unumquodque in Ecclesia Dei peragatur, explicat. 5to. Synonymorum libri duo, quos Lamentationum libros ipse vocavit, & in quibus ad consolationem & spem percipiendæ veniæ ducit & hortatur. 6to. De natura rerum liber unus. 8vo. Contra Judæorum nequitiam, libri duo. 9no. Sententiarum libri tres. 10mo. Chronicorum ab initio mundi usque ad suum tempus liber unus. 12mo. Etymologiarum, liber unus.

81 S. Maximus Abbas & Martyr. Obiit an. Chr. circiter 662.

De S. Maximo Abbate & Martyre. An. 662.

S. Maximus Monachus, Abbas & Martyr, vir Constantinopoli piis nobilibusque parentibus ortus, pietate, eruditione, ac præsertim Philosophi nomine clarus, primùm Heraclio Imperatori à Secretis, quo in Monothelitarum hæresim lapsô, aulâ relictâ in Monasterium secessit, atque Monachus factus est, & paulò pòst Abbas electus. Varia & gravia cum Monothelitis bella & certamina gessit, inter quæ celebratur disputatio quam habuit an. 645. in Africa cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano Monothelita tunc ibi degente. Tandem Constantis Imperatoris Monothelitarum patroni jussu captus in exilium amandatur, ubi variis pro fide vexatus opprobriis, multisque laboribus, doloribus, & afflictionibus attritus felicem emisit spiritum sub Vitaliano Rom. Pont. & Constante Imp. annô circiter 662.

Scripta ejus sunt 1mo. De variis S. Scripturæ quæstionibus liber. 2do. Dialogorum asceticorum liber unus. 3tio. De Charitate quadringenta Capita complectens liber. 4to. De Theologia, Deique filio &c. necnon de virtutibus & vitiis liber quadringenta etiam capita continens. 5to. Varia Opuscula Theologica & Polemica, quorum pleraque sunt contra Monothelitas. 6to. Disputatio cum Pyrrho Monothelita Sergii in Sede Constantinopolitana successore. 7mo. Dialogi 5. de SS. Trinitate, contra Arianos, Macedonianos, Apollinaristas. 8vo. Orationis Dominicæ brevis expositio. Sunt & nonnulla alia ejusdem Opuscula, ut Epistolæ diversæ ad diversos. Ejus Scripta.

De S. Ildefonso. An. 667. S. Ildefonsus. Obiit an. Chr. 667. 82

S. Ildefonsus Toleti in Hispania nobilibus parentibus Stephanô & Luciâ natus, S. Isidori Hispalensis discipulus, & alterum à Magistro Hispaniæ Sydus, Monasterii Agaliensis Abbas, & ex Abbate post Eugenium Toletanus Archipræsul, vir fuit pietate, scientiâ, sapientiâ, & eloquentiâ præclarus, necnon erga B. V. Mariam devotissimus. Obiit 23. Jan. an. Chr. 667.

Scri-

Ejus Scripta.

Scripsit 1mo. Librum de 14. viris Illustribus, quem addidit ad S. Isidori librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, post Hieronymum & Gennadium. 2do. Librum insignem de illibata Virginitate B. Mariæ Virginis Deiparæ contra Pelagium quemdam & Helladium veteris Helvidii hæresim in Hispania renovantes. 3tio. De eadem Deipara Virgine Sermones 12. qui reperiuntur in Bibliotheca Patrum.

83 Sæculo VIII

SÆCULO VIII.

S. Joannes Damascenus. Obiit an. circiter 731. vel, ut alii volunt 760.

De S. Joanne Damasceno. *An.* 731.

S. Joannes, cognomentò *Chrysoras* ob auream dicendi facundiam vocatus; sed à Damasco patria sua Damascenus vulgò dictus, vir fuit nobilissimis parentibus in Syria natus, eruditione & vitæ Sanctimoniâ clarus, venerabilis Bedæ coævus, Sacrarum imaginum defensor intrepidus, qui, ut fertur, amputatâ sibi ab Iconomachis dexterâ, & B. Virginis Mariæ ope sibi divinitùs restitutâ, in eremum secessit, factus in Monasterio S. Sabbæ Monachus; tandemque à Patriarcha Jerosolymitano Presbyter ordinatus, vixit præsertim sub Leone Isaurico Imperatore Iconomacho. Obiit an. circiter 731. vel, ut aliis placet, an. 760.

Ejus Scripta.

Scripta ejus sunt 1mo. Parallela ex selectis Scripturæ sacræ ac SS. Patrum locis contexta, & tribus libris comprehensa. 2do. De fide Orthodoxa libri 4. in quibus omnium primus universam Theologiam exponit recto eoque ordine, quem deinde secuti sunt Petrus Lombardus Magister Sententiarum, & post illum, cæteri Doctores Scholastici. 3tio. Oratio de iis, qui in fide obierunt, seu de fidelibus defunctis Oratio, in qua eleganter & eruditè quidem ostendit, quòd hi, qui cum fide ex hac vita migrârunt, vivorum Missis, precibus & suffragiis juventur, atque leventur. Verùm eidem orationi intexta invenitur fabulosa historia de animabus Trajani Imperatoris, & Falconillæ ab inferni supplicio liberatis, animâ scilicet Trajani precibus S. Gregorii Magni, & animâ Falconillæ precibus S. Theclæ primæ Martyris; quæ historia repugnat doctrinæ ipsius Damasceni lib. 2. de fide Orthod. cap. 4. dicentis, hominibus post mortem, sicut Angelis post lapsum, omnem resipiscendi facultatem esse præclusam. Undè eruditis liber iste vel falsò ipsi adscriptus censetur, vel saltem hæc fabella à Sicophanta aliquo libro ipsius assuta, vel denique hîc S. Damascenum huic narrationi nimisquam facilè fidem adhibuisse. 4to. Orationes 4. duæ de Nativitate B. V. Mariæ, tertia de dormitione, & 4ta. denique de Assumptione ejusdem. 5to. Carmina de variis argumentis varia. 6to. Dialectica, sive Logica. 7mo. Physica, seu Aristotelicæ Physicæ compendium. 8vo. De Hæresibus liber unus. 9no. Adversùs Manichæos Dialogus. 10mo. De natura composita contra Acephalos: erant autem *Acephali* factiosi quidam ex iis, qui Chalcedonense Concilium impugnabant,

bant, & duas in Christo naturas esse cum Eutyche & Dioscoro negabant; quique ea de causa frequentiùs & usitatiùs *Monophysitæ* vocantur; sed quia erant numerô multi & omnes simul orti, quin constaret, quis esset primus factionis auctor, sive caput, ideò *Acephali*, id est, *sine capite* fuerunt nuncupati. 11mo. De Trisagio, seu Angelico Hymno, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis miserere nobis.* Epistola, quâ probat hoc Trisagium à Seraphinis fuisse decantatum, ad tres in Deo personas designandas. 12mo. De duabus in Christo voluntatibus, & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus liber, contra Monothelitas. 13tio. Quomodò ad imaginem Dei facti sumus Oratio. 14to. Orationes tres de imaginibus earumdemque cultu contra Iconomachos. 15to. Vita S. Stephani junioris pro sanctarum imaginum honore martyrium passi. Fuit autem Stephanus iste junior patria Constantinopolitanus & professione vitæ sanctæ, ac miraculis clarus Monachus, qui tempore Constantini Copronymi Imp. propter SS. imaginum honorem & adorationem est generosè martyrium passus annô ætatis suæ 53. 16to. Disceptatio Christiani & Saraceni, per modum Dialogi expressa. 17mo. Historia de Barlaam & Josaphat, seu liber, in quo historiam Barlaam Magistri, & Josaphat discipuli [illegible] à quibusdam interioris Æthiopiæ viris acceptam enarrat.

SÆCULO XI. Sæculô XI. 84

De S. Petro Damiano. An. 1072.

S. Petrus Damianus. Obiit an. 1072.

S. Petrus nobilis Ravennas, cognomento Damianus, vel *Damiani* à fratre suo Damiano, cujus curâ, sumptibus & operâ post utriusque parentis obitum ad litterarum studia promotus est, dictus; erga quem quippe ut se tanti beneficii memorem, gratumque deinceps exhiberet animum, se Petrum *Damiani* subscribere cœpit, & Petrus *Damiani* deinde dici voluit. Peracto studiorum cursu vitam Monasticam professus est, Coenobii Prior paulò pòst institutus, & è Coenobii Priore S. R. E. Cardinalis & Ostiensis Episcopus à Stephano IX. Papa creatus an. circiter 1058. ac tandem vitæ arctioris & secretioris amore, dimisso Episcopatu & Purpura, ad eremi Faventinæ Coenobium se recepit. Fuit vir sanctus & eruditus, nedum pœnitentiæ & solitudinis amantissimus, sed & Ecclesiasticæ disciplinæ defensor vigilantissimus, maximè contra Simoniacos, & incontinentes Clericos, atque consanguineis nubentes Laicos. Obiit an. 1072. die 23. Februarii.

Ejus Scripta.

Scripta ejus sunt 1mo. Variarum ad varios Epistolarum libri 8. 2do. Sermones varii variæque Sanctorum historiæ. 3tio. De fide Catholica. 4to. Antilogus contra Judæos. 5to. Dialogus inter Judæum & Christianum. 6to. Disceptatio Synodalis, utrum non possit Summus Pontifex eligi nisi prævio,

Imperatoris assensu. 7mo. Actus Mediolani, de privilegio Romanæ Ecclesiæ. 8vo. Liber gratissimus, quòd ordinati ab Episcopis consecratis licèt Simoniacis non essent iterùm ordinandi. 9no. Liber Gomorrhianus, contra Clericos incontinentes. 10mo. De parentelæ gradibus liber. 11mo. De Eleemosyna liber. 12mo. De horis Canonicis. 13tio. Liber cui titulus *Dominus vobiscum*, utrum particulæ istæ ut & *Jube domne benedicere* ab eo omitti debeant, qui privatim in cella sua officium recitat. 14to. Apologeticus liber de contemptu Sæculi. 15to. De perfectione Monachorum, liber. 16. De Ordine Eremitarum liber. 17mo. De suæ Congregationis institutis. 18vo. Invectio in Episcopum Monachos ad Sæculum revocantem. 19no. De cœlibatu Sacerdotum. 20mo. Contra intemperantes Clericos. 21mo. De abdicatione Episcopatus sui. 22do. Liber Apologeticus ob dimissum Episcopatum. 23tio. De fuga dignitatum Ecclesiasticarum. 24to. Contra Clericos, qui se sæcularium Principum famulatui tradunt, ut Ecclesiasticas Dignitates sibi comparent. 25. De brevitate vitæ Pontificum. 26to. Contra Clericos Regulares proprietarios. 27mo. De Dignitate Sacerdotali. 28vo. Contra Clericorum inscitiam & incuriam. 29no. De communi vita Canonicorum. 30mo. Apologeticus liber pro Monachis adversùs Canonicos. 31mo. De vili Ecclesiasticorum vestitu. 32do. De Sacramentis per improbos administratis.

SÆCULO XII.

De S. Anselmo Cantuariensi. An. 1109.

S. Anselmus Cantuariensis. Obiit an. Chr. 1109.

S. Anselmus Augustæ prope Alpes in Italiæ & Burgundiæ finibus honestis parentibus natus, liberalibus disciplinis à pueritia traditus, è vivis sublata matre, à patre discedens in Galliam venit; ubi post aliquot annos in Normania in Beccensi Cœnobio Ordinis S. Benedicti Monachi induit habitum an. Chr. 1060. ætatis verò suæ 27. sub Herluino Abbate & Lanfranco Priore, cui in Abbatem Coenobii Cadomensis electo suffectus est sui Monasterii Prior an. Chr. 1063. atque post 15. annos Herluino vitâ functo Abbas factus, tandem an. Chr. 1093. Lanfrancô, qui ad Sedem Cantuariensem ex Abbate Cadomensi vocatus fuerat, morte raptô, Cantuariæ Metropolis in Anglia Archipræsul electus est, quam summo cum zelo, magno cum labore, scriptô, verbô & exemplô rexit; tandemque 16tô. Pontificatus sui annô, plenus meritis, & clarus miraculis feliciter obiit, an. Chr. 1109. ætatis verò suæ 76. post varia subtiliter edita librorum volumina.

Genuina ejus Opera.

Genuina & indubitata ejus Opera sunt hæc, 1mo. Monologium seu Soliloquium, de ratione fidei, seu de iis, quæ vera fides de Deo sentit. 2do. Prosologium seu Alloquium ad Deum in persona conantis erigere mentem ad contemplandum Deum, & quærentis intelligere, quod credit. 3tio. Libelli

belli duo pro insipiente unus incerti auctoris adversus Proslogium Anselmi; & contra insipientem alter, seu Apologeticus Proslogii adversus præcedentem librum. 4to. Dialogus de veritate. 5to. Dialogus de libero arbitrio. 6to. Dialogus de casu diaboli. 7mo. Dialogus seu Disputatio dialectica de Grammatica. 8vo. De Fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi liber, contra Roscelini Clerici tunc grassantem hæresim, quâ tres in Deo personas asserebat esse tres res ab invicem separatim sumptas, sicut sunt tres Angeli, tres animæ. 9no. Libri duo contra Gentiles, *Cur Deus Homo*, vulgò dicti. 10mo. De processione Spiritus sancti contra Græcos liber. 11mo. De conceptu Virginali, & de peccato Originali, liber. 12mo. Epistola ad Valerianum, de tribus quæstionibus, nempe de processione Spiritus sancti, de fermento & azimo, ac de cognatorum connubiis. 13tio. Altera ad eumdem de diversitate Sacramentorum, id est, cæremoniarum, quæ circa ea in Ecclesia servari solent. 14to. De concordia præscientiæ, & prædestinationis, necnon gratiæ Dei cum libero arbitrio. 15to. Liber meditationum aliquot, ad excitandam mentem ad Dei amorem vel timorem. 16to. Epistolarum libri tres.

Suppositi-tia vel du-bia.

Supposititia vel dubia ipsius Opuscula sunt 1mo. Liber de similitudinibus. Videtur esse cujusdam illius discipuli eò quòd cap. 186. illarum similitudinum collector vocet S. Anselmum *Patrem sanctum* & c. 188. *Patrem nostrum*. 2do. Liber de mensuratione crucis; quia in eo c. 5. citatur S. Bernardus Anselmô junior, utpote qui primùm an. 1113. & mortuô jam Anselmô Monachus factus est. 3tio. Liber de Passione Domini; quia in eo citatur Anselmus, & beatus vocatur. 4to. Liber de vestimentis, & membris, & actibus Deo attributis; quia stylum Anselmi non sapit, & extat apud Augustinum Tom. 4. sub titulo *De essentia divinitatis*, & apud Hieronymum, Tom. 9. Ep. 15. sub hoc titulo, *Epistola de iis, quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur*. 5to. Elucidarium, sive Dialogus Summam totius Christianæ Theologiæ breviter complectens, qui stylum Anselmi non sapit, illudque Honorius Augustodunensis inter sua Opera recenset. 6to. De imagine mundi libri duo, in quo Opere velut in speculo totius orbis dispositio conspicitur. Verùm illud inter sua Opera recenset Honorius Augustodunensis. 7mo. De conceptione B. Mariæ Virginis liber; non reperitur in pluribus Mss. Operum S. Anselmi, & repugnat doctrinæ ab Anselmo traditæ, lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. & 17. 8vo. Epistola de conceptione B. Mariæ, falsò eidem tribui censetur ab eruditis. Alia nonnulla Opuscula perperàm etiam Anselmo nostro tribuuntur, ut passio SS. Guigneri, sive Fingaris Pialæ & Sociorum. Disputatio Judæi cum Christiano, quæ Gisleberti Abbatis

Westmonsteriensis esse creditur, & alia nonnulla.

86 Anselmus Lucensis. Obiit an. Chr. 1086.

Præter hunc Anselmum Cantuariensem celebrantur adhuc alii, ut Anselmus Lucensis Episcopus, qui obiit an. 1086. Guibertum seu Gilbertum Antipapam sub nomine Clementis III. Gregorio VII. Papæ legitimo contrarium duobus libris oppugnavit. Varias insuper ad varios scripsit Epistolas; imò & collectanea quædam de variis Scriptoribus, in quibus Principes sæculares in Ecclesiæ bona jus nullum habere ostendit, qua de re celebris tunc erat quæstio multùm agitata.

87 Anselmus Laudunensis. Obiit an. Chr. 1117.

Anselmus item Laudunensis Ecclesiæ in Gallia Canonicus & Decanus, Anselmi Cantuariensis æqualis, vir in litteratura sui temporis nulli secundus, morum honestate, & consilii maturitate venerabilis. Scripsit inter alia, Interlinearem Sacræ Scripturæ Glossam, quæ extat cum ordinaria Strabonis glossa, & morali expositione Lyrani.

88 Anselmus Gemblacensis. Obiit an. 1137.

Floruit etiam iisdem temporibus Anselmus Gemblacensis Abbatiæ in Brabantia Monachus, & Abbas Ordinis S. Benedicti, patientiâ, pietate & eruditione clarus. Sigeberti antecessoris sui in eadem Abbatiali dignitate Chronicon, quod iste ab an. 381. quo Gennadius suum finierat, usque ad annum 1112. perduxerat, continuavit usque ad an. 1137. quo anno obiisse creditur & ipse, vel paulò post.

Anselmus Rhemensis. Obiisse creditur an. 1050. 89

Ante istos claruit & Anselmus alter Abbatiæ S. Remigii Rhemensis Ordinis S. Benedicti Monachus, unde Rhemensis dictus, qui scripsit Diarium itineris & transitûs Leonis IX. Romani Pontificis in Galliam; venit enim summus hic Pontifex Coloniam, deinde Aquisgranum, Leodium, Rhemos, Metas, Moguntium, &c. variaque celebravit Concilia, quæ omnia in suo Diario notavit Anselmus.

De sancto Bernardo. An. 1153.

S. Bernardus. Obiit an. 1153. 90

S. Bernardus, natione Gallus, patriâ Fontanus, Fontanis quippe in Burgundia claris parentibus, patre Tescelinô Sorô Dominô de Fontanis, & Alethâ matre Bernardi Montis Barrensis Domini filiâ natus est. Cistercienſem Ordinem, cui an. Chr. 1098. initium dederat Robertus Ordinis S. Benedicti Abbas Molismensis, ingressus est sub Stephano Abbate an. 1113. ætatis suæ circiter 23tiô. Deinde annos viginti quatuor agens, Monasterii Claræ-Vallensis recenter erecti destinatur Abbas primus. Vir fuit mirabilis, sublimi ingeniô præditus, miti indole, suavi facundiâ dicendi, ita equidem, ut mellifluus Ecclesiæ Doctor fuerit appellatus. Vir insuper verè Apostolicus, sermone potens & opere, totque miraculis clarus, ut meruerit Occidentalis Ecclesiæ Thaumaturgus nuncupari. Post devictas hæreses, extinctum Petri Leonis Innocentio II. legitimo Papæ contrarii schisma; post seda-

sedatas & paeatas variorum populorum seditiones & dissensiones; post exhibita omnibus sanctioris vitæ documenta, mediâ hiemis tempestate gravi morbô correptus in pace tandem quievit 20. Aug. an. Chr. 1153. ætatis 63. & Monasticæ professionis 40. relictis variis voluminibus pietate & eruditione plenis.

Opera ipsius genuina & præcipua.

Præcipua & genuina ipsius Opera variis Tomis & voluminibus comprehensa hæc sunt, 1mo. Epistolæ 44. 2do. Libri 5. de consideratione ad Eugenium Papam III. suum quondam discipulum. 3tio. Epistola ad Henricum Senonensem Archipræsulem, de moribus & officio Pastorum. 4to. Ad Clericos de conversione Sermo seu Liber. 5to. De præcepto & dispensatione liber. 6to. Apologia ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici Ordinis Cluniacensis, in qua Cistercienses reprehendit, quòd severioris vitæ specie Cluniacensium institutis detraherent, horum tamen superfluitatem perstringit. 7mo. De laude novæ Militiæ ad milites templi seu Templarios. 8vo. De gradibus humilitatis & superbiæ liber. 9no. De diligendo Deo, liber. 10mo. Tractatus de gratia & libero arbitrio. 11mo. Epistola seu Tractatus ad Hugonem de S. Victore de baptismo aliisque quæstionibus ab ipso propositis. 12mo. Epistola ad Innocentium Papam II. contra Abaëlardum. 13tio. Liber de vita & gestis S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi & Primatis in Claræ-Vallensi cœnobio præsente & assistente S. Bernardô defuncti. 14to. Liber sive Tractatus de Cantu, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis. 15to. Sermones de tempore, de Sanctis, & de diversis argumentis aliis. 16to. Sermones 86. in Cantica Canticorum.

Alia nonnulla Opera inter scriptiones illius reperiuntur, quæ illius non esse produnt tituli, & argumenta illorum, unde illis hic recensendis non immoramur. Hujusmodi sunt libri 7. de vita S. Bernardi &c. &c.

De Petro Lombardo. An. 1164. 91

Petrus Lombardus vulgò Magister Sententiarum dictus. Obiit an. Chr. 1164.

Petrus, *Lombardus* à patria dictus, Novaræ quippe, quæ Lombardiæ civitas est in Ducatu Mediolanensi, natus perhibetur. *Magister Sententiarum* vulgò dictus, in Schola S. Genovevæ Doctor Parisiensis & Canonicus Carnotensis. Ex Scholarum Parisiensium Præside an. 1159. Episcopus Parisiensis creatus est, atque obiit an. 1164. die 20. Julii.

Ejus Scripta.

Scripta ejus sunt, Sententiarum libri 4. quibus Theologiæ Summa ex Patrum Scriptis collecta, & in methodum Scholasticam digesta traditur. Item Glossæ seu Commentarius in Psalmos Davidis.

Denique Collectanea in omnes D. Pauli Epistolas, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis contexta.

Seculô XIII

SÆCULO XIII.

92 S. Thomas Aquinas. Obiit an. 1274.

De S. Thoma Aquinate. An. 1274.

S. Thomas Aquinas, vulgò Ecclesiæ Doctor Angelicus, & sacri Prædicatorum Ordinis Sol radians & illustre decus, vir fuit natione Italus, & patriâ Neapolitanus, è clara Comitum Aquinatum, ac nobili stirpe natus an. Chr. 1224. Post completum 14tum ætatis annum, S. Dominici sacrum Ordinem ingressus, & in eo ritè peractô Novitiatûs annô regulam professus, statim Superiorum jussu, partim Coloniæ, partim Parisiis Philosophiæ ac Theologiæ incubuit sub Alberto, viro natione Suevo, sanctitate, eruditione & cognomine Magno, completoque Parisiis studiorum cursu, simul & eodem die, cum S. Bonaventura an. 1255. sacræ Facultatis Parisiensis, è Religiosis mendicantibus primus Doctoris laureâ donatus. Ibi deinceps in urbe Regia, libros Magistri sententiarum explicans, Theologiam per multos annos tanta cum sanctitatis & eruditionis laude professus est, ut deinceps ob grandem illam profundæ eruditionis famam, & Angelicæ vitæ sanctitatem, Princeps Theologorum & Doctor Angelicus sit toto litterarum orbe Christiano nuncupatus. Tandem cùm plures docendo, concionando, & scribendo, pro Christo & Ecclesia subiisset labores, dum Gregorii X. Romani Pontificis jussu pergeret ad Concilium Oecumenicum Lugdunense, in celebri Fossæ novæ Ordinis Cisterciensis Cœnobio, propè Amasenum Campaniæ fluvium piè obiit die 7. Martii, annô Chr. 1274. ætatis suæ 50mô. inter Ecclesiæ Doctores haberi jussus Apostolicô Pii V. decretô, an. 1567.

Ejus Scripta

Quadruplicis generis sunt hujus Angelici Doctoris Scripta: alia enim sunt Philosophica; alia Theologica; alia in S. Scripturam exegetica sive explanatoria; alia denique miscellanea seu de variis argumentis.

Philosophica.

Philosophica sunt 1mo. Expositio in duos Aristotelis libros, qui vulgò Perihermenias, hoc est, de interpretatione, dici solent. 2do. Expositio in duos alios posteriorum Analyticorum vulgò dictos, in quibus judicandi sive argumenta resolvendi partem implet & exequitur Aristoteles; *Analysis* enim vox Græca, idem ac *resolutionem* significat. 3tio. Expositio in parva naturalia, hoc est in tres alios Aristotelis libros, quos vulgò vocant *parva naturalia*, quia nimirùm in his agitur de sensu & sensato, de memoria & reminiscentia, de somno & vigilia, de somnis, & de divinatione per somnum &c. 4to. Expositio in octo Physicorum libros Aristotelis. 5to. Expositio in 4. libros de Cœlo & Mundo. 6to. Expositio in duos de generatione & corruptione libros. 7mo. In 4. Meteorum, id est, sublimium, quæ scilicet in sublimi mundi sublunaris regione formantur, expositio. 8vo. In tres de anima libros expositio.

tio. 9no. Expositio in 12. Metaphysicorum libros Aristotelis. 10mo. In decem libros Ethicorum sive Moralium Aristotelis expositio. 11mo. In 8. politicorum, seu de recta civitatis administrandæ ratione libros Aristotelis, expositio.

Theologica,

Theologica S. Thomæ Scripta sunt 1mo. Commentarium in 4. libros Sententiarum Petri Lombardi. 2do. Scriptum alterum in eosdem 4. Sententiarum libros, id est, secundum in eosdem libros Commentarium. 3tio. Quæstiones disputatæ Parisiis vel alibi in Italia, suntque, De potentia Dei, 10. De malo 16. De Spiritualibus creaturis, una. De anima, una. De Unione Verbi, una. De Virtutibus in communi, una. De Correctione fraterna, una. De Charitate, una. De Spe, una. De Virtutibus cardinalibus, una. De Veritate quæstiones 19. 4to. Quodlibetales, hoc est, quæstiones quodlibetales, sive quodlibetica; quòd varia nec sibi invicem cohærentia de rebus variis contineant argumenta; sunt numerô 12. hæc Quodlibetica, in quæstiones, & quæstio in articulos varios subdivisa. 5to. Summa Catholicæ fidei contra Gentiles. 6to. Expositio in Librum S. Dionysii de divinis nominibus. 7mo. Summa Theologica in tres partes divisa; Opus S. Thomæ omnium postremum, sed optimum & mirabile, in quo, quasi quintam omnium laborum suorum essentiam expressit. Illius secunda pars in duas est subdivisa, quia aliis fusior. Continet autem hæc Summa generatim 512. quæstiones, articulos verò 2652. & argumenta soluta plùsquam 1000.

Exegetica in Sacram Scripturam.

Exegetica in S. Scripturam S. Thomæ sunt, 1mo. Expositio in Librum beati Job litteralis. 2do. Expositio in Psalmos David 51. primos. 3tio. Expositio in Cantica Canticorum. 4to. Expositio in Isaiam Prophetam. A nonnullis eruditis non censetur genuinus S. Thomæ fœtus, ob eruditionis inopiam. Eidem tamen tribuitur à S. Antonino, Bellarmino, Nazario, & aliis. 5to. Expositio in Jeremiam Prophetam, & Threnos ejus. Ob rationem primùm adductam à nonnullis eidem abjudicatur; sed respondent alii, in ea eundem esse stylum & modum, quo in cæteris exponendis Scripturis usus est S. Thomas. 6to. Expositio in Matthæum Evangelistam. 7mo. Expositio in Evangelium S. Joannis. 8vo. Catena aureà in quatuor Evangelia; est mirabilis & erudita quatuor Evangeliorum explanatio, ex sententiis Patrum mirô artificiô connexa. 9. In omnes S. Pauli Epistolas expositio. 10mo. In Canonicas Epistolas expositio.

Cæterùm quæ sub illius nomine circumferuntur Commentaria in Genesim & Libros Machabæorum velut spuria rejiciunt eruditi. Neutrum se vidisse ait Bellarminus, lib. de Script. Eccl.

Miscellanea.

Miscellanea, seu de variis argumentis Opuscula varia S. Tho-

Thomæ sunt 1mo. Contra errores Græcorum. 2do. Compendium Theologiæ. 3tio. Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos, Armenos, & Saracenos. 4to. De duobus Charitatis præceptis, & de decem Legis præceptis. 5to. De Articulis fidei & Sacramentis Ecclesiæ Opusculum. 6to. Devotissima expositio super Symbolum Apostolorum. 7mo. Expositio devotissima Orationis Dominicæ. 8vo. Devotissima expositio Salutationis Angelicæ, scilicet *Ave Maria* 9no. Responsio ad difficultates super 42. articulis, quarum pleræque Philosophiam spectant, ad Joannem Vercellensem Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, ab eodem ipsi propositas. 10mo. Responsio ad Lectorem Venetum de 36. articulis sibi ab ipso propositis. 11mo. Responsio ad Gerardum Lectorem Bizuntinum de sex articulis seu quæstionibus sibi ab ipso propositis. 12mo. De differentia Verbi divini & humani. 13tio. De natura & origine Verbi intellectus, seu quomodò procedat intellectus in productione Verbi. 14to. De Substantiis separatis, seu de natura Angelorum. 15to. De unitate intellectûs contra Averroistas asserentes unum esse intellectum à corpore separatum, & illum omnium hominum unum, & universalem. 16to. Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à Religionis ingressu, atque exemplô antiquorum hæresiarcharum Joviniani & Vigilantii matrimonium Virginitati præferentium. 17mo. De perfectione vitæ spiritualis. 18vo. Contra impugnantes Dei cultum & Religionem præsertimque Mendicantium. 19no. De Regimine Principum ad Americum Lusignanum libri 4. 20mo. De regimine Judæorum, seu quomodo Judæi à Principibus regi debeant, ad Ducissam Brabantiæ. 21mo. De forma absolutionis Sacramentalis ad Generalem Magistrum sui Ordinis. 22do. Expositio primæ decretalis de Summa Trinitate, & Fide Catholica. 23tio. Expositio super secundam decretalem Innocentii III. quâ post expositam in præcedenti fidei Catholicæ formam, damnatur error Abbatis Joachim reprobare volentis doctrinam Magistri Petri Lombardi circa Unitatem divinæ essentiæ, & Trinitatem personarum. 24to. Tractatus de sortibus, in quibus nempè sors locum habeat, quis sortium finis, quis modus inquirendi per sortes, quæ & unde virtus earum, an eis uti liceat secundùm Christianæ Religionis doctrinam. 25to. De judiciis astrorum, seu Astrologia judiciaria 26to. De æternitate mundi, ubi contendit, non repugnare mundum esse creatum & non habere durationis initium. 27mo. De Fato. 28vo. De principio individuationis, ubi contendit materiam primam esse individuationis principium primum formæ substantialis, accidentia verò individuari à proprio subjecto, in

in quo recipiuntur. 29no. De Ente & essentia, seu de quidditate entium. 30mo. De principiis naturæ, seu de quatuor causis, efficiente, finali, materiali, & formali. 31mo. De occultis naturæ operibus. 32do. De motu cordis. 33tio. De instantibus, seu momentis, quæ omnem durationem comitantur. 34to. De oppositis seu quatuor oppositorum generibus, contradictoriè scilicet, privativè, contrariè, & relativè oppositis. 35to. De fallaciis, quæ inter disputandum & ratiocinandum contingunt. 36to. De propositionibus modalibus. 37mo. De eruditione Principum libri 7. 38vo. De natura accidentis opusculum. 39no. Officium Corporis Christi ab ipso jussu Urbani IV. Papæ conscriptum. 40mo. De venerabili Sacramento Altaris opusculum. 41mo. Expositio in librum Boëtii de Hebdomadibus, seu editionibus, nam *Hebdomas* græcè idem est Latinè ac *editio*, ubi S. Thomas exponit librum, quem Boëtius de suis conceptionibus edidit. 42do. Præclaræ quæstiones super librum de Trinitate ejusdem Boëtii.

Hæc sunt genuina S. Thomæ Opera. Cætera verò istis inserta sunt dubia, numerô 10. pleraque Philosophiam spectant.

De S. Bonaventura. An. 1274.

S. Bonavent. Obiit an. à Chr. 1274.

S. Bonaventura vir fuit natione Italus Balneoregii in Tuscia claris parentibus ortus, patre scilicet Fidentiô & Ritelia matre annô Christi 1221. & ante S. Francisci Fratrum Minorum Seraphici Patris obitum, annis quinque; cujus precibus infans adhuc gravi morbô laborans sanatus est, & ideò à pia Matre Religioni Franciscanæ dicatus, quam post 21. ætatis annum ingressus, mira vitæ sanctitate, innocentia & eruditione sacrum hunc Ordinem illustravit. Exactô à professione sua septenniô Parisios mittitur, ubi per tres annos Alexandrum Halensem celeberrimum Ordinis Seraphici, & Parisiensis Academiæ Magistrum audivit, atque eodem die, quo S. Thomas Aquinas ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ipse ex Ordine FF. Minorum Doctoris infulâ decoratus est, & posteà Theologiam publicè docuit, summo cum omnium applausu. Tot dotibus ac meritis clarus, 13tiô. suæ Franciscanæ professionis annô Romæ communi Fratrum suffragiô, & præsente Alexandro IV. Papâ totius Ordinis Generalis Magister electus est, post S. Franciscum septimus, annô Christi 1256. quo munere ritè & sanctè perfunctus est, atque sensim collapsam sui Ordinis disciplinam restituit. Viterbii Cardinalibus post Clementis IV. Papæ obitum pro novi Pontificis electione congregatis, nec inter se convenientibus, & in S. Bonaventuram compromittentibus, ipse eis, nulla sui ipsius habita ratione, Papam dedit Theobaldum Placentinum è familia Vicecomitum, & Leodiensem Archidiaconum in

Oriente tunc pro Christi & Ecclesiæ causa degentem, virum pietate & religionis zelô clarum, qui Gregorius X. appellatus est; hic indictô annô Chr. 1274. pro Græcorum cum Latinis unione Lugdunensi II. Oecumenicô Conciliô ad illud Bonaventuram evocavit, ubi reluctans à Summo Pontifice S. R. E. Cardinalis & Episcopus Albanensis renuntiatus fuit; atque post Sessionem 4tam felici morte sublatus est, die 14. Julii, annô Christi 1274. ætatis suæ 53tio. Eum inter Ecclesiæ Doctores haberi debere jussit latô decretô Sixtus V. Papa.

Ejus Scripta. Scripta ejus præcipua sunt 1mo. Expositiones variæ in S. Scripturam. 2do. Commentaria in 4. Magistri Sententiarum libros. 3tio. Sententiæ sententiarum carmine digestæ, sive quatuor Magistri Sententiarum libri carmine digesti. 4to. Sermones de diversis argumentis varii.

Ex Opusculis aliis præcipua sunt 1mo. Opusculum seu liber de reductione artium ad Theologiam. 2do. Breviloquium, in quo Theologiæ instituta atque præcepta summatim ac breviter exponit. 3tio. Centiloquium, quod Compendium Theologiæ dicitur, centum sectionibus comprehensum. 4to. Pharetra, opusculum 4. libris distinctum, *Pharetra* dictum, quia in eo reconduntur variæ SS. Patrum auctoritates, quibus quasi sagittis antiquus hostis dejici possit. 5tô. Declaratio Terminorum Theologiæ, hujus sacri studii Candidatis perutile. 6to. De septem donis Spiritus Sancti, opusculum in duas partes distributum. 7timo. Diæta sive via salutis, totum S. Scripturæ locis refertum, ac egregiis similitudinibus ornatum Opus, ac Dei Verbum prædicantibus perutile. 8vo. Meditationes vitæ Christi. 9no. Speculum B. Mariæ Virginis, sive Mariale octo lectionibus sive capitibus distinctum; speculum dicitur, quia in eo velut imagines in speculo repræsentantur B. Virginis dotes, virtutes & dona. 10mo. De gradibus virtutum formula aurea. 11mo. De pugna spirituali contra septem vitia capitalia. 12mo. Speculum animæ, de eodem argumento ferè, de quo prius opusculum, & in quo quisque, velut in speculo, à se patrata scelera videre potest. 13tio. Confessionale, in quo Confessarium, cui incumbit animarum regimen, ad audiendas Confessiones informat, & erudit. 14to. Expositio Missæ. 15to. Expositio in regulam FF. Minorum. 16to. Determinationes quæstionum circa Regulam S. Francisci. 17mo. Libellus Apologeticus in adversantes Ordini S. Francisci. 18vo. De paupertate Christi. 19no. Apologia pauperum, contra malevolos erga Ordinem S. Francisci. 20mo. Biblia pauperum, opusculum verbum Dei prædicantibus utile & commodum. 21mo. Compendium Theologiæ veritatis. A nonnullis ipsi abjudicatur, sed tamen verisimiliùs ipse illius Auctor est; Theologiæ

Ca-

Candidatis perutile Opus. 22do. Mystica Theologia; à nonnullis cuidam Carthusiano adscribitur.

(*g*) Hisce nostro Ecclesiæ Patrum & Doctorum, qui præclaris suis Scriptis & Operibus Ecclesiam illustrârunt, finem imponimus Catalogo, in quo, ut candidè, quod verum est, fateamur, multò plures omisimus, quàm recensuimus: enimverò eos omnes eorumque Opera omnia recensere infinitus penè labor foret, atque ultra instituti nostri metas longè abriperetur. Satis nobis esse arbitrati sumus, plerosque duntaxat, eorumque Opera genuina à dubiis & spuriis distincta recensere, quorum frequentiùs apud Theologos fit mentio, & quorum auctoritate sententias suas & assertiones communire solent; quique ideo ab ipsis Classici vocari consueverunt. Qui verò prolixiorem de iis eorumque operibus Catalogum desiderant eos Scriptores adeant velimus, qui ex instituto Ecclesiæ Patrum & Doctorum, eorumdemque Operum Syllabum texerunt; ut sunt præter Hieronymum, Gennadium, Isidorum juniorē, de quibus suis locis jam egimus,

94 Photius. Vivere desiit annò Christi 886.

Photius natione Græcus, Senator primò Constantinopolitanus, & Michaëli Imperatori à Secretis primus, deinde in locum Ignatii Patriarchæ viri sanctissimi perperam detrusi, Patriarcha ipse Constantinopolitanus per nefas intrusus, magnæ quidem eruditionis, sed majoris nequitiæ vir, qui Schismati, quod usque in hodiernam diem adhuc Latinam Ecclesiam inter & Græcam viget, dedit initium. Præter Nomocanonem, id est Canonum Collectionem, & varias Epistolas & Tractatus, ingentem scripsit Bibliothecam 294. Auctorum, in qua non modò singulorum Auctorum libros, sed & librorum capita, & capitum argumenta recenset. Vivere desiit annô circiter 886.

Sigebertus Abbas Gemblacensis in Brabantia Ord. S. B. Obiit annô 1112.

Sigebertus Gemblacensis Abbas scripsit librum de Viris illustribus, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis, in quo seipsum & sua Opera recenset, præsertim eam, quam texuit Chronologiam ab anno 381. continuando Gennadium usque ad annum 1112. quo & ipse vivere desiit.

Henricus Gandavensis. Obiit an. 1293. 96

Henricus Gandavensis, vulgò dictus, quia Gandavi in Flandria natus, Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, vir eruditione magnus & celebris, & Tornacensis Archidiaconus, scripsit præter alia Opera de Scri-

Aaaa 2 pto-

(*g*) In recensendis ordine Ecclesiæ Patribus & Doctoribus, plerumque illos ad id Sæculum rejecimus, quo eos obiisse constat duntaxat. Unde non obest, quin ad illud, quo obierunt, priori Sæculò plerique sua Scripta vulgasse dicantur, atque hujus Sæculi Patribus accenseri valeant.

ptoribus Ecclesiasticis Catalogum usque ad annum 1280. & obiit annô 1293. ætatis suæ 76.

97 Joannes Trithem. Obiit annô 1519.

Joannes Trithemius, sic dictus à vico in Germania propè Mosellam juxta Treviros, in quo natus fuit, Ordinis S. Benedicti Monachus, primò Spanheimensis Abbatiæ deinde Herbipolensis Scotorum Abbatiæ Præsul. Præter alia egregia Opera, scripsit de illustribus Germaniæ viris librum unum, de viris illustribus Ord. S. Benedicti alterum, & denique de Scriptoribus Ecclesiasticis generatim unum, ab Apostolorũ temporibus ad suam usque ætatem, videlicet usque ad annum 1494. in quo Opere 970. Auctorum meminit. Obiit annô 1519.

98 Conradus Gesnerus. Floruit circa annum 1555.

Conradus Gesnerus Tigurinus Philosophus & Medicus, præter alia Opera scripsit IllustriumScriptorum Bibliothecam circa annum 1555.

99 Antonius Possevinus S. J. Obiit annô Chr. 1611.

Antonius Possevinus natione Italus, patriâ Mantuanus Societ. JEsu Presbyter, præter varia præclara Opera scripsit Apparatum sacrum & historicum in tres Tomos distributum, in quo omnes ferè Scriptores Ecclesiasticos tam veteres quàm recentiores ordine Alphabetico recenset. Obiit Ferariæ annô 1611. ætat. 78.

100 Bellarminus S. J. Obiit annô Chr. 1621.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis natione Italus, patriâ Politianus Soc. JEsu alumnus, scripsit præter tres Controversiarum Tomos fidei Christianæ adversùs sui temporis hæreticos, in quibus de Verbo Dei, de Summo Pontifice, & de Conciliis fusè differit; præter explanationem in Psalmos, & Conciones sacras, pluraque alia adversùs hæreticos Opera; scripsit insuper, & in sua ultima ætate revidit & expolivit de Scriptoribus Ecclesiasticis librum unum, in quo de 400. circiter Auctoribus Ecclesiasticis suum eruditum & sapiens exponit judicium, incipiens à Moyse, Scriptore Ecclesiastico primo, usque ad subsequentes, & sui temporis alios, cui brevem addidit Chronologiam ab Orbe condito, usque ad annum Chr. 1612. Obiit annô Christi 1621. die 17. Sept. ætatis verò 79.

Aubertus Miræus. Obiit annô Chr. 1640. 101

Aubertus Miræus patriâ Bruxellensis, & Antverpiensis Ecclesiæ Canonicus & Decanus, Joannis Miræi Antverpiensis Episcopi nepos, vir eruditus & celebris, qui præter Notitiam Episcopatuum Orbis, Geographiam Ecclesiasticam, Origines Ordinum Religiosorum ferè omnium, Rerum Belgicarum Annales, ac erudita plura alia Opera, scripsit insuper Bibliothecam Ecclesiasticam, necnon Illustrium Belgii Scriptorum elogia. Obiit Antverpiæ annô 1640. ætatis suæ 67.

Guilielmus Cave. Anglus. 102

Guilielmus Cave Canonicus Windesoriensis in Anglia, scripsit etiam Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam litterariam, à Christo nato usque ad Sæculum 14tum.

Idem

103 Casimirus Oudinus. Idem argumentum prosecutus est Casimirus Oudinus ex Monacho Præmonstratensis Ordinis in Gallia Calvinianus Apostata; editô Commentariô de Scriptoribus Ecclesiasticis tribus Tomis comprehensô. Verùm ambo hi, quia Acatholici, cautè sunt legendi.

104

Caput II.

De Historiæ humanæ, tùm Ecclesiasticæ, tùm profanæ Scriptoribus, eorumque in rebus Ecclesiæ auctoritate.

Historiam humanam vocamus rerum quovis Sæculô & ætate gestarum narrationem & annotationem. Ecclesiastica vocatur, si res præcipuè Ecclesiam spectantes; Prophana autem, si sæcularia præcipuè tractet, & contineat.

De ea hîc tria inquirimus, 1mo. Utrum illius cognitio Theologo sit utilis. 2do. An aliquæ sint regulæ, quibus veræ historiæ à falsis dignoscantur. 3tio. Quænam sit historiæ humanæ auctoritas.

105

Conclusio I.

Historiæ sive profanæ, sive Ecclesiasticæ cognitio Theologo perutilis, ne dicam necessaria est.

Prob. 1ma pars. Cognitio historiæ profanæ plurimùm, imò omninò confert ad Scripturarum sacrarum intelligentiam, utpotè in quibus præsertim in Prophetis occurrunt loca plurima, quæ sine historiæ ad veteres Monarchias spectantis cognitione expediri nequeunt; undè, *Quidquid*, ait S. Augustin. (b) *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimùm nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.* Confert etiam præprimis ad Ecclesiasticorum monumentorum intelligentiam, ut patet; Itemque contra Adversarios fidei Christianæ, utpotè quos ex ipsis Græcorum, & Romanorum historiis Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Eusebius, & alii feliciter impugnârunt. Ergo Historiæ profanæ cognitio est Theologo perutilis, &c.

Prob. altera pars Conclusionis. Theologus ex historia Ecclesiastica discit 1mo. Quid antiquum sit, quidve novum; quæ dogmata sive fidei, sive morum, quæ disciplinæ capita, in Conciliis determinata fuerint. Discit 2do. Quid in arduis Religionis negotiis agendum sit: pauca enim nunc occurrunt, quæ aliàs jam non occurrerint: *Nihil sub sole novum*, ait Scriptura (i), *nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in Sæculis*,

(b) Lib. 2. de Doct. Christiana c. 28. (i) Eccli. 1.

Et, quæ fuerunt ante nos. Discit 3tio. Qua occasione nonnulla in Conciliis statuta fuerint, quam ob causam aliqua à Patribus scripta sint; ac proindè quinam sit germanus tùm Conciliorum tùm Patrum sensus. Discit 4to. Præclara Sanctorum Gesta, ad quorum normam mores suos componat. Ergo, &c.

106 CONCLUSIO II.

Nonnullæ sunt Regulæ, quibus veræ historiæ à fictis dignoscuntur.

Prob. enumeratione illarum. 1mo. Vera est & non ficta historia, quæ enarrat factum aliquod contigisse coram ingenti multitudine, quæ licèt illius interesset falsum manifestare, si quod fuisset, ipsum admisit, tradiditque posteris tanquam certum. Hinc colligitur, maximam esse certitudinem historiarum, quibus Veteris Legis miracula recensentur: scilicet patrata dicuntur coràm sexcentis millibus testium, qui ea non modò pro veris habuerunt, sed & posteris libros tradiderunt, quibus continebantur, quamvis hi libri facta narrarent, quæ sibi ac toti Judaicæ Genti parùm essent honorifica. Idem dici debet de miraculis, quæ referuntur in Nova Lege: eorum enim testes oculati pro tuenda illorum veritate mortem obierunt.

107 2do. Econtrà, cùm factum aliquod non fuit evulgatum eo tempore, quo contigisse scribitur, sed tantùm multis post annis, fidem non meretur. Hincque patet, vel eo solo titulo rejici debuisse historiam de Joanna Papissa, quam ducentis & amplius annis, postquam contigisse fertur, tandem Martinus Scotus, aliàs Polonus dictus, evulgavit.

3tio. Factum, quod non 108
refertur ab insigni & fideli alioquin Historico, cujus plurimùm intererat ipsum referre, quodque eum, si re vera contigisset, non potuisset eum latere; ficititium censeri debet, quamvis à pluribus Historicis tempore posterioribus referatur.

4to. Veritas factorum, quæ 109
secretò, hoc est, coràm uno teste, contigisse dicuntur, pendet ab illius hominis fide, coràm quo ejusmodi facta contigisse narrantur. Undè de iis factis non habetur certitudo, nisi in quantùm certum est, eum hominem deceptum non fuisse, nec voluisse decipere cæteros. Hincque patet, quàm inane sit, ac fluxum totius Religionis Mahumetanæ fundamentum.

CONCLUSIO III. 110

Præter Auctores sacros nullus Historicus potest facere eam certitudinem, quæ fidem generet.

Prob. Quilibet privatus homo præter eos, quos ex evidentibus

tibus motivis credibilitatis constat scripsisse ex motu Spiritûs sancti, absolutè loquendo, falli potest, ac fallere: ac proinde nullus potest facere certitudinem, quæ generet fidem, & cui, absolutè loquendo non possit subesse falsum. Ergo, &c.

111 CONCLUSIO IV.

Historici graves ac fide digni, quales sive in Ecclesiasticis, sive in Sæcularibus nonnunquam reperire est, Theologo argumentum probabile suppeditant.

Prob. Probabile est, Historicos, de quibus agitur, nec falli, nec fallere velle: prudenter nimirum se gerit, qui credit homini fide digno affirmanti, se aut rem vidisse, aut accepisse ab hominibus sapientibus, qui illius oculati testes extiterint. Hinc patet, imprudentem ac temerarium fore, qui fidem detraheret miraculis, quæ S. Augustinus in inventione Corporis S. Stephani se vidisse testatur. Ergo.

112 CONCLUSIO V.

Omnes probati ac graves Historici, nullo contradicente, factum aliquod enarrantes Theologo certum argumentum suppeditant.

Prob. Id certum argumentum Theologo suppeditat, de quo nemo, qui sapiens sit, dubitare potest. Atqui de hujusmodi facto, quod ab omnibus probatis ac gravibus Historicis, nullo contradicente, refertur, nemo qui sapiens sit, dubitare potest. Nemo v. g. nisi desipiat, dubitare potest, Concilium Nicænum I. imperante Constantino Magno celebratum fuisse. Eo argumenti genere nituntur fideles, ut judicent, quædam Concilia esse Oecumenica, seu universam Ecclesiam repræsentare; ac proinde se prudenter fide divina credere, quæ in eis definita fuère. Ergo &c.

Ad probè judicandum autem, an Historicus aliquis sit fide dignus, sequentia sunt exponenda, & examinanda. 1mò. An sit coætaneus rei, quam enarrat; si enim multo post tempore vixerit, tantam fidem non meretur. 2do. An in rebus etiam non multùm intricatis, nonnunquam deceptus sit. 3tio. An ipsius intersit, facta sic extitisse, quemadmodum ab eo referuntur. Ob eam rationem Eusebii Cæsariensis fides in rebus, quæ ad Arianos spectant, dubia est; Arianismi nimirùm fuligine aspersus fuisse creditur. Sic etiam Socratis ac Sozomeni testimonia non sunt omninò certa in rebus, quæ pertinent ad Novatianos, nempe Novatianorum Schismatis rei fuisse perhibentur. Legi hac de re potest Melchior Canus libro 11. de locis Theologicis præclara eloquentis.

113 CAPUT III.

De Theologis Scholasticis, Jurisque Pontificii peritis eorumque auctoritate.

IN nostra in universam Theologiam Præfatione, eam definivimus, quòd sit *Disciplina, quæ de rebus divinis ac supernaturalibus disputat, & differit, ut ex veritatibus à Deo revelatis, fideique Catholicæ principiis cùm de ipso Deo, tùm de creaturis conclusiones, seu consecutiones eliciat, quibus fidei mysteria explanet, suadeat, confirmet, ac tueatur.* Ex qua definitione, quisque facilè intelliget, quodnam Theologorum munus sit, & quinam hoc nomine digni censeantur.

Porrò Theologi Scholastici sive antiqui sive recentiores vel Scripturâ & Traditione nituntur, ut suas assertiones confirment, vel sola humana ratione, aut gravium, ut loquuntur, aliorum Theologorum sententiis.

114 CONCLUSIO I.

In iis, quæ ad fidem vel mores pertinent, nulla debet haberi ratio Scholasticorum, qui nec Scripturâ, nec Traditione, sed sola humana ratione & Recentiorum auctoritate sua placita confirmant.

Prob. 1mo. Nec humana ratio, quæ post peccatum originale contractum facilè fallitur, nec Recentiorum sententia, quæ sæpiùs maximè temeraria est, leges sunt, ad quas sive fidem nostram, sive mores exigere debemus, id enim solius Scripturæ ac Traditionis jus est. Ergo &c.

Prob. 2do. Si Scholasticorum haberi deberet in his ratio, tunc liceret in moralibus sequi opinionum portenta, quæ ab Alexandro VII. Innocentio XI. & pluribus variarum provinciarum Episcopis proscripta sunt, tanquam exitiosa, & scandalosa: ea enim opinionum portenta non ab uno tantùm, sed ab innumeris ferè recentioribus, qui perraró Scripturam aut Traditionem laudant, propugnata sunt. Atqui id non licet. Ergo &c.

CONCLUSIO II. 115

Plurium Scholasticorum ex iis etiam, qui placita sua ad Scripturæ & Patrum normam exigere profitentur, consensus in aliquod dogma, si alii insignes, licet numerô pauciores, dissentiant, non majoris est ponderis, quàm rationes, quibus nituntur.

Prob. Scholastici non sunt à Christo, aut Ecclesia constituti controversiarum Judices: id nempe juris solis Episcopis populos sibi creditos docentibus

bus divinitùs concessum est: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; inquit Christus ad suos Discipulos, quorum successores sunt Episcopi. Unde cùm in Synodis expenditur aliquod dogma, Patres non multùm moventur opinionibus, quæ in Scholis hinc inde agitantur, sed Scripturam tantùm & Traditionem consulunt. Igitur Scholastici se habent, sicut Causidici, seu causarum patroni: quemadmodum ergo Causidici solius consultationis, non autem decisionis vim habent, ita & Scholastici.

116 CONCLUSIO III.

Unanimis Scholasticorum omnium in unum dogma consensus, Theologo suppeditat magni roboris argumentum.

Prob. 1mo. Id magni roboris argumentum suppeditat, quod Ecclesia nunquam explosit, aut rejecit, sed quo potissimùm in suis de fide & moribus definitionibus adjuta est. Atqui Ecclesia nunquam explosit Scholasticorum omnium in unum dogma consensum, aut illum rejecit, quin potiùs, si probè attendamus, quingentis abhinc annis, ubi quasdam hæreses condemnavit, aut de fide & moribus decreta tulit, Scholasticorum subsidiò & diligentiâ vehementer adjuta fuit, ac potissimùm in Concilio Tridentino. Ergo.

2do. Unanimis omnium Scholasticorum consensus est testimonium plusquam probabile, articulum, in quem consentiunt, esse traditum. *Quod enim*, ait Tertullianus (*k*), *apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum*. Atqui quod traditum est, est infallibile. Ergo &c. Unde manifestè sequitur, Doctores Scholasticos simul omnes in fide & moribus errare non posse, maximique momenti esse illorum in hujusmodi rebus consensum, eorumque ita concordi de fide aut moribus sententiæ contradicere, si hæresis non sit, saltem hæresi proximum quid esse, prout tuetur Melchior Canus.

Quod Juris Canonici peritos spectat; notandum, Juris Canonici Volumina circa varia rerum genera versari. Primùm enim Catholicam fidem & profitentur, & explicant, ut in tit. *de summa Trinitate*. Deindè de moribus definiunt, necnon de Religione Christiana, quantùm aut ex Evangelica lege, aut naturæ ratione definire licet: ut videre est in tit. de usura, de jurejurando, de divortiis, de Simonia. Prætereà differunt quoque de disciplina Ecclesiastica, omnibusque Canonibus seu legibus ab Ecclesia statutis. His positis fit 117

(*k*) Lib. de præscrip.

118 CONCLUSIO IV.

In iis, quæ ad Fidem pertinent, Jurisconsultorum auctoritate non eget Theologus, quin potiùs eorum titulorum, qui de fide decernunt, Legisperitus à Theologo petere debet auctoritatem.

Prob. Quia Pontificum & Conciliorum definitiones circa fidem in Juris Canonici voluminibus contentæ & congestæ ex sacris Litteris & Christi atque Apostolorum Traditione tanquam principiis sunt collectæ. Atqui hæc principia, unde Pontifices & Concilia suas circa fidem definitiones derivant, propria sunt Theologicæ facultatis, utpote cujus est cognoscere, quæ à Deo sunt revelata, quæque his vel consequentia vel repugnantia. Ergo in ejusmodi rebus Canonum Sacrorum intelligentia non à Jurisperitis, sed à Theologis est petenda.

119 CONCLUSIO V.

In his quoque, quæ ad mores pertinent, quatenus, vel lex Evangelica, vel ratio Philosophica circa eos quidpiam præscribit, Jureconsultorum auctoritas parùm aut certè nihil Theologo conferre potest.

Prob. Sacrarum Litterarum cognitio est Theologo propria. Ergo quæcunque de moribus vel in sacris Litteris continentur, vel ex eidem per certam connexionem deducuntur, & conficiuntur sunt etiam ipsi propria, quæ porro Jurisperitus ut aliena mutuatur.

Philosophiæ item principia habentur à Theologis, ut qui de virtutibus & vitiis, de fine humanæ vitæ, deque actionibus, quibus ad hunc finem pervenitur, longè lateque disserant, & super harum rerum jactis fundamentis morum fabricam extruant. Ergo certè quæ de moribus ex principiis naturæ ratione constitutis præscribuntur, ea Theologus quasi jure assumit, & Jureconsultis exposita & enucleata tradit.

Atque ut exemplo agamus, quemadmodum Musicus ab Arithmetico conclusionum suarum rationem sumit, quòd hæ conclusiones à principiis Arithmeticis deriventur, ita & si quæ Dogmata de moribus Jus Pontificium vel ex Evangelio, vel ex Philosophia colligit, ea sane tanquam à propriis principiis accepta Theologus agnoscet, rectiusque & intelliget, & interpretabitur. Unde in summo errore & magna veritatis ignoratione versari videntur Jurisperiti illi, qui contendunt, in materia Usurarum, Simoniæ, & aliis ejusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad Jurisperitos potiùs, quàm ad Theologos recurrendum esse.

CONCLUSIO VI. 120

In illo rerum genere, ubi scilicet de moribus & Disci-

pl.na

plina Ecclesiæ Religionisque institutis per leges tantùm à Synodis vel Pontificibus statutas decernitur, necnon pœnæ Juris præfiniuntur, Jurisperitorum omnium communis consensus, concorsque sententia Theologo magnam fidem facere debet, cùm incidit quæstio super hujusmodi rebus.

Prob. Quæ Juris Canonici sunt propria, non alii meliùs & rectiùs intelligunt, quàm Juris Canonici periti. Atqui quæ Disciplinam Ecclesiasticam per leges à Pontificibus & Synodis stabilitam &c. spectant, sunt hujus facultatis propria. Ergo ea non alii meliùs & rectiùs intelligunt, quàm hujus facultatis seu Juris Canonici periti; adeoque & circa ea ipsis fidem habeat Theologus necesse est.

121 Unde si e. g. veniat in dubium, an hic aut ille homo sit irregularis, vel excommunicatus, vel interdicto, vel suspensioni obnoxius; item an Delegatus possit subdelegare, an Episcopus in his illisve possit dispensare, an Ecclesiæ Pastor ritè sit electus, num Judex Ecclesiasticus causam in Judicio legitimè definierit? In his aliisque sexcentis hujus generis, Theologus insolentissimus erit, si, quod ignorat, judicaverit. Insolentior, si, posteaquàm Jurisperitos consuluerit, omnium auctoritati refragatus fuerit.

Igitur Juris Canonici prudentibus in his, quæ propria sunt illius facultatis, non credere, erit profectò temerarium: & in ejusmodi Canonum interpretatione Ecclesiæ Judices atque Administri concordem omnium Jureconsultorum sententiam amplecti tenentur.

CAPUT IV. 122

De Ratione naturali, Philosophis, & Juris Cæsarei Consultis eorumque auctoritate.

Circa rationem naturalem duo hìc inquirimus, imo. Utrum à Theologis consuli debeat. 2do. Quam vim & auctoritatem habeat. Sit

CONCLUSIO I.

Ratio naturalis utiliter à Theologis consulitur, non tamen se habet per modum principii respectu Theologiæ.

Prob. 1ma pars. Quod à Deo datum est homini ad comparandam veritatis cognitionem, illud utiliter à Theologo consulitur. Atqui ratio naturalis ad eum finem homini à Deo data est: est enim quædam divini luminis participatio, juxta illud Psalmistæ: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Ergo &c.

Prob. 2da pars. Unum est tantùm Theologiæ principium, divina scilicet revelatio, quæ aut Scripturâ aut Traditione continetur, prout

ex tradita à nobis ipsius definitione patet; atque per hoc Theologia, prout alibi diximus, differt à Philosophia, aliisque naturalibus Disciplinis. Ergo ratio naturalis non se habet per modum principii respectu Theologiæ.

Dicendum igitur, rationem naturalem eo sensu ad Theologiam conferre, quòd ex principiis revelatis conclusiones eliciat, aut exponat motiva credibilitatis, quibus fit, ut prudenter credamus, Scripturam & Traditionem esse verum Dei Verbum.

Hinc sequitur 1mo. Eos abuti ratione, qui in rebus Theologicis ei primas partes tribuunt; *Oportet*, inquit S. Thomas (*l*), *quòd naturalis ratio subserviat fidei.* Hoc ubusu implicantur hæretici omnes: ii enim ad præconceptarum quarundam opinionum normam de vero Scripturarum sensu judicare soliti sunt, cùm è contrà germanus illarum sensus ex terminis quibus ipsæ constant, ex Ecclesiæ ac sanctorum Patrum consensione desumi debeat.

Sequitur 2do. In eundem scopulum incidisse præsertim Socinianos, qui persuasi, Deum nihil revelasse, quod humana ratio capere non valeat, in sensum Metaphoricum detorquent omnia Scripturæ loca, quæ sumpta in litterali sensu continent dogma, quod hominis captum superat, aut rationi naturali oppositum esse videtur. Eo nixi principio Trinitatis, Incarnationis, aliorumque difficilium mysteriorum existentiam inficiati sunt.

Sequitur 3tio. Ejusdem culpæ reos esse illos conscientiæ casuum arbitros, qui Dei ipsius judices se ipsos constituentes affirmare non verentur: *Hæc aut illa ejus præcepta, si ad litteram sumerentur, non satis fore attemperata infirmitati humanæ*: Ex eo nempe temerariò judicio argumenta petunt, quibus præcipua mandata clarè alioquin in Scripturis expressa convellunt. Eundem reatum contrahunt ii, qui præconcepto hoc axiomate nixi: *Præceptum non obligat per se, quando tempus obligationis non exprimitur*, contendunt, primum Decalogi mandatum nusquam hominem in vita obligare: *Homo*, inquiunt, *nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

CONCLUSIO II. 123

Communia principia rationis naturalis certum Theologo argumentum suppeditant: Conclusiones verò, quæ aliâ viâ, quàm per demonstrationem ex illis inferuntur, argumentum duntaxat probabile.

Prob.

(*l*) 1. p. q. 1, Art. 8. ad 2.

Prob. prior pars. Communia principia rationis naturalis five ad mores, five ad alias veritates pertineant, certa funt & evidentia, ut patet in iftis: *Totum eft majus fua parte. Impoffibile eft idem fimul effe & non effe. Bonum eft faciendum & malum fugiendum. Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Atqui quæ certa funt & evidentia certum Theologo argumentum fuppeditant. Ergo &c.

Prob. altera pars. Conclufiones, quæ per demonftrationem non eliciuntur ex communibus rationis naturalis principiis, inferuntur tantùm per medium probabile: Ergo folùm argumentum probabile Theologo fuppeditant.


Conclufiones igitur, quæ immediatè eliciuntur ex primis & communibus rationis naturalis principiis, plerumque inferuntur per medium demonftrativum. Sic ex ifto moralis difciplinæ principio, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis,* demonftrativè colliguntur plura ex præceptis, quæ vetant, ne proximo damnum inferatur.

Econtrà, quæ mediatè tantùm & remotè ex iisdem rationis naturalis principiis inferuntur, plerumque probabiliter tantùm colliguntur, quia non femper clarè videtur connexio, quam remotæ conclufiones habent cum primis principiis, præfertim in rebus ad mores fpectantibus: idque contingit, aut Deô nonnunquam (ut ait Auguftinus) fpargente pœnales cœcitates fuper illicitas cupiditates, aut propter præjudicia, vel propter pravum aliquem affectum, quo mens inclinatur ad judicandum pro iis rebus, quæ cupiditatem fovent, ac nutriunt.

Quantùm ad Philofophos 124
fpectat, eorumdem fermè hîc ratio ineunda eft ac rationis naturalis, quippe quâ duce & ipfi fuas promunt fententias. Atque ad hoc potiffimùm valet Philofophorum omnium una eademque confenfio, ut rei alicujus evidentiam pariat. Cùm enim omnes tam veteres quàm recentiores Philofophi aliquod principium lumine naturali notum, aut quædam confectaria ex primis principiis uno confenfu tanquam aliquid certiffimum & maximè perfpicuum tradunt, tum nullus eft dubitandi locus, quin re ipfa fit evidens & verum id, quod tanta omnium confenfione traditur. At in iis opinionibus, quæ ab una Philofophorum Secta propugnantur, ab alia impugnantur, nullius momenti eft Philofophorum auctoritas, nec enim unius Sectæ potiùs quàm alterius fententia per fe certum eft evidentiæ argumentum. Itaque tùm ponderandæ funt rationes, quæ ex utraque parte afferuntur, & verifimilioribus adhærendum eft.

Quod ultimò Juris Cæfarei 125
peritos attinet, certum eft, Legum civilium peritiam cum

Scientia juris Canonici adeò conjunctam & colligatam esse, ut vix altera ab altera separari possit. Itaque quemadmodum Theologo in multis auctoritate Juris Canonici peritorum nitendum est, prout Cap. præcedenti innuimus, ita & non in paucis, præsertim ubi de justitia & jure agitur, Juris Cæsarei Consultorum placita sequi debet. Et profectò ipsi ineptiæ deputabitur, si ea, quæ graviter à viris clarissimis de jure dicta sunt, negligere voluerit. Præterea in pactis, stipulationibus, cæterisque contractibus: in rerum dominio, venditione, emptione, mutuo, locatione, præscriptione, testamentis, donationibus, testibus, judicibus, aliique sexcentis hujus generis quoties Theologo opus est, album à nigro, & æquum ab iniquo secernere, atque sic animarum periculis, earumque saluti consulere? Quoties etiam ipsi restitutionis materia tractanda, in foro conscientiæ nempe? Num hîc justitiæ & æquitatis, in foro etiam, ut diximus, conscientiæ, rectus arbiter esse poterit, nisi multa à Jureconsultis & civili prudentia mutuetur? Minimè profectò. Nam licet justum injustumque internoscere Philosophorum & Theologorum libris adjutus possit: ait id faciet solùm in genere, in specie autem sine juris aliqua peritia non faciet; quod variis exemplis facile esset demonstrare, sed quid plura opus, cùm certum sit, eas injustitias, quæ in judiciis, contractibus, ultimis voluntatibus, ac etiamnum delictis quandoque committuntur, interdum Theologi vires excedere. Id si ita est, ut certè est, insolentiæ erit maximæ in ejusmodi quæstionibus Juris peritiam contemnere; Theologum igitur ut Juris Canonici, sic quoque & Civilis mediocrem saltem notitiam habere oportet, &c.



APPEN-

APPENDIX

De propositionum Censuris.

126 EXpensis locis Theologicis, ex quibus argumenta pro fide confirmanda moribusque dirigendis promenda sunt, id duntaxat superesse videtur, ut quibus passim censuris ab Ecclesia, seu summo Pontifice propositiones iisdem sive fidei, sive morum regulis oppositæ, cùm eas damnat, afficiantur, exponamus.

Octo proinde passim recensentur damnabilium propositionum censuræ. Alia enim est propositio hæretica, alia erronea, alia scandalosa, alia blasphema, alia piarum aurium offensiva, alia temeraria, alia seditiosa, alia denique suspecta &c. Eas ergo singulatim expendere animus est.

127 De propositione hæretica.

Propositio hæretica est ea, *quæ vel expresso Dei verbo, vel expressæ definitioni Ecclesiæ adversatur.*

Dicitur 1mo adversari *Dei verbo*, quia Dei verbum, seu Scriptura & Traditio continent omnes articulos qui ad fidem aut mores spectant: non enim, ut alibi jam dictum, alii sunt fidei Christianæ fontes.

Dicitur 2do adversari *expresso Dei verbo*, hoc est veritati, quæ *expressè* Dei verbô continetur: ut sunt Christi mors, sepultura resurrectio. Hinc patet hanc propositionem, quæ inter quinque Jansenii Iprensis ab Innocentio X. Papa damnatas numerô 2dô legitur: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, meritò tanquam hæreticam fuisse proscriptam, contradictoriè nimirùm opponitur huic expressæ sacrarum Litterarum sententiæ: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Patet iterum hanc aliam: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio neque in decursu vitæ suæ mortalis*, esse quoque formaliter hæreticam, quippe quæ contradictoria sit expresso Dei verbo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ac proindè tanquam formaliter hæretica meritò damnata fuit ab Alexandro VIII. Papa.

Dicitur 3tio adversari expresso Dei verbo, aut *expressæ definitioni Ecclesiæ.* Siquidem propositio, quæ implicitè tantùm continetur Dei verbo, postquam Ecclesia declaravit illam eo reverâ contineri, fide divina expressè credi debet ab iis, quibus sufficienter innotuit latum ab Ecclesia judicium: propter hanc rationem ista propositio, *Baptismus, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non est verus Baptismus*, est hæretica, quamvis olim, seu antequam Ecclesia in Concilio plenario, ut loquitur Augustinus, de ea sententiam suam expressè tulisset, nequaquam esset hæretica; nec enim tunc omnibus Ecclesiis constabat, contrariam propositionem contineri, vel etiam implicitè, in Verbo Dei sive scripto sive tradito.

De propositione erronea. 128

Propositio erronea strictè sumpta est ea, quæ negat veritatem, quæ ex communi Ecclesiæ consensu judicatur esse mediatè revelata, quamvis Ecclesia id nondum expressè definierit.

Differt ab hæretica, quia hæc negat veritatem, tanquam vel immediatè, vel mediatè saltem à Deo revelatam per solemnem Ecclesiæ definitionem agnitam;

secus

fecus propositio erronea, utpote in qua à solemni Ecclesiæ definitione abstrahitur.

Differt quoque à cæteris mox recensendis damnabilibus propositionibus, prout ex earum expositione patebit. Hinc patet, opinionem S. Cypriani de invaliditate Baptismatis ab hæreticis collati, erroneam duntaxat fuisse, antequam Ecclesia definiisset, eam repugnare veritati Verbô Dei non scriptô seu traditione contentæ, quæ docebat, internas dispositiones baptizantis non nocere validitati Baptismi. Verùm post Ecclesiæ definitionem est formaliter hæretica, ut jam superiùs dictum est.

129 *De propositione scandalosa.*

Propositio scandalosa strictè sumpta dicitur ea, quæ per se nata est parere spiritualem proximi ruinam, licèt in ea nec error, nec hæresis aperte notari possint.

Dicitur 1mo parere spiritualem proximi ruinam, hoc enim fert ipsum *scandali* nomen, quod quidem secundùm Grammaticos aliud non significat, quàm offendiculum, quod ante pedes alicujus positum, est causa cur cadat.

Dicitur 2do *per se nata parere spiritualem proximi ruinam*, quia *per accidens* duntaxat est, si hujusmodi ruinam proximi non pariat, nec ab ipsa, sed à proximo, qui illam recipit, seu illius subjectum est, ratio peti debet, cur talis ruina non sequatur.

Adduntur 3tio hæc verba: *Licèt in ea nec hæresis, nec error apertè notari possint*; per quæ quidem verba propositio scandalosa strictè sumpta, seu prout specialem censuræ notam continet, differt à propositionibus hæretica & erronea: in his enim hæresis & error apertè notari possunt.

In exemplum propositionis scandalosæ referri potest ista: *Ex auriculari confessione gravissima sequuntur incommoda.* Item hæc alia: *Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum*; quia per te inclinat animas, quæ sibi videntur esse transformatæ, ad dimittendas virtutum exercitationes.

De propositione blasphema. 130

Propositio blasphema est ea, quæ aliquod vel in Deum, vel in Sanctos convitium continet.

Differt ab aliis propositionibus, quibus specifica aliqua alia censura debetur; neque enim aliæ propositiones illæ continent convicium aut in Deum aut in Sanctos, hoc est, nec Deo, nec Sanctis aliquid tribuunt, quod eos dedeceat, aut ab iis detrahunt perfectionem aliquam, quæ ipsis debetur. Hinc patet hanc propositionem ab Innocentio Papa XII. proscriptam: *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes*, esse non solùm erroneam, sed etiam blasphemam: scilicet multùm detrahit ex perfectione, quæ Christo debetur, seu est ipsi multùm injuriosa.

Patet etiam propter eandem rationem, hanc aliam propositionem, quæ primò locô ponitur inter quinque Jansenii ab Innocentio Papa X. damnatas: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant*, non solùm esse temerariam & hæreticam, sed etiam blasphemam; nempe Deum reddit injustum legislatorem, quia ea præcipiat, quæ volentibus, & conantibus sint impossibilia.

De

131 *De propositionibus malè sonante, & piarum aurium offensiva.*

Quamvis propositio malè sonans ad piarum aurium offensivam referri videatur, nam, quod malè sonat, semper aures offendit, tamen aliquod inter utramque discrimen intercedere videtur.

Igitur propositio malè sonans est ea, quæ licèt duplicem habeat sensum, unum bonum, & alium malum, absolutè tamen & sine distinctione profertur.

Differt ab hæretica & erronea, cùm dicatur habere duplicem sensum, unum bonum & unum malum; propositiones autem hæretica & erronea, nullum habent sensum bonum, saltem qui sit obvius, hoc est, quem verba, ex quibus constant, præ se ferant.

Differt etiam à propositionibus, ex quibus pravus sensus excluditur, per explicationem ad restrictionem terminorum, propositio enim malè sonans est ea, quæ, ut dictum, absolutè, & sine distinctione profertur.

Illius exemplum peti potest ab hac propositione Scytharum Monachorum: *Unus de Trinitate crucifixus est*, quæ Hormisdæ Pontifici Romano velut malè sonans visa fuit, eoquòd etiam per eam intelligi posse videbatur, *Unum de Trinitate in substantia Deitatis crucifixum fuisse*, quam propositionem jam longè priùs, annô videlicet 483. in Petro Gnaphæo seu Fullone viro Euthychiano damnaverat Felix Papa III. At ubi ab ea pravus, qui eidem affingi poterat, sensus per explicationem ad terminorum restrictionem exclusus fuit, ita ut intelligeretur, *quòd unus de Trinitate in substantia carnis, & nostræ mortalitatis crucifixus fuisset*, tum velut Catholicam probavit Joannes II. Fatemur enim Deum pro nobis passum, & crucifixum fuisse, sed, ut dictum, in substantia carnis, & nostræ mortalitatis.

Propositio autem piarum aurium offensiva dicitur ea, quæ aliquid absonum, & subjecto de quo fertur, indignum continet. 132

Dicitur 1mo *offensiva aurium*, non quidem propter sensum, quem à parte rei & in se continet, sed propter modum, quo ille sensus exprimitur.

Dicitur 2do offensiva *aurium* non quarumcunque, sed *piarum:* neque enim, ut olim in Pharisæis accidit, si impii aliqua veritate offendantur, ob id propositio, quæ illam veritatem continet, dici debet per se *aurium offensiva.*

Neque etiam *per se* piarum aurium offensiva dici debet ea, quæ pios quidem, sed indoctos offendit: siquidem ad ferendum judicium de aliqua propositione consuli non debet promiscuum vulgus licèt pietatem præ se ferat, sed consuli debent viri, qui cum pietate doctrinam conjunxerunt. Scilicet non raro contingit, ut propositio, quæ piæ plebis aures offendit, viros peritos ac sapientes non modò non offendat, sed etiam nec moveat. Id præsertim videre est in propositionibus, quæ enuntiant abusus aut superstitiones, quæ ab hominibus, piis quidem, sed parùm peritis nonnunquam admittuntur in quarumdam imaginum, vel quorumdam Sanctorum cultu.

Dicitur 3tio nonnihil continere absonum, seu in subjectum, de quo profertur, non satis honorificum; ex quo patet, propositionem aliquam piarum aurium offensivam non tam peccare in sensu, quàm in modo, quo ille sensus exprimitur: hincque colligitur, cavendum esse Theologo, cùm de partu Beatæ Mariæ Virginis loquitur, ne circumstantias explicet, quæ exprimi non possunt, nisi verbis indecentibus.

De propositione temeraria. 133

Propositio temeraria est ea, quæ in materia Fidei aut morum profertur abs-

que auctoritate aut Scripturæ, aut unanimis Traditionis, aut saltem aliquorum Patrum: & à fortiori si major Episcoporum & Theologorum pars judicet, eam vel Scripturæ, vel Traditioni, vel celebrioribus Patribus, adversari.

Id enim temerarium dicitur, quod absque fundamento asseritur. Atqui propositio, quæ in materia Fidei aut morum profertur absque auctoritate vel Scripturæ, vel Traditionis, aut saltem aliquorum Patrum, sine fundamento asseritur & profertur, cùm, ut jam alibi sæpiùs dictum, non aliud sit fundamentum Fidei ac morum, quàm Scriptura, Traditio, & Patres.

Hinc colligitur 1mo. Hoc Casuistarum quorumdam axioma: *Honor potior est, quàm vita*, non solum esse scandalosum & perniciosum, sed etiam temerarium: siquidem nullo aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum testimonio nititur.

Colligitur 2do. Plures ex propositionibus, quæ circa cultum Deo debitum, charitatem proximo exhibendam, homicidium vitandum, à quibusdam Recentioribus sunt prolatæ, esse temerarias: nempe ne minimô quidem aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum testimoniô nituntur, sed levissimis duntaxat ratiunculis. Ejusmodi autem sunt eæ omnes, quas Alexander Papa VIII. & Innocentius XI. publicis decretis damnârunt.

134 *De propositione seditiosa.*

Propositio seditiosa est ea, quæ per se apta est parere seditionem, prout ipsa nominis Etymologia declarat.

Contendunt aliqui, propositionem seditiosam, nisi aliunde opponatur doctrinæ fidei vel morum, vel disciplinæ, non videri inter censuras Theologicas comprehendi debere, licèt ab Ecclesia prohiberi possit. Volunt alii, eo sensu, illam inter Theologicas notas comprehendi, quòd ad scandalosam propositionem reducatur: ajunt enim, seditio, ad quam illa propositio movet, contingere non potest absque spirituali multorum ruina, & plurium peccatorum lethalium commissione.

De propositionibus, suspecta de hæresi, sapiente hæresim, & hæresi proxima. 135

Propositio suspecta de hæresi est ea, quæ multa cum probabilitate judicatur hæretica.

1mo. Judicatur *hæretica*, hoc est, contradictoriè opposita veritati, quæ vel explicitè & immediatè revelata est, aut si implicitè tantùm & mediatè, ab Ecclesia solemni judiciô declarata fuit revelata.

2do. Judicatur hæretica *cum probabilitate*, id est, ex hæretica infertur per argumenta, quæ licèt certitudinem moralem generent, non excludunt tamen omne dubium: unde propositio de qua est quæstio, non potest dici absolutè hæretica, sed tantùm suspecta de hæresi, quia remanere videtur de ea dubium.

3tio. Judicatur hæretica *cum multa probabilitate*: neque enim aliqua propositio, propter levem probabilitatem, cum fundamento adduci debet in hæresis suspicionem: æquitati namque repugnat, ut propter leve fundamentum tam gravis censura alicui propositioni inuratur: gravis autem fundamenti nomine hîc intelliguntur rationes petitæ ex Scriptura, & Traditione, quæ non unum & alterum tantùm Doctorem ad assensum moveant, sed ingentem Magistrorum numerum, paucis exceptis, determinent.

Propositio hæresim sapiens est ea, 136 quæ multò majori cum probabilitate, quàm suspecta de hæresi, judicatur hæretica.

Probabilitas quippe gradus quosdam habet, seu major est, vel minor, pro majori

majori vel minori pondere rationum, quibus nititur: igitur, quando magna est probabilitas, quòd aliqua propositio sit hæretica, tunc in se, tum ratione Scriptoris, ut v. g. aliàs hæretici, considerata, tunc constituitur propositio suspecta de hæresi: quando autem est maxima probabilitas, seu vehemens suspicio, eam ex motivis mox recensitis aliisque esse hæreticam, tunc constituitur propositio sapiens hæresim, quia ea, quæ per gustum exploramus, nobis magis certa videntur, quàm ea, quæ per solum intellectum suspicantem attingimus. Hinc patet idem fundamentum, sed sumptum secundùm diversos gradus, constituere propositionem, aut quæ de hæresi suspecta sit, aut quæ sapiat hæresim.

137 Propositio hæresi proxima est ea, quam major & sanior Doctorum pars ex Scriptura & Traditione judicat esse hæreticam, licèt nullus eorum audeat eam dicere simpliciter hæreticam, quòd aliqui non infimi nominis Theologi contendant, ipsi censuram hujusmodi inuri non debere.

Inde patet, propositionem hæresi proximam idem omninò esse cum propositionibus suspectâ de hæresi, & sapiente hæresim: non enim aliud dicit, quàm summam probabilitatem, quòd reverâ sit hæretica.

His propositionum censuris solent summi Pontifices plerumque in suis, quibus ex propositiones damnantur, decretis exprimere adverbium istud *respectivè*, atque dicere, has & illas propositiones e. g. esse *respectivè* hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas, perniciosas, blasphemas &c. Quo loquendi modo significant, aliquam ex recensitis notis afficere unamquamquam ex propositionibus, quas damnant, disjunctivè, ita ut nulla sit, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur. Quod intelligendum est, cùm videlicet priùs recensitis in decreto damnabilibus propositionibus, memoratæ censuræ cumulatim illis affiguntur. Solent enim interdum Pontifices cuique, illarum, quas damnant, propositioni suam affigere censuram, prout præstitit Innocentius X. cùm petentibus & rogantibus Galliæ Antistitibus, quinque Jansenii Iprensis propositioes damnavit.

Cæterum monendi sunt Theologi, ut in refutandis aliorum sibi contrariorum Theologorum opinionibus & sententiis, super quibus nullum adhuc judicium Ecclesia protulit, ab immitibus notis & censuris omninò abstineant, utpote quibus nihil præter summam sibi accersunt invidiam & odium. *Ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici, aut alii quicunque, in posterum abstineant*, inquit Innocentius Papa XI. (*m*) *& ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, necnon à quibusvis convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.*

(*m*) In decreto, quo 65. propositiones ad moralem spectantes proscripsit.



Finis Tomi primi.

ERRA-



ERRATA

Tomi primi Theologiæ universalis.

In Tractatu I.

Pag.	Col.	Lin.	
11.	2.	5.	si *lege* hi
19.	2.	31.	effingent *lege* effinget
37.	[illegible]	28.	qui *lege* quis
48.	2.	6.	ipiis *lege* impiis
49.	2.	31.	fuerunt *lege* ferunt
59.	1.	33.	ut *lege* unde
Ibid.	2.	5.	collentis *lege* callentis
66.	2.	15.	latinem *lege* latinam
70.	2.	6.	*post* originalia *dele* .
90.	1.	39.	*dele* illum
Ibid.	2.	2.	monte *lege* montem
Ibid.	—	35.	concessis *lege* concessio
95.	1.	24.	Baruch *lege* Barac
99.	in not.	7.	Palæstino *lege* Palæstina
101.	1.	13.	acclamate *lege* acclamante
103.	2.	36.	tempore *lege* tempora
106.	2.	32.	*dele* numerum
108.	1.	2.	anno *lege* annum
131.	1.	20.	ne *lege* nec
132.	1.	6.	inversa *lege* inverso
155.	1.	2.	hi *lege* hic
168.	1.	38.	ærem *lege* æram
171.	1.	8.	*dele* e
172.	2.	12.	exorata *lege* exarata
Ibid.	—	21.	exoratus *lege* exaratus
175.	2.	23.	puidem *lege* quidem
176.	2.	11.	irriturum *lege* irruiturum
177.	1.	4.	*post* verisimilius *adde* videtur
181.	1.	36.	oblatusque *lege* oblatisque
194.	1.	5.	*post* intelligeretur *adde* addidit
207.	2.	40.	occisionem *lege* occasionem
208.	1.	7.	Demimò quartò *lege* Decimò quartò
Ibid.	—	22.	illum *lege* illam
219.	2.	10.	*post* ut *adde* qui
225.	1.	18.	Matronem *lege* Matronam
Ibid.	—	25.	*post* eam *adde* esse

In Tractatu II.

Pag.	Col.	Lin.	
10.	2.	27. & 28.	ornem *lege* ordinem
15.	2.	27.	3tia *lege* 3tio.

In Tractatu III.

Pag.	Col.	Lin.	
21.	2.	14.	concidit *lege* coincidit.
30.	1.	4.	si *lege* sic
35.	1.	33.	v. 9. *lege* v. g.
38.	2.	19.	nullus *lege* nullis
42.	1.	9. & 10.	sciniphes *lege* ciniphes
52.	1.	25.	provocant *lege* provocent
92.	1.	34.	aut *lege* autem
93.	1.	ult.	Salomo *lege* Salomon
106.	1.	42.	prædicatur *lege* prædicitur
121.	1.	31.	necessarium *lege* necessaria
123.	2.	9.	exquire *lege* exquirere
128.	2.	21.	injustô *lege* injustè
170.	2.	7.	varis *lege* variis.

In Tractatu IV.

Pag.	Col.	Lin.	
9.	2.	20.	dictum *lege* dictus
13.	1.	3.	occisus *lege* occisum
41.	1.	10.	ut *lege* unde
43.	1.	33.	libro *lege* libri
61.	1.	12.	*post* Nestorianorum *adde* , debellator strenuus
71.	1.	20.	quartâ *lege* quarto
91.	2.	7.	v. 9. *lege* v. g.
96.	1.	24.	ubusu *lege* abusu.

